

INSTITUTIONUM MEDICINÆ PRACTICÆ

QUAS

AUDITORIBUS SUIS PRÆLEGEBAT

JO: BAPTISTA BURSERIUS

DE KANIFELD.

TOMUS PRIMUS.



VENETIIS

1817

EX TYPOGRAPHIA JOSEPHI MOLINARI.


LIBRARY

DE FEBRIBUS

PARS PRIMA.

PRÆMITTITUR COMMENTARIOLUM

DE INFLAMMATIONE.

DE

INFLAMMATIONE

COMMENTARIOLUM.

1. Non paucos equidem fore prævideo, qui, cum primum ex iis, quæ præfatus sum, non obscure compererint, nemini unquam licere ad Medicinæ Practicæ disciplinam se applicare, nisi prius in *Institutionibus medicis* multum operæ, et studii collocaverit, continuo dicturi sint, supervacaneum omnino, si non inutilem, dum de inflammatione disserere instituo, a me suscipi laborem; quod in ea institutionum parte, cui nomen Pathologia est, ut aliorum morborum, et symptomatum, sic inflammationis etiam natura, caussæ, effectus, et differentiæ jam satis et exponi, et describi soleant.

2. Quæ res etsi a me neque ignorari, neque ullo negari modo queat: illi tamen animadvertant velim, de his quidem cunctis Pathologos agere consuevisse, sed brevi adeo, pressoque sermone, ut non modo multa, quæ ceteroquin sunt Clinico scitu necessaria, silentio prætereant, sed etiam universam curationis rationem omittant. Neque vitio id vertendum Pathologiæ, ipsi profecto intelligent, si ea suos intra limites se continere de-

beat, et nihil sibi arroget, quod ad Medicinam Practicam æquissimo jure (*) tantum pertineat.

3. Ne igitur Tirones, quorum caussa hæc scribo, audito Inflammationis verbo, cujus sæpe in febribus, aliisque morbis pertractandis mentio mihi facienda est, novitate quasi perculsi hæreant, non satis gnari, quam late ea pateat, quantum discriminis afferat, quorsum inclinet, quos exitus habeat, et qua demum ratione imminens præcaveri, aut præsens tolli possit; non modo utile, sed necessarium duxi, antequam ad febrium recensionem descendam, generatim de *Inflammatione*, quemadmodum Medicum Practicum decet, aliquanto plenius, fusiusque disputare. Sic enim nulla illis occasio, qua confundantur supererit; mihi vero nulla caussa, cur deinceps hac super re molestissimis repetitionibus conterere tempus debeam.

4. Itaque eo ipso servato ordine, quo singuli morbi a Clinicis explicantur, initium faciam a nomine, et natura inflammationis; prolatisque breviter tam veterum, quam recentium scriptorum præcipuis de ea cogitationibus, consistam in illa sententia, quæ mihi probabilior videbitur. Hinc

---

(*) *Pathologia proprie dicta differt non parum a Medicina Practica, sive Praxi, ut ajunt, Medica. Nam* Praxis medica *tam a* Boerhaavio (De cogn. & curand. morb. Prolegom. §. 2.), *quam ab* Hænio *ejus discipulo* (Prolegom. Prælect. Haen. in Herm. Boerhaav. Patholog. pag. 7. §. 2. Vienn. 1779.) *est* ea Disciplinæ Medicæ pars, quæ docet morbum in ipso ægroto præsentem detegere, curareque detectum. *Contra Pathologia etiam peculiaris, et ne illa quidem diffusior, ampliorque* Fernelii, *septem nimirum libris comprehensa, quanquam singularium morborum persequatur naturam, nullum tamen verbum facit de eorundem curatione. Non igitur satis assequor, cur nonnulli Boerhaaviani hodie Pathologiam cum Praxi Medica unam, eandemque rem putent, atque habeant.*

evolutis, quantum per me licet, ejus effectis, indicatisque caussis remotioribus, et antecedentibus, utpote minus controversis, ad multiplices differentias constituendas progrediar; nec prætermittam, prout res postulabit, significare, quos exitus sive bonos, sive malos habeat, quibusque notis omnia internosci possint. Postremo indicationes quas vocant, adjiciam, quarum ductu curatio institui, atque instrumenta ad id apta opportune, et rite adhiberi queant.

5. Quando aliqua corporis pars præter naturam intensius calet, rubet, tenditur, tumet, dolet, et molesta quadam pulsatione intus quasi pertunditur, ea tum *inflammari*, sive incendi dicitur; quod similia ferme patiatur iis, quæ ab igne gignuntur. Quare, ubi omnia hæc, aut pleraque conveniunt, morbum plane efficiunt, quem *Inflammationem* nostri, Græci vero φλεγμονὴν (*) vocant. Cujus caussam proximam obscuram admodum, et pene reconditam esse, argumento non levi erit vel ipsa inter scriptores opinionum dissensio. Phlegmonem.

6. Atque ut ab antiquissimis exordiar Medicinæ Proceribus, pauca omnino apud HIPPOCRATEM invenio, quæ ad inflammationem, ejusque genesim respiciant. Locus autem, in quo paullo clarius, si ullibi unquam, de inflammationis ortu, et ratione loquitur, est in libro *de Capitis vulneribus* (*a*) ubi ait: *partes ulcus ambientes inflammantur, ac intumescunt propter sanguinis influxionem*. Discipuli vero ejus ab institutore suo paullulum recedentes, quasi *sanguinis influxionem*, quam ille assumpserat, obliti essent, aut non satis eam esse crederent, inflammationem gigni docuere, *si fluxio multa, et acris* aliquam partem invaserit,

(*) φλεγμονὴ *ducitur a verbo* φλεγμαίνειν, *id est* inflammari. (*a*) N. 18. ed. Marinelli.

manseritque acris, et glutinosa (*a*), itemque, si *pituitosa et multa*, *ac lenta* etiam *fuerit fluxio* (*b*). Denique de iis, quæ ruptam venam intra pectus, si febris supervenerit, aut peccatum in potu, aut venere aliquo modo fuerit, subsequuntur, alibi (*c*) disserentes, aliam explicandæ inflammationis rationem iniverunt, quæ est hujusmodi: *Caro sauciata subresiccatur, et subcalescit, et humiditatem in se ipsam a vicinis tum venis, tum carnibus trahit. Ubi autem attraxerit, intumescit, et inflammatur, et dolorem exhibet etc.* Ex quibus plane liquere arbitror, non modo sanguinis ipsius, verum etiam cujusque humoris acris, et glutinosi, aut pituitosi, et lenti copiosiorem influxum, imo attractionem quoque humiditatis e vicinis partibus caussam inflammationis priscis illis temporibus habitam fuisse.

7. Sed alia omnino fuit opinio ERASISTRATO cum antiquitate, quoniam certe vixit Seleuci Nicanoris ævo, tum medicinæ scientia percelebri. Is inflammationem oriri existimavit, motumque per eam cieri, qualis in febre est, quando *sanguis in eas venas, quæ spiritui accommodatæ sunt*, transfunderetur (*d*). Spiritus autem contineri olim credebatur in iis venis, quas nos arterias vocamus. Cum enim hæ in cadaveribus plerumque vacuæ deprehendantur, pronum fuit eas spiritui continendo dicatas existimare; et si quando sanguine scatere inventæ sunt, protinus conclusum est, sanguinem in alienas vias irruisse, ideoque inflammationem excitasse, qualem Boerhaaviani hodie *per errorem loci* fieri dicerent.

(*a*) Libr. de glandul. n. 5.
(*b*) Ibid. n. 6. (*c*) Lib. 1. de morb. n. 11.
(*d*) C. CELS. de Medicin. l. 1. in præfat. p. 5. ed. Cominian.

8. Post hos GALENUS (*a*), ORIBASIUS (*b*), AETIUS (*c*), PAULUS AEGINETA (*d*), et cum his reliqui principes Galenicorum (*e*) inflammationem paullo altius rimati, eam constituendam duxerunt in sanguine calidiore copiosius ad aliquam partem confluente, et vasa ita opplente, ut roris instar guttatim ex iis exsudet, atque hinc in vacua spatia vehementer illapsus omnia loca, quæ in circumposita carne sunt, occupet, urgeatque. Imo non nemo addidit (*f*) morbum invalescere, et incrementa acci-

---

(*a*) Method. med. l. X. cap. VI. *ubi ita scriptum reliquit: „ cujusmodi autem sit phlegmones affectus, tum in libro de inæquali intemperie, tum vero in eo, qui de tumoribus præter naturam est inscriptus, docuimus. Admonuisse tamen & nunc te non sit inutile. Cum sanguis calidus copiosior in aliquam animalis partem procubuit, majora ejus vasa protinus extenduntur, utpote abundantiæ continendæ non sufficientia, ab his deinceps, quæ minora sunt. Mox ubi nec in iis satis continetur, exsudat foras in ea ampla spatia, quæ inter vasa sunt, sic ut etiam omnia, quæ in composita carne habentur, loca occupet. Atque hæc quidem est phlegmones affectio" .*

Et lib. XIV. cap 2. ubi *ita subdit: „ cum sanguis copiosius in aliquam partem procubuit, sic ut ab ejus particulæ vasis nequeat contineri, exilitque aliquid instar roris ex ipsis vasis in ea musculorum spatia, quæ similaribus corporibus, ex quibus componuntur, interveniunt, utique tumor ex plenitudine oritur, cui succedit cutis tensio, & in alta carne cum pulsu dolor, & tangenti renixus quidam, & rubor & calor, ipsa nimirum cute ea, quæ subjecta sibi caro patitur, sentiente. Similis jam dicto & in visceribus affectus &c. " Et* ad Glaucon. l. 2. cap. 1.

(*b*) Synops. l. VIII. c. 24.

(*c*) Tetrabibl. IV. serm. 2. c. 51.

(*d*) De re med. l. IV. c. 17.

(*e*) FERNEL. Pathol. l. VII. cap. 2. RIVER. Prax. med. l. 1. cap. 11. SENNERT. Med. Pract. l. V. P. I. cap. V. & reliqui. (*f*) ORIBAS. l. c.

pere, quando *id*, *quod est in loco affecto*, *incipit putrescere*, *caloremque præter naturam invehit*. Hinc facile sibi persuadebant, assequi posse, unde calor, rubor, dolor, tumor, aliaque phœnomena orirentur. Illud tamen, ni fallor, non satis intellexerunt, quam ob rem sanguis in affectum locum uberius influeret; vel si intellexerint, non satis perspicue, et distincte ab iis propositum, descriptumque fuisse, dixerim.

9. Præterea cum animadvertissent, inflammationem modo repente, et cito, modo sensim, et lente enasci: alterum per *fluxionem*, alterum *per congestionem* fieri reputarunt. Deinde prout sanguis vel purus, vel sincerus, vel aliis admixtus humoribus esset, varias etiam inflammationis differentias constituerunt. Ideo a sanguine puro *phlegmonem exquisitam*, ab eodem cum bile, aut pituita, aut melancholia conjuncto *phlegmonem erysipelatodem*, *œdematodem*, *aut scirrodem* dimanare rati sunt; contra vero, si bilis, aut pituita, aut melancholia sanguinem, sive cruorem proprie dictum excederet, eoque modo, quem exposuimus, inflammationem faceret, *erysipelas*, vel *œdema*, vel *scirrhum phlegmonodia*, sive *inflammatoria*, non phlegmonen, procreari.

10. At succedente Chymicorum secta, WILLISIUS (*a*), qui, cum illa inclaresceret, floruit, aliter explicationem inflammationis aggressus est. Si tamen ejus opinio recte perpendatur, continuo apparet, eum vix, ac ne vix quidem a GALENICORUM documentis dissentire. Ipse enim sanguinem assumit *febriliter* ita *effervescentem*, ut ægre ob
Orgasmon. ὀργασμὸν partis alicujus minora vascula trajiciat, imo in his hærens obstructionem primo, deinde aggestus, atque e vasis effusus phlegmonen pariat.

(*a*) Pharmacop. Ration. P. 2. sect. 1. cap. VIII.

Monet autem, duo requiri ad efficiendam inflammationem, sanguinis nempe fervorem, et vasorum minorum obstructionem una concurrentem; si alterutrum deficiat, neutrum sufficere ad eam inducendam, idque opportunis, accommodatisque exemplis illustrat.

11. A Galenicis paullo longius discessit WILLISII æqualis, eidemque sectæ addictus SYLVIUS DE LE BOE, qui etsi sanguinem non solum in vasis capillaribus, verum etiam cum GALENO in adjacentium partium spatiis inclusum, stagnantemque, aut etiam extra proprias vias effusum ponat; sponte tamen, et *mox* eum *excandescere et caloris sensum molestum in parte sensili*, et proinde inflammationem ciere autumat, *quatenus ex ipso sanguine in vasis suis valde distentis, partibusve quibusvis aliis subsistente, hoc est, stagnante mox incipiunt evanescere partes spirituosæ, magisque volatiles, ac subtiles tum acidas, tum salinas* (alkalinas nimirum) *temperare solitæ; unde utræque acriores factæ acrius in se mutuo insurgunt, effervescentiamque ob partes sanguinis oleosas præsentes* (utpote phlogisto scatentes) *calidam excitant* (a). Hinc patet, *stasim* sanguinis, ejusque fervorem a SYLVIO quidem exigi, ut inflammatio fiat, sed simul exposci, ut *stasis* antecedat, non vero subsequatur; contra profecto quam GALLENICIS, et WILLISIO ipsi visum est. Propius tamen ad Galenicos accedit, quando ab effervescente sanguine calorem, atque inflammationem proficisci contendit: nam illi, dum ab eo calidiore inflammationem, et ab eodem deinde stagnante, et putrescente caloris augmentum repetunt, non re, sed verbis, atque explicationis modo a SYLVIO discrepare videntur.

12. Nunc vero nullo modo reticendum est, quid

(a) Prax. Med. L. 1. cap. 40. §. XIV. & XV.

de inflammatione senserit ETTMULLERUS, ratione temporis, et celebritate doctrinæ prioribus illis proximus, et chimica scientia æque conspicuus. Etenim duas de ejus natura sententias diversis, ut arbitror, temporibus protulit, utrasque dignas, quæ a nobis paullo accuratius, diffusiusque referantur. In priore calor auctus, veluti præcipuus inflammationis effectus, proponitur: sed ut ejusmodi caloris incrementum quale sit, undeque excitetur, comprehendi possit; disquirit primo, undenam sit calor naturalis corporis vivi, et animati, eumque esse affirmat ab *acido volatili spirituoso temperato*, dum existit in suo *statu naturali*, *seu oleoso*, *et concitatiori motu* agit in *compar suum Alcali*. Ex mutua igitur eorum inter se actione statuit calorem naturalem profluere. At intensioris illius caloris, qui præter naturam in inflammationibus evolvitur, aliam omnino rationem esse. Spiritui enim *influo*, aut *insito* vehementius in motum actis, sive ambobus veluti congredientibus acceptum refert. Atque ut rem clarius proponat, exemplo utitur vulgatissimo, quod ab HELMONTIO mutuatur. *Ponamus*, inquit, *spinam digito infixam*, *cujus occasione excitatur dolor; hinc æstus*, *rubor*, *et denique sequitur tumor. Spina non est calida*, *igitur ne supervenientis quidem intemperiei erit caussa efficiens formalis*, *sed saltem occasionalis*, *et ratione læsionis tantum intemperiem calidam post se trahit; ratione doloris concitatius movendo spiritum influum ad partem affectum tam per nervos*, *quam per vasa; ex cujus cum insito* (spiritu) *motu concitatiori*, *et quasi collisione tam aciditas antea occulta*, *sit manifesta*, *quam calor ante temperatus*, *fit intensior et præternaturalis. Talem autem spinam in omni calore aucto*, *et inflammatione partium deprehendimus: talis spina est*, *ex. gr. in grumo lactis in mammis coagulati; talis spina*

est acidum istud in pleuritide, quod pungit pleuram, et pulmonum alteram partem affigit, cujus vellicationis occasione inflammatio, et suppuratio earum partium supervenit. Talis spina est in ictu opum etc. in pulvisculo in oculos illapso, in acido varioloso ophtalmiam excitante, atque in multis aliis ejusmodi (*a*).

13. Quare non dubitat decernere, *sanguinis coacervationem* in tumore phlegmonode accipiendam esse, ut *Symptoma superveniens*, non ut *caussam ardoris*. Nam, inquit, *propter dolorem stringuntur fibræ, arctantur venæ, impeditur, reditus humorum, unde stagnatio, et sic tandem supervenit tumor sanguineus, et inflammatio. Hinc evulsa spina cessat omnis inflammatio, et dolor*. Et paullo post subdit: *ergo caussa tumoris non est sanguis, sed irritatio dolorosa, seu spina, quæ in caussa interna semper est acidum partibus corporis extra ventriculum hostile, et quod in spiritu insito motum concitatiorem facit, quo ipso spiritus ante temperati, fiunt intemperati, et aciditas antea quoque temperata, fit intemperata, et manifesta*.

14. Quam igitur alii sanguinis congestionem, aut stasim, vasorumque obstructionem, veluti proximam inflammationis caussam habent, Ettmullerus in sua ac prima de inflammationis origine, et natura disquisitione, tamquam effectum caussæ inflammationis, atque adeo inflammationi supervenientem tantummodo considerandam esse censet. Caussam vero omnem, et uti ajunt, proximam in *spina infixa*, id est, in acri quodam principio, quod sensibilitatem alicujus partis afficiat, sitam esse statuit. Nam excitato doloris sensu, *spiritus*

(*a*) Inst. Med. Therap. sect. III. oper. omn. Tom. I. P. I. pag. 413.

influus, nempe, ut ego interpretor, nerveus, atque ipsemet sanguis undique illuc allicitur, et confluit. Sed simul *spiritus insitus*, sive ut sermone utar hodiernis auribus magis accommodato, *vis irritabilitatis* vasorum, fibrarumque omnium *elasticitas* ad motum, actionemque adiguntur. Ex mutuo ejusmodi nisu, et renisu, sive conflictu, et *collisione* calor, æstusque consequitur. Præterea nervis dolore affectis, et fibris muscularibus vehementer irritatis spasmi, sive contractiones insolitæ, et tonicæ in parte laborante oriuntur, quibus sanguinis cursus, et præsertim reditus per venas non modo difficilior redditur, verum etiam interdum penitus intercipitur. Hinc ejus mora, congestio, tumor, tensio, ruborque partis inflammatæ facile deducuntur. Atque hæc est summa, ut mihi videtur, primæ cl. auctoris de inflammatione sententiæ.

15. Nunc ad alteram progredior. In hac vero, contra ac supra censuit, omnino opinatur, tumores, *qui vocantur inflammationes*, a congestione, et coacervatione sanguinis *in vasis capillaribus venosis, et partium spatiolis* hærentis, ibique mox excandescentis, et *molestum doloris sensum in parte quadam* sensili excitantis esse (*a*) derivandos. Congeri autem, et coacervari sanguinem ex eo putat, quod sanguis plus influat per arterias, quam per venas recipi, revehique possit. *Caussa* igitur *materialis proxima* inflammationis hoc loco ab eodem dicitur *sanguis collectus, et stagnans in parte quadam ob impeditum suum ex arteriis in venas refluxum ita, ut plus influat, quam refluere valeat per venas*. Quot modis porro refluxus iste per venas retardari, inhiberique soleat, diligen-

(*a*) Oper. med. Tom. 2. P. 1. Colleg. Practic. sect. XVIII. p. 595.

tissime ipse inquirit, et explanat. Deinde ad præcipua, et propria inflammationis phænomena, calorem videlicet, ruborem, tumorem, et dolorem se convertit, eaque sic explicare conatur: *Cum sanguis, qui dat inflammationem, sit materia rubra spirituosa, et calida, ergo calefaciet partes, et pars necessario exinde rubet; quia vero plus influit sanguinis, quam refluit, dum ita stagnat, et in parte hæret necessario pars intumescit, et cum a tumore distendantur partes fibrosæ, et hinc necessario excitabitur dolor, et consequenter inflammatio*. Demum in suppurationem, sive abscessum inflammationem verti tum dicit, cum stagnans corruptionem subeat; quemadmodum paullatim id fieri consuevit. Quod si *in parte inflammata nihil omnino refluere queat, adeoque reciprocus spiritus influi fiat motus, a quo sustentetur insitus, necessario* supervenire *tandem gangrænam, dum sanguis spiritu vitali influo privatus corrumpitur, et putrescit, indeque pars suppresso spiritu insito, emoritur*, acute, et subtiliter pro sui temporis physiologicis doctrinis commentatur.

16. Inter hæc Sydenhamius (*a*), qui rarissime theoreticis aliorum speculationibus utitur, sed suas sibi ipse confingit ætiologias, prout assidua observatio, et magister usus ei indicare videntur, peculiarem humorum diathesim in inflammationibus sibi visus est reperisse, cum eam in ipsa sanguinis accensione, effrenique fervore consistere passim tradat. Neque sollicitus est, motusne in aliqua parte, aut pluribus retardetur, an augeatur. Sanguine tamen sic inflammato, atque effervescente, motuque febrili circumquaque acto, quasdam ejus partes accensas, aut præcalidas putat modo ad ce-

---

(*a*) *Speciatim* sect. 11. cap. 2. pag. 122. & sect. VI. cap. 3. p. 305. oper. ed. Patav.

rebrum, modo ad pleuram, modo ad pulmonem, modo ad exteriora, et cutim transferri, ibique deponi, et sic phrenitidem, pleuritidem, peripneumoniam, atque erysipelas enasci. Quod quidem etsi non raro eveniat in febribus acutis, et quandoque etiam evenire posse non negem in singularibus quibusdam inflammationibus, quæ sine ullo morbo antecedente oriuntur; tamen si rem penitius intueamur, non eandem in omnibus originis rationem esse comperiemus. Nam sæpe nulla eas antecedit inflammatoria diathesis sanguinis, sed tantummodo consequitur.

17. Jam vero quærendum est, quid illi, qui omnia ad mechanicas, hydraulicasque leges exigere solent, excogitarint. In his BELLINIUS (*a*) primas propemodum tenens, ubi inflammationis meminit, auctum quidem sanguinis calorem cum veteribus assumit, sed una cum eodem capillarium vasorum obstructionem conjungit. Hæc autem obstructio tanti facta est a PITCARNIO (*b*), ut non aliunde inflammationem quam a sanguine in *arteriis capillaribus* stagnante, atque hærente manere crediderit. FRIDERICUS vero HOFFMANNUS ejusmodi obstructionem non modo in arteriis rubris agnovit, verum ab his ad laterales serosas, et lymphaticas arterias, imo ad venas etiam produxit. Nam inflammationem ipse definivit (*c*) *stasin non tam in tubulis arteriosis, et venosis, qui sanguinem ordinario vehunt, quam potius in lateralibus, qui ob angustiam diametri non rubicundos sanguinis globulos, sed tantum tenuem lymphaticum humorem secundum naturam admittunt.*

(*a*) De Febrib. Proposit. XXI. p. 237. De morb. pector. de Peripn. p. 403. & *alibi passim*.

(*b*) Elem. med. Physic. mathemat. lib. 2. cap. IX. & XIV.

(*c*) Medicin. systemat. T.IV. P.1. sect. 2. cap.5. §. V.

18. Hinc non arduum ei videtur mente assequi, cur *rubore* pars inflammata suffundatur. Neque difficilius intellectu reputat, quam ob rem *ardor*, et *flammæ* sensus in ea percipiatur. Nam *partim*, inquit, *affluens jugiter sanguis per canales semiobstructos, vel constrictos, majori celeritate fertur, partim etiam libero transitu exclusus, ad ramos ampliores regurgitat, ibique crebriorem diastolen facit, ac systolen; unde magna accidit partium sulphurearum attritio mutua, et calor maximus, qui eo sensibilior, quo magis exquisito sensu pars est, in qua malum consistit*. Dolorem demum tribuit *pressioni* nervorum, quam hi patiuntur a *minimis* æque, ac a *majoribus vasis nimium distentis*; lentorem vero, et crassitiem sanguinis, quo vasa obstruuntur, aut minimorum vasculorum spasticam constrictionem, qua transitus humoribus denegatur, uti caussam accipit, cur *liber et æquabilis sanguinis cursus per minima arteriarum, et venarum intercipiatur, isque in exiliora aquosi tenuis humoris receptacula præter naturam impingatur*. Quibus in rebus quid veri, quid falsi deprehenderint viri medica scientia præstantissimi, infra patebit.

19. Hinc tamen universim illud profluxit, et potissimum apud reliquos mechanicis disciplinis addictos obtinuit, ut crederent, caussam cujusque inflammationis proximam esse arteriolarum rubrarum, aut rubris propiorum obstructionem, utcunque natam, sive a mole, aut lentore sanguineorum globulorum auctis, sive ab imminuta canalium capacitate, et diametro: atque ab hujusmodi obstructione necessario sanguinis motum, impetumque increscere in obstructa, tanto videlicet vehementiorem, quanto majus se se eidem objiciat obstaculum superandum; augerique simul in vasis liberis ejusdem velocitatem, ideoque ad cor

etiam reditum, quo in celeriores, validioresque systoles adigatur; indeque præcipua inflammationis phænomena, calorem puta, dolorem, tumorem, febrimque facile explicari, intelligique posse.

20. Hanc ipsam inflammationis explicationem probavit etiam, amplexusque est Cl. HERMANNUS BOERHAAVIUS, a ceteris nihil, aut parum discedens (*a*). Quæ enim habet de inflammatione *per errorem loci*, et de seriebus decrescentium vasculorum, in quæ aut globulus sanguineus, aut serosus, aut quicunque alius mole majori, quam vasis amplitudo capere naturaliter possit, irrepserit, ita hypothetica videntur, atque anatomiæ, et physiologiæ veriori magnam partem contraria, ut, postquam HALLERUS (*b*), SENACIUS, (*c*) CALDANIUS (*d*), et AZZOGUIDIUS (*e*), quibuscum vetus me necessitudo conjunxit, in ea animadversiones suas ediderunt, pluribus non opus sit, ut refellantur. Ceterum sensit vir summus, quantis premeretur difficultatibus, si vellet a sola arteriolarum obstructione inflammationem deducere. Videbat enim nec inde peculiaria inflammationis symptomata oriri, nec intelligi posse, nec a simplici eam obstructione satis bene distingui. Quas ob res addidit obstructioni attritum, quo se commode tueretur; et inflammationem dixit esse *cruoris rubri arteriosi in minimis canalibus stagnantis attritum a motu reliqui cruoris moti, et per febrim fortius acti*.

21. Verum non animadvertit perspicacissimus alioquin naturæ scrutator, minimas arterias ru-

---

(*a*) Aphorism. de cognosc. & cur. morb. §§. 570. 571.
(*b*) Element. Physiolog. T. 2. l. VI. sect. 2. §. XIV. edit. Venet. p. 176.
(*c*) Del cuore T.2. nel supplim. c. VIII. p.342. e segg.
(*d*) Instit. Patholog. cap. IX. n. 112.
(*e*) Institut. medic. vol. 2. §. 511. & seq.

bras, quas perfecte ubique conicas, et convergentes assumpsit, tales nequaquam esse, cum magna ex parte cylindricæ anatomicis examinibus inventæ sint, nec idcirco in earum finibus ob angustiorem diametrum globulos sanguineos, ubi semel in eos penetraverint, substituros, inhæsurosque esse, uti falso sibi persuaserat. Neque aperte significavit, aut significare potuit, qua ratione *attritus* in stagnante sanguine fieret a *motu reliqui cruoris*, cum nullam indicet caussam, qua cruor a tergo impellatur in vas obstructum, neque ad id satis valeat cordis impellens vis, ut capta in vivis animalibus experimenta ostendunt; neque ipsa febris, quam in auxilium hic vocat, supplementum ullum suppeditare possit, quia sæpe ipsa ab inflammatione abesse visa est. Hæc tamen Boerhaaviana inflammationis illustratio, quam fuse in *aphorismis de cognoscendis, et curandis morbis* persecutus est *(a)*, ita plerisque sui temporis Medicis placuit, ut non alia in publicis scholis majori cum plausu excepta, et multos annos exculta fuerit.

22. At primus, qui contra eam caput extulerit, fuit certe Jo. GORTERIUS, BOERHAAVII ipsius olim auditor; fama deinde excellentis medici clarus, et multorum voluminum scriptor illustris. Is phænomena inflammationis diligentius excutiens, cognovit primum, pulsationem arteriarum, in quibus antea vel nulla, vel certe multo minor percipiebatur, sensibilem in inflammatione, majoremque reddi, idque, ut plane manifestum est, contingere non posse, nisi aucta arteriarum actione. *Hanc autem (b) pulsationem fieri non posse ex uno, alterove ramo arteriæ* obstructo, ostendere conatus

---

(a) §. 372. usque ad §. 386.
(b) Chirurg. Repurgat. lib. III. cap. 3. & compend. Med. Tract. 47.

est experimentis hydraulicis, *ex quibus*, inquit, *constat, liquorem fluentem per canalem ramosum a trunco per ramos, ut fit in arteriis ab obstructo uno ramo, vel orificio; quod non plus, quam centesimam partem liquoris transmittit, in reliquis ramis, vel orificiis velocitatem non ultra centesimam partem augere, atque non plus urgere in hoc orificium clausum, quam in reliqua latera omnium ramorum, et trunci, quæ exigua mutatio percipi non potest, ut fieret in minimæ partis inflammatæ obstructione. Imo experimentis anatomicis* demonstrari, *si comprimatur ramusculus minor arteriæ, sanguinem antea per apertum ramum fluentem, derivari per anastomoses, quæ inter minimas arterias sunt copiosissimæ*, compertumque esse, *ex obstructo, vel compresso ramo parvæ arteriæ partem non rubere vel tumere, sed sequi sanguinem suam vitam per alias anastomoses.*

23. Quapropter induci ipse non potuit, ut crederet *pulsationem, et inflammationem fieri ob obstructionem arteriarum*. Neque valde permotus est objectatione, quod *ligata arteria major pulset vehementius supra ligaturam; nam inflammationis obstructio*, ut recte respondet, constituitur in *arteriis minimis*, non in truncis earum, in quibus experimentum habet quidem alium, quam in ramulis, eventum. In his enim, cum longissime a corde, ejusque impulsu absint, et multis anastomosibus inter se communicent, sanguis si obstaculum offendat, post leves quasdam, ut ita dicam, oscillationes refluit versus truncum, et per alios ramos apertos, et liberos suum iter prosequitur, vasculo, in quo obstructio est, tamquam pleno, et solido derelicto. Contra in illis ob vehementem proximi cordis impulsum, copiamque majorem sanguinis ab eo projecti, quam in paucos, et laterales ramos divertere possit, necesse est, ut *li-*

gata arteria major pulset vehementius supra ligaturam, id quod nemo non facile largietur. Quo enim se recipiat, divergatque tanta sanguinis copia magna vi projecta, in truncis majoribus locus est nullus. Calorem porro adurentem, qui inflammationem sequitur, procul dubio evincere putat, *motum vitalem auctum* in peculiari loco, *esse inflammationis caussam, cum* contra *obstructio ex sua natura inferat frigus*. Nam *motus vitalis in nobis* videtur esse *naturalis caloris caussa*. Hinc a Praeceptoris opinione desciscens inflammationis cujusque *articularis ab interna caussa natae proximam caussam* profitetur esse *motum vitalem validiorem in quodam ramo arteriae, quo urgetur sanguis ruber in arterias lymphaticas, sanguisque compingitur reliquus in lentorem:* generalem vero inflammationem, sive febrem *inflammatoriam*, quae *ardens* dici solet, exsuscitari, cum non in uno ramo, sed in universo arteriarum systemate fiat concitatior.

24. Ex his igitur colligit, omnia ea, quae ad motum majorem compellunt arterias, inflammationem pro majore, vel minore locorum spatio cum *generalem*, tum *particularem* inferre posse; exemplisque adductis, quae apud ipsum legi merentur, rem illustrare voluit. Ergo ex Gorterii sententia inflammatio ea est sanguinis rubri in arterias lymphaticas, sive serosas violenta introductio, quam efficit motus vitalis alicujus arteriae, aut alicujus ejus rami validior, et concitatior. Per motum autem vitalem hic intelligit actionem illam tantummodo, quam, dum vivit animal, edunt vasa arteriosa alternatim se contrahendo, et dilatando, ut sanguinis circuitum, vitamque ipsam sustineant. Cum hoc *motu vitali validiore* Gorterii magnam habet affinitatem *auctus tonicus vasorum motus*, quem ad inflammationem efficiendam ne-

cessarium prædicant STAHLIANI (a), præter notissimam illam animæ vim, sive providentiam, qua volunt principium vitale, sive cordis actionem incitari, atque adeo sanguinis motum augeri, et in obstructos canales dirigi, exercerique.

25. At contra HOFFMANNUM, reliquosque omnes, qui, posita arteriolarum rubrarum obstructione, docent, celeriorem per vasa semiobstructa, aut coarctata, aut per reliqua aperta, et libera sanguinis motum evadere, atque in obstructos canales sanguinem a trunco decurrentem vehementius impingi; multo acrius, et confidentius invehitur SAUVAGESIUS (b), contendens mechanicis, hydraulicisque legibus omnino repugnare, celeritatem, aut moventes vires pro aucta obstaculorum potestate intendi, ut vulgo credebatur. Etenim apud quosque hydraulicarum rerum peritissimos certissimum, inquit, theorema est, si media ramorum ex aliquo singulari tubo prodeuntium pars obstruatur, velocitatem, qua liquor in trunco excurrebat, dimidio minorem reddi, nisi vis impellens ita augeatur, ut quadrupla evadat; ac, si duæ tertiæ ramorum partes occludantur, vis eadem ad octuplum, aut nonuplum augeatur oportere, ut liquor ea celeritate, qua antea pollebat, omnino moveatur. Non ergo ex obstructione minimorum canalium celeritas in reliquis liberis, aut vis movens in truncis increscit, ut passim sibi finxerant non pauci medicorum mechanicis disciplinis non satis instituti. Neque quis objiciat, vasa obstructa *elastica* esse, ideoque quo magis distenduntur, eo validius se se restituere: nam tunicæ eorum, etiamsi vera, et perfecta *elastra* essent, et ejusmodi hu-

(a) STAHL. de Inflam. Patholog. & JUNCHER Tab. XX.
(b) Dissert. sur l'inflammation §§. 43. 44. et Nosolog. method. class. III. N. 31. ad 102.

morum infarctu distraherentur, urgerenturque, non tamen possent se se restituere, quandiu stagnans, aggestusque humor in easdem vim faceret. Quod si humor recederet, minusque urgeret; non tamen se se restituerent, nisi tantum, quantum fuissent distentæ; neque possent, quod summum est, contento liquori, nisi eam celeritatem impertire, quam ab eo accepissent. Id autem nequaquam sufficerent ad augendam celeritatem humorum fluentium, ut petebatur. Atqui in quavis graviore inflammatione sanguinis motum, celeritatemque (quando cum febre est) augeri, intendique, non modo ex una omnium observatione constat, verum etiam ultro fatetur ipsemet SAUVAGESIUS. Quare ut aliquam auctu hujusce motus caussam adducat, quoniam neque ab hydraulicis legibus, neque ab elasticitate derivandus erat, ad animæ confugit potestatem, cujus voluntate, et jussu cum STAHLIANIS putat, cor ad se se vehementius movendum impelli, sicque aucto humorum motu eniti, ut opposita obstacula superentur, et tollantur.

26. Hæc a SAUVAGESIO subtiliter disputata quanquam vero proxima sint, consentiantque prorsus eum observationibus, quæ a cl. viris in vivis animalibus habitæ fuerunt; non tamen ejusmodi nobis videntur, quæ cogere eum debuissent ad amplectendam STAHLIANORUM sententiam de anima scilicet omnium, et præcipue cordis, motuum effectrice, quo commodius auctum sanguinis ad partem inflammatam appulsum tueretur. Debuerunt potius eum ad suspicandum compellere, obstructionem, cui inflammatio tribuebatur, commentitiam esse, utpote phænomenis inflammationis præstandis ineptam, vel rectius interdum pro inflammationis effectu habendam, vel si quando caussæ proximæ loco esse possit, aliquid aliud obstructioni adjungi, quod motum vitalem in ea parte,

quæ obstructione laborat, concitatiorem faciat. Hæc unice consequi videbantur, recte cogitanti, neque opus ei erant ad STAHLII deflectere opinionem, quæ non solum apud cordatos viros jam eviluit, verum etiam vel uno HALLERI experimento (*), ut figmentum, et somnium exploditur facile.

27. Sed posita etiam obstructione, ut caussa inflammationis, quamvis ex ea augmentum motus concipi non posset, non tamen isto animæ adjumento eguisset doctissimus SAUVAGESIUS, si præter *elasticitatem*, quam quidem per se augendo motui non satis valere noverat, vim illam vasis insitam, quam *vitalem* alii appellant, alii *organicam*, animalium potissimum propriam, quamque verisimillimum est ab *irritabilitate* fibrarum *Halleriana*, aut a nervorum *sensibilitate*, aut ab utrisque simul junctis proficisci, si, inquam, hujusmodi illam vim, ut par erat, æstimasset. Nam hac aliqua in parte excitata, valentiusque agente, quod facile usuvenit, arteriæ crebrius, fortiusque alternatim subsilientes sanguis motum ibidem intendunt, incitantque manifestissime, quin cordis actione hilum quidem increverit, aut increscat. Testantur id clinici, qui sine ulla motus cordis mutatione sæpissime in aliqua parte arteriarum micatus sic auctos repererunt, ut febrem topicam imitari viderentur: imo experientia edocti asseverant, varium in diversis corporis partibus esse posse sanguinis motum, atque adeo velocitatem, frequen-

---

(*) *Experimentum est hujusmodi. In Rana, cui caput amputatum, & medulla spinalis excisa sit, si aorta vinculo intercipiatur, aut cor ipsum cum vasis ligatum de pectore evellatur, perinde cor contra obstaculum nititur, etiamsi animæ consilium, aut imperium tunc nullum superesse possit. Vid.* HALLER. Physiolog. l. IV. pag. 322. not. K. p. 323. not. t. Item T. 2. l. VI. sect. 2. §. XIV.

tiamque pulsus in morbis pro partium affectarum ratione (*a*) variari. Concitatior in primis arteriarum motus deprehendi solet nedum in partibus inflammatione correptis, verum in proximis etiam, in artubus arthritide, aut podagra, aut quovis alio doloris genere laborantibus, in capite hemicrania, aut cephalalgia affecto, in latere pleuritide excruciato, et sic porro. Id autem adeo certum est, ut in ipsis animalibus vivis sectioni anatomicæ subjectis cerni possit. In his enim Cl. HALLERUS (*b*) sæpe vidit sanguinem in aliqua parte lentissime fluere, imo etiam omnino subsistere, et conquiescere, dum in alia veloci cursu agebatur.

28. Demum non video, qua ratione excusari Cl. auctor possit, quod inconsulto, et temere nimis speraverit, per motum cordis auctum omnem difficultatem (*) sublatum iri. Hoc enim fieri potest, ut sanguis majori vi, et velocitate per universum quidem corpus projiciatur; non vero ut peculiariter in obstructas arterias, quasi mente valeret, validius suam vim exerceat, nitaturque obstacula removere. Rationis lumine caret tum cordis, tum sanguinis motus. Obstant hydraulicæ leges, quas ne animæ quidem liceret pro arbitrio subvertere,

---

(*a*) BORDEUX Recherch. sur les pouls pag. 313. & seq. PECHLIN. observ. 2. L. 5. HOFFMANN. Medicin. system. T. 1. p. 115. ALBERTIN. Comment. Acad. Bonon. T. 1. p. 387. &c.

(*b*) Second. Memoir. sur le mouvement du sang, experienc. 90.

(*) STAHLIANORUM *de animæ in tuenda, restituendaque valetudine officio fictitia pene omnia sunt*. HEISTERUS *in* Dissert. de Medicin. Mechanic. præstantia *multa contra eos disputavit. Idem fecere alii bene multi. Contra vero* SAUVAGESIUM *extat Epistola* JOSEPHI ANTONII PUJATI *ad filium, qua illius de caussa inflammationis, & febrium sententia refellitur*. *Vid*. Raccolta d' Opuscoli del P. Calogerà *T.* 50.

aut immutare. Quid ubi nulla febris, id est, ut rectius loquar, nulla cordis, et arteriarum aucta velocitas, excepta parte inflammata, inflammationem consequitur, ut sæpe a Clinicis observatum? An tum anima cordis adauget motum? Num forte oblita sui muneris est? Quæro tandem, cur anima eodem auxilii genere non utitur in ceteris vasorum, et viscerum obstructionibus? caussa eadem idemque finis nonne eamdem ab anima opem efflagitarent? At vereor, num inflammationi, sive vasorum obstructioni remedio semper esset auctus hujusmodi cordis, et sanguinis motus, ita ut eo solo præsidio vitæ incolumitati anima prospicere tentaret. Ego certe nollem, ut mihi sic anima semper prospiceret.

29. Atque hæ sunt præcipuæ, celebrioresque Medicorum de inflammationis natura commentationes, a quibus reliquæ, si quæ aliæ memoratu dignæ existunt, profectæ esse videntur. Quapropter non est, cur in his singillatim referendis ad nauseam usque, fastidiumque progrediar. Missas quoque faciam nuperiorum quorumdam novissimas et singulares de eadem re cogitationes, eorum in primis, qui ut novi aliquid proferant, ingenio nimium suo indulgentes inflammationem in nescio qua oleosæ sanguinis partis, aut adipis ipsius (*) fermentatione, vel in tenuitate majori, quam soleat natura esse, concrescibilis, et fibrosæ sanguinis partis (**),

---

(*) *Si quis cupiat scire, quæ adversus hujusmodi opinionem dici possunt, legat duo Opuscula, alterum* Anonymi *mihi amicissimi, quod extat in* Diario Medico Petri Orteschi *Tom. VI. N.* lxv., *alterum* Francisci Panciatichi *Medici Foroliviensis, ad me perscriptum, quod Forolivii anno* 1771. *prodiit hoc titulo:* Confutazione d' una lettera ec.

(**) Hewson, *quem sequutus est etiam* Callisenius, *opinatur imminutam in inflammationibus esse*

vel in majori ignei principii copia, vel in phlogisti evolutione, vel in diathesi inflammatoria locandam, ponendamque volunt; cum non minoribus implicatæ difficultatibus prope videantur. Ab earum autem examine temperandum maxime ducimus, ne doctissimis auctoribus, a quibus editæ, et propugnatæ sunt, bellum indicere credamur, et propterea, quid unaquæque valeat, tempori decernendum relinquimus.

30. Ceterum etsi pleræque istarum opinionum inter se quodammodo pugnare videantur, sibique propemodum adversentur: si quis tamen eas pacato, æquoque animo perpendere velit, comperiet facile, alias non exigua affinitate convenire; alias verbis magis, quam re ipsa discrepare; alias etiam, quæ primo intuitu minus fortasse probandæ videntur, non prorsus, aut certe non longissime a veri similitudine dissidere. Ex iis quoque, quæ aut a nobis in aliquarum expositione dicta sunt, aut anatome, et physiologia comperta habentur, expeditissimum erit cuicunque hisce disciplinis vel leviter imbuto dispicere, quid in qualibet offendatur, aut reprehendi, aut desiderari queat, quid approbari, et retineri debeat. Itaque relicta aliis longiori hujusmodi disquisitione, quod superest, quodque ab initio recepi, potius ipse persolvam, ea in-

---

sanguinis concrescibilitatem. *Præcipuum argumentum, quo ambo hi utuntur, est* crustæ inflammatoriæ, *qua sanguis missus contegi solet, tardior, & lentior, quam crassamenti rubri coagulatio. Eam enim a* lympha *coagulabili* valde attenuata, *adeoque serius inspissanda formari ajunt. Quæ contra afferri possunt, infra, ubi de diathesi inflammatoria agemus, indicabuntur. Hic solum satis nobis est admonere, inflammationes plerasque sanguinis missione curari. Quis autem aliquid boni, ubi imminuta sit sanguinis concrescibilitas, sive cohærendi vis, a sanguinis missionibus sibi polliceatur?*

flammationis proposita explicatione, quam magis rationi, et naturæ legibus consentaneam existimavero.

31. Convenit plane inter omnes, partem inflammatione correptam, quando ea oculis patet, rubere præter morem, calere, intumescere, dolere, et pulsatione quadam intus pertundi. Hinc evidentissime colligere est, sanguinem late sumptum in illam uberius, vehementiusque influere, quemadmodum jam ab HIPPOCRATE primum, ejusque discipulis (§. 6.), deinde a GALENO, ejusque asseclis (§. 8.) bene multis et cognitum est, et traditum. At, si quantum per arterias adfertur, tantum per venas reveheretur; tum veri simillimum crederem, nullam profecto inflammationem fore. Nam copiosiorem, vehementioremque sanguinis in omnes corporis partes projectionem, quæ in quacunque febre acutiore fit, nulla necessario singularis alicujus partis inflammatio consequitur, quamdiu videlicet a venis tantumdem recipitur, quantum advehitur ab arteriis. Ego ut pars aliqua inflammetur, tumeat, caleat, doleatque, alterutrum sequi necesse est, nempe vel sanguinem ab arteriis advectum non totum in venas recipi, quod pluribus ex caussis accidere potest, vel ita in eam impelli, ut orificia vasorum lateralium, vel meatus, quos poros inorganicos vocant, urgeat, dilatet, et sibi in aliena loca viam faciat. Utroque autem modo sanguis influens, vasa minima mirifice replet, distenditque, imo quæ singulos rubros globulos admittere solita esse creduntur, jam plures simul recipiunt, ampliantur, et rubore, qui antea inconspicuus erat, quodam insigniori se se oculis objiciunt, et patefaciunt. Neque infrequens sane est, sanguinem ex hujusmodi vasculis rubris unum alioquin globulum ferentibus per exhalantes canaliculos æque, ac per reseratos tunicarum inor-

ganicos poros in proxima telæ cellulosæ spatiola adigi, et depluere (*), quod GALENUS olim (§. 8. not. f.), hodieque cum multis aliis HALLERUS (*a*) cadaverum sectionibus innixus, luculenter docuerunt: nec fortasse a natura alienum omnino est, eum in *serosas arterias*, si quæ tamen sunt, quæ ab arteriolis globulum unum ferentibus differant, intrudi, ibi hærere, accumulari, et proxima quæque loca premere, sicuti HOFFMANNO (§. 17.) et GORTERIO (§. 23.) visum est.

32. A dilatatis, repletisque minimis vasculis, atque ab effuso interdum in aliena loca sanguine ut facile rubor, tensio, et tumor partis proficiscitur, sic a velociori, uberiorique sanguinis appulsu major arteriarum pulsatio, quam ex consuetudine, dependet. Quod ad calorem, ardoremque spectat, qui inflammationem comitatur, scio equidem, quoniam Physiologi ejus caussam in corpore animali nondum bene se nosse fatentur, difficilis eum esse explicationis (**). Non tamen valde abesse a vero videretur qui dixerit, a sanguinis rubri copia, accumulatione, et motu aucto, aut a partium ejus, vasorum continentium mutua, intimaque collisione, sive attritu, aut ab ignei principii, aut, si mavis, phlogisti evolutione, et motu, quod eodem ferme recidit, eum excita-

---

(*) *Cellulosum textum oppletum, dilatatumque in inflammatis partibus ostendunt ipsæ cadaverum sectiones. Id etiam confirmatur attenta observatione membranarum, quæ magnam aliquam inflammationem passæ sunt; nam hæ plerumque multo crassiores, duriores, plenioresque, quam naturalis earum constitutio ferat, remanent, dilatatis nimirum, turgentibusque adhuc cellularis telæ loculis.*

(*a*) Opusc. Pathol. Observ. XIV.

(**) *Vid.* HAEN. rat. med. P. 2. cap. 10. p. 124. & P. 3. cap. 3. p. 120. *ubi extant multa, quæ animadversione dignissima videntur.*

ri (*). Dum vero hæc fiunt, nervea filamenta distrahantur, divellanturque, necesse est. Hinc dolor multiplex (**), punctionisque, vel alius cujusvis molestiæ sensus pro vario inflammationis genere, et gradu, pro varia humoris indole, loci natura, sensibilitatis ratione sæpe diversus exoritur. Dolor demum, ubi vehemens est, diuque trahitur, spasmum excitat, qui vasorum repletioni contra nitenti adjunctus caussam probabiliter continet pulsus duri, et vibrantis, quem crebro inflammationis comitem esse, medici norunt.

(*) QUESNÆUS *statum naturalem ignei elementi in frigore ponendum arbitrabatur, neque illud calere per se ipsum, nisi quibusdam caussis in motum calorificum ageretur. Revera sola ejus præsentia, aut copia non ciet calorem, ut Physicis jam notum est. Duplicem præterea in corpore humano calorem agnoscebat,* naturalem *nempe, & calorem* ex acrimonia, *sive ad sensum. Ille ab igneo elemento in motum calorificum acto, hic ab acribus rebus in nos agentibus, & sensum caloris excitantibus gigni videtur.* Traité des fievr. T. 1. chap. 3. artic. 1. §§. IV. V. p. 112. *Similem caloris humani distinctionem habet etiam* GORTERIUS, *& ni fallor, satis recte. Notatu quoque dignum est, interdum magnum calorem motui aucto circulationis succedere; interdum ingentem calorem cum moderato arteriarum micatu conjungi. Non ergo in ratione directa motus, saltem progressivi, increscit calor, sed corporis fortasse moti, & motus ipsius varietas differentiam facit. Est quoque caloris genus quoddam, quod Thermometro non deprehenditur, sed sensui solum innotescit, quale illud est, quod ab acrimonia appellavimus. Hujusmodi sane est calor ille molestus quo excruciamur ob impeditam perspirationem, aut quem, simul ac in aerem phlogisticatum ingredimur, sensu percipimus, dum interea thermometro vix ullum discrimen inter hunc, & atmosphæricum invenitur.*

(**) *Dolor modo inflammationis effectus est, modo caussa. Heic, uti effectus, consideratur; infra* (§. 35.) *uti caussa.*

33. Ut vero copiosior, velociorque sanguinis arteriosi fiat in aliquam partem influxus, nequaquam necesse est, quemadmodum supra demonstravimus, cum SAUVAGESIO ad auctam cordis vim confugere; neque hæc, etiamsi augeretur, illico inflammationem efficeret. Nam, si hæc satis esset ad inflammationem excitandam, omnis simplex obstructio, superveniente undecunque febre, id est, aucto cordis, et arteriarum motu, ut plerumque in febre evenit, inflammationis naturam acquireret, et vera inflammatio evaderet, quod tamen generatim falsissimum est. Neque pariter satis est, per venas retardari sanguinis reditum, uti ETTMULLERI fuit opinio: nam id quidem congestionem, obstructionisque quoddam genus præstare, non vero inflammationem. Hæc siquidem non tantum copiam, sed impetum influentis sanguinis videtur exponere: qui impetus esse nequaquam potest, ubi venæ non satis celeriter depleantur. Retardato per venas reditu, quasi obex sanguini influenti opponitur, ideoque etiam in arteriis, quibuscum venæ communicant, remora aliqua nascatur, necesse est; nisi aliunde per arterias sanguinis cursus incitetur.

34. Quænam vero erit caussa, ex qua sanguinis cursus per arterias in aliquam partem uberius, velociusque advocetur? Si conjecturis uti licet, ex hydraulicis illud præmonendum censeo, fluida eo ferri copiosius, et facilius, quo minorem inveniunt *resistentiam*. Imminuitur autem resistendi vis in arteriis multis quidem de caussis, sed præcipue, si arteriarum lumine amplientur, aut citius solito, in dato temporis spatio, quem illæ continent, humorem emittunt expelluntque. Sed scire convenit, non omnem earum dilatationem, aut celerem earumdem evacuationem, etsi multum sanguinis utraque alliciat, inflammationem efficere posse. Repleri enim vasa

plus solito, sanguisque in iis congeri potest, unde locus rubeat, atque intumescat, quin tamen dolor, et calor, atque alia inflammationis phænomena accedant. Id in rubore chronico oculorum ab *adnata* vasorum laxitate orto, aut ob ophthalmia graviore relicto manifestum est; in quo vasa certe majori sanguinis copia admissa turgent, rubentque; at nullus sive dolor, sive calor cum ejusmodi vitio conjungitur. Replentur quoque largiori sanguinis unda vasa cutanea per cucurbitulas, balneum, fomentum, calorem, solis radios, ita ut cutis intensissime rubeat, et tumeat, imo quandoque etiam nigricet; nec tamen inflammatio hæc est. Rubet quoque fricata paullo asperius cutis, fricatione nimirum accelerato sanguinis cursu, imminutaque ad eum, qui influxurus est, resistentia, quin ipsa inflammetur. Requiritur ergo quidpiam aliud præter uberiorem sanguinis in vasa influxum, et coacervationem, ut inflammationis symptomata oriantur.

35. Id ipsum animadverterat Ettmullerus (§§. 12. 13.) cum sanguinem eo impetu in partem aliquam irruere vellet, qui dolorem, et calorem inferat; hoc est, qui ab irritatione quadam aut excitaretur, aut irritationem ipse faceret, si congestio inflammationis nomen promeritura esset. Opinioni ejus suffragatur experientia. Rubet, et calet, uti supra dictum est, perfricata cutis, nec tamen adhuc inflammatio eam tenet. At, si fricatio rudius, diutiusque producatur, jam dolet etiam, et tumet, et vere tum inflammatur. Si sabuli granulum, aut quodcunque corpusculum, quod irritare possit, intra oculum, et palpebras se se intruserit, paullo post oculus dolet, rubet, illacrymat, calet, demum tumet, et inflammatur. Educto stimulo dolorifico, universa cessat inflammatio. Puncto, vel quacunque alia ratione lacessito nervulo, mox do-

lor (*), rubor, calor, tumor partis affectæ se exserunt; hoc est, inflammatio se prodit. Exemplum habes in spina illa Ettmulleriana digito infixa, aut in paronychiis acus punctionem subsequentibus. Idem accidit ex acri quolibet cuti applicito, ibique diu detento: rubor enim, calor, tumor, dolorque illic consequitur. Ergo stimulo, irritamento, vellicatione opus est præter sanguinis uberiorem influxum, ut inflammatio fiat.

36. Revera corpus animatum, et vivens ita a Natura confictum, constructumque est, ut, si alicubi quodpiam stimuli genus applicetur, eo statim uberior, citatiorque sanguis irruat, et confertim accumulatus calorem, ruborem, dolorem, tumoremque pariat. Idque adeo certum, constansque est, ut neminem latere queat. Illud potius obscurum, ignotumque hactenus est, qua nempe ratione tam varia, et mira præstet. Qui enim nervorum, aut fibrarum, quibus vasa instruuntur, actione excitata stimulum agere dixerunt; hi profecto, ut ego judico, nihil, quod quæstioni faciat satis, dixerunt. Restat adhuc sepulta, atque obvoluta tenebris arcana vis stimuli. WINTERLIUS (*a*) aliquanto longius progredi tentavit, conquisitisque undique rationum momentis non paucis suadere allaboravit, arterias, irritatis per stimulum aliquem nerveis surculis, qui ad eas feruntur, aut in earum tunicis perreptant, laxari, dilatarique sic, ut sanguis in eas minus resistentes copiosius, et velociter confluat. WINTERLII opinioni quanquam pene singulari, et non satis firmis argumentis comprobatæ adhæsit nuper CALLISENIUS (*b*), nec doctri-

---

(*) *Duplex dolor in inflammationibus est, alius uti ejus effectus, quod supra (XXXII.) adnotavi, alius uti caussa. De hoc posteriore hic sermo est.*

(*a*) Dissert. de Inflammatione.

(*b*) Instit. Chirurg. Modern. §. 197.

næ insolentia, nec aliorum prope omnium Physiologorum reprehensione deterritus. (*)

37. At qui *irritabilitatem Hallerianam* sequuntur, cum fibras irritatione vellicatas contrahi noverint, adduci haud possunt, ut credant, stimulo arterias dilatari. Sunt enimvero arteriæ fibris ubique muscularibus præditæ, atque idcirco irritabilibus. Certis constat ex observationibus SENACII (*a*), HALLERI (*b*), aliorumque (*c*) arterias etiam minimas irritabilitate donari, atque ad stimuli vim contractiles esse, uti cor. Natura vero irritabilitatem ea lege cordi, arteriisque inseruisse videtur, ut stimulo accedente contraherentur quidem, sed paullo post laxarentur, sive quod idem est, systole, et diastole sibi alternatim succederent. Id fere perpetuum est in iis partibus, quæ vitalibus functionibus inserviunt, nec voluntatis imperio subjiciuntur. Cor igitur irritatum, sive cesset, sive perstet irritatio, huic naturæ legi obtemperare cogitur; nec minus eidem obtemperant arteriæ perpetua systoles, et diastoles alternatione (**). At illud

---

(*) *Hactenus fibra muscularis per irritationem contrahi visa est. Contrarium in arteriis fieri, nondum demonstratum vere ab ullo est.*

(*a*) Trattato della struttura del cuore T. 3. lib. 3. cap. 2. p. 240. & seq. ediz. di Brescia.

(*b*) Element. Physiolog. T. 1. l. 2. Sect. 1. §. 13.

(*c*) Vid. BALDINGER Diss. de arteriar. & venar. vi irritabili 1776.

(**) *Similem* antagonismum *in universa fere œconomia animali observat Cl.* METZEGERUS. *Vid. ejus Adversar. Medic. Num.* III. *P.* I. De Antagonismo naturæ solenni Diatribe. *Nec de alterna hac* contractionis, & relaxationis *successione dubitare licet, tum etiam, cum stimulus nondum cessaverit. Exemplo id patet luculentissimo sternutamenti. Quamdiu vis irritans pituitariæ membranæ inhæret, dilatatur quam maxime thorax, fitque amplissima inspiratio: mox vero laxatis musculis intercostalibus, & diaphragmate,*

sciri oportet, celerius, validius, et crebrius tam cor, quam arterias alterne contrahi, quo vividius stimuli vis agit, aut major est in utrisque irritabilitas.

38. Itaque liceat animo concipere arterias aliquas minores insolito, et peculiari quodam stimulo affectas; sive stimulus iste proxime earum fibras musculares, sive nervos tantum, qui ad eas pertinent, sive utrasque partes (*), (nam haud facile id definiri potest) afficiat; necessario sequitur, ut illæ validius, velociusque contrahantur, et laxentur; atque ideo citius solito, et frequentius dato tempore depleantur. Si vero citius solito deplentur, et vacuæ fiunt, minus etiam resistentiæ influxuro sanguini opponant, necesse est. Ergo copiosior, celeriorque in eas erit, quam in reliquas partes, sanguinis influxus. Ergo stimuli ope planum, expeditumque illud conficitur, quod in inflammatione explicatu videbatur difficillimum.

39. Hic porro stimulus si peculiarem partem, nec valde cum aliis consentientem irritet, nec ipse vehemens sit, nec diu perseveret, eam quidem inflammat, non tamen febrim movet. Rarum enim

---

subita, & vehemens subsequitur thoracis depressio, atque expiratio. Hæ sibi mutuo validæ, & celeriter succedunt, quamdiu pituitaria membrana irritari pergit.

(*) *Cl.* Sennacius (du cœur T. 2. p. 169.) *tantum virium nervis tribuit, ut ab horum actione maximam partem arteriarum motum pendere persuasum sibi habeat. Neque prorsus id negat* Hallerus (Element. Physiolog. T. 2. pag. 206. 220. 252. & oper. min. T. 1. p. 223. & alibi), *eamdemque sustinuit sententiam* Morgagnius (de sed. & caus. morb. Epist. 24. n. 20. & 23.). *Ostendunt hujusmodi nervorum vim pulsus languidiores, aut deficientes in membris paralyticis, & gangræna inferiorum artuum a læsa spinali medulla &c.*

non est, inflammationem sine febri (*a*) existere. At ubi stimulus, sive irritans principium, partes exquisito sensu præditas, facileque consentientes diu, aut vehementer exagitat, facile ad alias quoque cum proximas, tum dissitas nervorum consensione, quod verosimilius videtur, vel vasorum communicatione ita suam vim, quin e loco dimoveatur, producit, ut cor ipsum ad crebriores, validioresque contractiones sollicitetur, et febris oriatur frequentissima inflammationis aut comes, aut pedissequa. Interdum tamen istiusmodi stimulus non tantum parti alicui peculiari insidet, verum etiam cum universo sanguine communicatus, aut per totum pene corpus diffusus omnia vasa, et cor præsertim afficit. Tunc, licet inflammationis locus neque sensu exquisitiori polleat, neque admodum acriter irritetur, ut consensione partium febrim accersere per se queat, cum febri tamen conjungitur: sed tum febris non ab ipsa inflammatione particulari, ejusve effectus oritur. Nam ea a diffusiori inflammationis fomite, aut a plurium caussarum, quæ ex se febri excitandæ valent, conjunctione excitari videtur, aut etiam aliunde genita inflammationem ipsam antecedit, et comitatur; imo, inflammatione ipsa particulari etsi discussa, omnino non desinit. Verum tunc inflammatio nec sola et pura, nec primaria, nec particularis fortasse, aut certe non simplex erit, de qua hic potissimum verba fiunt.

40. Nec absurdum crediderim, aucto totius sanguinis motu sedem, in qua inflammatio, sive vehementior, uberiorque humorum appulsus est, aliquomodo fortius impeti, urgerique, atque hinc aliquod doloris, ruboris, tumoris, calorisque in ea fieri incrementum; quin imo ita excruciari, et

---

(*a*) *Vid.* Vans-Wieten §. 571. in Boerhaav.

tendi, ut demum spasmus eam occupet, alternosque arteriolarum micatus, quos naturæ legibus respondere supra posuimus, pertinax tonica contractio sine relaxatione excipiat. Cumque velocior sanguinis circuitus attritum augeat, tenuissima dissipet, secretionibus minime faveat, cerebrum quatiat, pulmones prægravet; nil mirum erit, si calor inde ingens; cutis, linguæ, et faucium siccitas; sitis; urina rubra, et pauca; consuetarum excretionum omnium inopia; sanguinis lentor, majorque ejus ad cohærendum proclivitas; cephalalgia; pervigilium; mentis emotio; anxietas; respiratio anhelosa, aliaque motus aucti symptomata cito (*) superveniant.

41. Stimulo igitur, uti exposui, inflammatio excitatur. At multa sunt stimulorum genera, quorum tamen quædam dumtaxat eidem gignendæ idonea esse videntur; neque hæc cuncta ad acrium, et causticorum ordinem pertinent, neque omnia, quæ acria vere sunt, ad id apta inveniuntur. Nam quædam acritatis expertia ferme reputantur, dum tamen aliquibus nostri corporis partibus admota stimulorum effecta præstant. Hujus generis sunt aer atmosphæricus, aqua tepens, sanguis ipse, et fortasse succus nerveus, si magnis viris credimus; quæ nullum quidem molestiæ sensum reliquis partibus inferunt, sed cordis irritabilitatem ita per-

---

(*) *Specimen hujusce pathologiæ jam anno* 1771. *die* 4. *Quinctilis publice propugnavit* Genesius Rossi, *tunc auditor meus, ut constat ex opusculo, qui ita inscribitur:* Disputatio Academica ex Clinice de præcipuarum partium inflammationibus habita a Genesio Rossi Mediolanensi in Aula majore Almi Collegii Ghisleriorum &c. Præside Jo. Baptista Burserio Clinices &c. P. Professore, data cuilibet oppugnandi facultate. Ticini Regii ex Typographia Hered. Ghidini Impress. Curiæ Arch. Episc.

cellunt, ut, quando etiam torpesceret, illico ipsa reviviscat. Quædam alia manifestam acritatem præ se gerunt, et quandoque tantam, ut exurere videantur. Hæc tamen arteriarum, aut cordis, aut cujusque fibræ muscularis irritabilem vim destruunt potius, atque extinguunt, quam excitant: talia autem sunt Acidum Vitriolicum, Nitrosum, Butyrum antimonii, Lapis infernalis (*), aliaque id genus. Quædam item, etsi acritate non careant, quibusdam tamen partibus parcunt, dum alias irritant, et lædunt. Exemplum habemus in croco metallorum, et cantharidibus. Ille oculis nullam ferme inferre vim dicitur, sed ventriculi fibras ita pungit, atque extimulat, ut vomitum moveat; hæ contra ventriculo fere parcunt; renes vero et vesicam urinariam adeo lacessunt, ut inflammationis phænomena in iis sæpe enascantur.

42. Hinc singula stimulorum genera, a quibus inflammatio procreari potest, definire arduum sane est; cum certis ex observationibus cuncta non innotuerint. Itaque nonnulla tantum attingam, de quibus fere convenit inter Clinicos. A Lancisio, et Gorterio arteriæ intus muco quodam mitissimo obliniri creduntur, ne præterfluens sanguis eas lædat. Si is vere existat (quod alii negant) acrimoniamque contraxerit, atque alicubi vasorum tunicis adhærescat, irritationemque faciat, eo certe in loco irritabilitas concitabitur, atque idcirco arteriæ ibidem validius, velociusque micabunt. Is pariter si alicubi deficiat sic, ut arteriarum interior facies nuda sit, et irritabilior, sensibiliorque evadat, sanguis præterlabens stimuli vice ibi fungetur, atque adeo motum earum systalticum inten-

---

(*) *Acerrima hæc, & caustica spasmum fortasse primo tonicum fibris inducere, mox easdem adurere, & destruere etiam videntur,*

det, accelerabitque. Hoc ipsum præstabitur a quocunque alio humore qui proxime arterias, aut nervos ad eas quocunque modo spectantes, aut cum eisdem communicantes pungere, aut vellicare prava sua qualitate possit. Huc pertinent acritates sanguinis variæ tam spontaneæ, quam adventitiæ; phlogisti copia, aut subita ejus alicubi evolutio; impedita ejus dissipatio; aura frigorifera admissa; acre epidemicum inspiratum, et fortasse *diathesis* ipsius sanguinis, ut dicitur, *inflammatoria*, undecunque ea sit.

43. Ac, quoniam de diathesi inflammatoria sanguinis sermo incidit, non erit ab instituto nostro alienum in ejus naturæ investigatione aliquantisper versari. Quando igitur sanguis e vena eductus in densam, tenacemque massam cogitur, et quadam veluti cuticula alba, dura, compacta tegitur, protinus nedum medici, verum etiam adstantes omnes, eo quod plerumque id in inflammationibus apparet, clamitant, sanguinem inflammatoria diathesi peccare; habentque plerique pro certo, quemadmodum sæpe egomet ipse audivi, sanguinem ita crassum, densum, et cohærentem in vasis esse, dum adhuc calens in circuitum agitur, ut in minimis arteriolis rubris, quas perfecte conicas, sive convergentes putant, hærere, et consistere cogatur; quod a vero plurimum abesse videtur. Nam etsi sanguis, postquam refrixerit, crassus, tenax, coactusque spectetur, tamen ridiculum hercle foret, si quis cogitaret, talem etiam exsistere intra vasa, dum vitali motu pellitur, decurrit, calet, et fluit. Deinde certum omnino est, non semper, ubi inflammatio est, in sanguine detracto hujusmodi corium, sive coagulum (*a*) offendi; neque, ubi diathesis ista in san-

(*a*) Haen Rat. medend. P. I. cap. VI. p. 74. n. 6.

guine se prodit, semper inflammatio cum ea copulatur. Sæpe in sanis, et bene valentibus, sæpe in arthriticis, scorbuticis, aut lue venerea infectis, in intermittentibus febribus, in colico dolore, in rheumatismo, in podagra, in febre maligna, in hydrophobia, in fœminis chloroticis, aut utero gerentibus hujusmodi diathesis deprehenditur (*a*), quin ulla inflammatione laborent (*). Cum igitur cuticula ista, seu crusta phlogistica, firma, et tenax, qua sanguis interdum obducitur, modo cum inflammatione conjungatur, modo sine inflammatione ulla inveniatur, vere diathesis inflammatoria sanguinis nec dici, nec haberi potest, nisi alia phænomena, inflammationis magis propria una concurrerint.

44. Itaque ad omnem avertendum errorem sapientiores Clinici considerare solent duo genera lentoris in ipso sanguine frigefacto, alterum videlicet *calidum*, sive *inflammatorium*, alterum *frigidum* ut vocant, sive *spontaneum*, sive *mucosum*. Illud ab aucta, validaque solidarum partium actione, hoc ab imminuta, et languente pendere existimant. In illo sanguis valde firmus tenax, divisioni resistens, et fortasse magis phlogisto scatens, ideoque acer etiam, atque irritans; in hoc potius laxus, viscidus, iners, mucosus, plerum-

---

Boerh. Prax. med. T. 1. p. 265. Swieten T. III. p. 169. T. 1. p. 177. Pisoni spicileg. curat. p. 122. &c.

(*a*) *Vid.* Haller. Physiol. Tom. 2. lib. V. sect. 3. pag. mih. 87.

(*) *Sanguis equorum, cum etiam optime valent, e vena detractus, simul ac refrixit, crustam hujusmodi, laridi similem exhibet. Eritne inflammationis, aut inflammatoriæ diatheseos indicium? Nequaquam; nam peculiaris, naturalisque est illius sanguinis crasis, & constitutio. Non tamen inficior, in equis etiam, quando aliqua inflammatione tenentur, crustam illam crassiorem, firmioremque reperiri.*

que acritatis præsertim *calidæ*, sive igneæ expers esse perhibetur. Quamquam non dissimulandum est, in hoc quoque genere interdum crustam illam polypodem, et firmissimam, de qua supra disseruimus, observari, cui tamen quæ subest insula, sive crassamentum, plerumque parcior, mollior, laxior, et multo sero innatans esse consuevit. Rursus scire interest, prioris generis diathesim modo præcedere inflammationi, modo, imo plerumque, supervenire. Quando præcedit, acritatemque aliquam conjunctam habet, sic ut stimuli vice alicubi fungatur, pro caussa inflammationis, si qua eam subsequitur, haberi tum poterit: quando vero eidem succedit, jam patet, tum ejusdem effectum, non caussam esse. Quod clarius fiet exemplo. Digitus homini sanissimo graviter contundatur. Mox ei vena secetur, ut quoad fieri potest, inflammationis metus antevertatur. Sanguis sic primum eductus nec justo densior, nec justo firmior, nec ullum vel leve crustæ inflammatoriæ indicium præbet. Sed intumescente nihilominus postea, et acriter dolente digito, inflammationemque subeunte, sanguis iterum mittatur. Is tum in densam, tenacem, firmamque massam concrescit, et desuper crusta illa crassa, fibrosa, dura, er corio simili obducitur. Idem omnino contingit in pleuritide, aut alia quacunque inflammatione repente oborta: nam sanguis, qui primum, et mox, antequam morbus invalescat, detrahitur, vix, et ne vix quidem a naturali crasi deflectit; qui vero secundo, vel tertio (*) emittitur, diathesim plerumque plogi-

(*) *Hæc fere omnium Clinicorum observatio est. Sed Cl.* Haenius (Rat. med. P. 1. cap. VI. pag. 74.) *præ ceteris rem eamdem confirmat, inquiens:* Nonnunquam sanguis initio febris acutæ, aut etiam topicæ inflammationis, missus crusta caret: habetque

sticam nactus est, crustamque illam corii instar ostendit. En diathesim inflammatoriam, inflammationis effectum, nequaquam caussam.

45. Quo autem modo sanguis per inflammationem sic permutetur; ambiguum plane, incertumque (*a*) adhuc est, quamquam in id magni, et perdocti viri (*b*) diligentissime incubuerint. Qui serum sanguinis ab aucto per febrem calore condensari, et cogi cum QUESNÆO tradiderunt, ut inde crustam inflammatoriam deducerent, ignorasse prorsus videntur, nunquam in vivente corpore tantum caloris excitari posse, quantum ad serum coagulandum opus (*) est. Qui vero a vehemente cor-

---

eamdem aut in altera, aut in tertia, aut in quarta venæsectione. Imo, *addidit*, in morbis maxime inflammatoriis in nullo sanguine, quotiescunque misso, aliquoties crusta ulla est.

(*a*) HALLER (Elem. Physiolog. T. 2. lib. 5. sect. 3. p. 87.) Multa quidem, *inquit*, in hac crusta paradoxa sunt, quorum caussas nondum recte tenemus. HAENIUS, (Rat. medend. cap. 2. pag. 21.) *expositis caussis*, quæ ejusmodi in nobis *materiam gignunt*, utinam, *inquit*, simul constaret, qua arcana lege dictæ caussæ hanc materiam producant! *Et* MICH. SARCON. (Istor. ragion. dell' Epid. sofferta in Napoli nel 1764. part. 2. p. 370. not. (1),) *fatetur, se in summa de crustæ inflammatoriæ genesi ignoratione versari*.

(*b*) *Vid.* HALLER. l. c. pag. 85. *ubi citantur quam plurimi, qui in id inquisiverunt. Nec ab eorum numero excludi volo* HEWSONIUM *recentissimum scriptorem, cujus neque experimentis, neque argumentationibus quidquam permoveor*.

(*) *Calor, qui ad coagulandum serum requiritur, est grad.* 148. Thermom. Farhenheyt. HALLER (*l. cit. pag.* 80.) *ad quem nunquam pervenit in febribus acutissimis. Vix enim in pleuritide ad gradus* 102. 104. *observante* CLEGORNIO *attingit. Cl.* XAVERIUS MANETTI, *cujus singulari amore, & amicitia jamdiu pro sua in me humanitate perfruor, in notis ad* Dissertat. SAUVAGESII *a se anno* 1764. *editas p.* 79. *Reau-*

dis actione plerumque illam nasci (a), aut a motu sanguinis aucto (b), aut a spasmis, aut convulsione (c), aliisve caussis vasorum contractionem inferentibus (d) gigni dicunt, caussas quidem

---

muriano usus Thermometro, hæc habet: Il più alto calor febbrile, inclusive nelle febbri acutissime, non oltrepassando il grado quarantesimo del Termometro del Sig. Reaumur, e trovandosi ne' pleuritici la cotenna del sangue assai densa, benchè il calor loro febbrile non soglia passare il grado 31., manifestamente si conosce, che un tal effetto nel corpo umano non dipende dal solo diverso grado di calore, ma che differenti altre cause e circostanze devono concorrere a cotesta produzione. Il calor delle febbri mantenendosi sempre tra i gradi 28. o 30. ed il grado 40. che è quello al quale arrivar possono le più acute, e veementi, sempre lo credo a portata di poter piuttosto produrre un effetto salutifero, rendendo il sangue fluido ec. *Et infra*: La nostra linfa fuori del corpo umano non si coagula che ad un grado di calore intorno ai gradi 56. ec.

(a) Haller l. c. p. 88. edit. Venet.

(b) Boerhaav. de cogn. et curand. morb. §. 100. et Instit. §. 820.

(c) Sarconi Istor. ragionat. dell' epidemia sofferta in Napoli ec. part. 2. pag. 370. not. (1) *inquit*: una delle potenti cagioni della produzione *di detta* crosta gelatinosa, e della sua moltiplicazione è lo spasimo, e la convulsione.

(d) Hallerus *l. c. hasce caussas redigit ad vires vitæ, ad morbos, ad calorem vehementem, ad spiritus acidos, ad vini spiritum rectificatissimum, & ibi citat* Helvetium, Petitum, Quesnæum, & Senacium *in suæ sententiæ confirmationem.* Haenius *porro* (Rat. medend. p. 2. cap. 2. p. 19. & seq.) *materiam crustæ inflammatoriæ generari ait ex frigore calente corpore suscepto; ex motu nimio; ira; vinoso potu in plethoricis; acrimonia venerea, arthritica, rheumatica; miasmate varioloso, scarlatino, morbilloso; victu lauto; otio; vita molli; graviditate; & peculiari nativa sanguinis in quibusdam diathesi, aut ab ignoto aeris contagio. Ex his putat fluida conden-*

indicant, post quas diathesim phlogisticam natam observarunt, non vero rationem explicant, qua illæ caussæ eam efficiant. Verum quomodocumque id fiat, (nam in hujusmodi quæstione nolo post tot acutissimos investigatores operam perdere) illud certum, firmumque est, ex sanguine recens e vena misso, et adhuc calente, si virgula ramosa agitetur, aut lagena aliqua inclusus concutiatur, parari telam quamdam fibrosam, albicantem, tenacem, crustæ phlogisticæ persimilem, quæ a RUYSCHIO, primo inventore, nomen habet. Ergo in ipso sanguine naturaliter constituto inest materia quædam ad cohærendum prona, a globulis rubris distincta, fibras, et laminas præbens, ad concrescendum paratissima, atque idcirco *fibrosa*, et *concrescibilis* a plerisque nuncupata. Hinc verisimillimum videtur, in hac sanguinis parte fibrosa, et concrescibili naturalem modum excedente, et majore cruoris proprie dicti quantitate, auctoque globulorum rubrorum mutuo contactu *(a)* inflammatoriam ejus diathesim contineri; indeque fieri, ut sanguis ad concrescendum firmiusque cohærendum, dum, ubi quies accesserit, igneumque principium multum avolarit, proclivior reddatur; non vero eamdem consistere, ut vulgo putatum est, in ipsius sanguinis coagulatione, aut concretione, quæ intra vasa, dum calet ipse, et movetur, nulla esse potest. Hæc siquidem aucta partis fibrosæ, et concrescibilis copia non modo in sanguine extracto, uti dictum est, se prodit, verum etiam in visce-

---

sari, solida constringi, & sic exprimi materiam glutinosam, & phlogisticam crustam constituentem.

(a) Nobis quodammodo assentitur etiam celeberrimus SWIETENIUS (in Boerhaav. Comment. T. I. §. 75. p.88.) *ubi inquit:* naturaliter . . . . Inest sanguini in concretionem proclivitas: quæ in morbis acutis inflammatoriis augetur.

ribus ipsis inflammatione occupatis; cum in cadaveribus jam frigefactis glutinosa, alba, aut flava pellicula obducta inveniantur, parte nimirum fibrosa, et concrescibili, quæ in vivo animali adeo fluida est, ut per exhalantia vasa, et per ipsa membranarum interstitia extillet, effluatque, coacervata, atque in densam membranam frigore compacta, et concreta. Neque fortasse a vero longe aberit qui diathesim inflammatoriam hujusmodi non solum in excessu glutinosæ, et concrescibilis partis, et majori copia cruoris, et ipsius ad cohærendum proclivitate reponeret, verum etiam hisce adjungeret facilem, et promptam albidi, et coagulabilis illius humoris a crassamento rubro secessionem (*), quamquam hæc postrema conditio plerumque ab ejusdem copia, atque excessu profluere videatur. Ceterum multa in caussa esse possunt, cur hæ duæ diversæ partes segregentur et sensim secedant. Id comprobant quodammodo fluida composita, nempe ex variis diversi generis liquoribus coalescentia, cujusmodi reapse est sanguis. Ista enim, si motum, caloremque, quibus in fluore servantur, amittant, non eodem tempore tota, atque universa concrescunt, sed pars quædam prius, quædam posterius. Sic vini pars aquea citius a frigore afficitur, secedit, et cogitur; vinosa vero, et mera tardius, et serius. Sic frigus rubram sanguinis partem citius compingit, serius albidam, fibrosam, lymphaticam, sive concrescibilem dictam: quæ ideo sursum in sanguine extracto, aut quiescente effertur, superiora petit, fluitat diutius, donec et ipsa consistat, et consolidetur. Cur quid simile intra canales vel a frigore, vel a calore, vel a motu, vel a quiete, vel a quacunque alia

(*) *In hanc opinionem inclinare videntur* HAENIUS, & SARCONIUS l. c.

caussa eidem non eveniat? Numquid intima mixtio duarum partium dissimilium aliqua ex caussa earum, quæ in nobis existunt, aut circumstant perverti possit, ut altera ab altera sejungatur?

46. Nemo autem istam diathesim sanguinis inflammatoriam, quam exposui, cum ipsa inflammatione confundat. Supra enim (§. 43.) animadversum est, non in omni inflammatione, nec semper in eadem sanguinem e vena missum phlogisticum gluten præseferre, in primis sub inflammationis initium, dum nimirum nondum illud genitum est, vel dum rubra sanguinis pars, utpote ad concrescendum promptior, cum albida, et concrescibili intime permixta ante concrescit, quam hæc secedere, sursumque evehi possit. Atque id quidem elucet ex ipsomet sanguine, qui tunc in firmam, tenacemque insulam coactus, et seri ferme expers apparet. At morbo progrediente, spatioque per venæsectiones sanguini facto, aut calore adaucto, rarescit cruor ita, ut ubi e vena missus fuerit, lentius coeat, interimque sinat concrescibilem, fibrosamque partem a se sejungi; quæ lege gravitatis specificæ superiora petat, ubi confluat, et demum coaguletur in crustam corio plus minus tenaci similem (*). Non tamen universa, et tota

(*) *Fibrosam hanc, albidamque sanguinis partem, ex qua crusta inflammatoria conflatur, leviorem esse crassamento rubro, nemo unus negaverit. Ex eo autem, quod tardius cruore ipso concrescat, & specifice levior sit, complures hodie cum* Hewsonio *opinantur, diathesim inflammatoriam, quæ ex ea potissimum coalescit,* in lympha coagulabili valde attenuata, adeoque lentius inspirata (Calissen Instit. Chirurg. mod. §. 200.) *ponenda esse; experientiaque demonstrari, effectum vere inflammationis esse* imminutam sanguinis concrescibilitatem. *Verum hoc cum dura, & firma sanguinis rubri e vena extracti compage, & concretione, cumque tenaciori crustæ phlogisticæ cohæren-*

hujusmodi concrescibilis materia sursum fertur, et ibi coadunatur, sed tanta ejus copia est, ut aliqua portio in sanguine remaneat, qua globuli ipsius irretiantur (*), atque una stricte conferruminentur.

---

tia, quam in inflammationibus veris ut plurimum videmus, vix conciliari potest. Nam si recta, ut efflagitant, esset eorum argumentatio, sequeretur etiam, ut oleum, quod vino, & aqua levius est, tenuitate vinum & aquam superaret, lentiusque coagularetur. Quod nequaquam est. Si pariter difficilior concretio levitatis, & raritatis esset significatio, nihil profecto existeret argento vivo rarius, & levius, utpote quod difficillime cogitur, & concrescit; cum tamen post aurum, & platinam *sit fossile omnium ponderosissimum. Quapropter major vel minor ad concrescendum proclivitas non a majori, vel minori pondere, non a tenuitate, aut densitate, sed a majori vel minori mutua partium attractione videtur potius derivanda.*

(*) *Peto veniam abs* Turrio, *&* Hewsonio, *si vetere utor nomine globulorum sanguinis. Quæ enim de eorumdem figura ab utroque dicta sunt, non ita certa nobis videntur, ut receptam jam doctrinam, nuperisque nostrorum iteratis observationibus confirmatam deseramus. Cl.* Caldanius, *cujus auctoritatem plurimi facio, hac super re a me sententiam rogatus, respondit, repetitis periculis se comperisse aut globosam revera esse figuram rubrarum sanguinis molecularum, aut, si talis nequaquam sit, nihil omnino microscopicis observationibus esse credendum. Quantum autem a vero aberrent microscopica experimenta, quantumque illudant opticæ hujusmodi imagines, jam cognoverat Clar.* Senacius, *qui præterea docuit* (della strutt. del cuore T. 2. suppl. all'Istor. del cuore c. 8. §§. 7. & 8.) *quot modis figuram in globulis mutent microscopia, & speciatim modo foramen in medio, modo monticulum exhibeant, dum tamen nihil aliud quam opticas illusiones istas omnino fuisse, perspicue demonstravit. Nec a* Caldani *sententia quidquam differt judicium Cl.* Halleri, *qui in postremo etiam opere* de part. corpore human. præcip. fabrica & function. *Tom.* 2. sanguis, *sic de hac re concludit:* Legi, & cum ea fide, quam claris viris (Turrio,

Hactenus de diathesi inflammatoria, quam dicunt sanguinis. Ab hac enim distinguendam esse puto diathesim inflammatoriam proprie, et generatim dictam; utpote quæ non ad fluidas tantum, sed ad solidas etiam partes extenditur. Itaque hæc, ut ego quidem arbitror, existere vere nequit, nisi statui illi sanguinis phlogistico solidarum etiam partium vis aucta, concitatiorque motus adjungatur. Sed jam ad inflammationem ipsam, a qua paullulum discessimus, revertamur.

47. Exposita, quod supra pluribus verbis factum est, inflammationis natura, ejusque ratione, unusquisque perspiciet, quando minimorum vasorum, quæ sanguinem, aut tenuiorem etiam humorem, ut passim putant, vehunt, obstructio, aut cruoris in cellulosum contextum stillicidium, aut effusio inflammationem facit, quando sit inflammationis effectus. Nam simplex obstructio nullo modo, ut jam ostensum fuit, inflammationi procreandæ par est. Alioquin viscera obstructa, ligaturæ fortes, thrombi in arteriis alicujus membri amputati, quoniam vasa obstrunt, inflammationis naturam, et effecta præ se ferrent. Ergo tum solum materia obstruens inflammationis caussa erit, cum propria acrimonia offendat, aut ex mora acrimoniam contrahat, ut stimuli instar agere queat. Si vero stimulus quicunque alius inflammationem pepererit, tunc quæ subsequetur vasorum obstructio, aut sanguinis effusio, et congestio effectus locum obtinebit. Sic quoque sanguinis effusus in cellulosæ telæ spatiis ecchymosim tantummodo facit, sugillationem, vibices, maculas scorbuticas, et fortasse

---

& HEWSONIO) debemus. Neque tamen possum de mea sententia discedere, qui numerosissima ejusdem semper eventus experimenta fecerim, & consentientes viros peritissimos habeam FONTANAM, SPALLANZANUM, Cæsareum POZZI.

ipsas peticulas pejoris notæ. Quod si acritatem adquirat stagnando, inflammationem primum, deinde etiam suppurationem subire ipse poterit. Hinc facile conjicitur, quando lentor sanguinis, aut minuta canalium diametros inflammationi, quando obstructioni dumtaxat causam præbeant. Stimuli præsentia primam, absentia alteram progignit.

48. Posita igitur uberioris, vehementiorisque sanguinis in aliquam partem influxus proxima causa, nempe irritatione (§§. 34. 35. 36.); reliquum est, ut remotæ etiam caussæ enumerentur, et primum quidem illæ, quæ inflammationi quodammodo viam parant, ideoque προηγούμενα vocantur. Sunt autem temperamentum sanguineum et biliosum, ætas juvenilis, et media; plethora; sanguis concrescibili, et fibrosa, aut ajunt, parte dives vi vitæ, et musculorum valide subactus, compressus, elaboratusque, partis æqueæ indigus; vel ad acritudinem vergens, vel acer jam factus; principio inflammabili onustus; acrimoniæ multiplices; solidarum partium robur, firmitas; elasticitas aucta; irritabilitas, aut sensibilitas ingens; itemque singularis alicujus partis debilitas, aut quæcunque alia ad congestiones aptitudo; victus lautus, opiparus; regio frigida, et sicca, aut ventis borealibus obnoxia. His addunt non nulli sanguinem nimis tenuem, minusque cohærentem; sed nisi ab acritate aliqua singulari talis sit, atque idcirco irritationem alicubi præstare possit, non video quomodo sola tenuitate inflammationibus accommodatus, aptusque haberi queat.

49. Secundo loco veniunt caussæ προκαταρκτικαὶ, quæ nimirum occasionem morbo suppeditant. Inter has recensentur subitum frigus, (*) præsertim

---

(*) *Frigore pars fibrosa, sive concrescibilis sanguinis pars cogi potest, & coacta hærere, & consistere,*

calori, aut subitus calor ingenti frigori succedens; potus frigidus æstuanti ingestus, aut frigida lavatio adhibita; motus, cursus, saltatio vehemens; liquorum fermentatorum, et rerum calefacientium, acriumque abusus; consuetæ evacuationes interceptæ; febris ardens; aeris quædam et tempestatum constitutiones, præsertim aquilonares; miasmata; venena, et medicamenta inconsulto, aut ultra modum sumpta; dolores paullo vehementius excruciantes, aut diutius protracti; ligaturæ dolorificæ; contusiones; fracturæ; luxationes; vulnera, punctiones; acria retenta, aut absorpta, aut applicita.

50. Propria vero inflammationis sedes videtur esse quæcunque pars, ad quam sanguinis rubri non desideratur appulsus. Arteriolæ igitur rubræ, et vascula his minora unum globulum dumtaxat ferentia, atque adeo pellucida, aut flaventia, quæ si laxentur, aut urgeantur vehementer, globulos plures recipere idonea fiant, et tota cellulosa tela qua latissime patet, in cujus intervalla per relaxata ostia, vasorumque poros sanguis effundi potest, inflammationi potissimum (*) subjiciuntur.

& præsertim cum frigore vasa stringuntur & arctantur. Mucosa etiam lymphæ pars frigore, & quiete cogitur, quæ in hoc tamen a priori illa discrepat, quod ipsa etiam calore multo minori condensetur, & concrescat.

(*) In vasis quoque serosum, lymphaticumque humorem ferentibus inflammationes fieri serosas, & lymphaticas vulgo dictas, quorumdam scriptorum opinio est. Sed falsa id nititur doctrina decrescentium serierum tum canalium, tum globulorum sanguineorum; neque ibi unquam inflammationis phænomena exorientur, nisi vasa sanguinem vehentia simul afficiantur. Sed, inquies, vasa minima arteriosa esse non possunt inflammationis sedes, quia, ut ex HALLERO *habemus, non satis probatum est, minimas arteriolas motu sy-*

Sed non desunt, qui venas quoque eidem morbo obnoxias prædicent, saltem secundo (*a*). Nec omnino absurdum istud ego crediderim, si venæ quoque irritabilitate sua, ut nonnulli perhibent, non careant. Quod si ullibi quandoque eveniat, in vena portarum præcipue, quæ arteriæ fungitur munere, locum habere, credibile est. Argumenta autem, quæ ab hæmorrhoidibus tumentibus, inflammatis, atque in abscessum abeuntibus ducuntur a quibusdam, vix quidquam ad inflammationem venosam, de qua quæritur, comprobandam valent. Quis enim non videat, tunc etiam arteriolas minimas, quæ venarum tunicis insident, aut circumjacent, contextumve cellulosum inflammatione occupari? At frequentissimam venosam inflammationem, inquies, sectiones anatomicæ evincunt. Sæpe enim in cadaveribus reperiuntur intestina, præsertim tenuia, mesenterium, pulmones, hepar, cerebrum venis sanguine turgidis exterius quasi picta, et conspersa. En venosas inflammationes, quæ cum in vivente homine nulla sui indicia exhibuerint, aut exhibere soleant, *clandestinæ* idcirco ab illustri Waltero nuncupantur. Fateor quidem frequentissime hujusmodi venarum repletiones occurrere in cadaveribus eorum, qui malignis, et putridis morbis perierunt; sed iteratis ac-

---

stoles, & diastoles præditas esse. In his igitur vis stimuli locum habere nequit. Verum quando dicimus, a stimulo motum arteriarum incitari oportere, ut inflammatio oriatur, de iis intelligendum arteriis est, quæ systole, & diastole non carent; quanquam probabile est, minimas etiam arterias eo non carere, licet non satis perspicuo, quia in parte inflammata, quando stimulum patiuntur, eas moleste pulsare, nemo inficiabitur.

(*a*) Platner (Ernest.) supplement. in J. Zach. Plathneri Institut. suppl. I. cap. 2. p. 25.

curatissimis convictus observationibus Cl. LUDWIGIUS (a) negat, eas veras esse inflammationes. Cognovit enim manifestissime, pro effectis habendas esse dissoluti sanguinis, et virium vitalium deficientium; quam ob causam sanguis a tergo languide propulsus, in venis prope totus congeritur, easque replet, et prætumidas reddit. Huicque enimvero cogitationi maxime favent 1. laxitas, et dilatatio venarum se exonerare impotentium; 2. sanguis in iis fluidus, resolutus, nullo modo, aut certe tardissime concrescens; 3. tempus, quo hujusmodi venosæ congestiones contingunt, nimirum in summo malignitatis, et putredinis gradu, et paullo ante mortem; 4. pulsus parvus et debilis in hisce morbis deprehensus; 5. nullus dolor, nullaque alia inflammationis phænomena; 6. demum noxa a sanguinis missione.

51. Ad has fortasse venosas tantum congestiones referri debent pleræque illarum inflammationum, quæ sub finem febrium acutarum mali moris supervenire dicuntur, quæque in cadaverum extispiciis circa viscera inveniri, ut diximus, solent. Nam non ignotum est, quantum ægrorum exitium accelerarint illi, qui ab inspectis in cadaveribus falsis hujusmodi inflammationibus permoti, et decepti, ut eas aut præcaverent, aut tollerent, largiter, et iterato in morbis malignis, aut putridis illius generis sanguinem mittere non dubitarunt. Norunt id Clinici exercitatiores, et nunquam monitis desinunt juniores medicos a perniciosissima hac sanguinis profusione absterrere. QUESNÆUS etiam, qui vasorum hasce repletiones in malignis morbis sæpissime conspexit, nequaquam pro inflammationibus accipiendas arbitratur, quia non

---

(a) Advers. med. pract. Vol. 1. part. 1. artic. VII. p. 178. & seq.

ad arterias, sed ad venas spectare ei visæ sunt. Putat enim sic vasa sanguine turgida, et plena in visceribus demortuorum apparere, non quod inflammatione affecta essent, sed quod venarum truncis spasmo, qui in malignis morbis potissimam partem habet, affectis, et contractis, reliqua vasa omnia se deplere nequeant, ideoque retento, accumulatoque sanguine (a) turgere debeant. Quocunque autem modo phænomenon istud explicetur sive ex mente LUDWIGII, quod verosimilius videtur, sive ex mente QUESNÆI, quod interdum etiam probabile est: hoc sane experientia perspectum, comprobatumque est, noxiam in utroque casu sanguinis missionem deprehendi. Etenim per hanc chirurgiam vel putrida sanguinis dissolutio promovetur, et vitales vires simul magis, magisque prosternuntur: vel spasmodicæ vasorum affectiones, imminuta sanguinis resistentis copia, et cordis propellentis virtute, necessario invalescunt. Reapse non raro res ægrotantium in præceps ruere post sanguinis missionem vidi egomet ipse, imo delirium, motusque convulsivos, ad quos præcavendos sanguis missus erat, confestim subsequi. Nec longe absum, ut credam per venæsectionem sanguinem attenuari, et dissolvi ita, ut altius in vasa cerebri, fortasse etiam serosa si qua sunt, penetrans, medullaresque fibras urgens, aut divellens, delirium, soporem, convulsionesve non parum acceleret, aut accersat.

52. Ut cuique morbo, sic inflammationi non desunt suæ differentiæ. Prima a locorum, quæ inflammatione tentântur, varietate permanat. Hinc distingui apte, opportuneque solet in *internam*, et *externam*. Externa ex iis, quæ jam exposita fuere,

---

(a) Traité des fievres T.2. chap. VII. art. 2. p. 444. 445. & seq.

facillime dignoscitur: interna vero paullo abditior est. Certissimas tamen ejus notas exhibent calor, et dolor acutus, et pulsans uni, eidemque parti prope affixus, functionem ipsius non leviter lædens, febris vehementior cum pulsu duro conjuncta, itemque sanguis e vena missus quiete, et refrigeratione in massam firmiorem, divisioni reluctantem, et pauco sero circumdatam concrescens, crusta quadam, de qua supra speciatim, albida, interdum subflava, sæpe ex albo rubente, valde tenaci, et compacta, sebum concretum, aut corium referente de super obductus. Atqui hujusmodi signa neque semper, neque omnia simul ita concurrunt, ut illico ex his inflammatio patefiat. Opus igitur est magna medici exercitatione, et prudentia, ne larvara, atque obscura morbi natura eum nimis securum, et ne suspicantem quidem deludat. Interdum enim clanculo malum accedit, serpitque; neque ullam, aut tantummodo levem febrim movet; neque acutum, et pulsantem dolorem illum, quem paullò ante indicavi, comitem habet, vel si aliquem, obscurissimus is quidem esse consuevit. Monent vero qui artis usu ceteros antecellunt, tunc doloris acuti loco anxietatem quamdam, aut molestiæ cujusdam inexplicabilis, aut ponderis, et gravitatis sensum in ea parte, quæ laborat, percipi, aut tactui insolitam tensionem reniti, et pressam doloris cruciatum excitare. Id præsertim usuvenit in peripneumoniis malignis, quæ ob subitam gangrænam accedentem *gangrænosæ* a Medicis recentioribus dicuntur, aut a metastasi oriundis, aut morbos putridos, pestilentesve subsequentibus; itemque in quibusdam ventriculi, intestinorum, mesenteriique inflammationibus, veris nimirum, nec ad venosas congestiones spectantibus, si tamen prosectoribus fides habenda est, nec una pro alia sæpe accepta sit. Dolor præterea aut ab-

est, aut obscurus, et levis in inflammationibus earum partium, quæ sensibilitatem aut amiserunt, aut sensu omnino per se carent, aut obtusiori tantummodo donantur, quales sunt peritonæum, pleura, mediastinum, pericardium, dura, et pia meninx, tendines, cartilagines, aliæque hujusmodi, nisi simul ita tumeant, ut proximæ partes sensu acutiori præditæ una premantur, aut consentiant, aut qua nervi decurrunt, aut pertranseunt, inflammatione speciatim occupentur.

53. Pulsus sæpenumero nec durus in his, nec vehemens est multis profecto de caussis, sed præcipue tum, cum pars, quam inflammatio tenet, sanguinis transitui magnum objicit impedimentum, uti pulmo, cor, hepar; aut cum nervorum systema ita afficitur, ut summo spasmo cor, arteriæque quasi suffocentur, aut resolutis veluti viribus torpeant: quo in casu pulsus exilis et varius, et febris, et reliqua symptomata ab inflammationis natura maxime dissidere videntur.

54. Dividitur quoque inflammatio in *benignam*, et *malignam*; in *sporadicam*, et *epidemicam*, ut plerique alii morbi. *Benigna* ea est, quæ consuetis, et propriis stipatur phænomenis, neque vires prosternit, neque clam vitæ sub levioris morbi specie insidiatur: *maligna* contra, quæ benignitatis speciem induit, quæ cum notabili virium lapsu conjungitur, quæ non omnia inflammationis signa præsefert, atque a venenata plerumque caussa dependet, aut a putrida humorum diathesi fovetur (*). *Sporadica* vero paucos eodem tempore invadit, ex privatis, singularibus-

(*) Malignam *cognosci docet nuperrimus scriptor*, si caussa ignota, stimulus validus, non tollendus, ignotus; si post multas venæsectiones sanguis semper pleuriticus, pulsus semper durus sit; si inflammatio viscus totum vitale occupet, si corpora cacochymica invadat. Jo. Veisz Pyretolog. Practic. pag. 9. *Sed le-*

que caussis orta, et fere vagatur. *Epidemica* denique complures eodem tempore infestat, caussamque agoscit communem, sive hæc in tempestatum variatione, aut peculiari aeris vitio, sive in alimentorum, et potuum parva natura contineatur.

55. Alia item *primaria* est, alia *secundaria*. Illa sanum alioquin hominem adoritur, atque a nullo alio morbo derivat: hæc alii morbo succedit, puta catarrho, rheumati, colicis doloribus, dysenteriæ etc. Si vero alius morbi veluti symptoma sit, puta luxationis, vulneris, febris continuæ, vel intermittentis etc., *symptomatica* rectius vocatur. Nonnullis etiam placet eam, ut alia morborum genera, in *idiopathicam*, et *sympathicam* dividere. Idiopathicæ caussa in eodem loco, in quo inflammatio se prodit, omnino insidet; sympathica alibi sedem habet, et consensione aliam, dissitamque partem inflammat. Posterior hæc nervorum potissimum, qui ad aliquam partem protenduntur (*a*), irritatione (*) progignitur. Alia demum ratione partium, quas tenet, vel *universalis* vel *particularis* dici poterit, si nimirum vel totum corpus, vel partem tantum obsideat. *Particularis* varia deinde nomina specialia recipit, a partibus ipsis affectis deducta, uti *cephalitidis*, *anginæ*, *pleuritidis*, *peripneumoniæ*, *carditidis*, et sic porro. Rursus hæc vel *fixa* est, vel *erratica*, prout uni loco constanter inhæret, vel de loco in locum vagatur.

56. Pro vario etiam symptomatum, quæ inflam-

---

thalem potius morbi, quam malignam, & subdolam indolem per istas notas patefieri crederem.

(*a*) Callissen *Instit. Chirurg.* §. *CXCVI.*

(*) *Sympathiam ejusmodi per nervorum actionem rejicit* Jo. Veisz *supra citatus, contenditque semper dissitas partes per metastasim affici. Sed vereor, ne ipse inconsulto, & temere id credat.*

mationem comitantur gradu nonnullæ aliæ ab auctoribus differentiæ statuuntur, quæ externis præsertim, visuique subjectis inflammationibus videntur magis accommodatæ. Nam si symptomata levissima fuerint, si locus inflammatus rubeat quidem, sed vix doleat, vix tendatur, aut tumeat, calorque sit omnino exiguus, affectio hæc uti initium inflammationis, sive primus ejus gradus considerari solet, atque a plerisque hodie φλόγωσις (*) Phlogosis. nominatur. Si vero calor, rubor, dolor, tumor, tensio gravius, manifestiusque se exserant, tum inflammatio vera, sive φλεγμονή proprie dicitur, re- Phlegmone. spondetque secundo veluti inflammationis gradui. Chirurgi id nominis κατ' ἐξοχήν tribuunt inflamma- Cathexochen id est per excellentiam. tioni cuidam peculiari, in qua pars in tumorem circumscriptum, et rotundum attollitur, qui non modo intensius rubet, atque ad adiposam usque membranam pertingit, sed etiam in hac ipsa sedem habet, doletque vehementer cum pulsationis molestissimæ sensu.

57. Ceterum quando pars inflammata tumet enormiter, et sanguis in vicina spatia effusus, collectusque ob inflammationis impetum videtur, hujusmodi status pro tertio inflammationis gradu habetur, et passim *inflammatio systrophica* appellatur. Facilis demum, et cita inflammationis in gangrænam degeneratio, ad quam natura quædam inflammationes proniores sunt, in caussa plane fuit, ut *inflammatio* etiam *gangrænosa* a scriptoribus memoretur, quæ quartum, et summum inflammationis gradum constituit.

58. Interdum quoque evenit, ut roseus quidam rubor in summa cute appareat, qui tamen vix eam attollat, et ardoris potius, quam doloris sensum inferat, pressusque albicet, et quodam-

---

(*) *Vox ducta a* φλέγω, *id est uro*.

modo huc illuc vagetur. Hæc inflammationis species ἐρυσίπελας nomen habet (*). Causa ejus passim reputatur vel sanguis tenuior, biliosus, acerque (*a*), vel secundum alios serum flavum, vitiosum, peculiari acritate præditum, ad vasa cutanea alicubi confluens, textumque cellulosum ipsius cutis afficiens. Prout vero inflammatio ad phlegmonis, aut erysipelatis, aut œdematis naturam propius accedit, distinctionis ergo appellatur vel phlegmonodes, vel erysipelatodes, vel œdematodes. Addunt nonnulli *scirrhodem*; rectene, an perperam, non definiam, nisi hoc nomine eam velis inflammationem significare, qua scirrhi in

---

(*) *Erysipelas ducitur ab* ἐρύω, & πέλας, *vel* ἐρυθρός, *quasi* vicinitraha, *aut* vicinirubra. Gal. def. 1.

(*a*) Galenus (Method. med. lib. XIV. cap. 2.) *postquam* phlegmnonen, *ut supra, descripsit, hunc in modum prosequitur: „ Atque hic unus affectus est sanguineæ fluxionis soboles in carnosa corpora maxime incidens. Secundus alter biliosæ fluxionis germen est, ac circa cutim maxime consistens, tum hanc externam, quæ omnium partium commune est tegumentum, cum membranosam, & tenuem, quæ singulis internarum est circumdata. Ergo sicuti prior affectus etiam cutis aliquid apprehendit, ita hic quoque aliquid subjectæ sibi carnis occupat. Quod si crassior humor, acriorque sit, summam cuticulam (Græci* ἐπιδερμίδα *vocant) excoriat, spatioque ad profundum aliquando cutis exulceratio pervenit. Atque hic quidem affectus Erysipelas nuncupetur, duplicem (ut jam dictum est) habens differentiam: quod vel absque exulceratione, vel una cum hac incidat. Prior autem affectus unius rationis est, voceturque phlegmone. Cum ergo nec plane biliosa, nec sanguinea fluxio est, sed ex ambabus mixta: utique ab eo, quod in mixtura exsuperat, nomen ipsi indatur, an dicatur de eo id, quod exsuperatur: sic ut vel phlegmonem erysipelatosam id vocemus, vel Erysipelas phlegmonosum. Ubi autem neutrum vincit, ibi vitium phlegmones, erysipelatosque medium nominetur.*

cancrosum ulcus vertuntur, si tamen id mali liceat sic nominari. Nec desunt qui interiores etiam inflammationes pro humoris natura, unde fiunt, distinguant in *sanguineas*, in *serosas*, in *lymphaticas*, et ex vario nexu compositas; sed fictitiæ prope sunt, et arbitrariæ ex præconcepta opinione hujusmodi differentiæ, quarum caussa sæpe a recta, utilique medendi ratione aberrare vidi non paucos.

59. Præterea aliæ differentiæ desumuntur a tempore, quo perdurant. Vel enim cito et celeriter decurrunt, vel lento passu, et diutius trahuntur. Illæ *acutæ*, et *celeres*; hæ *lentæ*, et *chronicæ* vocantur. Posteriorum exempla porrigunt lentæ quædam glandulosarum partium inflammationes, uti pancreatis, mesenterii, mammarum, parotidum, axillarum, inguinum etc. Chronicæ plerumque a dyscrasia, et labe scorbutica, scrophulari, venerea, scabiosa, herpetica, similique alia et foventur, et gignuntur. Demum quando aliquot inflammationis notæ deficiunt, vel minus conspicuæ sunt, *spuriæ* tum inflammationes dicuntur, sive simpliciter phlogoses. Majora enimvero, vel minora symptomata facile in sensus incurrunt, inflammationisque naturam, gradumve tuto definiunt; non vero humor, et caussæ, cum sæpe ille certo conjici nequeat, hæ plerumque lateant.

60. Ad morbi prognosim quod attinet, in universum inflammatio morbus acutus est, ideoque non levis, sed dubii eventus; tanto periculosior, quo plura, et graviora symptomata adsciscit. Maligna, et putridis morbis succedens, aut cum putredine primarum viarum complicata, aut corporibus cacochymicis, scorbuticisque superveniens, itemque epidemica, plus discriminis habet, difficiliusque curatur. Externa plerumque tutior, quamquam hæc quoque erysipelatis maligni speciem induens, interdum cito mortifera evadit. Exempla

apud HIPPOCRATEM (*a*) aliosque auctores bene multos extant. Singularum vero prognosis a partium, quas afficiunt, diversitate dependet, prout nimirum functiones plus, minusve vitæ necessariæ læduntur. Sed de his fusius alibi.

61. Ex temporum etiam constitutionibus aliquando prævideri possunt inflammationes, et morbi inflammatorii, qui subsecuturi sunt. Utilia hac de re nobis reliquit monita Cl. HYLARIUS in *supplemento ad Tractatum de variolis* (*b*), quorum summa hæc est. Tempestates calidæ, et siccæ, diutius persistentes, morbos procreant inflammatorios, in quibus caput præsertim offenditur: item frigidæ, et siccæ diuturniores eisdem morbis originem suppeditant, a quibus utique caput, sed frequentius abdomen laborat. Si vero fuerint frigidæ et humidæ; serosæ potius congestiones, glandularum inflammationes, peripneumoniæ, anginæque (*) fiunt. Cum autem calidæ, et siccæ in frigidas, et humidas mutentur, afferunt febres inflammatorias, quæ in primis partes membranosas corripiant, laryngem, pleuram, pulmones, ventriculum, ligamenta articulorum, aut eorumdem involucra. Hinc anginæ, pleuritides, peripneumoniæ, gastritides, arthritisque acuta profluunt. Hactenus ex HYLARII præsagiis. At HIPPOCRATES etiam (*c*) admonuit opportune medicos, inquiens: ***Si vero æstas sicca, et aquilonia fiat, autumnus autem pluviosus, et***

(*a*) Epidem. l. 1.
(*b*) Essays & observ. de Medec. d'Edimb. T.VII. p.95.
(*) *Hieme proxime elapsa post Autumnum humidum, & frigidum, frigida & humida permanente tempestate, & nive permulta delapsa frequentes vidimus cephalitides, & dolores capitis vehementes, anginas, erysipelata capitis, & faciei: contra quam ex Hylarii observationibus fuisset expectandum.*
(*c*) Aphor. l. 3. num. 13. *Quæ in hoc aphorismo prædicuntur, hoc ipso anno experientia comprobantur.*

austrinus, capitis dolores ad hiemem fiunt, et tusses, et raucedines, et gravedines, quibusdam etiam tabes. Neque oblitus ipse est eorum morborum, qui hiemali præsertim tempore oriuntur, quorum maxima pars ad inflammationes pertinet. Ait enim. *Hieme vero pleuritides, peripneumoniæ, lethargi, gravedines, raucedines, tusses, dolores pectorum, et laterum, et lumborum, et capitis dolores, vertigines, apoplexiæ* (*a*).

62. Unaquæque autem inflammatio varios exitus habet. Communior sententia est, eam finiri vel resolutione, ut loquuntur, vel suppuratione, vel gangræna, vel scirrho (*). Resolvi dicitur, quan-

---

(*a*) Aph. lib. 3. n. 26.

(*) *His quatuor modis finiri inflammationem universa fere medicorum schola hactenus docuit. Sed quidam ex recentioribus* (HELD Dissert. inaugural. medic. de tempestiv. cortic. peruv. usu in febr. inflammator. Gotting. 1775.) *aliter sentiunt, & per* experientiam *constare dicunt*, sex modis *eam* finiri *posse; nempe* 1. benigna *sanguinis* inflammati resolutione; 2. criticis humorum *non resolubilium* evacuationibus; 3. metastasi; 4. suppuratione; 5. gangræna & sphacelo; 6. induratione, & scirrho. *Verum secundus modus æque bene comprehendi potest sub ipsa* resolutione; *tertius autem non proprius inflammationis est; sed aliis etiam morbis communis; nec tollitur, finiturque inflammatio mutatione loci. Quod si abscessu alicubi nato inflammatio finiatur, tunc hujusmodi finis ad suppurationem facile redigitur, vel ad suppurationis effectum. Addunt alii* (RICHTER de duplic. inflammat. exitu desquam. & rigescent. 1768. Gotting. & GATTENHOFIUS Dissert. sist. inflammation. caussas & eventus. Heidelb. 1765.) desquamationem. *Sed hæc quoque non omnibus convenit inflammationibus; sed tantum aliquibus, v. c. erysipelati, purpuræ scarlatinæ, variolis &c. Non idcirco generatim inter proprios cujusque inflammationis exitus locum habet. Variolarum porro desquamatio spectat potius ad suppurationis, exsiccationisque consequentia.*

do ex toto malum se se remittit, et desinit, nulla partis inflammatæ labe superstite: suppurari, quando inflammatio tanta fuit, ut humor hærens, aut congestus concoqui incipiat, purisque naturam pedetentim acquirat, et cavo veluti quodam coacervetur, aut intra vasa ipsa colligatur: gangræna autem terminatur, quando, omni motu vitali, et sensibilitate deficientibus, pars emoritur: vel ita spasmo tonico strangulatur, ut omnis in ea vita pereat. Id autem postremum vel inflammationis vehementissimæ quandoque effectus est, vel quod frequentius puto, malignæ, et venenatæ quasi humorum depravationis. Nam sæpe, benignis, insontibusque humoribus existentibus, cum vehementissima licet inflammatione gangræna nequaquam conjungitur; et contra non raro levissima febris, et non magna inflammatio transit in gangrænam, ob scilicet perniciosam, et deleteriam ejus caussam, quæ vires vitæ prosternit, nervos, et fibras sensu, motuque exuit, aut partem, ut caustica, cito adurit, destruit, corrumpit. In scirrhum denique abit, si locus ab impacta materie nec resoluta integre, nec suppurata induratur, sensu ferme omni deperdito, quod in glandulosis præsertim corporibus fieri consuevit. Omnium saluberrima est *resolutio*; discriminis plena *suppuratio*, nisi exteriora occupet; in *scirrhum* conversio vitæ quidem parcit, sed alias, lentasque ærumnas post se relinquit, morte, ni extirpari possit, plerumque finiendas. *Gangræna* demum, si interiora præcipue corruperit, lethalis omnino est.

63. Resolutio sperari potest, si inflammatio recens, nec valde magna sit; si sanguis nec concitatissimo motu feratur, nec contra fatiscente cordis vi pene subsistat; si corpus bono habitu, bonisque succis polleat, nec densum nimis, neu nimis laxum; si malignitas, si putrida dissolutio;

si acrimonia insignis abfuerint; tandem, si cito opportuna adhibeatur curatio. Quocunque tamen modo se malum offerat, resolutio quanto maximo possumus studio tentanda est. Quamobrem protinus ab initio oportet uberiorem sanguinis ad partem inflammatam influxum imminuere, auctum motum vitalem tam ibi, quam alibi compescere, acre quodcunque obtundere, removere, educere. Itaque primum sanguis liberali manu, et pro re nata iterato etiam mittendus est; quousque videlicet phænomena inflammationis urgent, et pulsus durus, et validus morbi cruditatem, et nimiam circuitus vim ostendit (*). Neque id solum fiat venarum, sed arteriarum etiam sectione; nam has quoque ubi per loci conditionem licet, utiliter incidi, experientia compertum est. Cauto tamen opus est, nec temere, si vires reapse deficiant, aut malignitas, aut corruptionis indicia, aut putrida primarum viarum saburra subsint, aut peculiare epidemicæ constitutionis ingenium obstet, aut nimia humores tenuitate peccent, aut prægressi morbi diuturnitas ægrum fregerit; nec temere, inquam, si aliquid horum acciderit, sanguis profundi debet. Minus etiam sanguinis detrahendum est, ubi inflammatio *œdematodes* (§. 58.) videatur, aut temperamentum pituitosum fuerit, aut laxa nimis solidarum partium compages.

64. Quonam vero ex loco mitti sanguinem magis expediat, non una, eademque omnibus sententia est. Quidam enim secandas primum venas præ-

(*) *Jubent nonnulli eo usque mittendum sanguinem esse, donec crusta phlogistica penitus evanescat. Verum id nequaquam necesse est; imo interdum non innoxium. Sæpe ultima sanguinis missio crassiorem, tenacioremque crustam exhibet, & nihilo secius morbus cito resolvitur, & judicatur feliciter, quin iteretur phlebotomia.*

cipiunt, quæ a parte affecta quam maxime distant; alii vero quam maxime proximas. Prima ratione avocari sanguinem, avertique dicunt aliorsum utiliter; altera ex ipsa statim inflammata parte detrahi, vimque reliqui subsequentis in obstructa augeri, dirigique, ut reserentur: obstructionem enim in inflammatione semper præsto esse opinantur. Illam *revulsionem* vocant, hanc *derivationem*. Verum rarissime quæ propius fit laboranti loco venarum sectio, veram *derivationem* efficit, nec, si efficeret, eadem vere opus esset, nulla plerumque existente vasorum obstructione, ut supra pluribus demonstratum est. Vigente ergo inflammatione semper revulsione utendum est, ut scilicet vehementior sanguinis concursus, in quo inflammationis natura posita videtur, retundatur, aliorsum quodammodo avocatus. *Revulsionem* vero eo majorem obtineri, quo propiores venæ secentur, quam si dissitæ et remotiores, dummodo illæ cum arteriis, in quibus inflammatio insidet, continuæ nequaquam sint, luculentissime demonstravit argumentis ab anatome in primis depromptis Cl. PLACENTINIUS (*a*) confirmavitque immortalis HALLERUS (*b*) innumerabilibus in vivis animalibus factis periculis. Hinc profecto manat eximiæ utilitatis laus illa, qua experientia convicti clinicorum principes extulerunt sanguinis e propioribus venis emissionem. Attamen ubi summa vasorum plenitudo cum morbo conjungitur, nec morbus adhuc multum invaluit, tutissimum nobis videtur revulsionem moliri paullatim, sectis nempe primum venis, quæ procul absunt, deinde iis, quæ propius existunt, ne re-

---

(*a*) Dissertat. de vena, quæ in morb. particular. part. corp. sit salutarius incidenda. Propos. 6. & seq.

(*b*) Memoire sur le mouvement du sang, & sur les effets de la saignée, sect. VII.

pente ad partem affectam, facto in viciniam impetu, exuberans sanguinis copia irruat. Præterea quo majores venæ incidunt, quo amplius vulnus infligitur, eo certiorem, promptioremque *revulsionem* fieri, creberrimæ, immo quotidianæ evincunt observationes.

65. Quamquam vero revulsioni primum demus, et plerumque eam quoque sanguinis missionem revellere, quæ proxime e loco affecto evacuationem præstat, credamus: non tamen ii sumus qui omnem derivationem numquam possibilem, aut semper supervacaneam judicemus. Namque imminuta sanguinis copia, avocatoque aliorsum ejus impetu, si nihilominus inflammationis effecta persistant, cur non erit derivatio tentanda, ut effusus sanguis, aut errore evagatus in propria vasa revocetur, aut congestus, hærensque loco dimoveatur? Quod si nullæ venæ, quæ continuæ sint *immediate*, ut loquuntur, cum arteriis, in quibus inflammationis sedes est, pateant extrinsecus, ut secari possint derivationis caussa, non alia suppetit derivandi ratio, quam scarificatio ipsiusmet inflammatæ partis, si manui subjacet, aut hirudinum suctio, quibus vasa extemplo liberentur, detumescant, laxentur, humorumque circuitus, qui videlicet videbatur sufflaminari, redintegretur. Scarificationem sæpissime in tonsillarum, columellæ, faucium, palati, linguæ, palpebrarum, conjunctivæ oculorum, musculorum intercostalium inflammationibus provectioribus magno cum emolumento adhibitam recordamur; hirudines tum maxime profuisse, ubi scarificationem aut partis natura, et constitutio, aut ægrotantis timor, et aversatio prohibuit.

64. Præter revulsionem, in qua præcipuum curandæ inflammationis extat auxilium, illud etiam sanguinis missio præstat beneficii, ut pars aliqua caussæ inflammationem efficientis, nempe acris,

atque irritantis principii detrahatur, et minuta sanguinis quantitate amplius in vasis majoribus spatium paretur, minor fiat pressio, atque attritus, calor temperetur (*), vasa laxentur, reviviscat eorum elastica vis, irritabilitas et sensibilitas mitigetur, sanguis rarescat, attenuetur, recta magis procurrat, minus ab axi divergat, secretiones, excretionesque felicius peragantur: quæ omnia profecto maxima sunt ad inflammationem discutiendam, resolvendamque adjumenta.

67. Revulsionis genus quoddam etiam faciunt ea, quæ alvum molliter ducunt; sed blanda sint oportet, talia tamen, quæ humores attingant, et solvant, et leniter ad intestina alliciant, atque ano deturbent. Quo nomine commendantur subacida, et refrigerantia, quæ nimirum nec sanguinem exagitant, neque admodum solidas partes irritant, neque motum adaugent, sed potius sedant, et compescunt calorem, uti tamarindi, serum lactis, cremor tartari, cassia, manna, atque his similia. Huc spectant clysteres ex iis parati, quæ molliunt, temperant, et laxant. Hi enim tutissimi semper habentur, modo acritate calida, irritandique potestate careant. Si quid stimuli iis adjiciendum sit, mel, nitrum, cassia satis erunt. Cathartica ergo vera, acria, validiora, itemque emetica, ut noxia, vitari debent; et, si quando accidat, ut peculiaris epidemica constitutio, in qua miasma putridum, aut venenatum primas vias invaserit, aut morbi fomes a bile corrupta, aut exuberante, aut a cacochylia quacunque originem ducat emesim efflagitet, tunc mitioribus,

(*) *Calorem ex sanguinis missione minui, quocunque id modo præstetur, experimentis rite institutis evicit Cl.* Antonius Martin *anno* 1765. *Vid.* Acta Acad. Reg. scient. Suecic. an. 1767. Vol. XXVIII. p. 165. *itemque* Comment. Lips. vol. XVI. p. 397.

temperatisque medicamentis ea leniter cieatur, et quidem post solutam per venæsectionem vasorum plenitudinem. Ab omnibus tamen hisce revulsionum generibus cavendum omnino est, si ventriculus ipse, aut intestina, aut viscera his contigua, et communicantia inflammatione exardescant. Tum enim, si quid purgationem indicet, solis clysteribus, aut aqua tepenti, aut oleo, aut sero lactis simplici, aut simili alio lenissimo pharmaco eam præstat moliri. Patet quippe, tunc revulsionis genus, quod contrarium revulsioni effectum pareret, tuto adhiberi minime posse.

68. Revellendi pariter indicationi inserviunt balnea tepida manuum, et pedum, fomenta extrinsecus calide admota, utpote quæ fibras nimium rigentes, aut spasmo contractas, nimium irritabiles egregie molliunt, relaxant, atque adeo stimulis minus idoneas percipiendis reddunt, sanguinisque cursum, et copiam, ampliatis canalium spatiis, aliorsum proliciunt. Aliorsum etiam, extrorsumque ἐπισπαστικὰ varii generis pro varia morbi sede, modo remotis modo proximis partibus extrinsecus opportune imposita morbidum humorem revocant, revellunt, educuntque, teste experientia optima etiam in rebus medicis magistra. Inter hæc excellunt cantharides, euphorbium, sinapi fermento panis excepta, acetoque aut vini spiritu subacta, aut aliter in cataplasmatis, emplastri, cerati, aut unguenti formam redacta. Aliquid etiam in sanguinem ista, præsertim cantharides, immittunt, quod languentem nervorum, et fibrarum vim, et actionem sollicitet, et nimiam humorum ad coeundum propensionem, aut lentorem, si quis est, tollat, aut solvat, aut incidat (*). Sed quoniam acri quodam volatilique

---

(*) *Risum, & stomachum movent nuperiorum non-*

principio id exequuntur, cavendum ab eorum usu est, ubi solidæ partes nimis aridæ, atque exsuccæ

---

nulli, qui uno, vel altero fallaci experimento confisi protinus decernere non dubitant, a cantharidibus sanguinem, humoresque reliquos condensari, non dissolvi. Repetant, quæso, sua experimenta, adhibeantque eam in periclitando prudentiam, animique attentionem, quæ physicos decet veri studiosos, & spero fore, ut, nisi sponte delirare velint, errorem facile detegant suum, & detestentur. Qui vero omnia, quæ aut scripta, aut tentata hactenus sunt de natura, viribus, usuque cantharidum, scire cupit, perlegat librum, cui titulus: Disquisitio Medica cantharidum historiam naturalem, chemicam, & medicam exhibens, auctore Rudolpho Forsten M. D. Argentorati 1776. *Speciatim vero de usu earum in inflammationibus & morbis acutis legenda est:* Commentatio de usu vesicantium in febribus acutis, & speciatim in sananda pleuritide accuratius determinando, auctore B. L. Tralles. Uratislaviæ 1778. *His addendæ sunt binæ aliæ sequentes Dissertationes:* 1. CAROLI CHRISTIAN. ENGEL. de explicandis generalibus vesicantium effectibus, eorumque speciali in inflammationibus usu. Halæ d. 11. Nov. 1774. *Extat hæc in clar.* BALDINGERI sylloge selectior. opusculor. vol. IV. pag. 126. 2. Jo. CHARSON de Cantharidum historia, operatione, & usu. *Edimburgi* 1776. *Extat in* Sylloge *modo cit.* eod. vol. IV. p. 180. Auctor CULLENII *discipulus putat cantharides agere vi stimulante, evacuante, & antispasmodica. Quidquid sit de ejus opinionibus, vesicantium usum in* Synochis inflammatoriis, *in* Typhis, febribusque lentis, nervosis, *in* febre putrida, *in* variolis, *in* apoplexia, *in* paralysi &c. *satis docte definire contendit. Consuli etiam potest* Diss. de tuto, & eximio vesicatoriorum usu in acutis *præsid. cl.* VOGEL, *auct. J. H.* STRUVE GOTTING. 1798. *Quæ porro loca vesicantibus accommodata sint, eruditissime ostendit* THEOD. GERH. TIMMERMAN, & GUIL. LUD. HOELCKE *in* Dissert. *de Vesicantium locis. Riutel.* 1771. *ubi usus vesicantium ad locum affectum antiquior asseritur, quam vulgo creditur. Extat hæc quoque in* Sylloge BALDINGERI, vol. 1. p. 326.

rigent, aut nervea sensibilitas jam excedit, aut vasa adhuc nimis turgent, aut humores nimio motu concitantur, aut calor, sitis, vigiliæ, spasmi urgent, aut urina flammea, aut sanguinis alkalescens tenuitas adversantur.

69. Ut porro motus quicunque vitalis auctus compescatur, et quodvis stimuli, atque acritatis genus contemperetur, dimoveatur, et extra corpus excernatur, in primis aqua affatim potui danda est. Hæc diluit egregie, calorem, et motum, et attritum minuit, irritabilitatem demulcet, acrimoniam enervat, crassa, et densa solvit, secretiones, et excretiones adjuvat, uno verbo post sanguinis missionem fere sola reliquam curationem perficit, atque absolvit. Ubi fervet nimium sanguis, atque ad rarescendum inclinat; ætas juvenilis, temperamentum cholericum, regio calida, tempestas æstiva est; aut humorum tenuitas erysipelatodes deprehenditur, actu frigida præfertur: ubi vero laxandum magis, molliendum, solvendumque est, aut ad vias sudoris, aut sputi ducendum; calida, aut saltem egelida convenientior esse consuevit. Aquoso potui, ut facilius sanguini, reliquisque humoribus, præsertim oleosis, aut pinguibus misceatur, faciliusque irritabilitatem cordis refringat, igneum elementum arripiat, aut ejus evolutionem coerceat, alkalescentiæ, ut vocant, a nimio motu, aut attritu ortæ obsistat, indeque pendenti dissolutioni frænum injiciat, aut phlogisticam diathesim sanguinis emendet, sive id concrescibilis et fibrosæ partis cum rubra mixtionem adjuvando, sive ejus copiam, lentoremque imminuendo, attenuandoque præstet, adjici solent acescentia, acida, saponacea, refrigerantia, farinosa, mellita.

70. Hinc laudatur aqua succo mali medici, citrei, aurantii, et sacchari, aut mellis tantillo ad

gratum saporem condita; aut aceto, aut spiritibus acidis leviter, prudenterque imbuta; aut ex pane triticeo albo, hordeo, avena, fructibus subacidis, vel herbis refrigerantibus gramine, cichoreo, soncho, borragine, tragopogone, in tubo decocta, itemque emulsa ex seminibus frigidis ita dictis. Quibus nitrum, oxymel, defruta, sive *rob* baccarum sambuci, ribesiorum, berberum, rubi idaci, et fructuum similium, subinde parca, et prudenti manu pro rerum circumstantium ratione admiscentur. Si hæc non suffecerit, quod lentus, tenaxque humor exuberet, coacervatusque alicubi hæreat, viresque cordis excitandæ etiam sint ad morbum penitus extirpandum, solvendumque, tum camphora quoque, kermes minerale, radix polygalæ virginianæ, stipites dulcamaræ, herba Genepi, sive absynthium alpinum incanum flore chamæmeli, aliaque hujus generis in auxilium vocantur. Sed non hæc promiscue, et indiscriminatim usurpari licet; cum rationalem, et therapeutices legum, et præceptorum apprime memorem eorum usus expostulet.

71. Interdum vero dolor ita ingravescit, sævitque, ut nervorum distensio prope timeri inde possit. Tunc ille aliquantulum leniri debet anodynis medicamentis, iisque etiam, quæ opium habent; quidquid temere his utentes, aut non satis opportune experti, contra opinentur. Præterea parti, quæ inflammatione vexatur, extrinsecus admovenda pro re nata sunt modo ea, quæ molliunt, modo quæ leniter reprimunt, modo quæ humectant, modo quæ blande siccant, et discutiunt, prout tensio, dolorque, aut fervor, laxitasque, aut siccitas, aut humida temperies, illuviesque serosa videntur exposcere. Plerumque in initiis, et fine quæ reprimunt, roborantque adhiberi solent, nisi quid aliud morbi ratio, experientiaque suaserit.

72. His igitur resolutionem molimur, sed in singulis opportune administrandis cura quam maxima adhibenda est, ne justi moderationis fines excedantur. In primis naturæ motus ita temperandi sunt, ut tam qui nimii videntur, quam qui deficientes ad auream illam mediocritatem, quam ubique commendavit SYDENHAMIUS, redigantur; utpote qua opus est, ut morbus ad felicem exitum perducatur. Non ergo improvide vires vitales profligandæ sunt, neque calor extinguendus ita, ut subigendo morbo, coctionique perficiendæ non valeant. Nam quadam solidarum partium vi, et moderato quodam caloris gradu opus est, ut irritans caussa edometur, aut diathesis phlogistica, aut effusi, stagnantesque humores, qui forte discuti nequiverunt, coctionem, ut vocant, purulentam, sive pepasmum subeant, et per sputi, aut urinæ, aut sudoris vias expellantur, aut ad loca alia per διαδοχὴν transferantur, finemque morbo feliciter imponant.

73. Id præcipue in febre, quam *ardente* GORTERIUS nuncupavit, alii vero inflammatoriam, in qua nimirum nulla singularis pars, sed universum fere corpus afficitur, accidit: inflammatoria enim sanguinis diathesis coctione ita mutatur, ut prius sæpe speciem referat, prodeatque cum urinis, in quibus sub forma sedimenti albi, laudabilis, critici (*a*) fundum petit. Dum hæc aguntur, imperanda etiam est cum animi, tum corporis quies, victus ratio tenuissima, atque aeris purioris, et temperati crebra renovatio (*). Et si quando vi-

(*a*) GORTER Dissert. de siti §. 32.

(*) *Nisi aer cubiculi, ut par est, renovetur, ita effluviis ex ægrotantis, assidentiumqae corporibus emissis inficitur, ut ineptus tam respirationi, quam perspirationi perficiendæ evadat. Phlogistico, aliisque exhalationibus, & vaporibus onustus calet tunc, æstuat, fœtet, perspirabilem humorem non allicit, sed repri-*

res evacuationibus immodicis, aut putrida accedente liquatione dejiciantur, cardiaca tunc, atque antiseptica, et præsertim vinum mirifice profuisse visa sunt. Sæpe enim accidit, ut diutius protracto vehementioris febris impetu, et nimio inde orto calore, sanguis, humoresque reliqui alkalescentem naturam acquirant, et ad putridam dissolutionem quandoque transeant. Quod ubi evenit, quanquam multo rarius, quam existimatur, eveniat, mutata mali facies antiseptica potentiora, præsertim acida fossilia requirit.

74. Animadvertendum tamen est, non raro, coctione peracta, retardari materiæ morbificæ separationem, excretionemque; quod ubi incidit, eam promovere student plerique lenibus eccoproticis; imo quando suspicantur, non satis solutum malum esse, ad eadem confugiunt, ut relapsus præcaveatur. Atque hæc ipsa, aut non absimilia conveniunt etiam erysipelati, præsertim phlegmonodi. In puro tamen erysipelate parcius sanguis effundi debet, et maturiori consilio, quam in phlegmonode; nam, nisi caput occuparit, facile intra paucos dies quasi per se discutitur, et evanescit. Minus item sanguinis extrahi debet in erysipelate œdematode; imo sæpe nulla id eget sanguinis missione. Purgantia potius antiphlogistica, et subacida erysipelas exposcit, quæ, inclinato jam morbo, etiam propemodum necessaria sunt. Non tamen præpropere iis uti licet; nam sæpe purgatione erysipelas intro vertitur, quod sane non sine magno vitæ discrimine fit.

75. Quod si malo fato inflammatio naturæ, ar-

---

mit, noxia effluvia corpori iterum infundit: anxium ægrum, & anhelosum reddit, nerveæ, & musculari facultati nocet, putredini favet &c. Hujusmodi aerem phlogisticatum *hodie vocant. In hoc conclusa animalia propriis halitibus enecantur.*

tisque conatus superet, nec tamen occidat, imo aliquandiu in ancipiti statu perseveret, deinde aliquantum remittere videatur dolore mitescente, et febris inæqualibus, erraticisque accessionibus, horroribusque (*) adscitis novam cursus induat rationem, et rubor, et tensio, si oculis patet, subsidere quodammodo incipiat, suppurari jam inflammationem, indicium est. Quod ubi contingit, prudenter naturæ motus regendi sunt, nempe nec incitandi nimis, nec nimis infringendi. Plerumque, ea quæ molliunt, atque ad exteriora revocant, et corruptionem avertunt, tutissima existimantur.

76. Pure molli fluctuatione se exterius prodente, si malum suspectæ, et venenatæ indolis fuerit, etiamsi non perfecte maturuerit, parandus ei exitus est cita, et satis alta incisione; contra, si benignæ naturæ extiterit, et pars, in qua pus conficitur, consentiat, expectanda omnino ejus maturatio est, antequam sectione aperiatur abscessus. At, ubi suppuratio interiora occupat, nec secari locum impune licet, pus, quoad fieri potest, ad alias vias, quibus excerni queat diligenter proliciendum est, additis semper antisepticis remediis, ut purulenta cacochymia arceatur. Sed rarum tum est, rem ad prosperum finem perduci.

77. Si vero ex dolore evanescente, pulsu parvo, inæquali phlegmonis colore in pallidum, lividum, aut nigricantem mutato, viribus resolutis, extre-

---

(*) HIPPOCRATES *sapientissime scripsit:* circa puris generationes, *sive ut alii vertunt,* dum pus conficitur, dolores, & febres magis accedunt, quam confecto. Aphor. 37. sect. 2. *Sed non perpetuum hoc est. Neque perpetuum est, suppurationem horroribus, febribusque inæqualibus comitari. Interdum enim suppuratio fit sine ullo hujusmodi symptomatum. Legi merentur quæ* de puris generatione *habet* HAENIUS Rat. medend. Part. 2. cap. 2.

mis frigefactis, vultu tetro, et plumbeo, mentisque suboscura perturbatione ad gangrænam vergere malum dignoscatur, ad cardiaca, atque antiseptica valentiora, in primis ad corticem peruvianum, camphoram, serpentariam Virginianam, arnicam, scordium, flores chamæmeli, aliaque hujus census properandum est, non omissis interim iis, quæ ex chirurgico fonte peti possunt, si loci conditio ferat.

78. Demum si in scirrhum inflammatio terminetur, quod facile tactu detegitur, aut functionibus in integrum non redeuntibus innotescit, etsi fere ad desperationem res pervenerit, mitissimis tamen, et simul efficacissimis solventibus, sapone videlicet, cicuta, gummi ferulaceis, imo hydrargyro ejus curationem tentare non erit alienum, ne hominem, qui servari semper non potest, deserere videamur. Sed tutius est, antequam ad validiora deveniamus, tempori, et naturæ negotium committere, serum lactis gramineum, succos plantarum temperatiorum, et resolventium, aquas thermales, aeris mutationem experiri, corpusque leniter exercere. Atque hæc de inflammationis natura, differentiis, exitu, et curatione in universum. Quæ ad particulares quasque inflammationes proprie spectant, et respiciunt, tradentur alibi, ubi de singulis erit dicendi locus.



DE FEBRE
GENERATIM.

§. 1. Febris nomen alii a verbo *ferbeo*, sive ferveo, alii a *februo*, id est expio, derivatum volunt. Si quis etiam malit ab utroque, per me quidem licet. Nam et in plerisque febribus, præsertim cum ad *augmentum*, et *statum* pervenerint, sanguis, universumque corpus incalescit, ac fervet; et febris ad expurganda sæpe cum sanguinis, tum ceterorum humorum inquinamenta accendi, cierique videtur. Quos enim morbos medicamenta non sanant, interdum curat febris (*). Hinc non immerito Hippocrates, Galenus, Cornelius Celsus, aliique bene multi eam non modo supervenire quibusdam morbis exoptarunt, verum etiam de industria excitandam quandoque præceperunt. Hac quippe impuri, crudi, superflui, aut stagnantes humores subiguntur, attenuantur, coquuntur, moventur, excernuntur. Quare plerique scriptores salubritatem febrium ita celebrarunt, ut veri etiam terminos excederent. Quo factum est, ut Werlhofius suarum, et periti medici partium esse duxerit, tantam laudantium licentiam docto, utilique opusculo (*a*) refrænare. Febris nomen unde derivetur.

(*) *Febri quandoque curantur apoplexiæ, paralyses, epilepsiæ, convulsiones, arthritides, obstructiones &c.*

(*a*) De limitandis febris laudibus.

§. 2. In hanc adeo frequenter incidunt homines, cujuscumque ætatis, sexus, temperamenti, aut habitus fuerint, ut una tertia pars Gorterio (*a*), duæ vero Sydenhamio (*b*) tertiæ morborum, quibus obnoxii sumus, ad febres spectare videantur. Febris frequentissimus morbus.

Non ergo quemquam admiratio subeat, si communior Medicorum opinio sit, febre amplius dimidium generis humani occidi (*c*).

(*a*) Compend. medic. Tract. 52. §. 1.
(*b*) Dissert. epistol. *mihi* oper. omn. p. 444. & epistol. respons. 1. p. 361.
(*c*) GUILL. BUCHAN. Médecin. Domestiq. Tom. 2. chap. 2. p. 14.

Febris nomen quam late pateat.

§. 3. Sunt autem multa, tamque varia morborum genera, quibus nomen febris inditum est, et caussarum, et symptomatum tam magna diversitas, ut eam recte definire se posse desperaverint sapientissimi, expertissimique Medicorum. *In uno enim genere*, inquit modo laudatus GORTERIUS (*a*) *dantur quædam, quibus febris præsentia dignoscitur: hæc deficiunt prorsus in aliis*.

(*a*) L. c. §. 2.

Febris definitio secundum Galenum.

§. 4. Quod ut cuique manifestius pateat, proferendæ tantummodo sunt nonnullæ celebriores ex innumeris propemodum, quæ extant apud scriptores, febris definitionibus. GALENUS in primo *De differentiis febrium* (*a*) libro definivit febrem *calorem præter naturam*. At non in omni febre calor, nec omni ejus tempore modum excedit; nam in *algidis febribus* TORTII, in *syncopalibus*, in initiis accessionum quarumdam febrium intermittentium (*), in malignis quibusdam, aliisque non paucis istiusmodi morbis calor vel naturali minor, vel certe nequaquam major est. Præterea in *Epialis* non caloris dumtaxat, sed eodem tempore etiam frigoris sensum queri solent, ut nihil dicam de *Lipyriis*, in quibus dum interiora uruntur, exteriora, præsertim extrema algent. Denique si quid vitii in caloris excessu est, id ad febris potius effecta, quam ad ejus, ut vocant, essentiam spectaret,

cum sæpe, prout paullo ante animadversum est, a febri *calor ille præter naturam* abesse deprehendatur.

(a) Cap. 1. de generali febr. division.

(*) *Initio accessionum, quæ a frigore incipiunt, quamquam frigere se ajant ægrotantes; nuperi tamen scriptores thermometri ope contendunt ostendere, tunc etiam auctum caloris gradum esse. Vera quidem dicunt, si periculum in iis fiat accessionibus, in quibus, antequam frigus aggrediatur, quod sæpissime vidimus, aliquot horis ægri primum incalescunt citatioremque pulsum exhibent; aut in eo frigoris febrilis tempore, quo jam mitescit, calorque sese exserere incipit, aut demum in eo casu, in quo illi horrent quidem, sed vere non frigent; nam sæpe frigoris sensu percelluntur, quin tamen frigeant. Verum si nullo præcedente caloris augmento, in ipso veri frigoris febrilis initio, atque incremento, quo quartanarii, puta, aut tertianarii vexantur, aut in iis, quorum membra, dum febris accedit, aperte pallent, & tactui vere frigent, periclitatio instituatur, & thermometro algenti corpori admoto calor exploretur, certo certius imminutus invenietur, quemadmodum iteratis periculis in magna discipulorum frequentia non semel expertus sum.*

§. 5. In pervetere libro (*a*), quem GALENI esse perhibent, quatuor aliæ definitiones febris traduntur, quarum prima, nam reliquæ brevitatis caussa omitti facile possunt, sic effertur: *Febris est innati caloris declinatio ad statum, qui præter naturam sit, pulsibus quoque vehementioribus ac crebrioribus redditis.* Hæc profecto, quoniam tam frigus quam calorem, algidas æque, ac ardentes, variumque febrium intermittentium tempus complectitur, et simul pulsum vehementiorem, crebrioremque, ex quo de febre judicium ferri solet, una conjunctum ponit, ut vero propior est, sic a Medicis non facile deseri, aut despici debuisset. Attamen nec ipsa, si quid ju- Alia Galeni definitio.

dico, febris naturam satis attingit: 1. quia calor, et frigus effecta potius febris videntur; 2. quia calor non semper in ea deprimitur, aut augetur, uti patet ex calore prorsus naturali, quem non raro habent quædam febres malignæ; 3. quia non in omni febre, nec in singulis ejus stadiis arteriæ vehementius, crebriusque subsiliunt; ut postea demonstrabitur.

(a) Definit. medic. inter Oper. Galeni Class. 1. p. 46. C.

Febris effervescentia sanguinis præter naturam dicta.

§. 6. Ad *effervescentias* alii, ut febrim quodammodo e tenebris in lucem producerent, non sine laudis spe aliqua confugerunt. Cum enim ab effervescentiis modo calorem, modo frigus (*) gigni viderent, magnam harum cum febre affinitatem esse rati, eam definire non dubitavere *effervescentiam* sanguinis *præter naturam*. Proprie autem *effervescentia* dicitur subita, et sensibilis duorum corporum valde amicorum, quorum unum saltem sit liquidum, mutuo congredientium commotio, atque ut vocant, *expansio*, qua magna vis aeris insiti, aliorumque halituum sub bullularum, et guttularum specie plerumque cum sibilo et strepitu, et calore non exiguo, interdum etiam sine calore, imo cum frigore corporis effervescentis exploditur. Acidi in primis sales cum alkalinis, aut terreis corporibus, quæ absorbentia nuncupantur, eam efficiunt. Hinc olim habita est *Acidi*, et *Alkali* tantummodo congressus, et lucta. Sed non satis animadversum fuerat, *effervescentiam* præterea nasci ex acidis spiritibus, metallis, et semi-metallis affusis, vel etiam ex acidis meracioribus inter se commixtis, uti quando miscetur oleum vitrioli cum solutione argenti, vel ex acidis potentioribus cum aqua simplici, aut cum oleis æthereis, et spiri-

tibus inflammabilibus, vel ex salibus alkalinis liquidis cum alkalinis siccis, et consistentibus, sive concretis, uti quando oleum tartari per deliquium instillatur sali tartari sicco, vel ex aquæ simplicis cum corporibus terreis alkalinis, in calcem præsertim redactis, commixtione.

(*) *Plerumque* effervescentiæ *calorem cient. Exemplum vero frigoris ab* effervescentia *excitati vulgatissimum habetur in oleo vitrioli sali ammoniaco affuso. Mirum enim est, frigidam* effervescentiam *in hujusmodi mixtione oriri, dum vapores ex ea manantes calidi percipiuntur. Sed, igne expulso, cur relicta mixtio non frigeat? Nec unicum frigidæ effervescentiæ exemplum est illud. Acetum etiam alkalinis terreis corporibus, non in calcem redactis, instillatum effervescentias frigidas parit.*

§. 7. Doctrina vero istiusmodi *effervescentiarum*, quas olim medici in sanguine possibiles existimabant, a Phisiologis posterioribus adeo refutata est, ut hodie jam pene exoleverit. Nemo enim potuit unquam in sanguine, reliquisque vivi animalis humoribus *Alkali* purum, *Acidumque* manifestum, atque evolutum detegere, quæ una congredi, atque effervescere possent. Quod si unquam alterutrum in quibusdam morbis deprehensum fortasse est, quod quædam observata medica innuere videntur; plerumque morbi effectus illud fuit, non caussa; nec unquam observatum est, quod noverim, utrumque una, et simul, ut effervescere junctim possent. Quas vero aliunde oriri posse effervescentias memoravimus, nullum intra sanguinem locum illas habere, protinus quisque perspiciet. Quis acidum fortissimum, purissimumque, quale vitriolicum, aut nitrosum meracum est, in corpore humano invenit unquam, quod cum alkalinis salibus, aut terreis absorbentibus, aut metallicis corporibus, Refutatur.

si qua in nobis essent, aut cum aqueo humore congrediens calorem, aut cum sale ammoniaco, nobis quidem non alieno copulatum, frigus excitet? Ubi in nobis olea *essentialia*, sive ætherea, aut spiritus inflammabiles præsto sunt, cum quibus acidum illud effervescat? Ubi sales alkalini sicci, qui cum liquidis coeant, atque ebulliant? Quis demum effervescentiam frigidam vidit unquam calidæ anteire, calidamque frigidæ succedere, sic, ut frigus in tertianis, quartanisque febribus, et subsequens calor ab hujusmodi effervescentiis deduci queat?

An febris sanguinis fermentatio?

§. 8. Itaque effervescentiis diffisi quidam alii febrem *sanguinis fermentationem* esse malunt, inter quos WILLIUS primas certe tenet, et febris effecta cum musti comparant fermentantis (*) phænomenis. In hanc prope partem vergunt Nuperorum complures, quibus omnia videntur plena fermentationum. Sed quo minus hæc quoque probetur opinio, multa profecto obstant, et 1. summum discrimen, quod inter sanguinem intercedit, et mustum, aliosque succos vegetabiles fermentationi idoneos; 2. defectus in vasis corporis animati, et vivi conditionum, quæ ad fermentandum requiruntur, quietis nimirum, mitissimi caloris gradus, quem viventis hominis calor naturalis longe superat, et liberæ cum aere exteriore communicationis; 3. nulla in humoribus a febre mutatio, qualis fermentationem subsequitur, cum neque vini, neque aceti, neque spiritus inflammabilis indicia ulla sanguis præbeat, postquam febris, sive ut iis placet, fermentatio desierit.

(*) Fermentationis nomen adhiberi video ad res multas & quidem natura diversas designandas. Sed hic ea a nobis intelligitur, quæ propria vegetabilium

rerum est, quæque sola vera fermentatio est. Hæc autem distinguitur in vinosam, acidam, *atque* acetosam. *Nulla ex his in sanguinem, corpusque humanum, exceptis primis viis, cadit. In omni vera fermentatione mixtio vetus mutatur, & nova inducitur. Contra evenit in* putrefactione, *in qua mixtio universa destruitur, & dissolvitur, elementa omnia secedunt, olea fœtida redduntur, sal volatile oritur, & avolat, & sic vera corruptio totius mixti, & resolutio fit. Non ergo* putrefactio *quidquam habet commune cum vera fermentatione, ut ipsa cum Recentioribus* fermentatio putrida *dici possit, nisi nominibus abuti velimus.*

§. 9. Latiorem febris definitionem excogitavit LAURENTIUS BELLINIUS in hunc modum: ***Febris est vitium sanguinis aut in motu, aut in quantitate, aut in qualitate, aut in horum aliquibus, aut in omnibus*** (*a*). Quæ tamen definitionis amplitudo non modo nihil certi, et proprii exhibet, verum etiam adeo patet, ut multis aliis morbis, a sanguine oriundis æque bene accommodari possit. Quapropter ne hac quidem contentus summus ille vir BOERHAAVIUS, cui ceteroquin BELLINII nostri auctoritas magno semper in pretio fuit, nec apud quemquam alium naturam febris dilucide expositam inveniens singula febrium symptomata examinanda suscepit, rejectisque iis, quæ in febre nequaquam perpetua sunt, retentis vero, quibus præsentibus febris adesse, absentibus, aut cessantibus abesse, aut desinere dicitur, se hac ratione veram, intimamque febris naturam assequi posse speravit. Hinc tria in omni febre a *caussis internis orta* occurrere (*b*) detexit, *horripilationem* videlicet, *pulsum velocem*, et *calorem*, sed *vario febris tempore* varia. Ex his vero iterum diligentius perpensis, solam velocitatem pulsus (*) in omni febris tempore visus est reperis-

Bellinii definitio.

Quid Boerhaavius senserit.

se, ideoque in hac sola *febris acutæ ideam* contineri demum affirmavit.

(a) De Febrib.
(b) De cognosc. & curand. morb. §. 563.
(*) *Quisnam pulsus velox dicendus, quisnam tardus, aut rarus sit, non ita expeditum est scitu; nam pulsus differt, ut differunt homines ipsi, eorumque circumstantiæ. Generatim in pueris frequentior est, quam in adultis; rarior in senibus, quam in utrisque illis. In adulto bene valente, quiescente, tranquillo, & jejuno pulsuum micatus numerantur a sexaginta ad septuaginta intra minutum primum: in infantibus, & pueris eodem modo constitutis, eodemque rerum statu positis ab octoginta ad nonagintaquinque; in senibus a quinquaginta ad sexaginta. Scire autem licet, adultos interdum existere, quorum pulsus micatus in naturali statu sunt octoginta, aut nonaginta, imo etiam plures intra idem temporis minutum primum, dum in aliis non ultra quinquaginta numerantur; & tamen utrique recta valetudine fruuntur. Quod sæpe expertus sum. Nisi igitur pulsus cujusvis hominis antea innotuerit, ex sola ejus frequentia febris certo discerni nequit. In universum ut dici jure possit pulsus naturali esse frequentior, debet, si* Duplanilio *credimus, intra datum tempus tertia plus parte pulsare, quam sano solet; id est, si in sano pulsus micatus erant septuaginta, in febricitante erunt nonaginta quinque, sumpto semper minuto primo pro temporis spatio utrique communi, ut dimetiendi ratio non fallat. Quamquam necessaria mihi non videatur semper hujusmodi pulsationum proportio: satis enim est, pulsuum numerum aliquot ictibus naturæ modum excedere, & talem diutius permanere, ut naturali frequentior pulsus habeatur. Citissimus porro dicitur, si in eodem subjecto pulsus sint quinque, vel decem supra centum. Extremus ferme gradus celerrimi, & citatissimi est, cum intra minutum primum pulsationes centum, & quadraginta, aut quinquaginta distinguuntur. Sed tum ob velocitatem, & frequentiam vix numerari & distingui illæ possunt, quidquid alii contendant. Vid.* Duplanilius in not. ad pag. 621. Tom. V.

Table des matières *operum* BUCHANII. *Illud autem hic advertendum est, quod supra celeritas, velocitas & frequentia, pro una, eademque re accepta est, contra quam a quibusdam accipiatur, ut alibi deinde palam fiet.*

§. 10. At non omnis febris a caussis internis, sensu Boerhaaviano (*) servato, oritur, nec omnis ab hisce caussis orta febris, ne intermittens quidem, (nam sæpe, quæ æstate ingruunt, protinus a calore exordiuntur) semper incipit ab horripilatione (*a*); neque omnis *horripilatio* semper a febre proficiscitur. Id norunt vel ipsæ mulierculæ hystericæ, quas frequens sine febre horripilatio spastica corripit. Neque pulsus velocitas (**), aut calor auctus statim febrem adesse significat. Multa enim, uti exercitatio corporis, cursus, ira, gaudium, subita e somno excitatio, lecti calor, largior vini, liquorumque fermentatorum potus, plenior, lautiorque cibus, atque alia hujus generis pulsum velociorem reddunt, caloremque adaugent, quin tamen ex his febricitare quisquam dici possit (***). Sæpe etiam calor vix, ac ne vix quidem naturalem gradum exsuperat, imo interdum naturali minor est. Id frequentissime in malignis, et pestilentibus febribus, atque in principio accessionum, sive in ipso frigore febrili contingit; nam tum sive tactu, sive thermometro exploratus, plerumque aut nullo modo naturali major reperitur, aut certe minor. Id ipsum de pulsus velocitate non raro evenire observatum est.

Quænam Boerhaavio adversentur.

(*) *Febrem* a caussis internis ortam *vocat* BOERHAAVIUS *eam, quam non evidentes, & leves caussæ excitavere. Voluit enim sic excludere ephemeras, quæ plerumque sine horrore aggrediuntur, atque a caussis levioribus, atque evidentibus originem habent.*

(*a*) GORTERIUS, Compend. med. Tract. 52. §. 3.

febres, *inquit*, a stimulo calido excitatæ sine frigore præcedente aggrediuntur.

(**) Pulsus velocitas, sive frequentia quamquam a Boerhaavio, *aliisque pro inseparabili febris signo ponatur, non ita tamen constans in ea est, ut sæpe non absit, quod clarius patebit in sequentibus. Multis etiam modis hujusmodi velocitatem intendi sine febri, supra indicavimus: ex quo liquet, ni fallor, non ita cum ea febrem, ut quidam reputarunt, necessario connecti. Paullo ante etiam* (§. 9. in not.) *generatim monitum est, pulsuum frequentiam pro ætatis ratione variam admodum esse. Nunc addo, variare etiam non parum pro sexus, regionis, tempestatis anni, temperamenti, animique motuum ratione, ne quid dicam de caussis eam augentibus, quas modo* (§. 10.) *commemoravi, quin tamen febris præsentiam significent. Attuli præterea, quid* Duplanilius *definiverit de frequentiæ pulsus gradu, qui febrim designare debeat; sed simul innui, rationem, quam ipse posuit inter frequentiam naturalem, & febrilem, incertam esse, nec tutam. Accedit, quod hac ipsa de re plurimum inter se dissentiant celeberrimi scriptores, nec propterea quidquam certi, & perpetui statui liceat.* Hallerus *certissimum, tutissimumque febris indicem reputavit pulsum illum, qui intra minutum primum centies pulset. Sed fallacissimus est hujusmodi pulsationum numerus. Sæpissime indubia febris existit cum longe minori pulsuum numero, aut abesse etiam potest cum eodem, aut etiam majore. Pulsum sanorum pulsui non absimilem in gravissimo febris genere observavit* Sydenhamius (oper. mihi p. 650), *eumdemque notavit* Werlhofius (de caut. pag.39. de variol. pag.37.) *itemque* Gredingius *in febre maligna putrida contagiosa cum pustulis miliaribus albis, quæ sub finem anni* 1756. (Ludwig. Adversar. med. Pract. vol. 1. P. 1. cap. 1. p. 22.) *grassata est. Rariorem vero naturali in febribus malignis, in Typhis, in Hemitritæis, aliisque perniciosissimis, & pestilentibus fere omnes Clinici tam veteres, quam recentiores invenerunt, inter quos nominabo dumtaxat* Prosperum Alpinum, (Medic. Ægypt. l. 1. cap. 14.), Nicolaum Massam (de Febrib. pestilent.), Ryf (Me-

dic. Static. Britannic.), RUSSELIUM (Nat. Histor. of Aleppo p. 230.), BORDEVIUM (Recherch. sur les pouls p. 309.) SAUVAGESIUM (Nosolog. method. T. 2. p. 307.). *Ita tardum & rarum in quadam epidemica febre Neapolim devastante deprehendit* SARCONIUS, *ut pulsationes intra minutum non plures essent, quam quadraginta, aut quadraginta quinque* (Part. 2. §. 357. & 704.). *In puero febre variolosa laborante pulsum adultorum pulsu multo rariorem, itemque in febre scarlatina commemorat* TREMELIUS (Exam. frigor. febril. p. 7.). *Neque tantummodo in febribus malignis ita dictis pulsus rarior, aut naturali similis est, verum etiam in aliis febribus, mere acutis. Sic* HAENIUS (Rat. medend. Par. XII. cap. 2. pag. 50. & 117.) *in juvene viginti quatuor annorum febre acuta inflammatoria laborante, in quo pulsus frequentior esse debuisset, nunc tertia, nunc quarta parte rariorem, modiceque febrilem invenit. Sanatus paullo celeriorem pulsum habebat, quam erectus in morbo; nam erecto celerior erat, sive frequentior, ita tamen, ut nunquam ultra quinquagies intra minutum micaret. Sed, ante hos, referente* SARCONIO (*l. c.*) *jam* GALENUS, *aliique antiquiores fallacem hujusmodi pulsum in febribus mali moris adnotarunt. Non dissimulaverim tamen hisce omnibus, ut supra indicavimus, adversari cl.* HALLERUM, *& negare palam, pulsus ita raros, & tardos reapse reperiri, si horologii ope numerentur, nisi peculiare pulmonis, aut cordis vitium cum febre sit conjunctum,* quod sanguinis e pulmonibus ad sinistram cordis caveam reditum, aut e corde in aortam transitum (Physiol. T. 2. l. VI. sect. 2. §. XV.) *impediat. Verum etsi id, quod suspicatur* HALLERUS, *evenisse interdum, non ausim inficiari; numquam tamen concedam, omnes observationes doctissimorum, atque exercitatissimorum Medicorum, quos adduxi, in dubium revocandas esse. Qua de re testimonium sufficiat cl.* LE ROY, *qui etsi alicubi* HALLERO *quasi adhaerere videatur, quodam tamen in loco* (Melang. de Phys. & Med. Prem. Mem. des fievr. aigues p. 204. not. cc.) *fateri cogitur, febres aliquas se offendisse, in quibus pulsus multo rarior, quam in naturali statu, erat, ita ut cuidam pulsus intra mi-*

nutum non plures, quam quadraginta, aut quadraginta quinque, horologio adhibito, *micare reperirentur; quod cum* Haenii, & Sarconii *observationibus, non sine horologii adjumento institutis, omnino convenire, manifestum est. Non negandum tamen videtur*, peculiare pulmonis, aut cordis vitium *quandoque varietatem aliquam pulsibus inducere posse; sed illud verosimilius existimo, tunc pulsum ab hujusmodi causa inæqualem potius, aut intermittentem fieri, quam simpliciter naturali rariorem. Hactenus exempla pulsus naturali rarioris in febricitantibus protulimus: modo ad ea, quæ frequentiorem sine febre ostendunt, progredior*. Cl. Rye (l. c. p. 224.) *in dolore colico deprehendit sine febre pulsum, qui centies in minuto primo pulsabat;* & Floyerus *pulsum ab ira centies octies sine febre intra idem tempus subsilientem* (l. c. p. 87.) *Pulsum naturalem, cujus ictus erant centum & quindecim, imo plures, recens* Haenius (Rat. med. Part. XII. pag. 86.), *itemque sine febre centum, & viginti* Whyttius (Malad. hypocondr. pag. 90.). *Prætereo demum auctum enormiter pulsuum numerum a caussis externis, nimirum a motu corporis, calore balnei, cibo, potu sic, ut quandoque centum & triginta, aut centum & quadraginta pulsationes usque intra minutum observatæ narrentur, quin ulla tum febris adesset. Quas ob res non immerito* Cl. Tode *in* specimine inaugurali de duplici febrium indole (Hafniæ 1769.) *pulsus frequentiam a multis pro febris signo pathognomonico habitam rejicit, idemque facit* Anonymus *Varsaviensis* (observat. clinic. ad duct. medicat. in Nosocomio general. Varsav. Fascic. 1. p. 15.) *quoniam in vere febricitantibus, quos ex aliis signis febricitare cognoverat, interdum defuisse pulsus frequentiam, celeritatemve observavit.*

(***) Qui febrim in aucta pulsus frequentia, & velocitate sitam volunt, etiam tum febrim, ne de sententia discedant sua, adesse affirmant, cum a caussis evidentibus pulsus acceleratio accidit. Sed ignoscant, precor, si ab iis tam dissentio, quam hujusmodi pulsus acceleratio a vera febre dissentit. Videntur enim febris veram naturam nunquam comprehendisse, quando res adeo diversas una confundunt.

§. 11. At quæ hactenus contra pulsuum frequentiam dicta sunt, nequaquam opponi possunt iis, qui non in sola eorum frequentia, sed in ipsa etiam celeritate febrim quærendam statuunt. Distinguunt enim alteram ab altera cum veterum plerisque, sed potissimum cum *Sthalianis*, qui per celeritatem intelligunt, notantque brevissimum tantummodo tempus illud, quod insumitur, dum arteriæ se se dilatantis ictus ferit, pellitque digitos tangentis. Celeritas igitur pulsuum tanto major erit, quo minor erit diastoles duratio. Hanc auctam pulsui febrili adjiciunt, tamquam perpetuam febris sociam, atque inseparabilem. Neque ullo modo eos audire volunt, quibus ea distinctu difficillima videtur. Enimvero minimum illud tempusculum, quo arteria salit, præsertim si pulsus simul frequens sit, vix, et ne vix quidem animadverti, et determinari potest. Hujusmodi tamen celeritatem a frequentia distingui posse testantur BELLINIUS (*a*), HALLERUS (*b*), SAUVAGESIUS (*c*), MORGAGNIUS (*d*), HAENIUS (*e*), aliique experientissimi, et probatissimi viri, a quibus, si meam quoque licet experientiam afferre, non ego ipsemet dissentio. Qnid intersit inter frequentem pulsum et celerem?

(*a*) De urin. & puls. p. 72.
(*b*) Element. Physiol. T. 2. p. 248.
(*c*) De febrib. n. 10.
(*d*) De caus. & sed. morb. epist. 24. & 32.
(*e*) Ratio medend. P. XII. pag. 27.

§. 12. Hanc ergo pulsus celeritatem numquam a febri sejungi asserunt qui frequentiam, velocitatemque tueri non possunt. Inter hos TREMELIUS (*a*) eam adeo febris esse propriam profitetur, ut rarum, vel naturalem pulsum in febre numquam ipse repererit, quin *ista ictus celeritate* se febrilem ostenderet. Attamen paullo post hoc ipso An in celeritate pulsus essentia febris?

etiam signo diffidere videtur, cum ultro concedat, sæpe a debilitate ingenti, quæ pulsum celerem comitatur, celeritatem ipsam, febris comitem obscurari, fereque aboleri. Imo, si quid ego clinico exercitio valeo, propria observatione suffultus fidenter possum asseverare, hanc eamdem celeritatem, a me sæpius animadversam sine febre, et sæpe etiam in ipsa febre minime deprehensam esse. Adstipulatur mihi experientia ANONYMI paullo ante commemorati, qui sine ulla hæsitatione negat, solam pulsus celeritatem ad febrim indicandam sufficere, exemplisque in medium prolatis dicta (*b*) confirmat.

(*a*) Frigor. febril. exam. p. 9.

(*b*) Observ. clinic. ad duct. medicat. in Nosoc. General. Varsaviens. fasc. 1. pag. 16. & 17. *ubi sic scribit*: pulsus autem (*in febri ardenti*) nec plenus ratione habitus, nec durus, nec celer, nec dicrotus, nihilque cum febrili commune habuit.

An in aliis pulsuum affectionibus quærenda?

§. 13. Quoniam igitur neque frequentia, neque celeritas pulsus quidquam certi habet, quo febris designetur, has notas supplere parant nonnulli aliis pulsuum affectionibus, debilitate nimirum, aut inæqualitate, aut parvitate, aut simili præter naturam mutatione; nec satis perspiciunt, se ad eas convertere pulsuum affectiones, quas jam, ut ineptas, inconstantes, aut communes a febre segregarunt, excluseruntque omnes illi, qui solam frequentiam, aut celeritatem pro signo febris pathognomonico retinendam duxerunt. Præterea directe refelluntur auctoritate, et fide cl. LE ROY, qui in singulis febricitantibus, quibus fuisse pulsum rarum narrat, tamen nullo modo aut debilem, aut inæqualem, aut parvum (*a*) deprehendere unquam potuit. Quæ cum ita sint, non erit profecto, cur in ulla harum pulsus affectionum febris *essentia*, sive natura collocetur.

Id jam optime cognovit ab antiquissimis usque temporibus scientia medicinæ non minus, quam ingenio, et recta judicandi ratione admirabilis C. Celsus, qui pleraque supra a nobis fusius excussa summa, ut solet, brevitate, atque elegantia (*b*) contraxit in hæc verba: „ Non est expeditissimum scire, quando æger febricitet, quando melior sit, quando deficiat .... Venis enim maxime credimus, fallacissimæ rei; quia sæpe istæ lentiores, celerioresve sunt et ætate, et sexu, et corporum natura. Et plerumque satis sano corpore si stomachus infirmus est, nonnumquam etiam incipiente febre, subeunt, et quiescunt: ut imbecillus is videri possit, cui facile laturo gravis instat accessio. Contra sæpe eas concitat, et resolvit sol, et balneum, et exercitatio, et metus, et ira, et quilibet alius animi affectus, adeo ut, cum primum medicus venit, solicitudo ægri dubitantis, quomodo illi se habere videatur, eas moveat. Ob quam caussam periti medici est, non protinus ut venit, apprehendere manu brachium: sed primum residere hilari vultu, percunctarique, quemadmodum se habeat; et, si quis ejus metus est, eum probabili sermone lenire; tum deinde ejus carpo manum admovere. Quas venas autem conspectus medici movet, quam facile mille res turbant! Altera res est, cui credimus, calor, æque fallax. Nam hic quoque excitatur æstu, labore, somno, metu, solicitudine. Igitur intueri quidem etiam ista oportet: sed his non omnia credere. Ac protinus quidem scire, non febricitare eum, cujus venæ naturaliter ordinatæ sunt, teporque talis est, qualis esse sanis solet; nec protinus etiam sub calore, motuque febrem se se concipere: sed ita etc. "

(*a*) L. c.
(*b*) De Medicin. l. 3. cap. 6. mihi p. 128. 129.

Quæ febris caussa proxima ex Boerhaavio.

§. 14. Quid de febre, ejusque natura generati cogitatum sit, hactenus exposui. Superest modo, ut etiam, quæ caussa, ut ajunt, proxima eam efficiat, quoad quidem sciri potest, investigemus. Itaque ad BOERHAAVIUM, a quo, antequam hac super re ejus mentem aperiremus, paullo longius discessimus, revertamur oportet. Is, præstituta pulsus velocitate, tamquam unica, perpetua, inseparabili, atque *essentiali*, ut loquuntur, cujuslibet febris proprietate, sive posita in hac pulsus velocitate febris individua natura, atque existentia, inquirit deinde in proximam ejusdem caussam, nec dubitat, hanc esse eamdem, quæ memoratæ pulsus velocitatis esse videtur, nimirum *velociorem cordis contractionem cum aucta resistentia ad capillaria* (*a*); in qua *febris omnis acutæ ideam* contineri sibi persuaserat. Cumque initio accessionis febrilis *pro varietate subjecti*, *caussæ*, *febris ipsius*, vario itidem gradu, modo, et duratione se exhibent *velox*, *parvus*, *sæpe intermittens pulsus*, *pallor sæpe extremorum*, *frigus*, *rigor*, *tremor*, *insensilitas*: hinc perspicuum est, inquit, *stagnare tum humores sanguineos in extremis vasculis*, *et simul tamen caussam cor irritantem* (*b*) *adesse*. En lentorem sanguinis extrema arteriolarum quodammodo obstruentem, qui *resistentiam* cordi validius se se contrahenti (*c*) objiciat, augeatque.

(*a*) Aphor. de cogn. & cur. morb. §. 572. & 581.
(*b*) L. c. §. 576. (*c*) Ibid. §. 587.

Quæ contra dici possunt.

§. 15. Quemadmodum vero supra ostensum est, *pulsus velocitatem* nec in omni febre, nec in omni ejus tempore reperiri; sic etiam subito patet, ne *velociorem* quidem *cordis contractionem*, quæ illam efficiat, assumi, nec esse posse pro proxi-

ma febris cujusque caussa, quam quærimus. Deinde, quoniam vir clarissimus lentorem sanguinis, imo ipsius stagnationem in vasis capillaribus hic ponit, parum sane distat ab ea cogitatione, quam habet de inflammatione, cum tamen inflammatio, et febris non una, eademque res cuiquam visa sit. Quapropter non pauca ex iis, quæ, ubi de inflammatione disseruimus, adversus prolata sunt, huc quoque opportune traduci poterunt. Præterea absurdum, rationique repugnans est, hic ab *aucta resistentia ad capillaria, velociorique cordis contractione* frigus, et pallorem extremorum derivari velle, dum alibi ab eisdem omnino caussis ruborem, calorem, tumoremque inflammatæ partis explicavit. Illud etiam accedit, quod *frigus*, et *pallor*, quæ incipiente febre se exserunt, haudquaquam ab hærente in vasis capillaribus sanguineo humore oriri potest. Nam dum pallor, et frigus corpus occupat, arteriæ omnes a corde ad extrema usque vascula, in quibus sanguis sisti dicitur, ita repletæ turgerent, ut pulsum magnum, plenum, vehementemque ederent, non vero parvum, debilem, obscurum, intermittentem, qualis eo tempore esse solet, assumiturque; nec ideo *frigus*, nec *pallor*, sed calor, æstus, et rubor in universum corpus se se diffunderet. Demum, si darem etiam, quam vult Boerhaavius, proximam febris caussam revera esse, an ea, quæro, cuicunque febri (quæ nostra est investigatio) in universum accommodari posset, cum vel ipsemet Boerhaavius, quasi suæ opinioni diffidens, ad *febrem* tantummodo *acutam* postremo eam restringere debuerit?

§. 16. Neque, ut opinor, felicius scopum attingere videntur ii, qui a spastica nervorum, et fibrarum omnium contractione (*a*) originem fe- Quid de aliis caussis entiendum?

bris proximam petunt; nam etsi multa, quæ in febribus intermittentibus eveniunt, talia propemodum videantur, quæ illorum faveant opinationi; tamen hæc ipsa aut deficiunt in reliquis febribus, aut minime earumdem propria sunt, aut nullo modo singulis harum omnium temporibus ita respondent, ut quæ in uno genere verisimilitudinem quamdam continent, in alio etiam probabilitate firmentur; ne quid dicam de falsitate hypotheseos, qua nervos arbitrantur se se contrahendi facultate donatos. Quis enim ignoret hodie, hujusmodi vim solis fibris muscularibus insitam esse, aliis vero sive nerveis, sive membraneis non item. Eodem ferme vitio notantur qui duplicem motum in febre agnoscunt, alterum a corde ad partes, alterum a partibus ad cor; illum videlicet a vi cordis sanguinem in arterias propellente; hunc a spasmo reliquarum partium, qui non modo illi contra nitatur, verum etiam venosum sanguinem urgeat cor versus, deducentes. Neque quid sibi velint, satis assequor, illi, qui *velocitatem* pulsus *spasticam*, et *convulsivam*, ut ajunt, omnium febrium caussam (*b*) censent. Non enim, quocunque modo rem explicent, effugere possunt ea, quæ contra pulsus velocitatem supra disputata sunt, neque unquam ostendere, istiusmodi spasticam, et convulsivam pulsus velocitatem sæpe sine febre non occurrere in aliis quoque morbis, præsertim hypochondriacis, hystericisque, in quibus quantum ex pulsu et ægroti se febricitare falso sæpe credant, et medici non satis cauti decipiantur, non attinet dicere.

(*a*) Hoffmannus Med. Rat. System. T. IV. sect. 1. §. IV. *princeps, a quo hac opinio profluxit*.

(*b*) *In his* Quesnæus des Fievres contin. T. 1. chapit. 2. p. 80.

§. 17. Quas ob res factum esse arbitror, ut nuperrimi quidam Scriptores, relictis majorum placitis, plurimum operæ, studiique collocarint in aliis, atque aliis caussis febrium proximis indagandis, quamquam, ut mihi videtur, infelici plane eventu, atque ab eorum etiam votis perquam alieno. Ex his quid novissime scripserint duo Medicinæ lumina, TODIUS, et CULLENIUS; alter in Hafniensi, in Edimburgensi alter Academia Professor, viri ambo et ingenio præstantes, et doctrinæ fama illustres, et experientia æque insignes, non equidem silentio præteribo, ne videar aut novas doctrinas despicere, aut ignorare, aut aliorum inventis quodammodo invidere. Itaque TODIUS in libro, quem edidit anno 1769. *de duplici febrium indole*; non aliunde febrim proxime oriri putat, quam ex sensorio communi, quod aliquo stimuli genere irritetur, irritationemque suam vario modo ad reliquas totius corporis partes transmittat, protendatque. Addit præterea, si stimulus iste naturam ipsam inveniat obsequentem, hoc est, promptam, expeditamque ad agendum, febres nasci *inflammatorias*; sin vero contra stimulus aut præ magnitudine morbi, aut præ languentis naturæ imbecillitate quodammodo infringatur, tum *putridas* tantum gigni: hæcque esse duo summa genera febrium, quæ ipse agnoscit, et probat. Ergo caussa febrium proxima TODIO est irritatio generis nervosi, non in corde, non in minimis vasis, non in membranis, aut nervorum ramulis, sed in ipso cerebri meditullio exorsa, et deinde ad ceteras partes propagata (*a*). Qua in opinione quid commune habeat cum aliis, quid proprium, non puto quemquam fore, qui non facile ex præmissis intelligat.

Quid Todius docuerit?

(*a*) Specim. inaugural. de duplic. febr. indole. Hafniæ 1769. *pag.* 19. & *seq.*

Quid Cullenius.

§. 18. Jam vero ad CULLENIUM venio, qui singularem, novamque suam sententiam anno tantummodo 1777. typis evulgavit (*a*) quamquam aliquot jam ante annis publice suis auditoribus eam prælegere solitus esset, ita ut ANONYMUS quidam, uti suam et propriam, non ita pridem omisso, unde acceperat, auctoris nomine proferre non dubitaverit (*b*). CULLENIUS igitur, et qui eum sequutus est, ANONYMUS vasorum minimorum atoniam nescio quam, succedentemque spasmum sibi confingunt, et pro caussa habent proxima febrium omnium. En quomodo rem CULLENIUS ipse proponit, si tamen ejus mentem (nam subtile quid habet, nec satis planum) recte assequor. Caussæ, inquit, remotæ, a quibus febres quæcunque excitantur, omnes ita in universum nervorum systema, atque adeo in cerebrum ipsum agunt, ut utrorumque potentiæ, vires actionesque diminuantur. Hinc omnes corporis functiones, sed præcipue arteriolarum minimarum motus, sive alterna contractio quo fluida propelluntur, quam maxime langueant, necesse est. Ita vero animalis œconomia constituta, atque ordinata a natura ut languor, sive debilitas istiusmodi quemdam quasi stimulum vasis sanguineis omnibus indirecte inferat. Nam frigore, et spasmo, qui languentem minimorum canalium, et sanguinis per eos fluentis motum subsequitur, cum cordis, tum arteriarum majorum actio sollicitatur, augetur, intenditurque, donec paullatim aucta eo perveniat, ut cerebro, nervisque pristinam vim, facultatemque restituat. Hac autem instaurata fieri non potest, quin minima etiam vascula suas functiones et recuperent, et obeant validius, spasmumque proinde, quo afficiebantur, evincant, et superent. Spasmo sic remoto, sudor undique erumpit cum reliquis signis, quæ edocent, laxatos omnes ductus esse ad quasvis excretiones dicatos (*c*).

(a) First. Lines of the Practic. of Physic for the use of students in the University of Edimburg 1777.

(b) Reflexions on the general Treatment &c. London. *Vid.* Comment. Medic. e filosofic. d'una società di Medici d'Edimburg. Vol. 1. Part. 1. cap. V. Venez. 1775.

(c) *Vid. etiam* Raccolta d'opuscoli scelti sulle scienze, ed arti fatta in Milano Tom. 2. P. VI. p. 417. *ubi* CULLENII *disquisitio in caussam febris proximam italice versa habetur.*

§. 19. His utriusque opinionem adumbrasse sit satis. Quæ contra animadverti possent, lubens, sciensque magna ex parte prætereo. Nolo enim cum viris, qui plurimum auctoritate, et doctrinæ laude apud omnes valent, pluribus verbis decertare. Illud tantum non prætermittam, neminem sanæ mentis esse posse, qui TODIO assentiatur. Nam quis tam hebeti, crassoque ingenio est, ut non videat protinus irritato *communi sensorio*, quemadmodum pro certo ille assumit, mentis ideas, facultatesque omnes ante perturbari, et spasmos, et convulsiones, doloresve excitari debere, quam motus febriles, sicuti jam acute, sapienterque objectavit (a) GORTERIUS? Quis, amabo, unquam credat, cunctas remotas caussas febrium istiusmodi esse, ut continuo cerebrum, sive sensorium commune afficiant, et eo stimulo, qui ceteris partibus, humoribusque parcat, sensorio vero communi vim inferat, æque sint præditæ. Præterea si ita esset, quemadmodum ipse efflagitat, sequeretur procul dubio, ut omnes cujuscunque generis febres, chronicæ, aut acutæ; mites, aut graves; benignæ, aut malignæ; gastricæ, aut venosæ; primariæ, aut secundariæ; intermittentium variæ species, aut continuæ, aut remittentes, quoniam unam eamdemque caussam proximam haberent, uno eodemque pharmaco, cortice videlicet peruviano depel- Todio cur non assentiendum.

lerentur. Quod tamen absurdissimum est. Sed de hac hypothesi plura, ubi peculiariter de febribus intermittentibus disseremus.

(a) L. cit. §. IX.

Discrimen inter utriusque opinionem.

§. 20. Eisdem ferme difficultatibus implicari CULLENIUM, qui mox non perspiciat, arbitror esse neminem. Sed in eo maxime a TODIO discrepat CULLENIUS, quod, etsi cerebrum, nervosumque genus a remotis febrium caussis impeti et ipse velit, contraria tamen omnino effecta ab eisdem contendit. Nam ille vim nerveam irritatione quadam concitari; hic deprimi, obtundique opinatur; unde non levis inter utrumque dimicatio, qua se se mutuo conficiant, oriatur necesse est. Deinde si nerveæ imminutio virtutis talem atoniam in minimis arteriis efficeret, ex qua frigus, spasmi, febris procrearentur; illud etiam certe sequeretur, ut in morbis omnibus paralyticis, in quibus de hujusmodi atonia dubitari nequit, febris multo certius, et frequentius accederet. Cur vero in apoplexia, in hemiplegia, paralysi, saltem in membris resolutis, in quibus vim nerveam languere nemo ignorat, adeo raro febris observatur? Præterea notum est, non omnes febres a frigore incipere. In iis igitur, quæ sine frigore invadunt, deerit caussa primaria, a qua secundum CULLENIUM cordis, arteriarumque actio redintegratur, et febris accenditur. Quænam ergo erit istarum proxima causa? Demum earum ortum explicet velim intermittentium febrium, quarum singulæ accessiones, quod alibi ostendemus, a calore principium ducunt, cum calore invalescunt, et tandem frigore terminantur. In his enim febris symptomata ordine sic inverso se habent, ut cum ejus hypothesi qua ratione conciliari queant, prorsus me lateat.

Quædam contra Cullenii opinionem.

§. 21. Superessent adhuc alia quorumdam Pathologorum deliramenta, in quibus referendis operam, et tempus, si vellem, perdere possem: sed tædet jam hujusmodi occupatione me distineri. Quod præ oculis habebam, id mihi videor consequutus. Ostendere enim fuit animus, nullam constitui caussam proximam posse, quæ omnibus simul febribus, quotquot sunt, cum genere, tum symptomatum multiplicium ratione diversissimis communis revera esset; nec, ut puto, inanis, et cassus labor extitit. Quare cum nulla hujusmodi caussa hactenus inventa sit, nec fortasse inveniri, ut cl. GREGORYUS (*a*) autumat, unquam possit: cumque nulla earum generica definitio, quæ singulas comprehendat, possibilis visa nobis sit: reliquum est, ut in historica tantum descriptione, quæ præcipua febris phænomena oculis subjiciat, consistere debeamus. Apposite GORTERIUS (*b*): *de multis*, inquit, *rebus nihil aliud constat, quam quædam phænomena. Cur ergo his non erimus contenti de febre?*

Nulla caussa proxima febrium in universum assignari potest.

Descriptio febris.

(*a*) Prax. Med. (*b*) L. c.

§. 22. At descriptio, quæ definitionis defectum suppleat, primum brevis sit, oportet; deinde cuncta phænomena, quæ cujuscumque febris communia videntur, complectatur. Quod probe animadvertens SAUVAGESIUS (*a*) febrem dixit esse *syndromen frigoris, successivique caloris cum artuum debilitate, et pulsus vi adaucta, sæpe quo ad frequentiam*. Verum satisne accurate eam descripsit? Plane non satis. Nam 1. eas videtur omittere, quas nullum, ne minimum quidem, frigus antecedit; de quibus supra mentionem feci, faciamque alibi. 2. Calor non semper frigori, quando etiam febres incipiunt, in algida enim TORTII numquam recalescunt ægri, nisi tota accessione,

Descriptio qualis a Sauvagesio data?

Quæ pugnent contra Sauvagesium.

et proinde febre discussa. 3. Pulsus vigor non semper increscit, ne *quo ad* quidem *frequentiam*; quoniam in malignis quibusdam febribus sæpe vires ejus imminuuntur, tantumque abest pulsus a frequentia micatuum, ut vel naturali similis, vel etiam tardior, rariorque (§. 10.) plerumque sit. Sic etiam in principio febrium intermittentium pulsus non solum deprimitur et languet, verum etiam rarior, et tardior fit, quod sæpissime horologii etiam subsidio certum cognovi. Remanet ergo sola artuum debilitas; quæ tamen quam sit aliis morbis communis quisque intelligit.

(a) Nosolog. method. class. 2. Febres, character. *Sauvagesianæ descriptioni persimilis est, quam habet* CULLENIUS: Post horrorem pulsus frequens, calor major, viribus artuum imminutis. Gen. morb. class. 1.

Sellii febris descriptio.

§. 23. Hæc febris descriptio a SAUVAGESIO tradita neque SELLIO, qui post eum suam *Pyretologiam methodicam* conscripsit, omnino placuit. Quapropter aliam ipse condidit, quæ rem aptius, rectiusque exprimeret. Febris igitur ei est *morbus cum frigore, æstu, et pulsu, naturali nunc frequentiori, nunc tardiori, vario gradu, atque tempore stipatus* (a). Subdit autem, nunquam *febris præsentiam* a quopiam in dubium vocatam esse, *si hominem a symptomatibus modo recensitis vidit correptum*. Quod etsi concederem, petere tamen liceret, utrum, ubi hujusmodi symptomata desiderantur, certum æque sit, febrem omnem abesse. Nam sæpe evenit, ut præsentia quædam signa morbum singularem denotent, absentia tamen certo non eum excludant. Dubito etiam, num illa symptomata semper, utque in omni febre præsto sint, numque, ubi adfuerint, non alium morbum etiam significare possint. Quæ supra

(§. 22.) in SAUVAGESIUM animadversiones adductæ sunt, non ita alienæ videntur, ut SELLIO quoque non adversentur. Sed hoc unum addo, sæpe in hysterismis corpus frigere, et subinde calere, et pulsum modo frequentiorem, modo tardiorem naturali esse, et quidem vario gradu, et tempore, quin tamen mulierem tunc febricitare quis jure dixerit. Hinc fortasse, re melius considerata, ipsemet ille, qui hujusmodi febris descriptionem dedit, de phænomenis hisce, quæ primum probaverat, dubitare deinde videtur, ut ex iis, quæ paullo post in eodem loco commentatur, facile eruitur.

(a) Pyretolog. method. p. 83.

24. Multo minus probandum videtur id, quod de febre habet VOGELIUS, ubi ait, eam esse *innati caloris augmentum præternaturale cum oris siccitate et gravitate corporis* (a). Quod ad caloris augmentum attinet, repeti hic possunt ea, quæ (§. 4. et 5.) adversus Galenum allata fuere. *Oris* porro *siccitatem*, et *gravitatem corporis* communem esse aliis morbis, ac in primis hydropi constat; easque sæpe a febri etiam abesse, vel una hectica febris, qua laborantes vix sentiunt aliquam molestiam sic, ut febricitare haud credant, luculentissime demonstrat.

Vegelii data descriptio.

(a) Definit. Gener. morb. cl. 1.

§. 25. Quid demum dicendum erit de iis, alioquin doctissimis viris, qui febrim ita concipiunt, ut *velocior sit pulsus cum aliquarum corporis actionum, vel fere omnium (a) læsione?* An sic satis distinguitur ab affectionibus hypochondriacis, in quibus adeo sæpe *velocior pulsus* cum plurium *actionum læsione* conjunctus occurrit? Quis est, qui nesciat, in præcordiorum organicis vitiis,

Aliæ non minus infirmantur.

præsertim aneurysmatis sæpissime cum respirationis abdominaliumque viscerum læsionibus, imo totius habitus depravatione pulsuum velocitatem, crebritatemque copulari sic, ut pulsus febrilis (*) videatur?

(a) SCHACHTIUS Instit. med. Practic. p. 4. aliique.

(*) *Tanta est in hisce interdum pulsus frequentia, & magnitudo, ut clariss.* COCCHIUS (Bagni di Pisa p. 155. & 156.) *hanc* febrem aneurysmaticam *nominare non dubitaverit.*

Qualis febris descriptio esse debeat.

§. 26. Atque ex paucis his (nolo enim plures de hujusmodi argumento sententias persequi) satis puto intelligi posse, quantum difficultatis habeat brevis, absoluta, et generica febris descriptio, quæ definitionis loco sit. Itaque cum summam febres sive in accessione, sive in augmento, aut inclinatione, decessioneque pro generis, caussarum, symptomatum, et subjectorum ratione varietatem præseferant, quæ paucis verbis apte nequit comprehendi; magni interest ampliorem, diligentioremque febris tradere descriptionem, ut ab symptomatibus, propriisque affectionibus, quæ tamen sensibus et obviæ sint, atque a medicis attendi queant, aliqua absolutior, certiorque ejus notitia habeatur, quo facilius de ea præsente judicium ferri possit.

Quæ considerentur in febre?

§. 27. Medici autem, ubi ejusmodi judicium ferendum est, arteriarum motum explorant in carpis manuum, quandoque etiam in temporum alterutro; calorem cutis, pectoris, ac frontis tentant manibus; urinas inspiciunt; faciei, oculorum, et linguæ colorem, habitumque contemplantur, et totius functiones quo se modo habeant, diligenter disquirunt, atque his, vel horum pluribus a naturæ ordine, et consuetudine aberrantibus, febrim adesse pronunciant.

§. 28. Pulsus vero summopere varius esse solet, nempe vel parvus, debilis, tardus, rarus, contractus, et inæqualis; vel magnus, validus, celer, frequens, amplus, ordinatusque; vel durus, vel mollis, prout febris in initio est, aut in augmento, et statu, vel in remissione, et fine; vel prout differt ipsius febris genus, ingeniumque. Item calor modo æqualiter diffunditur, modo inæqualiter partes occupat; modo exteriora frigent, dum anteriora interim calent, vel uruntur; modo omnia algent; modo frigoris et caloris sensus se subinde excipit; modo calor acerrimus, atque urentissimus, modo mitis est, et ferme naturæ morem æmulatur. Qui pulsus; qui calor.

§. 29. Urinæ quandoque crudæ, aqueæ, quandoque rubræ, flammeæ, et tenues prodeunt, sæpe crassiores, jumentorumque similes, cito perturbabiles, et subsidentes, interdum naturalium instar. Facies quando pallet, quando rubet, quando intumescit; nunc quamplurimum a sanorum specie, nunc quam minimum, aut ne vix quidem discrepare videtur. Oculi vel graves et tristes languent, vel rubent, vel lucem aversantur, aut prominent, vel torvi, et truces, vel lucidi nimis, vel turbidi, et luridi existunt; interdum illacrimant, nitoreque suo orbantur. Urinæ, facies, oculi quales.

§. 30. Lingua plerumque arescit, siti finditur, scabra, et aspera fit, rubet, aut albicat, aut variegato obducitur muco; sed non raro humida et naturalis est, nec ulla sitis vexat. Os amarum ut plurimum, aut alius ejus sapor pravus moleste percipitur. Spiritus frequens, calidus, inæqualis, difficilis trahitur. Sæpe halitus fœtet. Cibi desiderium fere perit; interdum id nausea etiam excipit. Raro appetitus aliquis manet. His Lingua, oris sapor, spiritus, cibi fastidium, atque alia consideranda.

præterea accedunt dorsi, artuum, capitis dolor; virium languor; vigiliæ, aut contra sopor; mentis stupor, aut imbecillitas; delirium; alvi fluxus, vel adstrictio; vomitus; hypochondriorum tensio; tendinum subsultus; macies, aliæque affectiones, quæ aut cum febre ipsa junguntur mox inter initia, aut eidem sensim superveniunt. Antecedunt vero lassitudo spontanea, somnus imminutus, et perturbatus, capitis, et corporis gravitas atque inertia, naturalium, animaliumque læsio functionum, aut grave aliquod in *sex rebus non naturalibus* erratum.

Diagnosis febris. §. 31. Horum (§§. 27. 28. 29. 30.) examine diligenter instituto, facile comperitur, febrisne corpus teneat, aut absit. Non enim pulsus rarus, aut tardus, aut velox, et frequens, non tepor, non urinarum color naturali similis, non sitis absentia, non virium languor, aut integritas medentem in errorem perducent, nisi singulis seorsum acceptis nimium tribuerit. Conjuncta enim, et una concurrentia sint oportet, si aliquid certi significare debent. Signa frequentiora, et magis propria. Sunt tamen quædam, fateor, peculiaria, quæ plerumque, et generatim homo patitur, quem febris invasit. Initio ut plurimum vel cohorrescit, vel riget, vel friget, rarius animi deliquio corripitur, aut in somnum propendet; paullo post calore ingenti, et diutius protracto cum anxietate quadam, atque in primis virium languore, siti, orisque siccitate, capitis dolore (*), aut gravitate, aut æstu, aliisque afficitur molestiis. Quod si ad hæc pulsus frequentia, aut celeritas se adjunxerit, certius, non inficior, erit de febre judicium. Quare non immerito a cl. BUCHANIO (*a*) præcipuæ, et constantiores febris notæ statuuntur *calor excedens*, *pulsus creber*, *appeti*

tus deficiens, *totius corporis debilitas*, *et quædam in obeundis functionibus tam vitalibus*, *quam animalibus difficultas* (**).

(*) *Tanti hoc signum*, *referente* DUPLANILIO, *faciebat Cl.* LE ROY, *ut quando in pulsu non apparebant signa*, *quibus febris esse indicatur*, *ad dolorem capitis se converteret; qui dolor*, *ubi non manifestus est*, *motu aliquo corporis*, *aut capitis imperato*, *facile se se prodit*, & *detegit*. DUPLANIL. in notis ad BUCHAN. l. c. p. 15.

(a) L. c.

(**) *Quamquam febrim in universum rite*, & *plene definiri posse*, *vix licet sperare*, *ut supra indicavimus; attamen a symptomatis* & *effectis descriptio aliqua deprompta non videtur reprobanda*, *cum unica hæc sit ratio*, *qua febris generatim enunciari possit*. *Talis fortasse est hæc:* Totius corporis morbus, plerasque functiones lædens, modo acutus, modo lentus, modo assiduus, modo intermittens, & periodice recurrens, a rebus præter naturam excitatus, ut plurimum cum virium animalium imminutione, pulsu celeri, aut crebro, calorisque naturalis mutatione conjunctus, coctione, aut critica aliqua excretione solvendus, quando primarius est, & in salutem finitur.

§. 32. Patuit, ni fallor, ex superioribus (§§.4. ad 20.) non modo intimam febris naturam, verum etiam caussam ejus proximam obscurissimam esse, vixque divinari a quopiam posse. Si quis tamen conjecturæ locus detur, liceatque aliquid in tanta rerum ambiguitate, suspicantis in modum dicere, ea probabiliter partim in fluidis, partim in solidis nostri corporis partibus, et reciproca earumdem actione quærenda est. Sanguinem enim, reliquosque ab eo derivatos humores ita a naturali statu copia aut cohærentia, aut mixtura, aut qualitate, et acritudine tum spontanea, tum adventitia, desciscere, verisimile est, ut motus cordis, atque arteriarum multiplici ra- De febri natura, et caussis conjecturæ.

tione perturbetur, atque adeo universa circulationis, et ceterarum functionum œconomia. Nec minus rationi consentaneum videtur, omne fibrarum genus cum muscularium, tum nervearum ita affici, ut spasticæ, ac inordinatæ quarumdam partium contractiones, insolitæque affectiones insurgant, quæ non solum priori malo vires addant, verum etiam totum nervorum systema ita percellant, ut hoc prope unum laborare videatur.

Explanatio symptomatum.

§. 33. Hinc (§. 32.) si motus humorum retardatur, aut inæqualis redditur, aut fibræ spasmo contrahuntur, aut nervea sensibilitas irritatur. aut aliter male afficitur; planum, atque expeditum est intelligere horripilationem, horrorem, rigorem, frigus, aut apparentis frigoris, debilitatis, quin etiam caloris sensum, itemque pallorem, livorem, anxietatem, pectoris oppressionem, oscitationem, nauseam, vomitum sine ventriculi sordibus, pulsum tardum, inæqualem, varium, humorum congestiones, stuporem, soporem, sitim, aliaque symptomata, quæ inter initia, vel etiam in progressu, febricitantium adeo communia esse solent. Si vero, *irritabilitate*, et *sensibilitate* incitata, cordis, arteriarumque motus augeatur, et circuitus humorum omnium acceleretur, commodissime inde explicari poterunt pulsuum velocitas, magnitudo, impetus, calor, æstus, rubor faciei, dolor capitis, vigiliæ, paraphrosyne, inflammationes, aliaque aucta circulationis effecta, quæ sæpe febrim comitantur, aut subsequuntur. Nec arduum sane erit ei, qui Pathologiæ generali operam dederit, cujusque alius febrilis symptomatis rationem invenire.

Caussæ remotæ.

§. 34. At manifestiores, etsi pene innumeræ,

videntur caussæ remotæ, in quibus continentur cum *proegumenæ*, tum *procatarcticæ*. Harum autem aliæ ab animo, aliæ a prava corporum constitutione proficiscuntur; aliæ extrinsecus, aliæ intrinsecus adveniunt, febrimque movere possunt. Quæ ab animo procedunt, sunt graviora animæ pathemata, ira, mœror, tristitia, studia immodica, metus, amor, qui ad febres præsertim lentas ciendas solet esse paratissimus, si eum mœror ex negata rei amatæ potestate subsequatur. Turbato enim cerebri, et nervorum statu, pervertitur motus cordis; secretiones, excretionesque omnes, in primis succi gastrici, bilis, lymphæ pancreaticæ, transpirationis imminuuntur, aut depravantur; solidarum partim robur solvitur; digestio, sanguinis crasis, et motus vitiatur, atque via febri aperitur. Ab animo caussæ.

§. 35. Quæ a corpore ipso dimanant, sunt quædam pravæ affectiones tam fluidarum, quam solidarum partium, propter quas ad febrim quidam magis, quidam minus inclinant. Huc spectant ætas, temperamentum, plethora, viscerum labes, passio hypochondriaca, aut hysterica, scorbutus, cacochymia, cachexia, lues venerea, rheumatica diathesis, atque alia his similia. A corpore.

§. 36. Reticendum vero non est, vim caussæ procatarcticæ interdum tantam esse, ut quamlibet optimam valetudinem, firmamque corporis constitutionem illico evertere, atque in adversam commutare possit. Spina digito pedis infixa tantum excitare potest doloris, ut febris oriatur, tum corpus rigescat, et spasmo inducto, aut gangræna succedente, ad interitum perducatur ægrotans. Propinata venena, et venenati halitus, maligni, pestilentes ore inspirati, aut deglutiti, aut Vis caussæ procatarcticæ interdum maxima.

cutis vasculis absorpti sanguinem, lympham, et ceteros latices quoscunque celeriter inficiunt, corrumpuntque; aut villos cordis, arteriarum, aut ventriculi, aliorumque viscerum varie irritant, et contrahunt, aut contra relaxant, et solvunt; aut mox nervorum originem, vimque lædunt, convellunt, aut destruunt, prout nempe fert propria singulorum natura, et potentia.

Exempla caussarum peculiarium.

§. 37. Quam maxime inferendæ febri etiam valent crapula, ebrietas, incontinentia, et venus immoderata; ingesta item, ingenita, aut retenta acria, putrida, corrupta; nimium otium, somnus diutius protractus, violenta exercitia, deambulatio sub sole; mora in hypocausto, aut alio loco præcalido, et subitus in aerem frigidum transitus; habitatio in regione humida, palustri; aer pinguibus, uliginosis, aut aliter noxiis vaporibus refertus; quidquid uno verbo humorum, aut solidarum partium naturalem modum potest subvertere, aut labefactare.

Effectus febris.

§. 38. Verum ad ipsam febrim revertamur. In hac quidem Natura adniti videtur ad caussam, aut materiam morbificam sic permutandam, ut non amplius noceat, extrorsumque per aliquam excretionem feratur. Motu igitur febrili ita ea subigitur, ut vel emendetur, vel expellatur, vel talem subeat mutationem, qua non amplius infensa sit; vel natura nequidquam proficiente, ita deterior evadit, ut obruat, et destruat. Quare febris vel in salutem, vel in alium morbum, imo in mortem ipsam finitur. Si vires vitæ vigeant, nec caussa, sive fomes modum excedat, neu adeo maligna, aut reluctans sit, ut ab iis permutari, subigi, aut expelli nequeat, tunc spes affulget, nullo opus fore medici adjumento. Sin

Febris quot modis finiatur.

Quando artis opus eget.

vero illæ deficiant, aut langueant, aut morbi caussa, sive fomes ejusmodi sit, ut difficillime tolli, aut emendari possit; tunc medentis opera, regimen, et medicamenta illud perficiunt, quod frustra Natura, et vitæ vires molirentur (*).

(*) *Lectu dignissima est Dissertatio* PLANCHONII Le Naturisme, ou la Nature considerée dans les Maladies, & leurs traitement conforme à la doctrine, & à la pratique d'Hippocrate, & de ses sectateurs, *in qua doctissime, quando naturæ res committenda sit, quando arti agere expediat in morbis, definitur, decernitur que.*

§. 39. Vitæ vires vigere, et sufficere reputantur, quando cor, arteriæque tanto motu, et robore pollent, ut caussas resistentes, quas sanguinis copia, acritas, lentor, aut spasmi præbent, exsuperare possint. Tunc valide sanguis per vasa omnia projicitur, atque insignis humorum omnium tum in se ipsos, tum in canales mutuus, et reciprocus attritus consequitur. Hinc calor ubique se se expandit, qui humorum attenuationem, resolutionem, coctionem, permutationemque mirifice adjuvat (*); hinc omnis ab illis labes decedit, aut quidquid impuri, noxiique inest, per excretionem urinæ, sudoris, sputi, vomitus, dejectionum alvi effunditur, febrisque evanescit. Signa vigentis naturæ.

(*) *Calorem magni faciebat* GALENUS, *nec minori in pretio eum habuere multi alii, & nostra ætate in primis* QUÆSNEUS, & LIEUTAUDIUS, *viri sane & doctrina, & artis usu, & fama celeberrimi.*

§. 40. Itaque calor non semper formidandus est, speciatim in febribus coctionem, ut ajunt, purulentam postulantibus, dummodo nimius haud sit, nec plurimum naturæ modum excesserit. Sine ejus auxilio materia, si qua (*) morbum facit, sæpe cruda remanet, nec ullam subit muta- Calor quinam utilis.

tionem, imo ipsa intus restitans vel motus vitales suffocat, vel non satis commota, nec emendata, nec cocta reliquum sanguinis, atque humorum, cum quibus confunditur, penitus inficit, et corrumpit. Calor ergo moderatus, qui a libero humorum circuitu, atque a solutis spasmis dependet, generatim exoptandus est. Eo enim non solum horror, et frigus avertitur, verum etiam coctio, et crisis promovetur.

(*) Frustra interdum quæritur cruditas in aliqua qualitate materiæ morbificæ in sanguine existentis. Recte idcirco Jo. NATHANAEL PEZOLDUS in specimine Pathologico de Prognosi in febribus acutis Lipsiæ an. 1771. *mavult cruditatem in duratione, & vehementia spasmorum plerumque reponendam esse, quam in humoribus solis, putatque, non raro corruptam illam materiam, quæ aliquando excernitur sub specie criseos, & puris naturam refert, effectum potius esse motuum irregularium naturæ, quam caussam eorumdem. Hoc enimvero, si unquam evenit, tum in primis evenire mihi videtur, cum in febribus quibusdam malignis, & putridis urinæ flocculentæ, & hypostasim copiosam habentes minguntur, dum interim morbus crudissimus est, viresque acquirit eundo, malo ægri omine. Quod sæpe incautos decipit, opinantes, coctionis signa illa esse. Hypostasim autem ejusmodi fallacem, & minime bene ominantem nihil aliud esse ego quidem judico, quam sanos humores febri solutos, & attenuatos, invicta, atque integra adhuc vera morbifica caussa.*

§. 41. Interdum vero vires vitæ non modo non deficiunt, nec tantummodo vigent, sed justo majores evadunt, vehementiusque concitantur. Tum nimius motus, attritus, calorque timorem incutiunt, ne universum corpus inflammatione, aut inflammatoria diathesi occupetur, aut *alkalescenti* acrimonia pessundetur. Sunt etiam qui putridam inde metuunt humorum dissolutionem, quod tamen rarum ab hujusmodi caussa sola est. Illud

Vires vitæ nimiæ quid præstent.

Prognostica alia.

autem eo magis timendum, quo intensiori calori supervenerit inexpectata horripilatio, et frigus, in primis exteriorum partium. Cl. SWIETENIUS fere semper lethales (*a*) ait esse illas febres, in quibus calor summus circa vitalia percipitur, dum simul extrema corporis frigent; quod non semel et ipse vidi. Gangrænæ enim, aut sphaceli plerumque imminentis ad interiora id indicium est. Item periculum grave portendunt in febre acuta urinæ tenues, percolatæ, pervigilium, alvus perturbata, mentis emotio, anxietas, et multo magis, si his accesserit extremorum frigus. GALENUS (*b*), præcipuum, et maximum signum mortis sine bona crisi subsecuturæ est, inquit, virium imbecillitas; secundum vero cruditas perfecta: præsertim si præterea morbus sit magnus, et malignus, et celeriter (*) moveatur.

(*a*) In Boerhaav. §. 579.
(*b*) De crisib. l. 3. cap. 10.
(*) *Quoniam supra* (§. 38.) *dictum est, febrem vel in salutem, vel in mortem, vel in alios morbos desinere, non prætermittam quædam ex Hippocraticis oraculis decerpere; atque hic adnotare, quorum ductu, & præsidio Medicus facilius futura prænoscat. Sed primum dicam, quibus morbis superveniens febris remedio sit; nam salutaris interdum, quod alibi jam* (§. 1.) *innuimus, deprehensa est*. Si ebrius, *inquit* HIPPOCRATES, repente obmutuerit, convulsus moritur, nisi febre corripiatur, aut ubi ad horam pervenerit, qua solvuntur crapulæ, vocem recuperet. Aph. sect. V. 5. Qui a distentione, aut rigore nervorum tenetur, febre superveniente liberatur. Sect. IV. 57. Quicunque sani dolore capitis repente capiuntur, & statim muti fiunt, & stertunt, in septem diebus pereunt, nisi febris apprehenderit. Sect. VI. 51. Quibus hepar circumcirca dolet, his febris superveniens dolorem solvit. Sect. VII. 52. Sed dolor sine inflammatione *esse debet*; sect. VI. 40. *Id sæpe in colica icterica a calculis felleis verum depre-*

hendi. *Item* volvulum *ex urinæ stillicidio obortum*, sect. VI. 44. Coac. 475. lippitudinem, corporis impotentiam *ex vulnere*, *coac.* 222. 477. siderationem, *coac.* 479. *febris accedens sanat*. *Nunc aliquid addam de variis febrium judicationibus*. Febres mitissimæ, & securissimæ die 4. aut ante desinunt; maxime vero malignæ, & gravissimæ die 4. vel prius interficiunt. Prænot. 122. Primus febrium insultus ad dies 4, secundus ad 7, tertius ad 11, quartus ad 14, quintus ad 17, sextus ad 20. dies excurrit. Prænot. 122. Quibus per febres sexta die rigores fiunt, difficulter judicantur. Sect. IV. aph. 29. Febricitare incipientibus sanguinis stillationes cum sternutatione accedentes, & quod in urina desidet album, quarto die visum, septimo solutionem adfore denunciant. Coac. 149. Urina in febre album, & læve depositum habens sedimentum, celerem liberationem denunciat; celerem quoque, quæ diluta indiscretam quandam habet pinguedinem. *Coac.* 575. Quæ aliquantulum rubet, subrubrum habet sedimentum, & leve, siquidem ante diem septimum appareat; septimo die solutionem fore designat; post septimum autem, tardiorem, aut plane diuturnam. *Coac.* 575. Quæ quarto die subrubram nubeculam capit, septimo die liberat, dum reliqua pro ratione habeant. *Ibid.* Febricitantium non omnino leviter, permanere corpus, & nihil minui: vel etiam plus quam ratio postulat, contabescere, malum. Illud enim morbi longitudinem, hoc vero ægri imbecillitatem significat. *Aph.* 28. sect. 2. In febribus abscessus, qui ad primas judicationes (*idest evacuationes*) non solvuntur, morbi longitudinem significant. *Aph.* 51. *sect. IV.* Sudores febricitantium extra dies criticos orti, laborem significant, & morbi longitudinem, & recidivas. *Aph.* 56. *sect. IV.* Febricitanti sudor superveniens, febre non remittente malum. Prolongatur enim morbus, & copiosiorem humiditatem indicat. *Aph.* 56. *sect. IV.* Quibus febricitantibus in urinis subsidentiæ fiunt crassiori farinæ similes, longam infirmitatem significant. *Aph.* 31. *sect. VII.* *Longitudinem quoque febrium indicant* dolores ex glandularum tumoribus, judicationis cessationes, *origo ex* doloribus vehementibus, *quod habemus ex* Coac. 37. 75.

Quod attinet deinde ad notas salutares, consuli possunt aphorismi 26. *sect. II.* 43. *sect. IV.* 62. *sect. VII.* 36. *sect. IV.* 69. *sect. IV.* Qui ex morbo superfuturi sunt, facile spirant, dolore vacant, noctu dormiunt, aliaque securissima signa habent. *Prænot.* 126. Quibus in febre die 7. aut 9. aut 11. aut 14. morbus regius supervenit, bonum est: nisi dextrum hypochondrium durum sit, alioqui non bonum. *Aphor.* 64. *sect. IV.* Quibus ex febre aures obsurduerint, his sanguis e naribus effluens, aut alvus exturbata, morbum solvit. *Aph.* 60. *sect. IV. Periculum vero significat in sequentibus:* Dejectiones nigræ, qualis sanguis niger, sponte prodeuntes, *malæ. Aph.* 21. *sect. IV.* In febribus circa ventrem æstus vehemens, & oris ventriculi dolor, malum. *Aph.* 65. *sect. IV.* In febribus ex somnis pavores, aut convulsiones, malum. *Aphorism.* 67. *sect. IV.* In febribus spiritus offendens (*id est intercisus*) malum; convulsionem enim significat. *Aph.* 68. *sect.* 4. *Videantur etiam* Prædict. 1. 56. 74. *Coac.* 31. 2. 30. 34. 42. 44. 55. 78. 145. 242.

Perniciem, & mortem ex his, quæ modo adducam, conjicere possumus. Si a febre detento, tumore in faucibus non existente, suffocatio ex improviso superveniat, lethale. *Aph.* 34. *sect. IV.* Si a febre detento, collum derepente inversum fuerit, & vix deglutire possit, tumore non existente, lethale. *Aph.* 35. *sect. IV.* 58. *sect. VII. Coac.* 277. Ubi livores in febre fiunt, prope adfore mors significatur. *Coac.* 66. Febrium initio si atra bilis sursum, aut deorsum prodeat, lethale est. *Coac.* 68. Quibus per febres assiduas pustulæ toto corpore enascuntur, lethale est, nisi quid purulentum abscedat. In his vero præcipue adnasci ad aures tubercula solent. *Coac.* 114. Vocis defectiones in febre, quæ convulsionis speciem præseferunt, & in mentis emotionem cum silentio desinunt, perniciem ostentant. *Coac.* 248. *Recidivarum multa indicia sunt, sed hæc præcipua.* Febricitanti, nisi in diebus imparibus dimiserit febris, reverti solet. *Aph.* 61. *sect. IV. Coac.* 80. Quibus febres cessant neque apparentibus solutionis signis, neque diebus judicatoriis, iis recidiva expectanda est. *Prænot.* 138. *Coac.* 146. *Signa abscessus superventuri vid. in* Coac. 143. Prænot. 139. *Coac.*

422. 141. Aphor. 31. IV. *Convulsionis* in Prænot. 1. 115. *Doloris capitis* Aphor. 70. sect. IV. *Doloris ad coxas* Coac. 297. *DiarrhϾ* Aph. 73. IV. Coac. 291. Aph. 27. IV. Coac. 153. 142. *Dysentheriæ* Coac. 124. *Erysipelatis in facie* Coac. 200. *Hemorrhagiæ* Coac. 168. 149. 142. 155. Prædict. 1. 142. Coac. 298. *Phrenitidis* Coac. 79. 95. 228. *Vomitus* Coac. 142 &c.

ræcepta, quibus Naturæ motus regendi, aut incitandi sunt.

§. 42. Curandum igitur est, ut motus febrilis nec nimis excedat, nec justo citius languescat, aut deficiat. Si moderatus fuerit, sinendus; si immodicus, compescendus; si torpeat, aut intempestive defervescat, incitandus est, prout vitæ viribus, et morbi statui expedire magis videbitur. In hoc febris moderamine totus fere clinicorum nervus consistit, quem nemo satis noverit, nisi qui attente, et pluries naturæ motus salubres, ac insalubres observarit: illis enim Natura sæpe utitur, ut a pluribus se morbis liberet. Hanc ergo Medicus imitari debet vel quiescendo, ubi ipsa per se sufficit, vel febrim leniter excitando, ubi motus languent, proritandique sunt. Tumorum quorumdam indoles, et suppurationis doctrina moderatam inflammationem, adeoque febrim sæpe utilem ostendit, requiritque. Id etiam in vulneribus, in abscessibus, aliisque similibus morbis non raro necessarium est. Sed multo luculentius id usui erit in morbis lentis, et diuturnis, in quibus, quia morbida materies iners est, et lentescit, aut hæret, concitatiores sanguinis motus sive ab interna caussa, sive ab externa orti adeo salubriter cedunt.

Quid caussæ procatarcticæ postulent?

Quando purgandum.

§. 43. Ante omnia ad caussas manifestas, et procatarcticas respicere oportet. Pro harum enim varietate vel vomitus prolici, vel alvus duci, vel sudor promoveri, vel aliqua alia evacuatio, ubi natura desit, tentari debet. Sed hæc ita Medicus moliatur, et præstet, ut virium ægri, tempo-

ris, malignitatis, morbi denique ipsius debita ratio habeatur. His autem cacochyliæ primarum viarum, et cacochymiæ totius habitus providentissime occurritur. Si vero plethora caussam febri dare videatur, ea protinus solvenda est sanguinis missione.

Sanguinis missio ubi conveniat.

§. 44. Contra, ubi pulsus celer, aut tardus, et simul debilis est, aut parvus, aut humilis, et depressus, viresque etiam animales languent, tunc excitandus est jusculis, medicamentisque analepticis, et cardiacis, quandoque vel calidioribus; uti vino, quod non raro magno usui est. Sin vero æstus cum pulsu vehementiore extorreat, ut ob nimium sanguinis motum metuendum sit, ne viscera infarciantur, aut minima vasa disrumpantur; venæ sectione huic infortunio egregie prospicitur. Interest tamen scire, pulsum interdum obscurum, parvum, depressumque videri, talemque esse a nimia vasorum plenitudine vim cordis, ac arteriarum elidente, aut a spastica fibrarum affectione, quæ, maxime inter initia, fere numquam deesse solet. Quando id incidit, atque ætas, temperamentum, habitus corporis, vitæ genus anteactum copiam boni sanguinis præmonstrant; non modo tutissime tunc sanguis detrahitur, pulsu nequidquam reclamante, sed etiam ejus detractio vim cordis, et pulsuum erigit, et spasmos relaxat. Quantitas vero mittendi sanguinis ex ætate, temperamento, et plethoræ signis æstimanda est.

Ex pulsu quænam indicentur?

§. 45. Interdum largius eum mitti oportet, ac si caussæ, et symptomatum vis, et continuatio postulet, etiam iterum, iterumque. Rectius generatim initio detrahitur, dummodo non id fiat in ipso accessionis exordio: nec in ipso frigoris

Compescentia et sedantia.

tempore; nam tum plena res esset periculi: quamquam non desint hodie qui audeant (quid enim non audendum hodie?) illo etiam tempore sanguinem profundere. Quod si aut neglectum id fuerit in initiis, aut malum progressu invalescat, aut quod primum non licuit, deinde et liceat, et indicetur, in summo etiam vigore, quo alias quiescere ex HIPPOCRATIS consilio expedit, opportunum est facere.

Cautelæ circa sanguinis missionem.

§. 46. Huc quoque respiciunt ea omnia, quæ ad nimium febris impetum refrenandum, cum de inflammatione supra (*a*) ageretur, commendavimus. Nec prætermittenda omnino sunt medicamenta, quæ anodyna vocantur, et quæ opium etiam habent. His enim et nimia sensibilitas nervorum minuitur, et spasmi (*) solvuntur, et perspiratio (**) provocatur. Absint vero ab his cuncta, quæ calefaciunt, aut quæ vulgo adjici opio solent, ut narcosim emendent, aut antevertant.

Quædam de Opio.

At vasa prius depleri, et sordes, si quæ sunt, e primis viis deturbari debent, quam ad isthæc remedia deveniatur. Adhibenda vero sunt refracta, ut ajunt, dosi, et partitis vicibus, ne motus febriles, sæpe necessarii, ante tempus supprimantur, aut nervea vis, aut irritabilitas plus justo (***) infirmetur. Cavere autem oportet ab hujusmodi auxiliis in quavis cephalitidis, sive cerebri inflammationis suspicione non tantum metu eam augendi, sed ne sensibus obstupefactis, morbus clam quasi serpens arma, quibus oppugnari deberet, uti supervacanea e manu medici prope dejiciat, aut eum negligentiorem, securioremque, quam decet, faciat.

(*a*) De inflamm. Commentariolum n. 68. 69. 70.

(*) *Tartaro emetico uti ad vomitum ciendum, novum non est; at eum parciori manu, & per epi-*

crasim, quod vocant, adhibere ad spasmos sedandos, diaphoresimque movendam, quemadmodum hodie, ab Anglis potissimum, video proponi, novum quidem est. Tempori igitur relinquatur dijudicandum, jure ne, an perperam id celeberrimi quidam scriptores extollant. Quod ad diaphoresim attinet, nulla quidem lis, aut controversia incidere potest. Blanda enim stimulandi, attenuandique virtute, qua pollet epicratica tartari emetici exhibitio, ita augetur vis circulationis, & ita solvuntur humores, ut facile per cutim excretio consequatur. Spasmos vero hujusmodi remedio etiam sedari, si caussa eos excitans primis viis insit, eaque aut vomitione, aut dejectione auferatur, non repugnat rationi. Ceterum non ita facile stimulo stimulum adjungerem. Sunt etiam alii, qui has exiguas, partitasque Tartari emetici exhibitiones eumdem in finem commendant quidem, sed cum opio præcipiunt permisceri remedium, ut ejus acritas, irritandique facultas, consopito per opium sensu, refringatur. Quod fortasse tutius est. Sed quibusnam fides major debeatur, iterata pericula declarabunt.

(**) Nonnulli etiam ad spasmum vasorum capillarium tollendum, perspirationemque adjuvandam præcipiunt, laterculos coctos in aquam calentem demissos, deinde linteo raro, & tenui involutos pedibus, & brachiis admovendos esse (Comment. Med. e Filof. d'una Compagnia de' Med. d' Edimb. Vol. I. P. 1. cap. V.). *An id præstantius fomentis humidis, quibus in Italia utimur? De hoc quoque judicium esto tempori.*

(***) Non me latet, opium vim irritabilem cordis prius excitare, quam nerveam sensibilitatem consopiat. Id enim tot factis periculis demonstratum est, ut ne dubitare quidem nobis liceat. Attamen nihil eo ad spasmos sedandos efficacius usus detexit. Sensu enim imminuto, stimuli, acritatesque enervantur; idest, frustra partes, quæ obtusiore sensu sunt, irritant. Fortasse etiam cor ipsum, nervis ad cor tendentibus minus sensibilibus redditis, aliquid suæ irritabilitatis deperdit.

§. 47. Acrimoniæ, et lentoris varia genera suis

Acrimonia varia, et sanguinis lentor qui tollendus?

se notis produnt, quemadmodum ex Pathologia, et Semeiotica generali compertum esse debet. Pro diversa autem utriusque indole peculiaria quoque medicamenta deligenda sunt, quæ scilicet singulari acritudini, et lentori adversentur. Generatim conveniunt diluentia aquosa, leniter resolventia, attenuantia, aperientia, sed temperatiora; quibus optimum est acida tam e vegetabilibus, quam e fossilibus deprompta admiscere, in primis si æstus moderandus est, aut antevertenda proclivitas ad putrescendum. Constat enim, et refrigerare mirifice, et antiseptica esse; sive id præstent nervorum sensibilitatem obtundendo, et fibrarum irritabilitatem coercendo, sive sales alkalinos volatiles invertendo, et saturando, sive igneum elementum, aut si mavis, phlogiston arripiendo, sibique associando, sive fibras, et humores densando, sive omnibus hisce modis, non valde laboro.

Quomodo symptomatis prospici debeat?

§. 48. Symptomatibus quoque prudenter, atque opportune occurrendum est, ita tamen, ut solum gravia, et urgentia mitigentur, aut tollantur, non vero ea, quæ a febris peculiari natura sejungi nec possunt, nec debent, et quæ salubres Naturæ motus esse consueverunt. Quæ autem singulis curatio convenientior sit, tradam deinceps, ubi speciatim de quovis febrium genere verba fient. Sed multa, quæ hic locum habere possunt, jam in *Commentariolo de inflammatione* pertractavimus. Interim monebo etiam, alvo adstrictæ enemata tutissime adhiberi, dolori capitis cucurbitulas, hirudines, balnea pedum; soporosis affectibus epispastica, et cantharides, ut vesicam excitent, occipiti, brachiis, aut cruribus admotas, castoreum (*), spiritum cornu cervi, liquorem ejusdem *succinatum*, succini salem vo-

latilem; delirio fere eadem, et in primis camphoram; et convulsionibus inter cetera Moschum opitulari. Sed non sine delectu, et rerum omnium, et caussarum consideratione his temere, et promiscue utendum est. Qua in re nemo delinquet, qui remediorum facultates ex Materiæ Medicæ scriptoribus, et recte iis utendi rationem ex Therapeuticæ prius, ut oportet, apprime didicerit. Reliqua, quæ ex pathologia particulari potius pendent, aliunde petenda sunt.

(*) *Anonymus quidam Anglus omnino rejicit castoreum, crocum, valerianam, contravervamque in cujusque febris curatione. Solam camphoram admittit, ut præsentissimum delirii ferocis, quod febribus interdum supervenit, remedium.* Comment. Med. e Filosof. d'una Compagnia de' Med. d'Edimb. Vol. I. P. 1. cap. V. *Sed neque semper illa noxia sunt, neque hæc semper optato effectu potitur.*

§. 49. Verum si materia morbum faciens nec potuit ex toto emendari, aut inverti, nec expelli e corpore; tunc retenta vel alicubi per metastasim deponitur, ibique defigitur, unde nova sæpe febris facies, majusque vitæ periculum enascitur, quod in exanthematicis frequentissimum est; vel occasionem morbis chronicis diversi generis præbet. Cauto igitur opus est, ne motus febrilis ante omnino desinat, quam morbi fomes sit penitus ablatus, aut ejectus; imo si febris intempestive et præmature se se remiserit, iterum aut febris, si fieri possit, revocanda est, ut ejus actione corpus ab omni noxio humore liberetur; vel lenibus evacuationibus subinde procuratis, et recta diætæ ratione diu servata mala, quæ ab imperfecta febris solutione impenderent, provide arceantur.

Retenta morbifica materia, quæ præstet, et quid tum faciendum.

§. 50. Pauca hæc de febris natura, et curatio-

Haenii utilis observatio. ne in universum. Quæ vero cujusque febrium generis propria sunt, tradentur uberiori sermone suis locis. Antequam tamen huic capiti finem imponam, tironibus perutile me facturum existimo, si quæ cl. HAENIUS *generali* quadam *animadversione in Recentium Scriptorum medendi methodum* breviter, atque apposite complexus est, hic repetantur, utpote ad evitandos errores quam maxime accommodata. *Inchoant*, inquit, *continuantque curam venæsectione perquam numerosa: iterato exhibent vomitoria: quotidie hi, illi die saltem alterno, corpora purgant: sic autem, ut apozematibus suis, quo humores efficacius movere, solidaque stimulare potentius possent, aliquod Tartari emetici perpetuo jungant, donec demum prætensa sua criticorum pulsuum signa insurgant. Praxin hanc ex Chiraciana schola natam, ac dein Gallias, finitimasque regiones veluti illuvie facta inundantem, in utroque tractatu et de pulsibus, et de crisibus* (*), *innumeris confirmatam, laudatamque testimoniis esse deprehendimus. Hos autem Practicos rogatos volo primo, utrum pulsuum, quas deprehendunt, mutationes, serio credant ordinatos naturæ motus, an vero sæpe non convincantur eas cuncta perturbanti methodo tribui, adscribique oportere? Nos saltem sæpe ab errore aut medici, aut ægri, aut adstantium pulsuum genus mutationis omne experti fuimus. Secundo, ex præpostera sua medicandi ratione Naturæ opera turbantes, ac confundentes, jure merito credant se Hippocraticam scholam falsi taxare, errorisque adeo enormis; in qua schola ipsa observationum Hippocraticarum veritas negatur, quando Medicus naturam* (a) (**) *perturbaverit?*

(*) *Doctrinam hic de pulsibus criticis, & organicis a* BORDEVIO, FOUQUETIO, MICHELIO, *aliisque inductam, & propugnatam mordicus, intelligit.*

(a) Rat. med. P. XII. cap. IV. p. 207.

(**) *Nemo unus Hippocratis oraculis magis se addixit, quam* Haenius, *si Italos clinicos exceperis. Hi enim, in Bononiensi in primis, Florentina, & Romana schola enutriti, atque instituti, nihil sibi antiquius esse putant, quam naturam contemplari, ejus motus cognoscere, salubribus obsequi, noxiis occurrere, deficientibus opem ferre; uno verbo Naturæ se ministros, non dominos gerere. Hinc plerique medendi ratione simplicissima utuntur, caventque a nimia medicamentorum copia, aut farragine, non quod* materiam medicam, *ut a quibusdam inique insimulantur, ignorent, nam cum simplicia, tum composita, eorumque facultates norunt & ipsi, sed quod nolint naturam morborum medicatricem perturbare, & probe sciant, plurima medicamenta, quæ a quibusdam transalpinis mirifice extolluntur, plerumque periclitantium votis minime respondere. Fabulis, & prodigiis, quæ passim narrantur, non facile credunt, a* Redio, & Vallisnierio *viris sane sapientissimis, & prudentissimis admoniti, & cum de remediorum viribus periculum faciendum est, tantam circumspectionem diligentiamque adhibent, ut nullum errori, aut præjudicatæ opinioni locum relinquant. Quare sæpe aliorum periclitationibus decepti, suam propriam experientiam consulunt, & plerumque, licet inviti, ad pristinam medendi simplicitatem, qua summopere Natura delectari consuevit, redire coguntur. Id in primis animadvertant Tirones, ne credulitatis nimiæ eos tandem pœniteat.* Monita saluberrima.



DE FEBRIUM DIVISIONE, ET DIFFERENTIIS.

§. 51. Cum non modo frequentissimum (§. 2.), sed multiplex etiam morbi genus sint febres; in id, quanta maxima potuerunt cura, omnium ætatum Medici incubuerunt, ut singularum diversam rationem, et differentias cognoscerent, et distincte adnotarent. Quo factum est, ut brevi tempore febrium numerus tantus iis visus sit, quantus a nemine satis describi, ordinarique posset, nisi in summa quædam genera, sive classes, atque in peculiares quoque, distinctasque species tribuerentur. At singulas singulorum divisiones sectari, hominis profecto esset ab omnigena eruditione paratissimi, otioque, quo maxime egeo, præ primis abundantis. Dabo tamen operam, ut unusquisque illico perspiciat, quid hac in re tam veterum, quam nuperorum sollertia effecerit, quidque de cujusque laboribus nobis videatur.

Prima divisio, ejusque vitia.

§. 52. Itaque communior, generaliorque febrium divisio, quam plerique probarunt, vel a periculo, et celeritate, vel ab origine, vel a numero eorum qui eodem in loco, eodemque tempore laborant, vel a pravo ingenio, maloque more ducta est. Hinc distingui solent in *acutas*, et *chronicas*, in *essentiales*, sive *primarias*, et *secundarias*, sive *symptomaticas*; in *epidemicas*, *stationarias*, *endemicas*, *et sporadicas*, in *malignas*, et *benignas*; et, si malignitas paullo gravior fuerit, pestisque quasi perniciem æmuletur,

in *pestilentes*. Verum, quoniam ejusmodi divisio reliquis prorsus morbis etiam convenit, nec propria febrium ipsarum est, nequaquam ad eas sive discernendas, sive ordinandas videtur accommodata. Præterea celeritas, tarditas, malignitas, benignitas, gravitas, aut epidemica, stationaria, endemica, sporadica natura, et constitutio non genus quoddam morbi peculiare, sed generis ipsius modum, affectionem, et specialem veluti differentiam potius designant. Nam *acutum* (*), et *chronicum* tam late patet, ut quamplurima morborum genera complectatur, natura, qualitate, symptomatum ratione, exitus diversitate omnino distincta. *Maligni* vero, aut *benigni* adjunctum nomen, aut *epidemici*, aut *stationarii*, aut *endemici*, aut *sporadici*, itemque *primarii*, aut *secundarii* addita conditio, aut si qua alia est denominationis similitudo, genera ipsa non mutat, neque ex se constituit, sed rectius generis indicat majorem, vel minorem pravitatem, vel ejusdem frequentiam, vel raritatem, dominium, sedem, originem, et sic porro.

(*) Quotidie non modo ignarum vulgus, verum etiam Medicos ipsos audio hujusmodi nomine abuti. Quam primum febrem continuam aliquanto graviorem vident, mox hominem febre acuta laborare proclamant, quasi genus aliquod peculiare febris, aut singularis species ea esset a reliquis prorsus diversa, ac differens; ut diversa est exempli caussa ephemera ab hectica, a tertiana, a quartana, pleuritis ab angina, angina ab apoplexia, apoplexia ab hydrope, & sic deinceps. Sed nihil profecto dicunt, quod non commune sit plerisque cum febribus, quæ graves exsistunt, & celeriter, & cum vitæ periculo suum curriculum absolvunt. Nam id nominis commune plurimis morbis est, etiam febris expertibus, & collectivum potius videtur; & quando febribus accommodatur, non unam singularem febrem, sed omnes, quæ celeriter decurrunt, & vitæ periculum

afferunt, *complectitur*. *Hinc febris acuta* & Synochos putres *veterum*, & Gastricas Ballonii, & Lentas nervosas *Anglorum*, & Tritæophyas, & *malignas, pestilentesque quascunque*, *imo interdum* ephemeras *ipsas*, *atque intermittentes*, *quando* perniciosæ *sunt*, *aliasque bene multas*, *de quibus alibi sermo erit*, *reapse comprehendit*. *Commodissima autem denominatio facit*, *ut in ea Medici plerumque consistant*, *neque quidquam aliud quærant*, *quod ad intimam*, & *peculiarem febris indolem*, *naturamque definiendam pertineat*. *At istudne æque commodum ægrotantibus? An Medicinæ præceptis consentaneum?*

§. 53. Et reapse ephemera, Synochus, tertiana febris, quotidiana, quartana genere eædem sunt semper, sive benignitatem, sive malignitatem præseferant, sive epidemice, sive endemice, sive sporadice vagentur; non secus ac dysenteria, pleuritis, catarrhus, quæ mala idem morbi genus, et nomen servant, quocumque modo se habeant, benigna sint, aut maligna, epidemica, aut sporadica, brevia, aut diuturna. Ab his enim qualitatum, et circumstantiarum discriminibus differentiæ quidem aliquæ permanant, non genera. Quid vero benignum, malignum, epidemicum, stationarium, endemicum, sporadicum, significent, in Pathologia explanatum satis esse arbitramur. De malignitate vero (*) non una est apud omnes cogitatio, et sententia. Apud plerosque hodie *malignæ febres* habentur illæ, quæ insidiose, subdole, et sub specie benignitatis clanculum aggrediuntur, vires illico sine manifesta caussa prosternunt, nervorum in primis, et cordis actionem lædunt, et symptomata insolita, repugnantia, atque a morbi simplicis, et puri indole non parum aliena secum trahunt: Exempli caussa in summa virium tam vitalium, quam animalium defectione, repentina, atque inopinata, et pulsu parum febrili, aut naturali proximo existente sæ-

Quid malignæ febris nomine veniat?

pe ingens sitis, interiorque caloris sensus exurit; vel contra nulla sitis tenet, lingua interim sicca, atque arida; vel vires languent citra caussam evidentem, vigiliæ urgent, aut insolita quædam inquietudo, et jactatio ægrum exagitat, quæ cum exigua ad pulsum febre, et leviori ad speciem morbo minime consentiunt, et sic porro (**). Addunt nonnulli, malignitatem contagione propagari; quod tamen perpetuum non est. Sunt etiam qui malignas cum putridis febribus confundunt, aut ex putridis peculiare genus conficiunt. Verum differt malignum a putrido, et quemadmodum malignitas febrium quarumcunque comes esse potest, sic putredo.

Contagiosa febris, et putrida?

(*) *Universa fere schola Monspessulana, ut auctor est* Cl. le Roy (Melang. de Physique & Medecin. pag. 232.) *febres omnes acutas, quo nomine classis continuarum gravium, & celerum comprehenditur, dividit in* benignas, & malignas. *Benignæ sine periculosis symptomatibus incedere, malignæ contra, nimirum vehementes, & valde periculosæ, ibi passim dicuntur. Hæ tamen, quia vere malignæ dici nequeunt, ideoque a vere malignis quodammodo distingui debent,* malignæ ratione symptomatum *a plerisque appellantur. Ceterum malignitate eo, quem supra posui, sensu accepta, nulla est propemodum febris, quæ maligna interdum esse non possit. Maligna ephemera, maligna synochus, maligna quotidiana, tertiana, quartana tam intermittens, quam continua, maligna gastrica &c. non raro est; malignus quilibet alius morbus ut pleuritis, morbilli, variolæ, erysipelas, phlegmone &c. Malignitas enim, ut jam ostensum est, speciem, non genus constituit. In hac ipsa opinione, utpote vero innixa, versatur etiam* Clar. Haenius (Ration. Medend. continuat. T. I. cap. 2.), *quamquam fortasse malignitatis vocabulum deinde* (ibid. cap. 3.) *paullo latius, quam oportet, extendere videatur.*

(**) *Sunt igitur quædam quasi propria, ex quibus malignæ febres, morbique maligni dignoscuntur. In*

primis subita, atque inexpectata illa virium dejectio, & symptomata, quam in affectu simili esse soleant, longe graviora animadversionem merentur. Vires autem prosterni in malignis morbis non modo animales, verum præ ceteris vitales dictæ, solent; quas imbecillas esse universi corporis languor, facilis, & frequens lipothymia, pulsus mox vel a principio valde debilis, vel cito languens, vel etiam cita, inopinataque mortis accedens imago patefaciunt. Opportune huc referri possunt quæ in hanc rem habet HAMILTONIUS: Non desunt, *inquit*, qui febres solummodo pestilentes, petechialesque opinantur malignis adnumerandas. Censeo tamen & alias, specie diversas, malignarum classi debere referri. Primo, quascunque febres vel contactu, halituve, vel quavis alia contagione tralatitias: deinde & istiusmodi febres, quas statim ab initio dolor vehemens, & alicui parti affixus comitatur, videlicet capiti, aut intestinorum, renumque regioni, aut etiam artubus, pariter ac si ægrotus cephalalgia, vel dolore colico, aut nephritico, vel podagra, aut rheumatismo, vel etiam doloribus parturientis, tamquam originali morbo laborasset; cum tamen istiusmodi symptomata haud iis cessura sint remediis, quæ, ubi morbi ita nominati primarii sunt, valere solent. *(Id Auctor in miliari febre sæpe vidit; ego vero & in miliari maligna, & in variolis pessimi moris, aliisque perniciosis morbis non semel observavi.)* Porro & in quibus spiritus animales subito opprimuntur, & deficiunt; & ubi prædicta symptomata a nulla caussa evidenti, sed a veneno latente pendere videntur: ab antiquis occultæ qualitatis, a Neotericis vaporum nomine designato. Vel demum, ubi ex caussa, ut videtur, non absimili, spem salutis subitanea mors excipit. Quæ omnia .... malignitatem ostendunt &c. De Prax. Regul. & Febr. miliar. pag. 46. Hæc *autem in universum de Malignitatis notis. Speciatim vero, ut ex* SENNERTO, RIVERIO, SYLVIO, *aliisque videre est, signa malignarum febrium, quarum diagnosis plurimum interest, sunt hujusmodi: Levis* horror *præcedit, cui* calor *succedit, raro magnus, sæpius mitior.* Urinæ *ab urinis sanorum parum, vel nihil ut plurimum differunt. Pul-*

sus frequens *quidem, sed* parvus *simul,* & debilis, & *multimodis* inæqualis, *quandoque* intermittens, *aut* deficiens *est, interdum etiam rarior,* & *sano similis. Sæpius* somnus, *aut* veternus, *rarius* vigiliæ *occupant.* Turbulenta insomnia *crebro, corporis* inquies, cardialgia, nausea, *quin* vomitus *frequenter excruciant, ut* & capitis dolor, *interdum* delirium, *aut* vertigo, *sitis major quam* corporis & faucium ardor *postulat.* Membra delassata *quasi,* & fracta *sentiuntur.* Biliosi, fœtidique *alvi* fluxus *accedunt.* Sanguis e naribus, *aut utero* stillat, *vel ubertim* erumpit *subinde.* Sanguis solutus *apparet,* & *plerumque* concrescere *nescius.* Maculæ *ad cutim, vel* vesiculæ *efflorescunt multiformes; nec desunt* tremores, subsultusque *tendinum,* & convulsivi motus, *itemque* tumores *plerumque glandularum, extremorum* frigus, & calor *sibi succedens;* sudores *vel nimii, sæpe symptomatici, atque inutiles, vel interdum etiam omnino absunt.* Cl. Swietenius (in Boerhaav. §. 950.) *paucis febrium malignarum notas recenset, vires nempe illico prostratas, calorem mitiorem, sæpe frigus extremorum, anxietatem magnam, pulsum celerrimum, debilem maxime inæqualem sub digitis Medici interdum quasi evanescentem, sitim plerumque nullam. Nec absimilia a supra memoratis sunt signa malignarum febrium a* Scardona (De Febrib. cap. 1. §. 6.) *tradita, videlicet ab initio imbecillitas,* & *dejectio virium; languor universi corporis cum pulsu debili, parvo,* & *quasi deficiente; calor ad tactum mitis; urina sanorum similis,* & *fallacissima quædam species benignæ febris, quæ cum ægrotantes, tum medicos ipsos non semel deludit; progressu morbi intensus calor, interior potius, quam exterior, parva sitis, anxietates, vigiliæ, deliria, convulsiones, lethargi; in augmento* & *statu corpus immobile, cutis maculis varii coloris fœdata, profusi sudores, diarrhææ, hæmorrhagiæ* &c. Cl. le Roy, *etsi aliam de febrium malignitate opinionem, ut monuimus, habere videatur, tamen fateri cogitur, malignarum febrium complura esse symptomata, sed modo hæc, modo illa ex iis occurrere, imo sæpe inter initia hujusmodi febres sic latitare, ut ægre discerni possint: frequen-*

tiora tamen & certiora esse insolitam, & subitam virium dejectionem, pulsum vere debilem, qui scilicet compressioni non renititur, atque inæqualem; nauseam, vomitum pertinacem, fluxum alvi serosum, biliosum, fluidissimum. His addi posse etiam faciem tumidam, surditatem ab initio, & soporosos affectus (Melang. cit. pag. 169. & 170.). *Ex caussa communi eas fieri* epidemicas *cum plerisque existimat, ex singulari* sporadicas, & privatas. *Veneni nomine hujusmodi caussam donari. Contagiosas modo esse, modo non contagiosas. Si epidemice grassantur, plurimosque enecant, & bubones, aut carbunculos, gangrænasque afferunt; gradu tunc atrociores, pesti quodammodo similes,* pestilentium *nomen assumere; quarum summus gradus pestis habetur, quamquam hodie vera Pestis e febrium classe excludi solet. Quibusdam* pestilens, & maligna *febris una eademque est; sed commode gradu distingui possunt. Atque hæc uberius fortasse, quam locus exigeret, de febrium malignarum diagnosi dicta videbuntur; sed eo consilio id factum est, ut quoties earum mentio in posterum fiet: fiet autem sæpenumero; quid malignitatis, & febrium malignarum nomine intelligendum sit, quisque continuo perspiciat.*

Divisiones aliæ ineptæ.

§. 54. Neque rectius dispescuntur febres in ophthalmicas, anginosas, phreniticas, peripneumonicas, pleuriticas, arthriticas, aliasque a singularium partium inflammationibus oriundas. Nam, quia morbus primarius non est febris, sed ipsa inflammatio, ideo perperam febribus singulares hi, peculiaresque morbi adnumerantur; quod jam veteres medici probe animadverterant, cum hujusmodi mala ophthalmias, anginas, pleuritides, peripneumonias, arthritides, et sic porro appellare satius duxerint. Quod si SYDENHAMIO interdum placuit quasdam febres nominare pleuriticas, peripneumonicas, dysentericasque; scire omnino licet, eum hisce vocibus alia significatione, quam sumi soleant, usum fuisse. Pleuri-

tide enim, aut Peripneumonia, aut Dysenteria epidemice grassantibus cum sæpe cerneret, febres subinde intercurrere, aut subsequi, quæ eamdem prorsus curationem postulabant, quam Pleuritis, aut Peripneumonia, aut Dysenteria, etsi nec pleuritis, nec peripneumonia, nec dysenteria eas comitaretur, aut gigneret, eas pleuriticas, peripneumonicas, dysentericas, ut peculiarem earum indolem significaret, quoniam communis, et stationarii morbi participes erant, vocandas censuit.

§. 55. Nec probandus quoque est mos ille majorum, quorumdamque nostræ ætatis Medicorum, qui febrium genera, et numerum ex peculiari aliquo symptomate, quod in iis manifestius se exserit, auxerunt. Quis enim non videat, symptoma quidem aliquod insignius gradum variare, aut varietate facere, non vero febrem, nec genus, nec interdum speciem ipsam constituere? E generum ergo, et specierum numero expungenda videtur *Ephiala* Hippocratis (*a*), in qua frigus cum perpetuo rigore obtinet, itemque Galeni (*b*), in qua ægri simul et calere, et frigere sibi videntur, licet exteriores partes caloris gradum, Haenio observante (*c*), naturali majorem exhibeant. Quo ex symptomate etiam *horrificæ* hujusmodi febres dicuntur. Exulet quoque *Lipyria*, in qua extrema, atque exteriora algent, interiora vero uruntur; *Assodes*, quam nausea summa, et perpetua corporis jactatio distinguit; *Typhodes*, quæ cum ingenti æstu, et stupore conjungitur; *Causus*, sive *Febris ardens* (*), in qua calor intolerabilis, et sitis inexplebilis hominem angit; *Elodes*, sive *sudorifera*, quod perpetuis sudoribus ea detentus diffluit, dicta; *Fricodes*, in qua medium æstum subitum frigus intercipit; *Lyngodes*, id est *singultuosa*, a singultu nomen habens, aliæque similes (**).

E febrium generibus expungendæ, quæ a symptomatibus appellantur.

(*a*) Epid. VI. pag. 1127. edit. Foesii.

(*b*) De Febr. different. cap. V.

(*c*) Rat. Medend. P. II. pag. 165.

(*) Causi, *sive* ardentis febris *meminit* HIPPOCRATES (lib. 3. epid. sect. 3. Hist. I.) *si* CL. LE ROY *judicio standum est, uti vehementioris cujusdam febris gradus, non uti peculiaris alicujus febris, genere distinctæ. Generatim enim hac voce usus esse videtur, ut febres acutissimas, mortiferasque significaret. Paullatim vero factum est, ut* ardentes *demum a plerisque vocarentur, quas* summus ardensque calor, & sitis inextinguibilis *comitatur*. (Memoir. 2. sur les Fievres aigues pag. 232. & seq.). *Quare monet idem* LE ROY, *Prognostica* HIPPOCRATIS *ad febres ardentes spectantia universim de quacumque febre acuta intelligenda esse, non de peculiari specie, quam ipse nec posuerat, nec indicaverat.*

(**) *De his procul dubio, nec injuria, loquitur* CL. QUARINIUS, *ubi ait:* plurimæ apud Auctores sunt febrium divisiones, sed FREINDIUS asserit, symptomata sæpius pro ipsis morbis curari, adeoque plures, quam natura fecit, morbos confingi a quibusdam. Et TISSOTIUS notat enormem febrium catalogum Medicinæ progressibus obstare, nullatenus vero morborum numerum augere. De medend. Febrib. cap. I. pag. 4.

Divisio in exanthematicas reprobatur.

§. 56. Vitio non absimili laborat alia febrium divisio, qua in *exanthematicas* a quibusdam partiuntur, qua partitione febribus perperam accensentur morbi, qui minime ad eas pertinent, aut febrium symptomata, et accidentia pro tot febrium generibus accipiuntur; quo fit, ut febrium numerus præter naturæ modum immodice increscat. Nam exanthemata vel primaria, sive, ut vocant, essentialia sunt, vel secundaria. Primi generis universim habentur variolæ, morbilli, purpura scarlatina, urticata, interdum miliaris, et peticulæ, et plerumque erysipelas, aliique morbi exanthematici, quos febris modo antecedit tantum, modo etiam comitatur, modo nec antece-

dit, nec comitatur, imo quandoque, exanthematis facta eruptione, febris, si qua antecesserat, prorsus deserit, et nihilo tamen minus exanthema, sive morbus primarius permanet, et, prout ejus fert natura, pergit ad suum terminum decurrere. Istiusmodi morbi, etsi plerumque febriles, a Clinicis prudentioribus, Nosologisque peritioribus e febrium classe excluduntur, et quidem jure optimo. Ad secundaria vero exanthemata quod attinet, hæc, meo quidem judicio, distingui debent in critica, in symptomatica, atque in epigenomena, prout nimirum morbum, cui superveniunt, vel levant, et solvunt, vel nec levant, nec solvunt, aut deteriorem reddunt, vel cum priore morbo, cui accedunt, uti novum malum superveniens complicantur; nempe quando exempli caussa variolæ, aut morbilli, aut miliaria puerperio, aut febri cuicunque se se immiscent. Primaria iterum nec critica, nec symptomatica proprie dici possunt, sed rectius benigna, regularia, vel maligna, atque anomala appellanda sunt; cum critica esse, vel symptomatica secundariis tantummodo (*) conveniat. Itaque si primaria exanthemata a febrium generibus secernenda sunt, quanto magis ab iis aberunt secundaria, uti peticulæ, et miliaria, quæ febrium accidentia sunt? Notum enim est, peticulas, miliaria, aliaque exanthemata quibuscumque febribus tam continuis, aut remittentibus, quam intermissionem habentibus cujusque typi interdum supervenire, earumque gradus, complicationes, aut differentias quasdam facere, quin genus ipsum febris quidquam mutetur. Ideoque cum singulis fere febribus communia esse possint, non genus aliquod peculiare, et multo minus classem ullam, quæ ex variis generibus notam fixam, et stabilem communem habentibus

constitui solet, unquam efficient. Exanthemata autem, cum instabilia, ac incerta sint, et modo adesse, modo abesse possint, notam hujusmodi communem, qua in classem febres coalescant, præbere nequeunt. Alias unum idemque genus ad utramque classem spectaret.

(*) *Si ad hujusmodi distinctiones ab ipsius naturæ sinu petitas animum advertissent Medici Vindobonenses, nec* criticum, & symptomaticum *in alium, quam decet, sensum adhibuissent, nulla inter ipsos de exanthematis, an nempe critica, aut symptomatica, cum febribus superveniunt, dici debeant, disceptatio, ceterum interminabilis, exorta esset.*

Nec Hippocratis arridet divisio.

§. 57. Neque pro peculiaribus febrium generibus aut speciebus habendæ illæ sunt, quas Hippocrates (*a*) vocavit *mordaces*, in quibus nimirum calor manum tangentis quodammodo mordet, et pungit; aut *mites*, in quibus calor mitior est, et non ita mordax, nec ita acer. Neminem quippe fugit, varium caloris gradum varietatem solummodo facere; quantitatis enim diversa ratio, ut convenit inter omnes, per se nec genus, nec speciem mutat, nec facit. Idem dicendum arbitror de iis, quæ apud eumdem Medicinæ parentem dicuntur *increscentes*, *acutæ*, *ardentes*, *rubicundæ valde*, *præpallidæ*, *lividæ etc.* Ut enim tres priores gradum intensionis, et magnitudinis dumtaxat enuntiant, sic posteriores coloris varietatem unice exprimunt. Nemo autem a magnitudine, aut intensione, a coloris variatione sua genera, si de febribus sermo sit, duxerit, confeceritque.

(*a*) Epid. l. VI.

Differentiæ Galenicæ.

§. 58. Galenus *essentiales* febrium differentias a *subjecto*, quod vocant, caloris morbidi, unde febres oriri putabat, deducendas existimavit. Quod

vero eas deinde non a calore, in quo præter naturam aucto *essentiam* febris (§. 4.) posuerat, petere voluerit, vitio sane ei vertitur a nonnullis. Verum ipse, postquam juxta HIPPOCRATIS mentem differentias a calore ductas recensuit, videtur satis bene se purgare hisce verbis: *Differentiæ vero caloris, et ex eo quod majoris, minorisque rationem admittat, sumuntur, et ab ipsa materia, in qua calor ille præter naturam existit, et ab ipso movendi (a) modo.* Et statim in sequenti textu subdit: *Quæ vero differentiæ a materia sumuntur, in qua calor ille præter naturam consistit, maxime propriæ caloris præter naturam differentiæ sunt: sive corpus ipsum cordis prehenderit, sive humores conditos in ipsius ventriculis.* Quare omnes, quotquot ejus vestigiis institerunt, universam febrium multitudinem diviserunt in *Ephemeras*, *Hecticas* et *Humorales*, priores a spiritibus (*), alteras a solidis partibus præter naturam incalescentibus, postremas ab humoribus putrescentibus derivantes. Ideo has etiam *putridas* generatim nominarunt. In his porro calorem a putredine humores non quidem universos, sed ex parte tantum corrumpente proficisci credebant. Perfectam enim, atque absolutam putredinem nec in fluidis, nec in solidis partibus existere posse, vita superstite, probe noverant.

(a) De Differ. febr. l. 1. cap. I. tex. 4.

(*) GALENUS (De dif. feb. l. 2. cap. 9.) *ephemeras fieri a sanguine nec putrescente, nec* putrefacto, *sed* tantummodo calefacto *docuit; ab hoc vero* calefieri spiritus, *& sic ephemeram gigni.*

§. 59. Cumque in *humoralibus* febribus varia caloris *subjecta*, nempe totidem, quot humores agnoscere cogerentur: alias, atque alias pro *subjectorum* putrescentium diversitate earum divisiones instituerunt. Hinc a sanguine putrescente *Sy-* Differentia a peculiari humore putrescente, quænam?

nocham sive *Synochum*; a bile *Tertianam* intermittentem, continuam, et *Causum*; a pituita salsa, acida, et vitrea *Epialam*; ab insipida, *Quotidianam* tam continuam, quam intermittentem; a melancholia *Quartanam*, et *Tetartophyam*; a bile, et pituita simul mixtis *Hemitritæum*, sive *Semitertianam* oriri asserebant (*). Verum facile cuiquam rem perpendenti constabit, putredinem, ipsis etiam fatentibus, tantam in ejusmodi febribus non esse, quæ calorem febrilem excitare possit; utpote qui interdum tantus plane est, ut ab ea nullo derivari modo queat, deinde hypotheticum, fictitiumque videri, spiritus modo, modo totum habitum excalescere; vel hunc, vel illum humorem peculiarem putrescere, atque adeo hoc, vel illud febris genus putrescendo movere; demum nullam intercedere connexionis rationem inter pituitam v. gr., et Quotidianam, inter melancholiam, et Quartanam etc., quando etiam quatuor illos humores, quales Galenici in sanguine, et corpore animali confinxerunt, existere revera concederemus. Præterea, cur, quæso, una eademque febris intermittens multiplici adeo ratione variatur, ut modo quotidiana in tertianam, mox in quartanam; modo tertiana, aut quartana in quotidianam vertatur, et sæpissime ejusmodi vices subeat, si unus cuique febris generi tantum humor dicaretur? Quem porro humorem Quintanis, Sextanis, Septanis, Octanis, Nonanis, aliisque longiora intervalla habentibus assignabunt? Num eas, ut objectionem effugiant, cum GALENO in dubium revocare audebunt? At obstant innumera Auctorum fide dignissimorum testimonia; obstat perspicacissimi, atque in rebus dijudicandis viri longe celeberrimi, MORGAGNII nostri auctoritas, uti infra (§. 64.) patebit.

(*) *Antiquam esse opinionem, ait* GALENUS (De

differ. febr. l. 1. cap. V.), omnem febrem consistere ex humorum putredine, *& in ea versari eos*, qui *ab* Athenæo fluxerunt, *non obscuros quidem viros* in hac arte. *Sed ipse ibi excipit* Diarias, sive Ephemeras.

§. 60. Quas ob res dimissis hujusmodi febrium divisionibus, et differentiis, præteritisque aliis bene multis (*), quæ licet a probatissimis Scriptoribus proferantur, non tamen pluris, quam superiores, æstimandæ nobis videntur, ad eas continuo transeo, quæ mihi probantur. Probantur autem divisiones, quæ e naturæ ipsius quasi sinu promuntur, et certis quibusdam notis, quæ primo statim aspectu observanti se offerunt, sensibusque nostris subjectæ sunt, adhærent (**). Si enim ex symptomatum observatione peti debeant, quemadmodum nonnulli volunt, non nisi morbo jam provecto, atque adulto innotescent, quia sæpe symptomata, unde desumendæ sunt, inter initia non protinus exseruntur. Ac primum quidem compertum est, omnes, quotquot existunt, febres vel toto sui cursus tempore continenter durare, vel aliquod subinde spatium relinquere a febre vacuum. Priores a CORNELIO CELSO *assiduæ*, a nostris *continuæ*; posteriores *intermittentes* appellantur. Prima ergo, et generalissima omnium febrium partitio erit in *continuas*, atque *intermittentes* (***).

(*) *Scriptor Anonymus in Tractatu* de curatione generali febrium, *dividit febres in* inflammatorias, intermittentes, *&* nervosas. *Sed deinde rejectis* inflammatoriis, *ut symptomaticis, retinet tantummodo reliqua duo genera*, intermittentium *videlicet*, *&* nervosarum; *sub quorum primo comprehendit etiam* remittentes. *At* remittentes *veræ & primariæ non recte sub genere intermittentium, quantum equidem judicare possum, comprehenduntur, quia, ut jure animadversum est a* GORTERIO (Compend. Med. Tract. 52.) *& natura, & caussa, & curationis mo-*

do ab intermittentibus omnino differunt; quod infra patebit. Nervosarum quoque genus ita late extendit, ut nulla per ipsum sit febris non intermittens, quæ nervosa *non habeatur. Qua in re quantum a vero discedat, quisque intelliget ex iis, quæ deinceps dicentur; nisi velit omnes febres nervosas esse, quia nervi in ipsis afficiuntur: sed tunc etiam* intermittentes *nervosis erunt adnumerandæ. Præterea idem Anonymus excludit* continentes *omnes, quod minime ab aliis conceditur, nec reapse concedi potest, ut suo loco ostendetur.* Comm. Med. e Filosof. d'Edimb. Tom. I. P. 1. cap. 1. ed. Ven. *Video etiam a quibusdam dividi febres in* intermittentes, *in* inflammatorias, *in* putridas, *atque in ex his* compositas. *Verum complures sunt febres, quæ neque intermittunt, neque* inflammatoriæ, *neque* putridæ *vere sunt, saltem eo sensu, quo hodie hujusmodi voces accipiuntur. Quo igitur loco eas disponendas judicabunt?*

(**) *Non desunt, qui divisiones febrium ab earum* essentia, *aut a* caussis *deducunt. Sed* essentia *febrium, & caussa efficiens non una est omnibus, variatque, prout variant theoretica systemata medicorum. Cum igitur hypothesim sapiant hujusmodi divisiones, incertis omnino, & dubiis innituntur fundamentis, multisque erroribus occasionem suppeditant.* Todius *etiam, vir alioquin doctus, atque illustris* (Specim. inaugural. de duplic. febr. indole. Hafniæ 1769. p. 19. & seq.) *laudat divisionem a caussis, atque a curandi ratione ductam, quam Britanni plerique, ut* Gregorius, Homius, Wytthius, Huxamius, Fordycius, Broschesbyus, Pringlius, *aliique amplexi sunt. At caussæ in primis internæ, quas hic intelligunt, vel penitus latent, vel obscuræ, & dubiæ, aut hypotheticæ, ut dicebam, plerumque sunt. Si unquam tamen sciri possunt, quod interdum evenit, externis facem præferentibus, hæ potius generum, & specierum differentias efficient, quam summa divisionum capita; & sic dirigendæ curationi opportuna erit earum cognitio. Nec nuperrima febrium divisio, quam dedit* Johannes Veisz *in* Tentamine inaugurali Pyretologiæ practicæ, Viennæ 1780. *edito, in* inflammatoriam, biliosam, pituitosam, variolosam, morbillosam, intermittentem &c. *magis*

arridet ; quia nimis hypothetica est, adeoque fallax, utpote magnam partem a caussis desumpta. Accedit, quod variolæ, morbili, aliique morbi exanthematici febriles febrium numero perperam adscribuntur.

(***) *Olim febres intermittentes ab anni temporibus dividebant in* vernales, *&* *in* autumnales, *id quod fecerunt post* SYDENHAMIUM *plerique alii, & faciunt adhuc. Hodie vero etiam* continuæ *ratione anni temporum, quibus infestant, dividi passim solent in* vernales, æstivas, autumnales, *atque* hyemales, *sive* hibernas; *non quidem, ut ego arbitror, quod illæ ipsæ, quæ sunt Ephemeræ, aut Synochi, aut Gastricæ, aut Tritæophyæ in una anni tempestate, in alia aliam naturam adquirant, &* essentialiter *discriminentur, (sunt enim semper eædem) sed quod exiguas subeant varietates cum ob caussas manifestas, unde gigni videntur, tum ob modum, & rationem, qua solvuntur. Hinc cuilibet generi adjicitur epithetum denotans tempus anni, quo ab aliis ejusdem generis, sed temporis diversi distinguantur. Sic* PRINGLIUS, *exempli caussa,* febrem *quamdam, quam a caussa* biliosam *appellavit, a tempore vocat* remittentem æstivam, *aut* autumnalem, *quæ nimirum æstate, aut autumno infestat, & corripit, & sic deinceps. Observatum reapse est, eas febres, quæ verno tempore ingruunt, plerumque, at nequaquam semper, cum diathesi sanguinis inflammatoria conjungi; quæ æstivo, cum bile depravata copulari, aut ab eadem proficisci, & magis ad putridam naturam vergere; quæ vero autumno, tam a flava, quam ab atra bile foveri; hiemales demum catarrhalium, & rheumaticarum indolem potius, frequentiusque assumere. Quam ob caussam* GRANTIUS (Recherch. sur les fievr.) *vernales* inflammatorias, *æstivas* biliosas, *autumnales* atrabilares, *hiemales* pituitosas esse *universim putat. Verum divisio hæc a quaternis, fictitiisque veterum humoribus capta nec tuta est, nec falsi expers. Adde, hiemales a* PRINGLIO *non* pituitosas, *sed* inflammatorias, *sanguineasque habitas, curatasque fuisse.*

Differentiæ rationi magis consonæ.

§. 61. Cum vero continuarum motus in qui-

Continuæ dividuntur in continentes, remittentes, et compositas.

busdam æquabilis sit, et pene uniformis, in aliis dispar, et modo invalescens, et modo certis intervallis subsidens, sic ut aliæ uno fere circuitu contineri, et toto sui cursus tempore eumdem ferme motus tenorem observare videantur; aliæ vero, etsi nullam intermissionem habeant, statis tamen quibusdam temporibus se se remittant, et iterum ingravescant; quasi ex pluribus circuitibus plane distinctis (*) constarent: sequitur natura ipsa præmonstrante, ut continuæ febres perspicuitatis caussa subdividi adhuc debeant in *continuas simplices*, sive unius circuitus, et remittentes, sive ex pluribus circuitibus nulla intermissione discretis coalescentes, aut *compositas*. Illæ peculiari nomine *Continentes* (**), item *Conclusæ* a nostris, a Græcis *Synochi* vocari solent; hæ *Remittentes*, aut *Synecheæ*.

(*) GALENUS (de Differ. Febr. l. 2. cap. 2.) Continuarum vero, *inquit*, quæ ex flava bile consistunt, duplex genus est: unum quidem earum, quæ Synochi, id est continentes appellantur, quarum omne tempus una accessio est ab initio usque ad finem. Alterum earum, quæ nomine generis continuæ dicuntur, & multis particularibus circuitionibus continentur.

(**) *Continentium uniformitas hujusmodi tamen est, ut pro vario decursus tempore ipsæ vicissitudinibus, quibus reliqui acuti morbi subjiciuntur, non careant. Initio enim mitius affligunt, progressu ingravescunt, deinde eodem ferme in gradu persistunt, demum inclinant, & defervescunt, donec sensim desinant. Interdum alio incedendi modo circuitum suum absolvunt. Nam aut in eodem ferme gradu permanent, aut semper increscunt, aut post primum impetum in dies remittunt, donec ad finem perveniant; quod in primis veteres tum usuvenire memoriæ prodiderunt, quando breviores sunt. Quocunque autem modo processerint, una ferme accessione eas contineri perhibent; quamquam non desint Medici percelebres, inter quos* CULLENIUS (Gener. Morb. cl. 1.

ord. 1. sect. 1.) & ANONYMUS *Anglus* (Comm. Medic. e Filos. d' una Comp. de' Med. d' Edimb. Tom. I. Part. I. cap. V.) & BRENDELIUS (De feb. partic. §. V.), *aliique, qui febres* continentes *existere negant. Nos vero cum* GALENO *eas non modo ponimus, verum etiam propugnamus. Qua vero ratione hujusmodi vox accipi debeat, & quæ continuitas his tribui possit, dicemus tum, cum speciatim de hac febrium parte agendum erit.*

§. 62. Accessiones autem, circuitusque, ex quibus constant *Remittentes*, vel statis, et certis quibusdam horis, diebusve redeunt, vel vagis, inordinatisque. Si primum, *continuæ periodicæ*, et prout singulis, vel alternis, vel quartis diebus exacerbantur, *quotidianæ*, *tertianæ*, aut *quartanæ continuæ* dicuntur: si alterum, *erraticæ*. Hoc ipso nomine *periodicarum*, aut *erraticarum* donantur *Intermittentes* etiam, prout ordinatis accessionibus, aut vagis, et sine ullo typo, aut ordine suas vices obeunt. Hinc (§§. 60. 61.) sponte veluti sua profluunt illæ tres principes differentiæ febrium, *Continentium* videlicet, *Remittentium*, et *Intermittentium*, quas veteres non modo, sed posteriores (*) etiam propria experientia jam cognovere. De singulis autem generibus et speciebus, quæ ad quamque earum pertinent, accuratius, distinctiusque agam deinceps suis locis. His tribus quartam differentiam adjungi æquum est, quæ *Compositas*, sive, ut alii nominant, *Proportionatas*, sive *Complexas*, aut *Complicatas* comprehendit. Frequens observatio est Clinicorum, febres quasdam persæpe occurrere, quæ ex continuis, et intermittentibus, aut ex continuis simplicibus, et remittentibus multifariam conjunctis, et confusis coalescunt. Has igitur cum earum præcipuis differentiis quarto loco exponemus.

Remittentium differentia genera.

Differentiæ Intermittentium.

(*) *In posterioribus non ultimum obtinent locum* Jensenius, Haenius, Sauvagesius, Linnæus, Vogelius, *aliique non pauci ex nostratibus*.

Ordo quo febres omnes explicabuntur.

§. 63. Sic in quatuor omnino partes commodissime ab ipsa natura diducitur universa febrium cohors. Quoniam vero ordinis ratio, quo res pertractantur, plurimum habet utilitatis, et sæpe etiam discentibus adjumento est, exordiar primum ab *Intermittentibus*, deinde ad *Continentes* descendam; ab his ad *Remittentes* progrediar, et demum *Compositas* persequar, ut totam febrium tractationem absolvam. Hunc enim ordinem tironibus commodiorem esse censeo, præstantioremque alio quocunque, utpote qui a simplicioribus, notioribusque febrium generibus ad magis composita, aut obscuriora, aut minus perspecta gradum facit, et manu veluti ducit. Profecto si quis attente considerarit seorsum unumquamque intermittentis febris accessionem, et multo manifestiora ejus tempora, initii, augmenti, et remissionis, imaginem brevissimæ, et simplicissimæ febris omnibus numeris absolutam sibi comparabit. Deinde si mentem converterit ad febres *continentes*, quæ pariter una accessione, continentur, videbit inter utramque summam affinitatem incessus, et progressionis, hoc solo discrimine, quod in continentibus accessionis tempora, nempe initium, augmentum, et remissio non ad horas aliquot, sed ad dies plures, hebdomadasque producuntur, neque febris, cum semel finem attigerit, redit per vices, ut intermittens. His animadversis, si sibi fingat, intermittentium accessiones sibi ipsis appropinquari, et conjungi, expeditissimum ei erit in *Remittentium* notitiam penetrare. Nec valde laborabit, ut quæ ex tribus illis generibus fiant complicationes, intelligat.

PARS PRIMA.

DE FEBRIBUS

INTERMITTENTIBUS.

§. 65. Febris quando ita accedit, deceditque, ut inter unam, alteramque accessionem vera, et perfecta integritas relinquatur, tunc intermittentis, ut supra dictum (§. 60.) est, nomen adipiscitur. Varia autem sunt genera intermittentium, a vario typo, sive ordine accessionum, integritatisque profecta. Si enim quotidie accessiones fiant, sibique et tempore, et gradu, et duratione respondeant, *Quotidianam*; si alternis diebus solum, *Tertianam*; si quarto quoque die, *Quartanam* efficiunt. Hæc præcipua, et frequentiora earum genera peculiarem postulant animadversionem, sic ut de singulis seorsum agere oporteat. Non desiderantur tamen apud Medicos exempla *Quintanæ*, *Sextanæ*, *Septanæ*, *Octanæ*, *Nonanæ*, et longioribus etiam intervallis discretarum, quamquam Galenus (*a*) præter *Quintanam* et quidem obscuram, nullam aliam viderit unquam, et Werlhofius (*b*), et Senacius (*c*) propendere videantur ad opinandum, eas vel erraticas febres esse, vel ad tertianas, et quartanas, quarum accessio aliqua deficiat, atque intermittatur, modo anticipantes, modo posticipantes referendas esse; ex eo fortasse quod eorum hypotheticæ typorum explicationi non viderint, qua ratione accommodari posset (*). Sed, ut recte animadvertit Morgagnius (*d*) febres *longiora intervalla* habentes, quoniam sæpe Quartanis succedunt, non ideo *pro Quartanis habendæ* sunt, quarum longiora reddita sint *intervalla*, *nisi Quartanas pariter*, *cum*

Varia genera Intermittentium.

succedunt tertianis, *pro Tertianis*, *quarum tardiores facti sint reditus*. contra ac jam constitutum est, *habere velimus*.

(*a*) De diff. febr. l. 1. cap. V. sub fine.
(*b*) Observat. de febrib. sect. VI. §. IV.
(*c*) De recondit. febr. intermitt. & remitt. natura lib. 1. cap. 1.
(*) Galenus *fictitias fortasse habuit* sextanas, septanas, octanas, nonanas &c. *quod nullus ei humor superesset, cujus putredini earum originem tribueret*. Werlhofius *vero desperabat, se earum periodos explicare posse ex aliqua earum hypothesium, quas ipse memorat, & potissimum ex æstu aeris interni, & externi, æstui maris non absimili, quem ad explicandas aliarum periodicas reversiones commodiorem, probabilioremque reputaverat*. Senacius *denique ideo de iis ambigebat, quia eas nunquam viderat, quasi necesse sit, unum hominem cuncta, quæ paucis videre contingit, vidisse*.
(*d*) De sed. & caus. morb. epist. 49. n. 56.

Quintanæ, sextanæ, septanæ, etc.

§. 65. Ne tamen quis sibi persuadeat, me hic plus auctoritate, et probabili argumento pugnare, quam factis, et experientia, quæ una in hac quæstione consulenda est, non omittam in rei confirmationem testimonia producere clinicorum, quibus, ut opinor, sic evincam, ut nullus locus de hujusmodi febribus dubitandi sit reliquus. Quod dum præstare aggredior, si copiosiora, et plura, quam soleo, videar monumenta conquirere, nolim id affectatæ cujusdam eruditioni studio, a quo vehementer abhorreo, sed rei ipsius dignitati tribuatur. Itaque *Quintanam*, *Septanam*, et *Nonanam* Hippocrates (*a*) memoravit. *Quintanæ* etiam Tulpius (*b*) in chirurgi cujusdam filia octodecim mensibus distinctissimo, et numquam intermisso circuitu perdurantis mentionem facit; eamdem multoties vidit Avicenna (*c*), aliquando etiam Gemma (*d*), Werlhofius (*e*), Swie-

TENIUS (*f*), FORESTUS (*g*), TISSOTIUS (*h*), SACHSIUS (*i*), PANAROLUS (*k*), MARCELLUS DONATUS (*l*), JO. ARCULANUS (*m*), aliique (*n*). *Sextanæ*, et *octanæ* exempla referuntur in *Ephemeridibus Naturæ curiosorum* (*o*). *Sextanam*, etsi rarissimam omnium, ut a se visam, et totam per hiemem ordinatos circuitus habentem describit ZEVIANIUS (*p*), et ante eum GENTILIS testatur a se quoque observatam (*q*). *Septanam* non modo HIPPOCRATES (*r*), verum etiam THOMAS A VEIGA (*s*), SPONIUS (*t*), RHODIUS (*u*), BOERHAAVIUS (*x*), MORGAGNIUS (*y*), WERLHOFIUS (*z*), TISSOTIUS (*aa**) commemorant. *Octana* crebrius occurrit, eamque observarunt SIM. SCHULTZIUS (*aa*), diuturnam, atque exquisitam in Judæo AMATUS LUSITANUS (*bb*), PETR. SALIUS DIVERSUS (*cc*), BALLONIUS (*dd*), ETTMULLERUS (*ee*), PAULINIUS (*ff*), POMP. CAIMUS (*gg*), CAPRILIUS (*hh*), SPONIUS (*ii*), NICRISOLIUS (*kk*), SALMUTHUS (*ll*), WERLHOFIUS (*mm*), RIEDLINIUS (*nn*), HAENIUS (*oo*), TISSOTIUS (*pp*), HAGENDORNIUS (*qq*), RAZOUX (*rr*), atque alii complures. *Nonana* post HIPPOCRATEM non prætervisa est a ZACUTO LUSITANO (*ss*), a WERLHOFIO (*tt*), atque ab AVICENNA, qui tamen de ea meminit ex fide amici cujusdam (*uu*). *Decimanam* biennium durantem refert idem ZAC. LUSITANUS (*xx*), et GILB. ANGLICUS (*yy*). *Quindecimanam* GENTILIS, teste NICOLAO FIORENTINO (*zz*), RHASES (*aaa*), BALLONIUS (*bbb*) NIGRISOLIUS (*ccc*), et quod mirum est, ipse WERLHOFIUS tam *Quatuordecimam*, quam *Quindecimanam* propria observatione confirmat (*ddd*). Nec de his dubium ullum cuiquam superesse potest, utrum certa, et constanti periodo vere tales se se ostenderint.

(*a*) Epid. l. 1. sect. 3. text. 2. (*b*) Observ. medic. lib. 3. cap. 52. (*c*) Can. lib. 4. Fen. 1. tract. 2. c. 67. (*d*) Cosmocrit. lib. 1. cap. 1. (*e*) De febrib. sect. VI.

§. IV. (*f*) Comm. in Boerh. §. 746. (*g*) Obs. & curat. med. l. 3. observ. 43. (*h*) Avis au Peupl. T. 1. chap. XVIII. §. 251. edit. Lausan. 1766. (*i*) Nov. Act. Nat. Curios. T. 1. observat. 98. p. 388. (*k*) Observat. med. Pent. 2. observat. 45. (*l*) De med. hist. mirab. l. 3. cap. 14. p. 191. & seq. (*m*) Comment. in Avicen. textu suprac. (*n*) Ephem. N. C. Cent. 1. p. 196. & Append. Cent. VII. pag. 308. (*o*) Cent. VIII. observ. 10. (*p*) Nuovo Font. da cavar pronostic. P. I. pag. 27. (*q*) Comment. ad Text. Avicen. suprallegat. (*r*) l. c. (*s*) Comment. in cap. 4. l. 2. De diff. febr. Galeni. (*t*) Observ. de febr. qu. 9. (*u*) Cent. 1. Observ. observ. 18. (*x*) Swieten teste in comment. l. cit. (*y*) De sed. & causs. morb. epist. 49. num. 36. (*z*) l. cit. (*aa**) l. cit. (*aa*) Apud Bonet Med. septentr. Tom. 2. l. 5. p. 194. & Miscell. N. C. ann. 4. & 5. p. 58. (*bb*) Cent. VII. curat. 75. (*cc*) Annot. in lib. Donat. Ant. ab Altomare de med. human. corp. malis cap. 12. (*dd*) Epid. & Ephem. lib. 2. constit. vern. & æstiv. ann. 1576. §. XIV. (*ee*) Oper. omn. T. 2. P. I. Colleg. Practic. prax. spec. l. 1. sect. 15. c. 2. p. 255. *cui eam videre contigit quovis die veneris redeuntem*. (*ff*) Ephem. N. C. Dec. 2. Ann. 5. append. pag. 39. observat. 64. (*gg*) Rhod. observat. citat. (*hh*) De febr. putrid. l. 2. (*ii*) l. c. (*kk*) Ad Sponium not. 3. (*ll*) Cent. 3. observat. 13. (*mm*) l. c. (*nn*) Lin. med. an. 4. Dec. obs. 18. (*oo*) Divis. Febr. divis. 4. pag. 9. (*pp*) loc. cit. (*qq*) Cent. 2. observ. 57. (*rr*) Tabl. Nosolog. & meteorol. Avril. 1759. p. 150. (*ss*) Prax. Med. l. 3. obs. 34. (*tt*) loc. cit. (*uu*) l. c. (*xx*) l. c. (*yy*) Compend. de Febr. l. 1. (*zz*) Tr. 2. summ. 4. dist. 5. cap. 5. *(aaa) Referente Foresto* l. 3. observ. 43. schol. pag. m. 170. *(bbb)* l. c. *(ccc)* l. cit. *(ddd)* l. c. §. XXXIV.

Bimestres, Trimestres, Annuæ.

§. 66. Hos ultra fines (§§. 64. 65.) quæ excurrunt, longiosque adhuc periodos obeunt, uti *menstruæ*, *bimestres*, *trimestres*, *annuæ*, aliæque hujusmodi, ab Auctoribus recensitæ non videntur hic locum habere, quia rectius fortasse ephemeris æquiparantur. *Menstrua* mulieribus circa

stameniorum tempus, viris vero imminente hæmorrhoidum fluxu obvenire consuevit; quanquam citra hasce caussas incidere eam quandoque, author est SANCTORIUS (*a*). *Trimestrem* alii non pauci meminerunt. Hac circa magnas anni temporum mutationes corripi solebat BALLONIUS (*b*); qui non nulla etiam *annuæ* exempla evulgavit. *Annuam* etiam ab HAENIO (*c*) curatam legimus.

(*a*) *Ref.* HAENIO Thes. de febr. divis. divis. 4. p. 10.
(*b*) Consult. medic. l. 1. n. 48.
(*c*) L. c. p. 10. §. 14.

§. 67. Quænam *periodicæ*, et quænam *erraticæ* dici soleant, supra (§. 62.) indicatum est. *Periodicæ* videlicet certum accessionum ordinem, certamque periodum observant; contra *erraticæ* nulli se ordini, aut typo obstringunt, sed de uno in alium saltitant: ad quas spectare videntur *vagæ*, illæ nempe, quæ inter erraticas magis adhuc errant, et nullius typi similitudinem unquam retinent. Quemadmodum vero typi ratio ordinata, vel inordinata *periodicas*, vel *erraticas* facit, sic partium, quas febris prehendit, et tenet, diversitas novum genus discriminis affert. Nam quamvis ut plurimum febris totum corpus occupare consuevit, et ideo morbus *universalis* habeatur, interdum tamen unam tantum partem, quod quidem rarissimum est, corripit, afficitque. Hinc *intermittentes febres* possunt dispertiri in *universales*, et in *topicas*, sive *particulares*. In his posterioribus, ut testes sunt CNOEFFELIUS (*a*), JACOBÆUS (*b*), BERGIUS (*c*), SWIETENIUS (*d*), aliique, modo brachium unum, modo crus, modo hypogastrium, modo dimidium corporis periodice omnibus, aut plerisque intermittentium febrium symptomatibus corripi, et infestari, novum non est, nec insolens. Ad hoc *topicarum* genus omnino transferri

Periodicæ, Erraticæ, Vagæ.

Universales, et particulares, sive topicæ.

debent etiam illæ quas *larvatas* nonnulli vocant.
Larvatæ. Dicuntur autem *larvatæ*, quod sub aliorum specie morborum sine ulla sensibili febre, saltem quæ universum corpus comprehendat, periodice recurrunt; cujusmodi sunt hemicraniæ periodicæ, opthalmiæ, odontalgiæ, dolores colici, cardialgiæ, asthmata, epilepsiæ, hysterismi, chorea S. Viti, aliique affectus typum quotidianum, tertianum, aut quemcunque alium habentes; quanquam, si libere loquar, hi ad morbos potius periodicos, quam ad febres reduci soleant. Quia tamen ut febres intermittentes cortici peruviano cedunt, et in parte, in qua insident, febrilia sæpe symptomata percipiuntur, motus v. c. arteriarum auctus, dolor, calor, tremor, aliaque hujusmodi; idcirco pro *larvatis* febribus et *topicis* haberi quodammodo possunt.

(a) Ephem. N. C. dec. 1. ann. 3. observ. 205. p. 381.
(b) Act. Haffniens. Vol. I. observ. 119.
(c) Act. Svecic. Vol. 16. Trimest. 4.
(d) L. c. §. 757. Medic. Essay Tom. 1. p. 295. & T. 2. p. 305. Journ. de Med. T. XXIV. p. 60. &c.

Divisio in vernales, et autumnales. §. 68. Sed quocunque demum ordine, aut modo procedant febres intermittentes, ab anni certe tempore, quo potissimum incipiunt, aut frequentiores sunt, aliæ *vernales*, aliæ *autumnales* dicuntur. Illæ, adnotante SYDENHAMIO, a Februario ad Augustum, hæ ab Augusto ad Februarium extenduntur; atque uti vario plerumque more, et symptomatum apparatu differunt, sic varium etiam exitum, variumque durationis tempus habent. *Vernales* passim mitiores, brevioresque habentur; quanquam neque semper, neque omnes tales revera sunt: *Autumnales* contra gravioresque. Utræque autem sibi invicem succedunt adventuque suo plerumque, aut non semper, se

mutuo fugant. Vidi enim sæpenumero vernalibus exorientibus autumnalium symptomata adhuc caput efferre; aut autumnalibus ingruentibus vernarum naturam servari. Ab ipsa quoque observatione petita est alia distinctio harum febrium in *depurativas*, ut loquuntur, sive *perfectivas*, et in *corruptivas*. Priores ideo sic appellantur, quia sanguinem a febrili fomite, sive materie in quavis accessione ita liberant, ut ejusdem nihil intus remaneat; paullatimque quidquid vitiosi in sanguinem subinde irrepsit, aut in ipso sanguine evolvitur, iterum expellunt, aut emendant, sanitatemque tuto, et cito restituunt. Posteriores vero fomitem non ex toto subigunt, neque ejiciunt, sed novam semper materiam fomiti suppeditant, aut sanos humores, aut solidas partes ita depravant, commutant, aut enervant, ut tota corporis œconomia, et constitutio ruat in deterius. Quare a primo febrium genere corpus et purius, et sanius redditur; ab altero magis, magisque inficitur, dissolvitur, atque ad alios morbos pejores proclivius fit, et promtius.

Depurativæ et corruptivæ.

§. 69. Nec est silentio prætereundum, febres intermittentes in *benignas* dividi, et in *malignas*, sive rectius *perniciosas*; quæ a *corruptivis* gravitate, et celeritate periculi quam maxime differunt. *Malignarum* autem duplex genus in primis statuitur ex Francisci Tortii, viri experientissimi, sententia, atque (*a*) observatione; alterum nempe *comitatarum*, quæ etsi periodice intermittant, et quietis intervalla, ut benignæ, habeant; in accessionibus tamen aliquo periculoso peculiari symptomate stipantur, quo ægrum in vitæ discrimen celeriter adducunt, perniciemque eidem minantur; alterum *subcontinuarum*, quæ scilicet *nullo peculiari symptomate*, unde etiam

Benignæ, et malignæ.

solitariæ dicuntur, sed *multiplici*, et *vario* comitatæ intermissione paullatim obscurata, et deperdita ad continuitatem acutarum modo *lente*, modo *festinanter tendunt*, extensis videlicet ad ipsummet consuetæ integritatis, quietisque tempus gravibus quibusdam, variisque symptomatibus. Benignæ porro dicuntur illæ, quæ ab utrisque hisce, sive *comitatis*, sive *subcontinuis* longissime absunt.

(a) Therapeutice special. lib. 3. cap. 1. p. 123. & 124.

Perniciosæ Comitatæ. §. 70. Quoniam vero in *Comitatis* (nam de altero genere dicam postea) quædam symptomata a *colliquatione*, ut ajunt; quædam a *coagulatione* pendere Cl. TORTIO visa sunt; idcirco hæ febres rursus ab eo in *colliquativas*, et *coagulativas* partiuntur. Ad colliquativas referuntur 1. *Cholerica*, vel *Dysenterica*; 2. *Subcruenta*, vel *atrabilaris*; 3. *Cardiaca*; 4. *Diaphoretica*, quæ tamen *coagulativis* interdum adnumerari posse creditur. Ad *coagulativas* vero 1. *Syncopalis*; 2. *Algida*; 3. *Lethargica*, quæ *Apoplecticas*, et *Soporosas* aliorum complectitur. Hæc sunt præcipua genera *comitatarum* a TORTIO nostro et observata, et descripta (*). In his tamen non omnes *perniciosæ comitatæ* continentur. Nam a MERCATO, a MORTONE, a MORANDO MORANDIO, imo ab eodem TORTIO aliæ, atque aliæ rariores quædam recensentur, nimirum *pleuriticæ*, *catarrhales*, *rheumaticæ*, *colicæ*, *arthriticæ*, *cœcæ*, *scorbuticæ*, et *petechizantes*. His addenda est illa species, quam MANHEIMII grassari vidit FRID. CASIMIRUS MEDICUS (a), ob spasmos, et convulsiones, quibus stipabatur, *spasmodica* dicenda; itemque illa, quam tumor albus totius cutis qualibet in accessione, sive *paroxismo* comitabatur,

quamque descripsit Cl. STORCKIUS (*b*). Sed de singulis hisce speciatim alibi.

(*) MERCATUS *primus fortasse omnium dilucide eas descripsisse creditur, deinde* MORTON *&* TORTIUS, *quin tamen hi duo, dum observationes suas aggressi sunt, nempe antequam scriberent, alter de altero quidquam nossent. Attamen vestigia quædam harum febrium reperiuntur etiam apud vetustiores Scriptores* AVERROEM *videlicet,* AVENZOAREM, VALLESIUM, MERCURIALEM, H. SAXONIAM, RIVERIUM, SYDENHAMIUM, EPIPHANIUM, DONATUM, HORSTIUM, RHODIUM, RESTAURANDUM, SYLVIUM, ETTMULERUM *&c.*

(*a*) Comm. Lips. suppl. 2. ad Decad. 2. p. 204.

(*b*) Ann. Med. secund. p. 163. edit. Amstelod. 1779.

---

§. 71. Alterum Perniciosarum genus, quas *subcontinuas*, et *solitarias* TORTIUS vocavit, in una tantum specie, ad *colliquationem* æque, ac ad *coagulationem* prona, consistit; cujus tota ratio in eo posita est, ut, obscurata accessionum periodo, productaque ad integritatis solitæ tempus cum periculosis, malignisque varii generis symptomatibus febre, in continuam acutam degenerare paratissima videatur. Cum hac vero confundi minime debet illa intermittentium species, quæ ad continuitatem quidem inclinat, anticipante nimirum nova accessione ita, ut antecedenti nondum finitæ superveniat; sed facile fertur, et manifestas adhuc accessionum periodos servat, nullumque periculum affert, quæque *sub intrans* (*a*) appellatur. Sed de his modo satis: fusius alibi, ubi singularum historiam, signa, et curationem trademus. Hoc unum adjicimus, sæpe hujusmodi febres quorumdam anni temporum, tempestatum, regionumve proprias esse, proindeque modo *epidemicas*, modo *endemicas* conspici; quanquam interdum etiam *sporadicas* occurrere, non inficiemus. *Malignas* vero, sive

Alterum genus perniciosarum, subcontinua.

Subintrans.

perniciosas, cujuscunque demum generis sint, cum epidemice debacchantur, contagione in sanos propagari perhibent MEIBOMIUS, LANZONIUS, CLEGORNIUS HEVERMANNUS, LAUTERUS, HOFFMANNUS (*b*). Id autem aut incertum valde, aut sane rarissimum esse crediderim; cum in epidemica quadam gravissima constitutione, quæ Bononiæ anno 1729. quam plurimos occupavit, nil contagiosi Cl. BECCARIUS (*c*) invenire potuerit; neque egomet ipse in aliis ejusmodi constitutionibus, quibus interfui non perfunctorie, unquam deprehenderim quidquam, ex quo certi aliquid concludi queat. Caussa enim, unde quamplurimi eodem tempore, eodem in loco, eodemque sub tecto febricitant, adeo communis est, ut contagione, qua sani inficiantur, opus non videatur.

(*a*) TORTIUS l. c. p. 130.
(*b*) *Locos videre est apud* TRNKAM Histor. Febr. Intermitt. Vol. 1. P. I. c. V. §. XXXIV.
(*c*) Act. physic. Med. N. C. Volum. III. observ. 48. p. 142. & seq.

Tria stadia cujusvis accessionis.

§. 72. In omni autem vera, et legitima febre intermittente tria tempora, sive stadia, quæ percurruntur ab unaquaque accessione, considerari solent. Primum est *frigoris*, sive principii, alterum *caloris*, æstusque, sive augmenti, tertium *sudoris*, sive remissionis. Alii inter augmentum, et remissionem intercedere docent medium quoddam spatium, in quo febris nec crescit, nec decrescit, atque adeo id a stando nomen habet. Sed, quia non facile id percipitur, aut quia cum alterutro confunditur, a nuperis quibusdam omittitur. In *frigore* tres pariter gradus notantur, primus, quando corpus universum, vel aliquæ ejus partes frigent quidem, sed neque tremit cutis, neque membra concutiuntur, et *refrigera-*

tio, sive *perfrigeratio* vocatur. Si vero cutis corrugetur, et contremiscere videatur, *horror*, sive *horripilatio* est; secundumque frigoris gradum sistit. Tertius denique est, si membra quatiuntur, atque agitantur, *rigorque* dicitur. Cum omnibus hisce frigoris febrilis gradibus proportionata quædam conjungitur doloris contundentis totum corpus molesta perceptio.

§. 73. Primum stadium, sive tempus, cui nomen principium est, incipit a crebra oscitatione, et membra extendendi cupiditate, quam hoc die *pandiculationem* dicunt; quibus succedit lassitudo, gravitas, debilitas totius corporis; pallor, et livor, ungues in primis, apicem nasi, labia, digitosque occupans; deinde frigus partim verum, partim apparens; dorsi, et artuum dolor; tremor, præsertim maxillæ inferioris; respiratio difficilis, et anxia; pulsus primum rarus, tardus, et parvus, postea etiam debilis, et frequens, vel saltem celer; nausea; vomitus; sitis; urina aquea, et tenuis. Hæc durant plus minus ad horam unam, aut duas, raro ad tres, quatuor, et rarissime ad sex excurrunt, nisi *algida febris* fuerit.

Cujusvis stadii descriptio.

Primum stadium.

§. 74. Remittente sensim frigore, sive primo stadio desinente, calor exoritur, qui paullatim ita increscit, ut acer, atque exurens interdum fiat. Hujus tamen gradus non semper prægressi frigoris gradui respondet. Respiratio tum liberior evadit, deinde magna, et frequens, sed sine anxietate; pulsus explicatur, et sensim magnus, fortis, et creber redditur. Supervenit cephalalgia, et quandoque leve delirium, sitis perseverat; urina coloratior mingitur; atque hæc aliquot horas continuantur, donec ad ultimum stadium fiat transitus.

Stadium secundum.

Stadium tertium. §. 75. In quo omnia stadii secundi symptomata incipiunt mitescere; cutis mollescit, et madet; sudor erumpit e toto corpore calidus, et copiosus cum ingenti levamine. Nec rarum est, eodem etiam tempore vomitum, alvique fluxum incidere. Urina quæ tunc emittitur, rubicunda, et pauca esse solet, sedimentumque deponit lateri contuso simile, unde lateritia vocatur, et tamquam signum intermittentium febrium pathognomonicum a multis habetur. Verum id minime pathognomonicum est; nam interdum ab iis omnino abesse lateritiam hanc urinam vidi, videruntque alii; quo in casu subrufa, et subflava apparet cum nubecula, aut enacoremate, aut alba hypostasi, imo interdum sanorum similis, quæ tamen non nunquam cito perturbatur, et jumentorum videtur. Lenis demum somnus obrepit, e quo ut exscitatur æger, vix præter debilitatem aliquid incommodi, aut molestiæ quæritur, beneque habet, et brevi perfecta integritate, sive *apyrexia* potitur. Si quid tamen ei superest quod recte valentem dedecet, id redigitur ad levem capitis dolorem, aut gravitatem, sitim, aliudve symptoma facillime ferendum cum aliqua pulsus perturbatione, aut crebritate.

Exceptiones, et monita. §. 76. Scire autem interest, febres istas non semper a frigore initium ducere. Interdum enim calore protinus se exserunt, quod potissimum fieri solet æstiva, calidaque tempestate. Quandoque etiam frigus calori jam incepto, invalescentique tantummodo supervenit, nec tunc sudore, ut liquet, finitur accessio (*a*). Imo non nunquam accessioni universæ finem frigus (*b*) imponit. Schenckius tertianæ cujusdam meminit, cujus accessiones (*c*) quasi ordine inverso ferebantur. Exordiebantur siquidem a sudore, quem rigor, dein-

de calor subsequebatur. Monet præterea Cl. SWIETENIUS (*d*) tria ista stadia (§§. 73. 74. 75) cujusvis Intermittentium accessionis, si cum temporibus febrium continuarum comparentur, magnam habere cum iis affinitatem; primum videlicet stadium, sive frigoris, respondere incremento aliarum, alterum vigori, tertium vero earumdem remissioni, in qua crisis, et solutio morbi fit. Quod si non una accessio, sed omnes cujusque febris intermittentis simul sumptæ considerentur, *tunc ejus febris incrementum adesse, quamdiu paroxismus duratione, et numero et vehementia symptomatum proxime præcedentem excedit*, remissionem vero, cum post coctionis signa, quæ Veteres in hujusmodi etiam febribus (jure ne, an perperam, non dixerim) expectabant, morbus se se remitteret.

(*a*) ETTMULLER. Oper. omn. Tom. 2. P. I. Pract. Prax. specim. l. 1. sect. 15. cap. 2. in octan. n. 9. BORRICHIUS Act. Medic. HAFFNIEN. Vol. III. observ. 37.
(*b*) FED. CASIM. MEDICUS Samml. von Beobachtung 1. Band. §. 27.
(*c*) Lib. VI. p. 817.
(*d*) L. c. §§. 749. 750.

De caussis, et primum de propioribus.

§. 77. Jam vero de caussis harum febrium aliquid dicamus, oportet. Et primum, ut ab earum caussa proxima initium fiat, obscurissimam, et prope impenetrabilem hanc nobis (*) videri, fatemur. Quid de ea GALENICI senserint, jam supra (§. 58.) explicavimus. WILLISIUS etiam posuit in peculiari sanguinis fermentatione, quæ *succum nutritium*, sive chylum ab ingestis deductum, et non satis assimilatum, tamquam *heterogeneum quoddam*, *et non exacte congener* vel subjuget, vel foras (*a*) emandet; SYLVIUS in succo pancreatico ob *stagnationem acidiore* reddito,

delatoque ad intestinum Duodenum *cum bile* plus minus acri *vitiose* effervescente (*b*); ETTMULLERUS in *fermento præternaturali salinæ*, et quidem *acidæ prosapiæ* ventriculo, et primis viis ingenito ex vitio digestionis, sive hæc a *fermento digestivo*, sive *ab alimento assumpto* depravata (*c*) sit. Ab his non valde discrepant quorumdam aliorum hypotheses, BORELLII videlicet, JONESII et BESANZONII putantium, vel succum nerveum ob impeditum per nervos, glandulasque transitum stagnare, fermentescere, et refluere, vel *crudas, acidasque sanguinis particulas in superficie corporis hærere*, et fibras ibi *vellicare*, vel *aciditatem sanguinis succum nervosum inficere* (*d*). Verum omnes hæ opiniones in tanta hodiernæ Physiologiæ luce, ut jure animadvertit Cl. HOMIUS (*e*), vix ullos patronos inveniunt; imo, quia prorsus fictitiæ, et fundamentis destitutæ per se jam corruerunt. Sed dum HOMIUS aliorum rejicit opiniones, utinam ea, quam ipse substituit de fibrarum laxitate, atque inde imminuta *transpiratione* (**) tamquam *caussa* harum febrium *proxima*, firmiori niteretur pede.

(*) *Hoc ipsum videtur Cl.* GORTERIO. *Vid. ejus* Prax. Med. system. n. 195.
(*a*) De febrib. cap. 3. pag. mihi 34.
(*b*) Prax. Med. l. 1. cap. 30. a §. 58. ad 129.
(*c*) Oper. T. 2. l. 1. Colleg. pract. sect. 15. c. 2. p. 303.
(*d*) *Referente* FRANC. HOME Princ. Medicin. P. 2. sect. V. (*e*) Ibid.
(**) *Nutat, vacillatque hujusmodi opinio, 1. quia hæc fibrarum laxitas sæpe commentitia est, & plerumque a febribus intermittentibus abest; 2. quia frequentius laxitas, sive atonia fibrarum febrem subsequitur, quam antecedit, atque ideo potius effectus, quam caussa videtur; 3. quia cachectici, leucophlegmatici, anasarcici, in quibus & fibrarum laxitas, & transpirationis imminutio manifesta est, non magis obnoxii hujusmodi febribus existunt, quam alii;*

4. *quia roborantia, & adstringentia febrem certius fugarent, quam cortex peruvianus, qui longe minus adstringit, & roborat, & si unquam eam fugant, id non sine noxa plerumque præstant; nec satis patet, an fibras roborando, num vero alia facultate, & ratione febrem tollant;* 5. *quia cortex peruvianus, remedium antifebrile omnium certissimum, & efficacissimum est, quamvis levissime adstringat, nec valde perspirationem moveat;* 6. *quia sudorifera reliquis in abigenda febre præstarent;* 7. *quia cortex peruvianus qua facultate revera febres edomet, adhuc in controversia est, & indefinitum* (1); 8. *quia posita istiusmodi caussa, multa febrium phænomena nec intelligi, nec inde explicari possent;* 9. *quia validæ, & roborantes frictiones omnem intermittentem depellerent &c.*

(1) *Imo* Cl. HAENIUS *cum multis aliis fatetur plures, se ejus agendi modum plane ignorare. Vid.* Rat. medend. Par. 3. cap. 4. pag. 171. & lib. eod. cap. 3. p. 136. & seq. *ubi etiam apposite ostendit, cortice dato tam hominibus* strictissimi temperamenti, *quam* laxissimi, *utrisque* ex æquo redire salutem, *concluditque,* si tantummodo adstringendo, laxosque nervos roborando cortex *ageret, vehementer nociturum potius, quam profuturum* rigido corpori, &c.

§. 78. His igitur opinionibus, tamquam inanibus, futilibusque vix delibatis, non commit- tam nunc, ut aliorum quorumdam doctissimorum virorum conjecturæ, quas hac super re (§. 77.) cum aliqua veri specie in medium protulerunt, desiderentur. Itaque primum sunt eorum complures, qui verisimillimum existimant, materialem harum febrium caussam esse aliquid, quod sanguini statis temporibus, et per intervalla affunditur, eamque excitat commotionem, cui nomen febris inditum est. Si enim id sanguini jam ante insidere quis opinaretur, hunc profecto a vero longissime aberrare, satis fidenter credunt, quia vix fieri posse rentur, ut tamdiu sine perturbatione

Conjecturæ aliorum auctorum.

in illo consistat, et quiescat, quamdiu æger a febre liber ad intervalla remanet. Sin vero hujusmodi extranea materies, ubi in sanguinem infusa est, tantum efficit turbarum, jam necesse omnino esse, si quies, et integritas subsequi debet, ut ea vel corrigatur, vel ita, quod verisimilius est, immutetur, ut facile secerni, atque extra corpus emitti possit. Sic enim sanguinem vel amissa nocendi potestate, vel prava, noxiaque febrili materie excreta ad pristinam bonitatem, tranquillitatem redire, quæ tamdiu persevérat, perduratque, donec nova priori similis cum eo communicetur. Pro varia autem ejusdem materiei copia, pravitate, crassitudine, aut vi, et pro sanguinis ipsius diversa temperie, ægrotantisque natura, ætate, et robore tardius, aut citius id vitium emendari, aut expelli; ideoque quamlibet accessionem longiori, aut breviori temporis intervallo finiri.

Explicatio accessionum.

Quomodo in continuas, et subintrantes abeant.

§. 79. Quod si vel materiæ hujus culpa, vel virium naturæ defectu fiat, ut difficilior, et tardior ejus emendatio, aut expulsio contingat; tunc alterutrum futurum esse; nimirum vel uni accessioni longius protractæ alteram supervenire, antequam prior illa decedat, vel tantam impuræ materiæ vim in sanguine cumulari, quæ febri continuandæ par sit. Priore modo, antequam una accessio desinat, alteram subintrare, eamque tum febrem nasci, quam *subintrantem* dicunt. Posteriore vèro, ex intermittente in *continuam* transire. Similiter periodicam extranei fomitis in sanguinem migrationem citius, vel tardius fieri pro varia ejus copia, mobilitate, et natura, aut loci, e quo erumpit, ratione. Copiam enim majorem, aut promptiorem ad effluendum, aut insigniorem acritudinem efficere minora integritatis

Periodorum ratio.

intervalla: contrarias conditiones, longiora. Cumque modo majus, modo minus temporis spatium ad fomitem colligendum, præparandumque requiri videatur, non mirum esse, si accessiones modo singulis, modo alternis diebus, modo quarto quovis tantum, modo longiori intervallo revertantur.

Varietas locorum in quibus fomes febrilis.

§. 80. Præterea loca, in quibus fomes iste febrilis tempore integritatis colligitur, varia esse posse contendunt. Hæc autem vel citra sanguinem statui, et concipi, vel ultra. Citra sanguinem ventriculus, intestina, glandulæ mesentericæ, ductus clyliferi, hepar, pancreas, aliaque si qua sunt ad id apta, esse creduntur. Ultra sanguinem locantur, aut locatæ dicuntur glandulæ omnes conglobatæ in ambitu corporis, aut in visceribus sitæ, e quibus venæ lymphaticæ prodeunt. Verum in his postremis suspicatur TORTIUS congeri materiam febribus mitioris indolis gignendis magis idoneam, quæ nempe cum frigore, et rigore quidem, ut aliæ intermittentes, sed sine ullo alio graviore symptomate invadant, et denique sudore ex universo corpore erumpente solvantur. Febres vero illæ superiores, quæ in infimo ventre ferociora symptomata excitant, uti nauseam, vomitum, cardialgiam, alvi fluxum, tormina, borborygmos, infarctus viscerum, aut horrores, rigoresque dorsum et lumbos in primis excruciantes, vel a prava victus ratione originem ducunt, illæ inquam febres fomitem in ea regione, in qua hæc accidunt, habere eidem videntur. At considerandum sane est, febrilem fomitem aliquo in loco collectum sola nervorum, et fibrarum irritatione posse febrim movere, quin in sanguinem influat, quemadmodum alicujus partis dolor vehemens, aut inflammatio facit; e loco vero, in quo insidet, dimoveri, et periodi-

ce extra corpus efferri per febrilem motum quidem, sed ab antecedenti nervorum irritatione, et spastica fibrarum affectione genitum. Præterea non desunt, quibus non absurdum videtur, fomitem istum in ipso etiam sanguine oriri, atque in eo consistere, et per vices augeri, et decrescere sic, ut febrilis accessio, et decessio consequatur, quin aliunde in sanguinem derivetur.

Quid objici his possit.

§. 81. Sed demus, largiamurque, fomitem illum ex aliqua parte earum, quas enumeravimus, in sanguinem statis circuitibus transduci. Quis tamen certo definiat, quænam prima sit ejus origo, quique locus eum recondat, et colligat? Nam si locum istum ponas esse ventriculi, aut duodeni cavum, aut bilis receptacula, aut quamcunque aliam intestinorum partem; copiosæ, iteratæque vomitiones, dejectionesque, quas non modo ipsa natura, verum etiam artis solertia vel sub accessionibus, vel ante eas molitur, nonne omnem febrilem fomitem educerent, exhaurirentque? At, sicuti TORTIUS ipse, et cum eo SYDENHAMIUS, aliique quam plurimi (*a*) testantur, id minime experientiæ consentaneum est, et, si quando prospere factum illud narrant aliqui, ita rarum plane fieri fateantur necesse est, ut in eorum sententiæ confirmationem adduci non debeat. Imo compertum non semel contra est, febres ejusmodi evacuationibus ne hilum quidem minui, sæpius vero exasperari, aut e simplicibus duplices fieri: ne quid dicam de *cholericis*, *dysentericis*, *atrabilaribus*, aliisque, quarum periculum, aut exitium eo propius, graviusque accersitur, quo largiores ejusmodi evacuationes fuerint.

(*a*) Vid. infra §. 115. & seq.

§. 82. Ad hæc si febrilis fomes in istiusmodi locis (§§. 80. 81.) reapse insideret, colligereturve, quis non videat, utilius, satiusque fore, chinam chinam quatuor, aut quinque horis ante febris adventum dare, eo quippe tempore, quo tota febris caussa a remedio occupari, absorberi, irretiri, emendari, cogi, aut quocunque alio modo efficaciter affici, (si tamen in eam proxime agere credatur) quam tempore ab ventura accessione magis dissito? Et tamen usus contrarium omnino evicit. Non enim certum plerumque remedii effectum assequimur, nisi quatuor supra viginti fere horis, antequam febris accessura sit, dari cœptum fuerit; nequidquam contra sentiente (a) VERLHOFIO. Quæ etsi febrilem materiam in ventriculo, biliferis ductibus, aut intestinis, vicinisque partibus non cumulari, nec residere satis demonstrant, talia tamen esse videntur, ut non ibi sedem hærere, aut eo derivari, sed etiam altiori e loco prorumpere, aut profundius latere, aut aliud vitium subesse, a quo febris gignatur, cuique china china medeatur, suspicari debeamus. Objectiones aliæ.

(a) L. c. sect. 4. §. 7. not. z.

§. 83. Quod si in glandulis conglobatis, venisque lymphaticis, aut in nervis, aut in exteriore corporis ambitu, aut in sanguine ipso (§§. 77. et 80.) caussa omnium febrium intermittentium quæratur, cur, quæso, aperientibus, sudoriferis, acorem emendantibus, et lignorum, ut vocant, decoctis non illæ curantur? Cur e perniciosis quæ *Diaphoretica* (§. 70.) a TORTIO appellatur, nihil sudore juvante, adeo celeriter properat ad exitium? Cur febres, quæ e lymphæ vitiis oriri universim judicantur, uti catarrhales, rheumaticæ, scorbuticæ, venereæ, arthriticæ, strumosæ Aliæ objectiones iterum.

vulgo dictæ, quando intermissione alternantur, cortici peruviano ut reliquæ intermittentes, non obediunt et ipsæ? At quemadmodum loco, quo in febrilis fomes hæreat, decernendo pares nequaquam vicemur, sic neque humori, qui potissimum peccet, divinando valemus. Quicunque tamen is fuerit, obscurissimum plane putamus, quo vitii genere laboret, depraveturque, conjectura assequi. Potest, inquiunt viri doctissimi, acescere, *alkalescere*, corrumpi, putrescere, inspissari, copia excedere, aut deficere, acrimoniam multiplicem arripere, aut alia quacunque ratione a naturali temperie, motu, circuitu desciscere, ut febrilem commotionem cieat; imo sic eum depravari posse arbitrantur nonnulli, ut modo veneni corrodentis naturam nactus vomitum, alvi fluxum, ventriculi, intestinorumque acerbos cruciatus pariat; aut acerrimus factus totam sanguinis mixtionem, compagemque dissolvat, et liquet; modo aciditate contracta sanguinem coagulet, et igneum elementum, vel phlogiston ita deprimat, aut irretiat, ut intensissimum algorem procreet; modo narcotica vi soporem afferat, aliaque pro varia sui degeneratione phænomena præstet, quibus febres intermittentes, præsertim *malignæ*, sive *perniciosæ*, terrere consueverunt.

Quid probabilius videatur. §. 84. Quare cum tot, tamque variis vitiari modis posse humores appareat, et probabile admodum sit, modo ab hoc, modo ab illo vitii, aut vitiati humoris genere febrem moveri; consequens est, ni fallor, non unicam, sed plures febrium intermittentium caussas esse oportere, et pro varia harum ratione febres ipsas natura, et effectis non parum discrepare, prout supra expositum est. Atqui, si ita revera concludendum sit, qui fieri tamen potest, ut unus,

idemque cortex peruvianus omnes, singulasque earum species, a tot, tamque differentibus caussis pendentes cohibeat, aut fuget? Nonne rationi magis consonum idcirco videatur ab una solum caussa proxima eas omnes proficisci, quoniam uno, eodemque medicamento subjugantur? Verum hæc quidem aut mentis pene nostræ aciem exsuperat, aut densissimis involuta adhuc tenebris latet; nam omnes illi, qui cum superioribus, veteribusque de indaganda, assignandaque tam materiali caussa, quam ejusdem sede, quemadmodum retuli, disputant; profecto caussas remotas quæsisse videntur, non proximam, et continentem, in quam alioquin detegendam plurimum interfuisset incumbere. Non enimvero unum, eumdemque humorem, sed alium, atque alium depravari pro caussarum procatarcticarum, febriumque varietate probabili sermone ostendisse videntur.

An bilis caussa intermittentium?

§. 85. At postremis hisce temporibus vidimus Cl. VALCARENGHIUM (*a*), qui unum dumtaxat humorem, bilem nimirum, argueret, et quodammodo in judicium vocaret, tamquam veram, certamque febrilium accessionum caussam his prope permotus rationum momentis: 1. Quod hæ febres sæpius æstivo, et autumnali tempore dominantur, dum bilis videlicet abundantior acriorque est, aut plus solito effervescit; hieme vero rarius, et tum solum, cum autumnales, vel æstivæ febres eo usque protrahuntur. 2. Quod evacuationibus ut plurimum biliosis tutius, frequentiusque solvi eædem solent, uti urinæ, et sudores cum odore, tum colore bilem exuberantem ostendentes documento sunt. 3. Quod raro senes, sæpius juvenes, et cholericos maxime homines adoriuntur, et gravius affligunt. 4. Quod mor-

bis hepatis persæpe succedere visæ sunt, aut eos post se relinquunt. 5. Quod pleraque earum symptomata vel a copia bilis, vel a nimio ejus fervore, vel, ut vocant, *alkalescentia*, putridaque corruptione, vel simili alia ejusdem depravatione profluunt, uti constat ex bilis porraceæ, vitellinæ, æruginosæ excretionibus, quæ in ipsarum decursu maximo cum levamine tam per superiora, quam inferiora contingunt. 6. Quod linguæ flavus color, oris amarities, molesta circa ventriculum, biliferosque canales tensio, et anxietas, aliaque hujusmodi eas comitantur, bilis effervescentis præter morem, atque huc illuc diffusæ non dubia argumenta.

(*a*) De præcip. febr. §. 27. p. 180.

Argumenta diluuntur.

§. 87. Hæc, atque alia non absimilia a VALCARENGHIO, omnibusque illis (*), qui cum eo bilem accusant, proferuntur tanta veri specie, ut magnam partem medicorum in suam sententiam traxerint. Et quidem, si quid judico, non negaverim, adductis argumentis probari, bilem, et vasa bilifera in hujusmodi febribus sæpe affici; non tamen concedam, satis demonstrari, utrum bilis ipsa primario peccet, febrimque ipsa efficiat, num vero potius secundario bilis, et bilaria vasa a febris ipsius fervore, motu, aut fomite ejusdem, quicunque demum is sit (**), patiantur? nam spasmi, qui circa imum ventrem febrem comitantur, tremor, horrorque bilem ex hepate, cystique fellea exprimunt, excutiunt, in duodenum, imo in ventriculum urgent, propellunt, et per vomitum, aut dejectionem ejiciunt. Deinde nequaquam verum est, semper bilis evacuationes in hujusmodi febribus contingere, neque semper, ut prædicant, ægros ab his sublevari, aut curari; quod multorum experientia evi-

ctum est; et si quandoque illud evenit, tum solum evenit, cum febris cum saburra biliosa primarum viarum, ut sæpe fit, complicatur, conjungiturque. Croceus porro urinarum color, lingua flava, os amarum, ventriculi morsus, aliaque ejusmodi quando incidunt, non illico id unum significant; febrim nimirum a bile sive exuberante, sive excandescente, sive corrupta, sive stagnante ortum ducere; cum omnia febris effecta esse possint, et non raro a spasmis, ventriculi, duodeni, choledochique, a quibus bilis in sanguinem refluere cogitur, pendeant, et proinde manifestissimum sit, bilem aliena culpa, non propria sæpissime a naturali indole, motu, cursu deflectere. Id ita esse, multa (***) comprobant, sed in primis vulnera, et contusiones capitis, 2. vehementiora animi pathemata, 3. hypochondriaca, et scorbutica affectio, 4. hydrops, 5. inveteratæ viscerum obstructiones, 6. cachexiæ, 7. demum morbi acuti omnes febriles, ne inflammationibus quidem ipsis exceptis. Quis enim ignoret, in hujusmodi casibus sæpe bilem repente aut depravari multiplici ratione, aut uberius excerni, effundique, licet paullo ante nullo vitio peccaret, nec copia ulla excederet? Quis nesciat, urinas crebro rubescere, croceo interdum, aut saturatiore etiam colore infici, os amarescere, epigastricam regionem multimodis convelli, bilem sursum, deorsumque educi, quin tamen bilis primario laboret, aut proxima horum symptomatum caussa, dici possit? Quod si urgeant bilis accusatores, a symptomatibus circa bilis receptacula animadversis perspicuum fieri, eam febrium intermittentium fomitem, caussamque esse: pari jure in soporosis, lethargicis, aliisque varias corporis partes peculiariter afficientibus febribus affirmandum esset, caussam earum pro-

ximam in capite, cerebro, pectore alibique, quoniam circa illas partes symptomata graviora cernuntur, consistere, et contineri.

(*) *Non hic de illa bile, quam sanguinis calidiorem, acrioremque partem veteres Medici putabant, quamque* RESTAURANDUS *omnium pene febrium, nedum intermittentium* (Hippocr. de usu Chin. Chin. cap. 4.) *caussam esse voluit; sed de bile vera, quæ in hepate secernitur, sermo est. Ante* VALCARENGHIUM *etiam* ZENDRINIUS (Della China China) *ab hac bile intermittentes febres derivavit. Nec ab eorum sententia valde abfuit* MEADIUS, *qui in* Monit. & Præcept. Med. cap. 1. sect. 8. pag. m. 22. *non dubitavit hæc verba scripto tradere:* Hunc enim humorem (bilem nempe) *in intermittentibus maxime peccare mihi minime dubium videtur.*

(**) SENACIUS *febrilem caussam per totum corpus diffusam esse, sed præcipue hepar, bilariaque organa ab ea affici, pluribus argumentis* (De recond. febr. inter. & remitt. nat. l. 1. cap. 6.) *ostendere enititur.*

(***) *Cl.* HAENIUS (Rat. med. Continuat. Tom. 3. pag. 196. 197.) *hac in rem nostram habet:* Caput percussi, contusi, vulnerati, successive bilem vario colore vomunt: flavam, porraceam, æruginosam. Qui adverso corpore curru vehuntur, id insueti; qui prima vice mare conscendunt, haud raro bilem per varios hos coloris gradus evomunt. Bilem vero esse, quæ variis his coloribus prodeat, amarore sufficienter percipiunt. Probabile *etiam censet* quod bilis ab actione veneni in ventriculo & intestinis mota hos subire colores, & vario colore tingere urinas possit.

Sequitur confutatio. §. 87. Neque concedendum est, sola æstate, aut solo autumno, cum sæpissime verno, aut hiemali tempore caput efferant, aut in ætate juvenili solum, et biliosa temperie; cum infantes, et pueros æque, ac quocumque præditos temperamento invadant, hasce febres insurgere, et increbrescere tantum. Testes appello quotquot me-

dicinam in frequentissimis civitatibus non negligenter exercuerunt. Neque eo quod juvenes, biliososque homines crebrius, atrociusque divexant, si tamen hoc vere affirmaretur, continuo licet inferre, eas a bile permanare; cum exploratum, perspectumque sit, quemcumque alium morbum in eo ætatis flore, atque in eo temperamenti genere frequentius, atrociusque sævire, atque homines in eo statu constitutos ut robustiores, sic ex quavis caussa graviores morbos incurrere. Neque perpetuum est, hepatis obstructiones præire, aut subsequi febres istiusmodi; neque, si id detur, hepar solum huic malo subjectum est; cum alia quoque viscera, et præsertim lien in eamdem labem, fortasse etiam frequentius, incidant.

§. 88. Prætereo demum, id quod supra (§.81.) jam innui, emeticis, et catharticis plus nos profecturos esse, si febres istæ bilis excessui, aut depravationi originem suam deberent. Prætereo item quærere, cur, si bilis aut copia, aut vitiata natura intermittentium fons vere esset, in iis morbis, in quibus alterutro, aut utroque modo illa peccat ut in Cholera, in Colica, et Dysenteria biliosa, in Ictero chronico, aliisque similibus illæ rarissime, aut nunquam observentur? Illud tamen non prætermittendum est, homines vel sanissimos, et bene valentes cujusque ætatis, et temperamenti, in aere, et loco a febribus intermittentibus quam maxime libero degentes, si in regionem, in qua epidemicæ aut endemicæ ipsæ existant, se repente transferant, aerique præsertim vespertino, nempe noxiis halitibus referto corpus temere objiciant, citissime in easdem incidere; quemadmodum id pluries nobis experientia innotuit. Num, amabo, probabile est, bilem tam brevi aut augeri, aut depravari, aut cor-

Quædam liberaliter prætereuntur.

Argumentum novum.

rumpi ita posse, ut febrim confestim procreet? Num loca palustria, et frequentes imbres, aut aquarum inundationes, quarum in sinu intermittentes febres quasi propria in sede aluntur, et foventur, bilem uberiorem gignunt, aut depravant? An vero potius aliquod miasma putridum, aut tetram nescio quam mephitim (*) exhalant, qua cito inficiamur, aut ita corpus nostrum male afficiunt, ut peculiare quoddam vitii genus in humoribus evolvatur, febri excitandæ accommodatum?

(*) Vid. infra §. 98. not. (*).

Hoffmanni opinio.

§. 89. Itaque mirum non est, si FRIDERICUS HOFFMANNUS aliorum nequaquam acquiescens hypothesibus, caussam harum febrium, ut ipse vocat, *fundamentalem* ponendam duxerit in spastica universi generis nervosi, et fibrosi affectione, quæ speciatim a spinali medulla incipiat, atque ab exterioribus ad interiora paullatim progrediatur. Id enim docuit pluribus verbis in dissertatione *De vera motuum febrilium indole et sede*. Ibi ostendere tentavit, hanc suam opinionem confirmari egregie ab omnibus invadentis febris phænomenis, dolore nimirum dorsi, et lumborum, horrore, rigore, et frigore extremarum præsertim partium, livore unguium, vasorum omnium manus, et pedes perreptantium exilitate, atque occultatione, cutis ariditate, et corrugatione, pallore quodam tetro, lividoque faciei, oscitatione, crebra membrorum extensione, tremula cordis palpitatione, præcordiorum anxietate, difficili respiratione, inquietudine, corporis jactatione pulsu contracto, parvo, et debili, nausea, vomitione, alvi, et perspirationis suppressione cum urina tenui, et aquosa, sensuque ebullientis veluti sanguinis ad interiora. Atque ex his ut spasticam

affectionem luculentissime apparere, tamquam caussam *fundamentalem*, sive *formalem* febrium intermittentium sibi persuasit, sic ea omnia, quæ nervosas partes irritare, et convellere possent; uti sunt animi motus, validiora cathartica, acria cum cibis, aut ære ingesta, caustica, venenata intro suscepta, aut extrinsecus applicata, aut a succis primarum viarum depravatis, aut corruptis subministrata, item fortiora adstringentia, frigida nervis inimica; cum ad ciendam febrem, tum, si cessaverit, revocandam caussæ materialis, aut procatarcticæ instar plurimum conferre opinatus est.

§. 90. Aliquid etiam vitii in nerveo succo, quem cerebrum, cerebellumque ad cordis fibras transmittere credunt, sibi visus est deprendisse Cl. BOERHAAVIUS, inertiam scilicet, tarditatemque quamdam, ex qua præcipua harum febrium phænomena et intelligi, et explicari posset (*a*). Hanc deinde Cl. Præceptoris sententiam illustrare omni cura, et studio, confirmareque non destitit celeberrimus SWIETENIUS. Hic enim asseverat, omnia quæ in primo febris accedentis insultu accidunt, talia profecto esse, quæ facili nogotio demonstrent, turbari solitum æquabilemque spiritum animalium in musculos influxum. Ea autem sunt lassitudo, debilitas, tremor, *pandiculatio*, oscitatio, atque alia hujus generis. Hinc consequi putat, ut sanguis nec debita copia, nec vi propellatur ad extrema usque corporis vasa, imo ibi lentescat, atque hæreat; uti elucescit ex frigore, horrore, rigore, pallore, cordis palpitatione, pulsuum parvitate, aliisque, quæ ineunte febre æger patitur. Quare non sine veri similitudine concludit, caussam proximam istiusmodi febrium statui cum BOERHAAVIO posse *viscositatem liquidi arteriosi*,

Quid Boerhaavius senserit?

forte et nervosi tam cerebri, quam cerebelli cordi destinati inertiam (*b*).

(*a*) De cognosc. & curand. morb. §. 755.
(*b*) *Ibid*. in comment.

Pro Boerhaavio quæ afferat Swietenius.

§. 91. Multa deinde alia vir doctissimus profert, quibus illud comprobet, firmetque. Dum enim initio accessionis, inquit, videmus impedimentum quoddam nasci, quo sanguis arteriosus debita copia, et vi ad extrema usque corporis progredi inhibeatur, facile conjectura prospicimus, hoc fieri vel ob nimium lentorem liquoris trajiciendi, vel ob auctam canalium resistendi potentiam, vel ob virium moventium defectum. At quartana laborans homo paucis *minutis* ante incipientem accessionem sanissimus sibi videtur, et vana spe lætatur sæpissime, non amplius redituram esse febrim. Paullo tamen post magno horrore corpus concutitur, et febris inopinato reversa ægrum protinus admonet vanissimæ spei, in qua versabatur. Vix autem mente concipi potest sanguinis tam subita mutatio, qua uno quasi momento lentescat, nequeatque minima vascula permeare. Quod sane quantum hujusmodi hypotheseos, cujus Bellinius olim et inventor, et propugnator fuit, imbecillitatem patefaciat, quisque per se facile perspicit. Sed admisso etiam sanguinis lentore periodice recurrente, et abeunte, ut in ea poni solet, quomodo inde explicaveris phænomena febris *diaphoreticæ*, *dysentericæ*, *atrabilaris*, aliarumque similium *perniciosarum*? Quid de illis dixeris, quæ sine ullo frigoris, horroris, rigorisve indicio invadunt? Numquid eas a lentore sanguinis derivaveris? Quid discriminis erit inter alias febres, quæ a lentore sanguinis pendere omnino judicantur, rheumaticas, catarrhales, arthriticas, cachecticas, aut ab obstructionibus or-

tas, cortici peruviano nequaquam obtemperantes, et illas intermittentes, aut remittentes, quæ cortice certissime fugantur?

§. 92. Multo minus, prosequitur Cl. Swietenius (*a*), credibile est, tantam repente solidis partibus accedere rigiditatem, et duritiem, ut liquores omnes repellant. Tempore enim, nec exiguo, eget hujusmodi fibrarum, tunicarumque perversio. Ergo superest, ut in potentiis moventibus tam subitæ mutationis caussa tantummodo quæratur, sive in Hippocratico illo principio, *impetum faciente*, quod mobilissimum, et levissimis de caussis excandescens esse reputatur. Hinc se vidisse narrat sanissimam virginem, cum glire conspecto contremisceret, illico primam accessionem passam esse quartanæ, quæ totam hiemem duravit, nec soluta est prius, quam ver adventaret; cumque jam binos menses a febre immunis fuisset, mala fortuna iterum a petulanti puero, qui glirem mortuum ante ejus vestes projecit, perterritam in aliquot quartanæ accessiones recidisse. Item juniores sæpenumero observavit convelli ut plurimum eo tempore, quo vernæ tertianæ licet salutares incipiunt, non obscuro indicio, a mutata conditione subtilissimi humoris totum systema nervosum perturbari, et commoveri. Vidit in medio ptyalismo, solutis mercurio fere omnibus humoribus, ideoque nullo lentore præsente, tertianam verno tempore obortam (*), quæ nonnisi post quartam accessionem evanuit.

Pergit Svvietenius suam caussam defendere.

(*a*) Ib. in comment.

(*) *Id sæpius supervenit litu mercuriali utentibus, sic, ut intermitti curatio debeat, donec febris desinat, aut cortice peruviano sistatur.*

Provocat ad chinam chinam. §. 93. Tandem nos provocat ad corticem peruvianum, efficacissimum omnium intermittentium febrium antidotum, qui hystericis, atque hypochondriacis a nimia systematis nervosi mobilitate, et spirituum *ataxia* ortis affectionibus, præclare, ut SYDENHAMIUS testatur, succurrit. Parem ergo in utrisque morbis, ac in febribus intermittentibus caussarum esse rationem. Imo hinc fortasse caussam deducendam esse, cur febres pertinacius inhæreant corporibus hisce mobilioribus, vixque curari queant, nisi adhibito cortice peruviano, qui etiam roborandi virtute tunc mirifice prodest. Præterea advertit, insignes, insolitosque animi motus, in primis ex iis, qui totam mentem occupant, et diu detinent, quandoque febres hujusmodi dispulisse; dum per eos tollebatur, vel corrigebatur illa inertia subtilissimi liquoris, a qua accessionis febrilis exordium videtur. Sic QUINCTUM FABIUM MAXIMUM Consulem Romanum commisso prælio cum Allobrogibus, Arvernisque a febre quartana in acie fuisse liberatum.

Allata argumenta refelluntur. §. 94. Atque hæc quidem auctoritate viri ingenio, doctrina, usu, nominis celebritate, si quis alius, spectatissimi nituntur. Quo minus tamen omni ex parte præpropere recipiantur, pauca quædam obstare videntur. Et primum summa me subit admiratio duos æque claros, æque sapientes, et expertissimos Medicos, HOFFMANNUM videlicet unum, alterum SWIETENIUM ab eisdem omnino febris phænomenis, quæ uterque eorum ad examen revocavit, in duas prorsus oppositas sententias impulsos fuisse. HOFFMANUS auctum in nervos spirituum influxum, auctamque solidarum partium resistendi potentiam ex iisdem prope auguratus est symptomatibus, ex quibus contra SWIE-

TENIUS cum eorumdem spirituum imminutionem, atque inertiam, tum vasorum, et fibrarum laxitatem, atoniamque suspicatus est. Adeo magna sæpe ingenia in caussis morborum, quæ plerumque obscurissimæ sunt, eruendis inter se discrepant, atque in contraria ruunt! Deinde nequaquam mirum SWIETENIO videri debuisset, solidas partes momento fere temporis ita rigescere, ut liquori minima vasa perfluenti nimium resisterent; dummodo eas spasmo affici, et sic contraniti repente posse, meminisset.

§. 95. Ceterum si nervei succi inertia, et inopia pro caussa febris intermittentis proxima, et perpetua habenda esset, atque ab eadem lassitudo, debilitas, tremor, et reliqua symptomata, quæ invadentem febrem comitantur, permanarent; quomodo (liceat argumentum retorquere) inertia ista spiritum in cerebro, et cerebello tam repente locum habeat, nulla facultatum animalium læsione præcedente? Quare, ubi jam spiritus inertia laborant, antequam motus in toto corpore deficiant, aut depraventur, mentis etiam functiones non læduntur? Neque quispiam reponat, liquorem cerebri, et cerebelli, qui cordi tantum impenditur, tunc vitio aliquo torpescere, et minui, quasi non is, sed alius esset, qui mentis functionibus dicaretur; nondum enim certo demonstratum est, duplicem hunc spiritum, aut duplex nervorum genus dari, animalibus alterum, alterum vitalibus facultatibus addictum. Quid porro dixeris de febribus intermittentibus, aut remittentibus, quæ sine frigore, sine rigore, aliisque imminutarum virium vitalium signis accenduntur, quæque tamen cortice peruviano sistuntur? Num harum quoque origo spirituum vitalium inertiæ attribuenda erit, dum interim nul-

Inertia succi nervei dubia.

lum ejus præseferunt indicium ex illis, quorum seriem ex SWIETENII mente recensuimus?

Alia argumenta infirmantur. §. 96. Quod attinet ad tertianam medio in ptyalismo obortam, an hæc fortasse, dum lentori Belliniano videtur opponi, spirituum inertiam, lentoremque comprobat evidentius? Terror porro, ex quo virginem in quartanam incidisse, memoriæ prodidit, an forte spirituum motum inhibet, et coercet? Nonne potius eos perturbat, agitat, incitat, et commovet? Quid item in suæ hypotheseos confirmationem advocat corticem peruvianum? Teste eodem, quem excitat, SYDENHAMIO cortex inordinatum spirituum motum compescit, et sistit; non incitat, non allicit. Neque, quod juniores viderit tempore verno epilepticis motibus obnoxios, sequitur, ut febres intermittentes, quæ tunc accedunt, a cerebro nervisque affectis oriri dicantur. Namque cur non alii item vernales morbi eamdem caussam agnoscunt? cur etiam epileptici puerorum insultus autumno, quo intermittentium febrium numerus increbrescit, frequentiores et ipsi non observantur?

Nec pluris fiunt reliqua. §. 97. Neque hystericorum malorum cum intermittentibus jactata similitudo quidquam magis probaverit; nam nec cortex hystericos affectus facile, ut fertur, domat, et vincit, nec iisdem obnoxiæ mulieres in intermittentes procliviores sunt, uti alias esse deberent. Utinam profecto essent; motu enim febrili spasmos sæpe tolli vetus observatio est; sed non solæ intermittentes id præstant. Incassum tandem objicitur Q. Fabii maximi casus. Quis eum dixerit assiduis mentis contentionibus quartanam a se propulsavisse? Nihil vero validiori corporis exercitio, sudorique ubertim inde promoto, nihil aeris mutationi, in qua

summa febribus ejusmodi medendi potestas, tribuendum putet?

§. 98. In tanta igitur rerum obscuritate, opinionumque dissensione cum integrum minime sit, quidquam certi statuere; illud plane repetendum arbitror, quod SWIETENIUS ipse jam docuit his verbis: *præstat in morborum caussis indagandis progredi tantum, quousque per fidelia observata, et cognitam humani corporis fabricam licet; et in reliquis ignorantiam fateri, quam fictis hypothesibus quantum licet etiam ingeniosis ludere* (*a*). Si quis tamen conjecturis locus conceditur, id unum fortasse probabile est, intermittentium febrium, quæ, si primariæ, et legitimæ sint, ut corticis unius viribus obtemperent, sic caussam proximam unam esse (*), soloque gradu potentiæ differre, prout vel sporadica est, vel endemica, vel epidemica, vel plus minus maligna, ideoque varia, et diversa phænomena inferre: aliam vero, atque aliam in iis febribus, quæ etsi intermittant, cortice tamen non depelluntur. Fomitem autem febrilem modo uni, modo alteri loco magis insidere, aut certe infestiorem esse; quod morbi periodici, et febres topicæ, larvatæque (§. 66.) uti hemicraniæ, colici dolores, pleuritides, hæmoptyses, epilepsiæ, uteri hæmorrhagiæ atque alia periodica mala, videntur ostendere, in quibus æque feliciter cortex peruvianus curationem absolvit. Neque vim suam fortasse exserere hujusmodi febrilem fomitem, nisi tum solum, cum ad primaria circulationis organa pervenerit, nervosque proximius afficiat, in primis eos, qui e spinali medulla egrediuntur, aut qui ad abdominis viscera speciatim pertinent. At quoniam hæc non ultra indagari se sinunt, et captum fere nostrum excedere videntur, satius erit

De caussa proxima conjecturæ probabiliores.

eas febrium intermittentium caussas enumerare, quæ manifestæ, quia sensibus perviæ, vocantur.

(a) Comm. in Boerhaav. §. eod. T. 3. P. 1. p. 93. ed. Venet.

(*) *In historia epidemicæ febrium Intermittentium constitutionis anni 1765. quam ego Libro inscripto* Saggi di Medicina Pratica ec. P. 1. pag. 37. *adjeci, a miasmatis, quæ e palustri solo, corruptisque aquis erumpebant, earum originem derivandam duxi. Nolui tamen de peculiari illorum miasmatum natura quidquam pronuntiare, ne ad hypotheses confugere, a quibus quam maxime me temperare debeo, cogerer. Hanc ipsam sententiam aliis placuisse,* (vid. Comm. Med. e Filosof. d'una Comp. de' Med. d'Edimb. T. 1. P. 1. cap. 5.) *novi, qui tamen & ipsi veram miasmatum horum indolem se ignorare fatentur. Auctor anonymus (ib.) ab hac caussa omnes intermittentes oriri credit; neque discrimen ullum esse inter intermittentes & continuas putridas, sive ut ipse appellat nervosas, nisi varietatem miasmatum, quæ eas gignunt. Putridæ naturæ miasma hoc esse, credidit* Pringlius (Malattie d' Armata P. 3. cap. 4. §. 3.) *venenatæ, & putredinis non expertis naturæ* Senacius (L. C. l. 1. cap. 5. & lib. 3. cap. 3.); Mortonus (De Febr. exercit. 1. cap. 3.) *venenum hoc esse ait, sed incognitæ indolis spiritibus, sive nervis infensum.*

Caussæ manifestæ.

§. 99. Hæc autem sunt quæcumque viscidam, lentam, aut aliter pravam in primis viis materiam cumulare possunt, uti alimenta concoctu difficilia; aut crassiora nimis, aut facile corrumpenda; vina immatura, et fæculenta, aut vapida; quæcunque stomachi cruditates, aut succorum abdominis vitia; vita deses; aer squallidus, et paluster; item quæcumque alia animalem æconomiam evertunt, uti animi curæ graviores, consuetarum evacuationum suppressio, imprudens corporis refrigeratio, viscerum, et glandularum lymphaticarum infarctus, halitus, et vapores putridi, inspirati, aliaque his affinia.

D I A G N O S I S.

§. 100. De caussis satis, ni etiam plus, quam par erat. Modo quædam de signis. Communia signa jam supra proposita fuere; singularum propria alibi tradentur suis locis. *Perniciosarum* tamen, sive malignarum, quas *comitatas* dixit Tortius, diagnosis innititur, ut dictum est (§§.69. 70.) ferali Symptomate, a quo febris et nomen, et perniciosam naturam acquirit. Illud autem scire oportet initio quidem mitius apparere, at morbo progrediente gravius fieri, et periculosius. Quare cum nondum ad intensiorem gradum pervenerit, ad alia etiam signa, ut pernicies ejus innotescat, sedulo respiciendum est. In primis absoluta accessione, quam suspectam reddiderat symptoma aliquod grave, inquirere diligenter oportet, utrum die intermissionis supersit linguæ siccitas, aut scabrities, aut insolita ægri, licet nec febricitantis, nec de ulla re dolentis jactatio, inquietudo, vel frequens ad levamen captandum suspiriorum emissio, vel inanis, nullaque occasione identidem rediens vomituritio, vel alvi dejectio sincera, vel intempestiva in somnum propensio, vel alia ejusmodi: tunc enim aliquid malitiæ subesse suspicabimur.

Signa. In primis perniciosarum, quæ comitatæ dicuntur.

§. 101. Quo in casu nisi hypochondriaci mali, aut alius caussæ manifeste symptomata, aut effecta illa sint, metuendum sane est, ne proxima accessione vera cardialgia, aut affectio cholerica, aut lethargus inexpugnabilis, vel aliud ejusmodi symptoma gravissimum palam hominem corripiat. Præ ceteris autem nihil magis symptomatis patefacit suspectam, atque insidiosam naturam, quam pulsus; si de primis sex *perniciosarum* febrium

Quomodo prænoscantur.

speciebus loquamur. Septima enim non a pulsu, sed potius a respiratione, quæ difficilis, inæqualis, et stertorosa esse consuevit, imo a simplici, et solitario symptomate, videlicet sopore dignoscitur. In illis autem pulsus toto tempore, quo symptoma urget, itemque illo transacto, insigniter plus minus deprimitur pro majore, vel minore symptomatis perniciosi intensione. Ex adverso, ubi symptoma, etsi alioquin grave, et non spernendum, malignitatis tamen expers est, arteria, quæ manu explorari solet, valide renititur, compressaque statim resilit, et vibrat. Itaque quo magis afficitur pulsus, et languet præsente symptomate, quo minus, eo superato, et discusso, relevatur, resurgitque, et quo plus roboris, et virium amisit, tanto perniciosius symptoma illud habendum est. Plena vero pulsus defectio summum, atque extremum perniciei gradum designabit, eamque sequetur totius corporis, præsertim extremorum, refrigeratio, aut livor, facies Hippocratica, demumque mors.

Signa subcontinuarum.

§. 102. Superest genus *Subcontinuarum*. Hæ, quanquam ex intermittentibus paullo diutius protractis coalescant, non tamen eamdem accessionum manifestam naturam retinent, sed obscurato paullatim frigore, et horrore, eodem ferme modo, quo veræ continuæ, suum circuitum obeunt, donec ad declinationem perveniant; quæ licet sudore interdum, ut antea, stipetur, numquam tamen ad integritatem perducitur. Nec ullo quidem insueto peculiari symptomate, sed variis, præter continuitatem, et virium paullo majorem defectum, timorem incutiunt, tanto graviorem, quanto longius ab intermittentium periodo, et symptomatibus aberrant. Contra *Subintrantes* eodem prope ordine, quo prius incedunt, etsi non

plene intermittant, et non multo ægrius feruntur, quam ferebantur, cum adhuc intermissione gauderent.

PROGNOSIS.

§. 103. Quod attinet ad prognosim, extat apud Hippocratem hujusmodi aphorismus: *Febres quocunque modo intermiserint, periculum abesse, significatur* (*a*). Qui tamen universim acceptus experientia refellitur; nam perniciosæ, quæ Hippocrati, si genuina ejus scripta consultantur, ignotæ fuisse videntur, quantum periculi afferant, etsi intermittunt, jam super traditum est. Vera igitur loquitur Medicinæ parens, si de benignis, et legitimis intermittentibus sermo sit, aut de iis, quæ, amissa continuitate, intermissionem acquisiverint. Nam benignæ, et legitimæ generatim periculo vacant, imo salutares interdum a quibusdam habentur, hominemque ad longævitatem præparare dicuntur: contra malignæ, et spuriæ (*), præsertim, quæ in acutas continuas degeneraverint. Quod auctor *libri septimi epidemicorum*, qui ad Hippocratem vere non pertinet, jam monuit, dicens: *Cholerica præcipue in æstati, et febres intermittentes, et quibus rigores accedunt, hæ aliquando malignæ fiunt, et ad morbos acutos perveniunt; sed cavere oportet. Maxime autem tales morbos arguit quinta, septima, aut nona, melius autem usque ad decimam quartam observare* (*b*).

(*a*) Sect. 4. aph. 43.
(*) *Quæ legitimæ, aut spuriæ sint, ubi speciatim de his agetur, patebit.* (*b*) N. 40.

§. 104. Ad tutius vero, et certius instituendum judicium plurimum facit tum febris, tum mo- Prognostica alia.

di, quo invadit, progreditur, et decedit, tum ejus, quem occupat, regiminis item, tempestatis, constitutionis, atque aliarum hujusmodi rerum accuratissima consideratio. Nam generatim quotidiana diuturnior esse solet, quam tertiana, non ita tamen, ut quartana, quæ ad menses, imo ad annos interdum, nisi cortex peruvianus opem ferat, producitur, sic ut, ante inventum hoc pene divinum auxilium, opprobrium medicorum passim vocaretur. Intermittentes, quæ verno tempore prodeunt, citius desinunt, quam quæ autumno. Viscerum robur, excretiones per superiora, aut inferiora opportuno tempore, et coctione peracta, si coctioni locus est, contingentes; sudor moderatus morbum levans, non crassus, non viscidus, non frigidus, universo e corpore profluens, neque nimium protractus breviorem morbum efficiunt: contrariæ his notæ; sanguinis acritudo vel præsens, vel imminens; cacochymia, solidarum partium debilitas diuturnitatem præsagiunt, vel aliorum morborum successionem, nempe viscerum obstructionum, tumorum varii generis (*), œdematum, cachexiæ, ascitis, hydrothoracis, anasarcæ, icteri, aliorumque malorum, in quæ febres illæ, quas supra (§. 68.) *corruptivas* nominavimus, præsertim terminantur.

(*) *Triplex genus tumorum ex* HAENII *fide, atque auctoritate* (Ratio med. P. XI. cap. 1.) *febribus intermittentibus supervenit. Primum genus faciunt lien prædurus, & magnus, pedumque œdemata. Lienis tumor, teste* SYDENHAMIO, *sæpe febrim fugat, maxime in pueris, ut sæpe evenit; ideoque salutaris dicitur, quamquam, ut ego arbitror, non semper. Œdemata vel sponte, vel leni frictione evanescere, idem* HAENIUS *asserit. Sed id quoque minime perpetuum est; sæpe internis auxiliis indigent. Alterum genus thoracis, & abdominis viscera afficit; hinc hy-*

drops, icterus, rhachitis. Hæc difficillima curatu sunt. Tertium complectitur scirrhos, & cancros, ab obstructionibus viscerum ortos, quibus ascites & hydrops saccatus accedunt: mala item, ut liquet, vix spem ullam relinquentia.

§. 105. Errores quoque in diæta commissi, catharticorum, aut phlebotomiæ abusus diuturniores, pertinacioresque has febres reddunt, præsertim quartanas, quarum diuturnitatem etiam appetitus præter morem auctus prænunciare solet. Notatu digna sunt, quæ auctor *coacarum* prænotionum (*a*) apposite habet. En verba: *Qui per febres intermittentes, inæqualiter incalescentes, alvum habent flatibus distentam, pauca transmittentem, iis post judicationem lumborum dolore suborto, alvi prorumpunt. Qui autem ad manus contactum exardescunt, torpore, siti, ac corporis incontinenti jactatione vexantur, ii alvo intercepta gravati exsolvuntur. Interdum etiam prærubra in pedibus ambusta eadem denunciant.* Item huc spectat illud Hippocraticum (*b*): *Intermittens vero febris, eademque errabunda in quartanam mutabitur, præcipue si autumnus proximus est.* Reliqua singulis harum febrium generibus magis propria alibi. Alia ad prognosim spectantia.

(*a*) N. 158. (*b*) Præsag. l. 2. n. 28.

CURATIO.

§. 106. Alia esse debet in benignis, et *depurativis*, alia in *perniciosis*, et *corruptivis* (§§. 68. 69.) curandi ratio. Benignæ, exquisitæ, et *depurativæ* vix medici opera egent. In his enim materia morbifica solis naturæ viribus subigitur, singulisque accessionibus difflatur, aut sensibili aliqua evacuatione sic excernitur, ut paullatim sanitas redeat. Contrarium evenit in reliquis, quæ Monita generalia.

nonnisi arte, et medicamentis feliciter expugnantur, cortice in primis peruviano adhibito. In universum caussa materialis, sive fomes febrilis corrigi, atque expelli debet. Regendus præterea febris motus est, ut etiam ejus ope id consequamur. Demum symptomatibus, atque aliis malis, quæ hisce febribus interdum superveniant, mature, prudenterque occurrendum. Si materialis caussa latet, aut corrigi, expellique non facile potest; aut ejus indolis est, quæ naturæ vires superet, ut in perniciosis, et malignis, aut corruptivis usuvenit, tota curatio cortici peruviano committenda est, qui mirabili quadam virtute omnes intermittentes, dummodo primariæ, et legitimæ sint, non vero symptomaticæ aut spuriæ, cito, tuto, et jucunde vincit, et depellit.

In primis ad caussas manifestas respiciendum.

§. 107. Advertere in primis animum oportet ad caussas remotas, et manifestas, quæ febri occasionem dederunt. Ubi ab animi pathemate, veluti ira, vehementi terrore, cupiditate, similibusque orta febris videatur, tunc vero simile est, nullum aliud vitium corpori inesse, si tamen caussam ejusmodi sufficere crediderimus, quin humoribus aliquid labis illatum sit. Itaque ut ipsa tollatur, aut consopiatur, sufficit animi quies, tempore, aut somno procuranda, vel aliud pathema excitatum, quo prioris effectus quodammodo deleatur, quemadmodum singultui, aut leviori hæmorrhagiæ incussum remedio esse sæpe videmus. Si vero a frigore, aut a cohibita transpiratione inducta fuerit febris, probabile est, lentorem sanguinis inde natum per motum febrilem resolutum iri, et perspirabile retentum per sudores exiturum. Cum primæ viæ peregrinis succis, aut inquinamentis scatent, fe-

brimque alunt, ideoque nausea, lingua sordida, halitus fœtens, anorexia, epigastrii, hypocondriorumque tensio, aut gravitas morbum comitantur, aut antecesserunt, aut similia cacochyliæ gastricæ indicia adsunt; emeticis, catharticis, clysteribus, potu largo, saponaceo, incidenti, salito; atque abstinentia utendum est, ut sordes omnes expurgentur radicitus. Id autem in juvenilibus corporibus, et sanguine plenis, præmissa venæsectione, promptius, tutius, feliciusque perficitur. Turgente bile, ut sape in biliosis temperamentis, æstivoque tempore, quo febres ardentium naturam facile induunt, turgere consuevit, præter ea, quæ leniter sursum, aut deorsum ejiciunt, subacida quoque in usum veniant utpote quæ alkalescenti, aut putrescenti humori obsistunt, quidquid contra obmurmurent si qui adhuc sunt sylvianæ hypotheseos sectatores. Fieri tamen aliquando potest, ut cruditas acida primas vias oppleat, febribusque contumacioribus caussam suppeditet. Id vitii cognoscitur ex victu farinaceo, crudo, vegetabili, acido jam, vel ad acescendum prono, ructibus acidis, facie pallida, ventre tumido, excrementis viridibus, acidumve spirantibus, ætate, aut sexu ad acidum spontaneum procliviori. Tunc profecto absorbentia, acidumque emendantia cum eccoproticis rhabarbarinis felicissime cedunt. Hinc magnesiæ albæ, pulveris ostrearum in calcem redactarum, saliumque alkalinorum fixorum ad intermittentes quasdam febres fugandas celebrata virtus.

Quid si a bile? Quid si a cruditate acida?

§. 108. Interdum sanguis diathesi inflammatoria sive lentore calido, aut copia, aut acrimonia biliosa, aut prava alia simili qualitate a naturali statu deflectit, quod præcipue in continuis jam ab initio, aut ad continuitatem pronis non ra-

Quid si cum sanguine phlogistico?

Aut mucoso inerti? rum est; tunc sanguinis emissio, et diæta severior requiritur, præter ea, quæ diluunt, refrigerant, et acritudinem notam emendant. In diuturnioribus intermittentibus febribus nonnunquam lentor humorum frigidus, sive mucus iners, vix acer, difficulter putrescens occurrit, qui ultima arteriarum, venarumque reticula, aut circumpositas cellulas, in quibus tardior circulationis motus esse videtur, infarcit, ac lentescendo obstruit. Hujusmodi vitium plerunque comitem habet solidarum partium atoniam, imo sæpe ab hac, ut caussa, dimanat. Tunc solvendus mucosus humor est amaris, salinis, acribus, calefacientibus, et leniter excitandus viscerum, vasorumque omnium tonus, firmandusque corroborantium usu.

Quid si a noxis halitibus? §. 109. Si vero noxia effluvia, putridi paludum vapores, miasmata epidemica, aut simile quidpiam veneni instar febrim genuisse videantur, ad antiseptica, quorum latissima supellex est, confugere illico oportet; sed ceteris omnibus antecellit cortex peruvianus, dummodo optimæ notæ sit, et liberali manu, ut opus est, adhibeatur. Si febris demum intermittens, secundaria, aut symptomatica esse cognoscatur, ut ea est, quæ a strumis, a scorbuto, a lue venerea, ab hysterica, aut hypochondriaca passione, a catarrho, a rheumate, a tuberculis, a phthisi pulmonari, aut alio morbo primario, ut symptoma, interdum pendet; omisso tum cortice, utpote inefficaci, et febri, licet intermissionibus distinctæ, tollendæ impari, transeundum ad ea remedia, quæ primario morbo accommodata sunt, diuque in iis persistendum est.

Curatio secundariæ aut symptomaticæ.

§. 110. Hæc generatim dicta ob oculos semper habeat oportet, quicumque febribus intermitten-

tibus curandis manum rite admovere cupit. Præterea quædam ei scitu necessaria supersunt de recta sanguinis missionem, aliasque evacuationes instituendi ratione, ut fax aliqua Tironi quasi præluceat, cujus ductu syrtes, scopulosque in dubio certamine, incertisque rebus ad rationis, experientiæque normam vitare possit. Et primum quod ad sanguinis missionem attinet, hæc communi fere omnium opinione reprobatur in intermittentibus præsertim epidemicis, etiam vernalibus, quia per eam, uti SYDENHAMIUS testatur (*a*), sæpe efficitur, ut perniciosiores reddantur, longiusque tempus perdurent, adscitis interea gravissimis symptomatibus non sine vitæ ipsius periculo. SYDENHAMIO accedit TORTIUS, qui eamdem omnino observationem adducit, affirmatque eadem die, qua sanguis e vena missus est, sæpe febrem e simplici duplicem (*) fieri. Fatetur tamen ipsum sponte, et sine hujusmodi caussa pluries evenire; tumque illud a venæsectione præstitum esse, cum eam in febribus æstivis sine prudenti rerum omnium consideratione adhibitam viderit. Monita circa sanguinis missionem.

(*a*) Observ. med. sect. 1. cap. V.

(*) *Nocuam sanguinis missionem repetitam, atque reduplicari inde febres vidit* RAMAZZINIUS *in* Constitutione epidemica rurali ann. 1690. *in qua febres intermittentes ob pluvias immodicas, & annonæ caritatem, in primis* corruptivæ *grassabantur. Vid. l. c.* §. 9. & 41.

§. 111. Itaque ratio, et cum ratione conjuncta experientia suadent, hic distinctione aliqua opus esse, nimirum neque semper sanguinis missionem in hisce febribus pertimescendam, neque certe in omnibus indiscriminatim et effuse administrandam. Nam et anni tempus, et febris naturam, atque ægri ætatem, temperiemque consi- Qua ratione Medicus se gerere debeat in sanguinis missione deliberanda.

derare oportet, antequam quidpiam deliberetur. Verno tempore, quo corpora turgent sanguine, humores rarescunt, ac expanduntur, et quodammodo ad se se defæcandum propendent, si febres eo vergant, ut plerumque solent; si ætas, et temperamentum, et reliqua consentiant, cur non poterit utiliter humorum copia per venæsectionem minui, spatium majus in vasis parari, ut naturæ motus expeditiores facti, citius, et facilius fine suo potiantur? Quid? si etiam paullo acutior sit morbus, et pulsus vehementior, pleniorque? Nonne in tanta vasorum plenitudine, sanguinisque concitatiori motu inflammationes viscerum, congestiones, canaliumque ruptiones liceat per sanguinis missionem præcavere, atque avertere?

Æstate et Autumno S. M. minus convenit.

§. 112. At vero æstate cum parcior sit sanguinis quantitas ob subtiliorem partem in vapores resolutam; cum humores omnes ad liquescendum inclinent; cum summa se ubique prodat eorum ad alkalescentiam, et corruptionem proclivitas; cum bilis copiosior, et fervidior prævaleat, non temere vena secanda est; nimirum non, nisi in majore sanguinis æstu, in diathesi inflammatoria, vasorum, habitusque plenitudine, atque aliis hujusce generis conditionibus. Multo minus autumno sanguinis missioni locum esse, plerique scriptores arbitrantur, quia, dispersa subtiliori humorum parte, vapidam, quæ remanet, atque effœtam credunt. Quare eo tempore febres profecto lentæ, et diuturnæ plerumque videntur, sicut crassos, lentos, inertesque liquores decet. Attamen quandoque incidit, ut in tempestatibus etiam, quæ minus sanguini mittendo opportunæ habentur, ejusdem constitutio ob aliquam intercedentem caussam ad inflammationes pronissima

sit, aliterque de venæsectione sentiendum jubeat.

§. 113. Præ ceteris febris ipsa, ejusque symptomata animadversionem merentur. Vehemens ejus gradus, aut ad continuitatem magna proclivitas venæsectionem exposcit, item grave aliquod symptoma, uti coma, delirium, pleuriticus dolor, sanguinis sputum, summa spirandi difficultas, eamdem exigunt, modo cetera non adversentur. Neque sola sanguinis missio, sed cucurbitulæ etiam, atque alia revellentia præsidia optime tunc adhibentur. Verum hæc, ut cuilibet manifestum est, non ratione febris tantummodo, sed adjunctorum symptomatum caussa conveniunt; neque in benignis, atque exquisitis semper, sed potius in perniciosis, aut corruptivis opportuna vere sunt.

Quando febris per se S. M. postulat.

§. 114. Aliquid etiam dicendum est de tempore, quo mitti sanguis potest. Apud Gallos in summo æstu febrili mitti solet, nec aliter faciunt plerique Italorum. Apud alios vero, et præcipue Galeni, veterumque sectatores die intermissionis, aut saltem febre ad finem properante tantum. Sed si necessitas urget, quovis febris tempore recte mittitur, excepto primo accessionis stadio, quo certe hominem venæsectio jugulare potest, quidquid contra aut agant aut judicent nonnulli, quos novandi cupiditas audaces reddit, aut temeritas adjuvat.

Tempus, quo mitti sanguis potest.

§. 115. Quæ de sanguinis missione ex SYDENHAMIO, et TORTIO retulimus, eadem illi habent de purgatione, affirmantes, similes omnino effectus, quos viderunt a venæsectione, etiam purgationem, præsertim in constitutione epidemica, sub-

De purgandi ratione.

sequi. Minus tamen noxiam purgationem, et vomitionem fuisse in memorata rurali constitutione (§. 110.) mutinensi deprehendit RAMAZZINIUS, dummodo prudenter, atque intra moderationis limites adhiberentur. Alias morbum pertinaciorem reddebant, deterioremque. Imo MATHÆUS GEORGI (*Art. piccol. di medic. p.* 61.) narrat in Dertonensi ditione quodam autumno *febres tertiano typo recurrentes frequenti purgatione tractatas lethales evasisse*; omissa autem purgatione ex consilio *eximii Medici* MORO fere omnes sanatas. Ceterum non pauci vomitionem laudant, in quartanæ potissimum initio, et interdum, prout res postulat, repetitam. Ea enim materiam, quæ morbum facit, prompte, et celeriter tam e primis viis, quam e remotioribus locis educi, aut characterem, ut vocant, quem in nervis tamquam febris proximam caussam, aut potius proegumenam (*) ponunt, tolli, et deleri, et sic contumaciores febres extirpari asserunt. Alii contra cane pejus, et angue emetica reformidant, aut inutiliter adhibita non semel fuisse narrant, exemplis in medium allatis. At nobis media via incedendum esse videtur; nimirum emeticis tum utendum, quando magna putridæ, aut viscidæ saburræ copia ventriculum gravat, aut bilioso humore depravato turget cystis fellea, hepar, et duodenum. Id autem indicant caussæ antecedentes, et procatarcticæ; sapor amarus; nausea, stomachi pondus, de quibus ægri, dum mane evigilant, in primis queruntur, flavus oculorum, faciei, aut urinarum color; appetitus dejectus, hypochondria, aut epigastrium tumidum. Interdum etiam hoc purgationis genus a sola febris diuturnitate, et pertinacia, aut ab autumnali tempore exposcitur, quasi vehementiore quadam concussione opus sit, ut fomes febrilis ab interioribus visce-

rum latibulis excutiatur. Sed antequam emetica adhibeantur, temperamentum, ætatem, vires, vitæ genus, pectoris, et capitis conformationem, morbos antecedentes, aliaque perpendere oportet, utrum consentiant. Lenia item apud nos eligantur, atque ubi vasorum aliqua plenitudo appareat, nonnisi post ea per venæsectionem depleta propinentur (**). De tempore, quo dari debeant, opportuniore, disceptatur inter auctores. Alii tempus ab accessione remotissimum; alii quam proximum ante accessionem præferendum existimant; atque his suum quoque calculum addit HAENIUS (*a*). At spasmi, et turbæ, quæ incipientem accessionem comitantur, ab emetico ita augeri possunt, ut Medicus deinde pœniteat temeritatis.

(*) *In omnibus morbis solent Pathologi ponere caussam proegumenam, sive prædisponentem, cui si superveniat caussa procatarctica, sive occasionalis, ex utriusque confluxu dicuntur oriri caussam morbi proximam. Cl.* SWIETENIUS (Comm. ad §. 755.) *in febrium intermittentium ætiologia hanc ipsam sequitur doctrinam, agnoscitque in nervis quamdam mutationem, sive characterem, quo præsente, uti caussa proegumena, facile ex levi quacunque occasione febris excitatur. Hunc characterem etiam sufficere sine humore ullo, sive fermento, sive fomite, ad febrim statis horis revocandam, non dubitat. Quare febrili fomiti videtur ipse quodammodo adversari. Ejus opinionem amplexus est* ALBRECHTUS THEAR (De actione system. nervosi in febribus. Gotting. 1774.) *aliique nuperiores. Sed quæ de hujusmodi hypothesi in utramque partem dici possunt, videantur apud Trnka* Hist. Febrium intermitt. vol. I. a §. 37. usque ad §. 52.

(**) *Neglecta hujusmodi cautione non modo pulmonum vasa lacerari possunt, verum etiam cerebri. Internam cerebri hæmorrhagiam inveni in cadavere hominis, qui post emeticum stupidus factus intra viginti quatuor horas gravissima ex apoplexia periit.*

(*a*) Rat. med. T. XI. cap. 1.

Damna validioris purgationis.

§. 116. Validiorem alvi ductionem complures TORTIUM secuti damnant, damnaverat etiam SIDENHAMIUS modo laudatus, nec immerito: nam quod purgationis amatores sibi proponunt, primas nimirum vias et viscera a pravis succis, obstructionibusque liberare, vix unquam assequuntur. Vires potius prosternunt, tonum viscerum labefactant, cruditatem augent; febresque reddunt diuturniores, imo periculosiores, in primis, etsi corruptivæ, aut perniciosæ indolis erant. Quamquam vero exercitatissimus TORTIUS iteratis experimentis id didicit, non tamen is est, qui omnem purgandi rationem rejiciat; blandam videlicet, lenem, et circumspectam. Licet igitur, ubi purgandi indicatio non desit, lenibus medicamentis, et pro humorum peccantium, anni temporis, ætatis, temperamenti, consuetudinis, vitæ generis ratione diversis alvum ducere. In biliosa constitutione, fervidiori anni tempore, similibusque casibus Lactis serum aut simplex, aut ex Tamarindis decoctum, aut cremore Tartari imbutum sufficiet. Cremor item Tartari unciæ pondere in aquæ fontanæ ferventis duabus, vel tribus libris solutus, et potui datus blandissime repurgat. Si acres, et tenues succi ventriculum ad inanem vomitionem, aut intestina ad dejiciendum frustra proritent, nec materia turgeat, oleo vel olivarum dulci, vel amygdalino recenter sine ignis ope expresso, et ad tres, vel quatuor uncias ex jure tenui propinato molestiæ hujusmodi egregie sedantur. Quod si paullo crassior, aut copiosior materia in primis viis hæreat, et tempestas autumnalis, temperamentum pituitosum, aliaque hujus generis concurrant, lenientium virtus augeri poterit. Hinc vel sales medii, et amari cathartici, vel cassia, vel manna, vel conserva florum persici, vel electuarium leniti-

Laudatur blanda et circumspecta purgatio.

vum, vel Rhabarbarum, vel species Hieræ simplicis Galeni erunt convenientissima. Cl. BECCARIO de me, auditore olim suo, optime merito in usu erat bolus, qui recipit florum cassiæ et conservæ malvæ, utriusque drachmas duas, et Rhabarbari electi drachmam semis; quem suavissime purgare ipse ajebat. Interdum solis clysteribus optatum finem consequimur, qui tutissimi sunt, et, quoties opus est, sine ullo ægrotantis incommodo iterantur.

§. 117. Expiatis primis viis utiliter usurpari solent quædam ex iis, quæ peculiari humorum, aut solidarum partium vitio cognito opponuntur, et veluti remotas caussas emendant, quæque febrifuga vulgo etiam appellantur, quia interdum febrem et ipsa tollunt. Primum locum obtinet serum lactis simplex, vel incoctis herbis amaricantibus alteratum, et per aliquot dies jejuno stomacho sumendum. Deinde veniunt plantæ quædam, uti Cichoreum, Taraxacum, Fumaria, Agrimonia, Carduus Benedictus, Camædrys, Centaurium minus, Absinthium, Ruta, Marrubium album, Cardiaca, Pentaphyllon, Securidaca; item flores Chamæmeli (*a*), Tanaceti, Aggerati (*b*), Arnicæ montanæ (*c*), sicuti etiam radices Pruni Silvestris, mali Persicæ, Serpentariæ virginianæ, Lappæ majoris, Gentianæ, aut cortex Nucis arboris (*d*), secundus Fraxini, Hippocastani (*e*), Salicis (*), Aurantiorum, Cascarillæ, Lignum Quassi, sive ejusdem radix (*f*); Baccæ Cupressi, et plantæ omnes antiscorbuticæ, in primis Trifolium fibrinum, ex quibus decocta (**), diluta, succi, extracta, tincturæ, pulveres, electuaria, pilulæ, mixturæ varii generis parantur.

(*a*) *Chamæmelum celebratum primum fuit a* NECHEPPO, *ab* AETIO, *deinde a* MORTONE, *a* PITCAR-

NIO, *a* CARTHEUSERO, *a* LANGEO, *aliisque*. *Vid.* LANGE Misc. veritat. fasc. 1. p. 79.

(*b*) *Vid.* Saggi di Med. di P. Paolo dall'Arme P. 2. p. 202. nella nota.

(*c*) COLLIN. Arnicæ in febribus vires, sive observat. P. V.

(*d*) FEBURE in not. ad Grantium de febrib.

(*e*) *Vid. Cl.* ANT. TURÆ Lettera, ed alcune osservazioni sulla febrifuga facoltà dell' Ippocastano, *quo in libro historia hujusce remedii, quod primus* MISTICHELLIUS *commendavit, usque ad nostra tempora comprehenditur; novisque periculis excellens ejusdem vis asseritur, & vindicatur.*

(*) *Species salicis, cujus corticem adhibendum volunt, est* salix vulgaris alba. *Decerpitur cortex ex ramis minoribus trium, vel quatuor annorum, qui crassitiem ab uno ad quatuor pollices habent, siccatosque in pulverem redigitur. Hujus autem pulveris scrupulum unum, vel duo dari debent quarta quaque hora tempore integritatis. Sic quinquaginta ægros, & ultra, sine ulla noxa perfecte a se sanatos asserit* ETMUNDUS STONE. *Idem in pertinacissimis quartanis, aliisque morbis, qui difficulter remediis auscultabant, pulveri corticis addidit quintam chinæ chinæ partem, qua ita ejus vires augentur, ut ægri repente convalescant. Neque ulla præparatione ante hujus remedii usum opus esse dicitur.* Phil. Transactions. Vol. LIII. p. 195.

(*f*) *Vid.* Sebastiani Severii *auditoris olim nostri*, Commentarius, in quo medicatæ Quassiæ vires expenduntur. Ticini 1776.

(**) *Cl.* HAENIUS *ad curandas febres inrermittentes commendat sequens decoctum:*

℞. rad. gramin.
Taraxaci an. lib. j. ss.
Minut. concis. & contus. indantur in aquæ puræ q. s. Decoq. per bihorium.
Colatur. prælo express. lib. iij. add.
Oxymel. simplic. lib. sem.
Sal. Polychrest. drachm. vj.
M. detur uncia quovis bihorio.
Vid. Ratio medend. P. XI. cap. I.

§. 118. His, prout e re fore videtur, adjici possunt *sales digestivi* dicti, tartari, absinthii, tartarus vitriolatus, polychrestus, de duobus, sive arcanum duplicatum, nitrum vitriolatum, digestivus SYLVII, mirabilis GLAUBERI, tartarus solubilis, similesque alii. Multa alia commendantur ab Auctoribus, quorum singula persequi longum nimis esset. Non tamen silentio præteriri pauca quædam debent, utpote usitatiora, et longa experientia apud multos veluti comprobata. Tale est illud CROLLII et RIVERII ex sale alkalino fixo, et acido vitriolico (*) conflatum, aut illud aliud, cui nomen *Specificum* MORTONI ex floribus chamæmeli, sale absinthii, et antimonio diaphoretico constans (**), quo Auctor eas intermittentes vicisse narrat, quæ cortici peruviano restiterant, quæ secundariæ, aut symptomaticæ, et spuriæ fortasse fuerunt. Laudantur quoque Sal ammoniacum ad drachmas duas bihorio ante accessionem datum (***), Camphora collo appensa, aut intrinsecus sumpta, semina Pastinacæ ad drachmam unam, itemque testæ ovorum in calcem igne redactæ ad drachmam semis bis, aut ter in die adhibitæ, quarum SAUVAGESIUS (*a*), aliique testantur utilitatem. In Hispania frequenti usu commendatissimum est AUDONII Febrifugum ex Fabarum *Caffée* saturatiore decocto, et citrei mali succo compositum (****).

Sales medii. Riverii et Crollii Specificum. Specificum Mortoni. Sal ammoniacum. Pastinacæ semina. Febrifugum Audonii.

(*) *Sic paratur*. ℞. acq. cichor. unc. iij. Sal. absinth. alcal. drach. sem. spir. sulph. aut vitriol. gutt. xij. vel scrup. j. M. hauriatur duabus horis ante accessionem.

(**) *Specificum Mortoni sic describitur ab auctore suo* (De febr. intermitt. cap. VI. exercit. I. pag. 50.)

℞. Flor. chamæmel. subtiliss. pulv. (plus minus pro ætate) scrup. j.
Antimon. diaphor.
Sal. absynt. an. scrup. sem.

M. f. pulv. sumendus in haustu cujuscunque julapii temperati; aut in formam boli, aut pil. cum mucilag. gumm. tragachant. redactus, sexta quaque hora per biduum vel triduum repetendus. *Historias hoc remedio curatarum febrium videsis apud eumdem* l. c. cap. IX. p. 115. & seq.

(***) *Nocet calidiori temperamento præditis, & facile intermittentes in continuas commutat; quod non semel vidi egomet ipse, videruntque alii.*

(a) Nosolog. cl. 2. Feb. interm. ord. 3.

(****) AUDONII Febrifugum sic habet:
℞. Caffée tost. & trit. drach. sex, coq. in aquæ unciis tribus ad dimidias. Resid. decantat. add. succi citri uncias binas. M. calide propinatur ægro jejuno apyrexiæ tempore. Alvum, & sudorem movere dicitur.

Quædam alia celebrantur. §. 119. WERLHOFIUS (a) *non spernendum remedium* testatur *oleum animale* DIPPELII ad guttas quinque, et viginti haustum, eoque tertianam fugasse refert LINNÆUS (b). Sulphur quoque *minerale* a drachma dimidia ad unam aliquoties ante accessionem ingestum ab ETTMULLERO, RULANDO, RIVERIO, aliisque (c), inter antifebrilia recensetur. Inter hæc locum aliquem invenit pariter *Kermes minerale*, cujus semigranum infantibus febre intermittente laborantibus bis, ter, quaterve in die ingestum summopere prodesse, auctor est GEOFFROYUS (c*). Adstringentia etiam extolluntur. Decoctum Plantaginis post DIOSCORIDEM, et GERBESIUM SENACIUS adhibuit ad febres contumaciores (d). Gallas a drachma semis ad unam omni quadrihorio RENEAULMIUS (e). Alumen crudum a dimidio scrupulo ad unum ex decocto centaurei minoris quinque horis ante febris ingressum datum summopere concelebrant HARTMANNUS, GRULINGIUS, ETTMULLERUS, atque alii (f). A stypticis autem hujusmodi remediis consultius putaverim omnino abstinere. Nec tuta, nec in-

nocua omnino esse, suadet ratio. Denique Aqua sola affatim per biduum, aut triduum sine alio alimento a veteribus primum, nunc a SENACIO (g) et DIDELOTIO (h) tamquam certissimum *antipyreticon* proponitur. Opium etiam non nulli (*), et Theriacam ante accessionem dandam jubent, nec desunt, qui venena, et in primis arsenicum, ut FRICCIUS, nucem vomicam, cicutam, fabam sancti Ignatii, araneas, aliaque aut absurda, aut nauseosa, uti urinam humanam, aut vaccinam, pulverem pyrium, piper, suadent. Sed pleraque ex his aut noxia, aut futilia factis periculis deprehensa sunt, præ primis arsenicum, a quo Cl. viri HAENIUS, STORCKIUS Archiater, Cæsar comes, et QUARINIUS plurima, et ferme incurabilia mala profecta (i) testantur.

(a) Observ. de febr. sect. 2. §.3.
(b) Diss. de morb. adven. in America vexantib. §.84.
(c) TRNKA l. c. P. 2. sect. 2. cap. V. §. e.
(c*) Mat. Med. T. 1. pag. 126.
(d) TRNKA l. c. cap. VIII. §. *a*.
(e) Acad. Roy. des Scienc. des Paris an. 1711.
(f) TRNKA l. c. §. *f*. p. 508.
(g) L. c. lib. 3. cap. 8.
(h) Avis aux Gens de la campag. chap. 20. p. 155.
(*) CL. BERRYAT, *quia verosimilius putat, a spasmis intermittentes oriri, quam ab obstructionibus, præsertim quando magno cum horrore invadunt, idcirco medicamentum ex opio, quo spasmi tollantur, præbet. Utitur autem laudano liquido* SYDENHAMII, *in infantibus ad guttas sex, in adultis ad viginti, ex diluto centaurei minoris, hora una ante accessum horroris. Sudorem promovet, si æger lectulo se contineat. Ipse tertianas se curasse ait, quæ corticem chinæ spreverant. Vid.* Comm. Lips. Vol. VI. P. 3. pag. 517. 518. *At neque hoc tutum remedium est. Nata inde novi lethalia, & vix superanda symptomata.*
(i) HAEN Rat. med. T. XI. p. 64. 65. STORCKIUS Ann. med. 1. p. 79. 80. QUARIN. febr. medend. c. XII. pag. 138.

Topica sive Epicarpia antifebrilia.

§. 120. Præterea a nonnullis topica quædam et proponuntur, et magno in pretio habentur. Duo tantum *epicarpia* hic commemorabo, quæ MORTONIUS tamquam usu comprobata describit. Alterum ex Terebinthinæ venetæ, et pulveris Olibani æquis partibus constat; alterum vero ex Chelidonio majore, et Ruta cum fuliginis, saponis veneti, et salis marini idonea quantitate contusis, atque aceto acerrimo subactis. Utrumque carpis manuum admoveri solet bihorio ante novam febrim. Neque reticendum est, nuperos quosdam non infimæ notæ medicos præcipere, ut totum corpus pannis calidis aliquo ante accessum febrilem tempore perfricetur, et deinde decoctum aliquod sudoriferum præbeatur, ut provocato sic sudore frigus arceatur. Id bis felicissime tentavit Cl. STORCKIUS (*a*).

(*a*) Ann. med. 2. p. 161. & seq.

Regimen in quavis accessione.

§. 121. Demum magni interest, quomodo ægri in quavis accessione gerere se debeant. Initio accessionis, quo frigus se exserit, *maturius veste multa* æger *tegendus est*; admovendaque *sicca et calida fomenta* partibus, quæ majori frigore afficiuntur, sic tamen, *ut ne statim*, ut ait CELSUS, *vehementissimi calores incipiant*, *sed paullatim increscant* (*a*). A potu quoad fieri potest, abstinendum esse docent plerique clinicorum, quanquam eo tempore sitis quam ardentissima ad bibendum solicitet. A potu enim, præsertim frigido, et copioso non modo frigus molestius, diuturniusque redditur, verum etiam nausea, vomitus, anxietas, et turbationes internæ invalescunt. Nihilo tamen minus, ubi sitis intolerabilis est, potus calidiusculus concedi poterit, sed exigua, et parciori manu; quo fauces humectentur, morbifica materies diluatur, faciliusque properet ad

excretionem, et spasticæ interiorum, exteriorumque partium contractiones relaxentur. Quo etiam tendere videntur linimenta nervina, et aromatica, quibus scrobiculus cordis, et spina dorsi calide inungi possunt. Oleum nucistæ, balsamum peruvianum, oleum stillatitium ceræ, succini, terebinthinæ, lavendulæ, atque alia ejusdem generis ad id opportuna esse solent. Intrinsecus vero ea minime dentur, quæ calefaciunt nimis; nam sæpe febrim exasperant. Calore autem diffundi cœpto, licet largiori potu uti, sed acidulus sit oportet, temperans, atque antiphlogisticus, præsertim si vehementer æstuet corpus. Quod si post aliquot horas sudor non erumpat, aut lente prodeat, neque calidus potus eum satis proliciat; adjuvandus tandem est infusis, aut incoctis potioni floribus Chamœmeli, Sambuci, Tiliæ, Arnicæ, aut summitatibus Cardui benedicti, Centaurei minoris, Chamædrios, similiumque.

(*a*) De Med. l. 3. cap. XI.

§. 122. Nec minus refert, qua ratione febricitantes nutriendi sunt. Generatim eo tenuior victus esse debet, quo breviora integritatis intervalla; paullo liberalior, quo longiora. Nihil cibi dandum est prope accessionem, et multo minus in ipsa accessione. Alioquin vomitus, anxietas, aut febris vehementior, et longior subsequitur. Neque eo tempore somno indulgere licet, sed quam longissime ab eo, atque in remissionibus tantum. Remittente febre, aut jam finita accessione, quod tutius est, nostri juscula concedunt, ovaque sorbilia. Quando vero diuturnior est morbi continuatio, aliquid etiam carnium, et vini dilutioris dant diebus a febre vacuis. Experientia enim docuit, in hisce febribus tenuiorem victus rationem, quando trahuntur, viribus maxi- Victus ratio.

me noxiam esse. Diebus item, quibus accessiones non fiunt, leniter exerceri corpus expedit, in primis ante cibum, aut frictionibus uti, ut ne vires, et solidarum partium, visceruinque robur penitus elangueant.

Quando in benignis cortice opus sit.

§. 123. Hac prope ratione benignæ intermittentes, et *depuratoriæ* curantur, quin imo solo diætetico sæpe regimine adhibito, plerumque exactis aliquot circuitibus primum mitescere, deinde penitus desinere consueverunt. Ni vero hoc eveniat, diuque trahantur; aut contra si febres de *corruptivarum*, aut *perniciosarum* genere se prodant; cortice chinæ chinæ, qui omnibus quibuscunque aliis remediis virtute antipyretica antecellit, mox supprimendæ sunt. Itaque aliquid de ejus usu ad sistendas febres dicere nunc convenit. Primis illis temporibus, quibus divinum hoc remedium innotuit, infundebantur ejus bene in pulverem attenuati binæ drachmæ in uncias aliquot vini meracioris, et deinde una cum vino propinabantur duabus horis ante accessionem, et quidem graviorem, si febris duplex erat. Illa accessio non cohibebatur, sed futura, quæ ei respondebat. Bis aut ter ad summum repetitum remedium, si optimæ notæ esset, quascunque accessiones avertebat. Sin minus, augenda erat dosis, ut qualitas quantitate suppleretur. Hinc iteratis periclitationibus compertum est, corticem, ut suam vim exerceat, egere tempore, quod non minus sit viginti quatuor horis. Quam ob rem non prope ipsam accessionem, quo in casu vomitu sæpe rejicitur, sed quam longissime a ventura accessione dari optimo consilio cœptus est; ut nimirum tantum temporis corpori adhæreat, quantum ad suam vim exercendam opus habet.

De corticis usu.

§. 124. Paullatim autem cortex tanta celebritate inclaruit, ut per totum ferme terrarum orbem non modo ad febres, verum ad alios etiam morbos curandos adhiberetur. Hinc ejus copia et bonitas minui cœpit; deinde etiam fieri non potuit, quin a mercatoribus lucri percupidis variis mixtionibus, et artificiis adulteraretur; hinc vires ejus medicæ a prisca illa, atque admiranda efficacitate non parum defecerunt. Necesse igitur fuit sensim remedii dosim adaugere, ut quantitate efficacitatis defectus compensaretur. Imo nostris temporibus ea ipsa remedii quantitas, quam TORTIUS ad febres perniciosas vincendas necessariam summo cum generis humani beneficio invenit, et palam fecit, etsi satis amplior et validior (si cum vetere, et communi illa, quæ adhiberi solita erat, comparetur) non raro ob remedii adulterati, aut effœti imbecillitatem, atque inertiam vix expectationi respondet. Quare hodie adeo varia, multiplexque chinam chinam adhibendi ratio est, ut non facile duo medici reperiantur, qui in una, eademque conveniant.

Ejus adulteratio.

Varia eum adhibendi ratio.

§. 125. Apud plerosque tamen id unum ratum, fixumque videtur, ad benignam febrim sistendam tres, aut quatuor remedii drachmas, aut, quod summum est, tres quartas unciæ partes sufficere, in plures vices non valde dissitas, opportune, et prudenter divisas. Sed præstat in benignis quoque febribus bis saltem quolibet die tantum chinæ chinæ præbere, donec uncia, aut sesquiuncia absumpta ejus sit. Et quoniam hujusmodi febres, postquam desierint, facile revertuntur, id præcaveri oportet, continuato ejus usu, et data per dies aliquot drachma semis, vel una, donec alia nimirum uncia absolvatur. Neque alienum est, justis intervallis eamdem medendi ra-

Hodie quænam ejus dosis in benignis.

tionem repetere ad dies usque quadraginta; quibus præterlapsis vix unquam recidivæ fiunt. At, ubi febris non solum benigna est, sed etiam exigua et lenis, et sola tantum diuturnitate molesta, tunc cortex minori admodum dosi, et fere in modum alterantis dari potest, ut penitus ea extinguatur.

In corruptivis quæ dosis esse debeat. §. 126. *Corruptivæ* vero febres largiorem dosim (*) postulant, ideoque toto remissionis, intermissionisque intervallo quarta unciæ pars bis, vel ter sumenda est, quousque febris decesserit. Febri omnino cohibita, drachmam unam bis in die, mane nimirum, et vespere adhuc sumere expedit, donec ad duarum unciarum pondus perventum sit. Largior adhuc in perniciosis. In perniciosis demum, atque ad acutas vergentibus major adhuc remedii vis pro qualibet vice adhibenda est; quæ tamen sic definiri haud potest, ut omnibus, et singulis casibus accommodetur; sed pro rerum, et casuum ratione variari debet. Generatim quomodo cortice utendum. Universim tamen scire licet, in perniciosis comitatis (§§. 69. 70.) unciam chinæ chinæ requiri, ut accessio proxima, quæ exitium afferre potest, avertatur, nec interdum eam satis esse, cum sæpe experientia ostenderit, ad accessionem, febrimque omnino tollendam amplius sesquiuncia opus esse. Pro vario autem intervallo, quod inter unam, atque alteram accessionem intercedit, breviori videlicet, aut longiori, ut Tortius accuratissime docuit, diverse etiam totum remedium partiri, et dividi debet. Ubi brevius intervallum est, primo statim remissionis tempore uncia dimidia, imo in graviori metu drachmæ sex corticis uno haustu propinandæ sunt, quatuor deinde aliæ, aut sex divisim reliquo, quod superest, spatio, sive remissionis, sive intermissionis illud sit; ita, ut singulæ doses

sensim decrescant, atque earum minima postremo loco detur, nempe aliquot ante horis, quàm febris accedat. Quando autem longius integritatis intervallum est, tunc potest remedium in plures adhuc partes dividi, et majus inter unamquamque partem spatium relinqui; ut prima et altera assumptio tres drachmas non excedat, reliquæ vero drachmas duas æquent. Etenim tota artis providentia in eo consistit, ut sex illæ drachmæ, aut uncia, aut sesquiuncia, quæ ad febrem perniciosam comitatam arcendam opus sunt, ita dividantur, ut ante exitialem accessionem, quæ expectatur, et præcaveri debet, ex toto absumantur, hac tamen cautione, ut prima corticis pars assumenda omnium reliquarum sit maxima. Nam, si contrario modo fieret, optato fine non potiretur medicamentum, quia prima ejus dosis impar est febri sistendæ, etsi temporis, quo agat, conditio ei non deficiat; posteriores vero sero nimis superveniunt, ut febrili caussæ obsistere possint.

(*) Cl. RAMAZZINIUS *in* rurali constitutione epidemica *ann.* 1690. *narrat corticem peruvianum non satis prospere cessisse. Febres autem illæ de genere* corruptivarum *erant, & cum primarum viarum cacochylia complicabantur. Si Cl. vir primas vias rite prius repurgasset, deinde largius & diutius corticem cito dedisset, quemadmodum* corruptivarum *natura postulat, fortasse causam non habuisset, cur corticis dati eum pœniteret. Id ego expertus sum in epidemia quam simillima, atque ab eisdem omnino caussis profecta.*

§. 127. Eodem ferme modo variatur corticis adhibendi ratio in eo perniciosarum febrium genere, quæ, quia continuitatem, acutamque indolem assumunt, *subcontinuæ* vocantur. Nam, prout celerior, aut tardior est earum ad continuitatem acutam progressio, sic largior, aut par-

In subcontinuis quo modo dandus cortex. cior esse debet ejus oblatio; quam etiam pro re nata præcedant oportet sanguinis missiones iteratæ, aliaque generaliora auxilia, ut supra (§. 106. etc.) traditum est. Itaque si ex calore, et siticula, aliisque signis (§§. 71. 102.) jam memoratis, intermissionis die superstitibus, si ex frigoris diminutione, accessionum productione, et gravitate cognoscamus, febrem jam *subcontinuam* esse factam, circuitu nondum ex toto tamen obscurato, quod earum proprium est; protinus mane diei, quæ vacua fuisset, dentur drachmæ binæ, vesperi tantumdem, die vero venturæ accessionis, horis aliquot ante, drachma una, aut paullo amplius; accessione demum remittente iterum duæ drachmæ, et sic porro, donec unciarum duarum pondus insumptum sit, febrisque discussa. Minime vero ex vino tunc corticem dare convenit, sed ex aqua quacunque, morbo acuto magis accommodata. Quod si continuitas jam invaluerit, obscurioresque circuitus facti fuerint, accedentibus insuper gravioribus symptomatibus, videlicet artuum tremoribus, motibus convulsivis, subdelirio, urinis subjugalibus, voce tremula, singultu, aliisque id genus, validiori forma his obviam eundum est. Tum prima corticis dosis sit trium, vel quatuor drachmarum, altera duarum, deinde sesquidrachmæ mane, et vesperi, demum drachmæ unius, et sic paullatim imminuenda, donec uncia, aut sesquiuncia consumpta fuerit.

Febre sublata continuandus corticis usus. §. 128. Sublata per corticem febre non statim ab ejus usu desistere oportet, sed in eo adhuc per aliquot dies continuandum est, imminuta paullatim dosi, ut omnis febrilis fomes penitus extinguatur. Quamdiu autem id fieri debeat, prudentis medici, et singula attente perpendentis

esto decernere. In universum tantum corticis ad febrem præcavendam, nam facile revertitur, dari debet, quantum ad sistendam adhibitum fuit. Istud autem præstat in quatuor partes dividere, quarum una nono et decimo quovis die in minores aliquot doses partita, et justis intervallis tributa sumatur. Nec dissimili ratione (§. 127.) cortex adhibendus est iis febribus, quæ ob anticipantes accessiones continuæ fiunt, et peculiari nomine, ut a *subcontinuis* proprie dictis discriminentur, *subintrantes* (§. 71.) appellari solent. Quomdaudus subintrantibus.

§. 129. In more medicorum positum est apud quasdam nationes chinam chinam parca manu, sed brevibus intervallis repetitam, adhibere, ad drachmam unam nimirum tertia, vel quarta quaque hora, donec febris cesset, vel ad idem pondus singulis diebus per aliquot hebdomadas, ut febris reversio arceatur (*). Sed experientia docuit, utilius certiusque largiori eam dosi pro qualibet vice, quanquam longioribus intervallis, adhiberi. Priori enim modo, cum febrili fomiti supprimendo non valeat, aut febrim non sistit, aut sub ipsomet remedii usu, quando desierit, eam repullulare et recidivam fieri, nequaquam impedit. Accedit præterea, quod somni molestissime interrumpantur, capiendique cibi hora difficilius inveniatur. Quæ omnia, altero, quem dixi, modo, commodissime evitantur. At ubi ampliori utimur corticis dosi, sæpe accidit, ut alvus laxetur. Si hoc post primas tantum doses, ut plerumque fit, eveniat, sinere oportet: sin vero ulterius alvi fluxus producatur, aut ingravescat, tum *Diascordio Fracastorii*, aut *Theriaca Andromachi*, aut *Laudano liquido Sydenhamii* seorsum datis, vel chinæ chinæ prudenter adjectis cohiberi debet; fluente enim alvo, cor-

An parca manu datus præferri debeat?

Quid agendum, si alvum laxet.

tex prius descenderet, prodiretque, quam morbi caussam emendasset.

(*) Hæc methodus, si unquam locum habet, in pueris, morosisque fæminis, & nauseantibus ægris tantummodo tentari poterit.

Cortex cum catharticis non debet commisceri.

§. 130. Pessime igitur consulunt suis ægrotantibus, qui corticem cum alvum ducentibus conjungendum proponunt, aut eo maximam curam dirigunt, ut confestim alvo demittatur. SYDENHAMIUS (*a*), et TORTIUS (*b*), multique alii (*c*) observarunt febrim jam cohibitam dato cathartico, quinetiam emetico iterum exsuscitari. Id negant alii, aut felicius catharticis admixtis, quæ depravatos humores educant, aut obstructiones, nescio quas, reserent, aut mala quæ a ligneo, et styptico medicamento sibi confingunt, avertant, febrem tolli contendunt. Ego vero priorum, experientia ductus, sequor rationem, et, si purgandi indicationes adsint, alvum blande, et repetitis vicibus ut supra (§§. 115. 116.) posui. expiare soleo, antequam ad corticem deveniam, Tum a catharticis ægros prohibeo, itemque ab iis omnibus, quæ alvum laxare possunt, fructibus nempe, oleribus, bellariis, similibusque. Quod si alvus præter modum adstricta molliri quandoque debeat, soli clysteres, aut rhabarbari grana aliquot innoxie id præstabunt. Non omittam tamen cum SYDENHAMIO (*d*) et SWIETENIO (*e*) advertere, febres autumnales, postquam china china suppressæ fuerint, catharsim sæpe requirere; nam ea neglecta, vel recidivæ fiunt, vel alii morbi succedunt, ut arbitrantur. Purgationem autem hanc post quadragesimam a febre finita diem instituendam solum monet SYDENHAMIUS dandumque vesperi paregoricum, ne catharseos irritatione febris revocetur. Cavendum præterea a nimia ci-

borum repletione est, atque ab aere frigidiore ad aliquot hebdomadas, ne depravata digestio, aut inhibita transpiratio caussam præbeat, cur febris recidiva repullulet.

(a) Epist. 1. responsor. pag. 531.
(b) Loc. cit.
(c) GEOFFROY Mat. med. T. 1. pag. 280. SWIETEN §. 757. GORTER comp. med. Tr. 52. §. 33.
(d) Ibid. (e) Ibid. §. 766.

§. 131. Præsentissimum Chinæ Chinæ præsidium, quocunque modo usurpetur, sive diluti, sive decocti, sive tincturæ, extracti, elixyrii, syrupi, electuarii, pilularum, aut pulveris forma, tam ore sumptum, quam ano injectum miros semper effectus præstat. Fidissimis tamen ex observationibus constat, nullam præparationem simplici ejus pulvere, dummodo recens (*) ex optimo, et tenuiori cortice peruviano sit confectus, efficaciorem, aut præstantiorem esse. Peculiares vero circumstantiæ interdum faciunt, ut una potius forma, quam alia ægrotantibus commodior, jucundiorque existat, ideoque altera alteri præferatur. Et quamquam ore assumptum et glutitum valentius procul dubio agat; non tamen effectu caret, sed lentiori, etiam clysteris ope subter datum. Tum decoctum saturatius, aut extractum in aqua, aut lacte solutum magis huic usui accommodatum est, et pueris in primis, qui a remediis etiam edulcatis, atque elegantioribus interdum invicte abhorrent, adultisque, quos vomitus perpetuus, aut ex morbo, aut ex medicamento vexat, non parum proficuum.

Pulvis cuicunque præparationi præstat.

Quando alia forma dandus cortex.

(*) *Pulvis chinæ chinæ, licet in pyxide, aut vasculis clausis servetur, plurimum deperdit suarum virium. Oportet igitur eam in pulverem tum solum contundi, & redigi, cum eadem uti volumus. Jo,*

Frid. Mautii Dissertat. de Cortice peruviano *extat in* Thesauro Dissertation. Programmat. &c. Eduardi Sandifortii Vol. 1. p. 277. Roterodami 1778. in 4. *in qua diligentissime traditur historia corticis hujus botanica, chymica, & medica cum notis bonitatis ejusdem. Notæ bonitatis sunt hujusmodi: exterius cortex peruvianus esse debet scaber, asper, fuscus, pallidis punctis hinc illinc maculatus, musco quandoque canescens; interius lævis, pulitus, colore cinnamomi, sed paullo obscuriori, & ferrigineo; in frusta diffractus, & soli adversus ostendat puncta splendentia, ac si inesset nitrum cristallinum; odore sit mucido, & leviter aromatico, sapore aromatice amaro, leviter styptico; dentibus friabilis, non viscidus, non glutinosus, non ligneus. Addi potest, oportere, ut sit e ramis minoribus, junioribusque decerptus. Contra suspecta est exterior facies alba, aut plane flava, quam flavedinem inducere solent curcuma radice adulteratores lucri caussa, ut quoscunque alios cortices peruviano similes reddant. Si sapor ejus sit nimium amarus, tum indicium est, corticem succo aloes fuisse imbutum, ne effætus appareret. Rejiciendus omnino est vermibus exesus, corruptus, crassus nimis, & nimis lignosus, itemque ille qui jamdiu in pulverem redactus, obsoleverit.*

Innoxium remedium est.

§. 132. Non ergo audiendi sunt imperiti quidam homines, qui multis de caussis præstantissimum hocce remedium criminantur, neque fides habenda vituperationibus quorumdam medicorum, qui ex præconceptis opinionibus de eo judicium tulerunt; quorum tamen hodie exiguus adeo est numerus etiam apud Germanos, et Gallos, apud quos olim male audire solebat, ut ejus osoribus silentium jam imposuisse optimam magistram experientiam, dicendum sit. Non obstructiones, non infarctus progignit, et si qui a febre ipsa, in primis diuturniore geniti fuerint, eos paullatim resolvit, et reserat; non ventriculo infensum est, cum potius, exceptis paucis casibus (*), eum firmet, et recreet; nec febrim sopit tantum-

modo, sed penitus extinguit, dummodo satis valida manu, et quamdiu opus est, adhibeatur, et crises, quas promovere certo solet (**), non impediantur neglectu diætici regiminis.

(*) Interdum tanta est ventriculi sensibilitas, aut talis ejus idiosyncrasia, ut revera ferri id remedium non possit, nisi arte quodammodo contemperetur. Tum vel infusi, vel extracti forma, vel cum mucilaginosis, aut demulcentibus junctum sæpe tutius assumitur.

(**) Modo hanc, modo illam excretionem promovet, sed præcipue & semper respirationem auget. ALBERTIN. Comment. Acad. Bonon. Tom. 1. pag. 405. GORTER. Comp. med. Tr. 52. §. 27.

§. 133. At, inquis, eo curati sæpe in febrem relabuntur. Hoc vero nec perpetuum est, nec solius corticis peruviani vitium, cum aliis quoque medicamentis, quæ febres intermittentes propulsant, commune id esse soleat. Sed quando post febres, eo sublatas, relapsus hujusmodi contingit, non ideo inefficax, aut infida ejus virtus illico dicenda est. Plerumque aut medici culpa, qui effœtum nimis remedium, aut nimis parca manu, aut non satis diu dederit (*a*) aut ægroti, qui diætetica præcepta neglexerit, revocari febrim crediderim. Sæpissime etiam id fieri verosimillimum est, quod caussæ remotæ, a quibus febris primum orta est, uti aeris, regionisque constitutio, aut cibi, et potus deterior indoles, aut humorum cacochymia, aut vetus viscerum prima labes perseverant; nec mirum proinde est, si ut primum, sic iterum, et tertio, et quarto febrim non revocent modo, sed etiam excitent, atque inducant. Quare sæpissime accidit, ut ægri non perfecte reconvalescant, nisi et aerem, et regionem, et victum, et potum cum salubriore commutent, peregrinentur, equitent, vehantur, et antiqua vitia, quæ

Febris reversio communis est cum aliis antidotis.

Caussæ recidivarum.

morbum fovent, aperientibus, antiscorbuticis, martialibus, aut antivenereis medicamentis oppugnent. Hinc fortasse ratio petenda est, cur contumacissimas interdum febres intermittentes, tam periodicas, quam erraticas, et vagas, aut recidivas, aut chronicas devictas narrent Clinicorum non pauci, adjectis cortici succis antiscorbuticis, salibus mediis, chalybe, mercurio (*) dulci, aliisque alioquin nullo modo necessariis (b).

(a) GORTERIUS Compend. med. Tractat. 52. §. 52. *inquit:* cortex si magna copia detur, febrim sistit sine recidiva. *Verum id esse, pluries, & pluries comperi.*

(*) *Mercurium dulcem præter* RIVERIUM, *laudant adversus febres intermittentes*, SCHULZIUS, VOGELIUS, BUCHNERUS, LUDWIGIUS, *aliique; sed præcipue tum mirifice prodesse, ait* FRIDERICUS CASIMIRUS MEDICUS *cum labes venerea simul subsit. Nec mercurius crudus sua laude fraudandus est. Clar.* JOSEPH BENVENUTUS *in quadam epidemica constitutione febrium perniciosarum, quæ in continuas petechiales facillime degenerabant, corticem solum imparem iis subigendis deprehendisse narrat; efficacissimum vero factum additione hydrargyri. Addebat autem hydrargyri scrupulum cuilibet corticis drachmæ, sicque ejus vim novo, & felici experimento auctam summopere fuisse testatur. Videatur ejus* Dissertatio historico-epistolaris ad clar. virum BARTHOLOMÆUM BECCHARIUM, qua epidemicæ febres in Lucensis Dominii quibusdam pagis grassantes describuntur &c. Lucæ 1754.

(b) GORTER *l. c. §. eod.* cortici nihil addendum, nisi symptoma aliter exigat.

Nulla eget plerumque additione.

§. 134. Nulla enim per se indiget additione, si febres puræ, simplices, primariæ, non complicatæ sint; ægrique aut venæsectione, aut purgatione aut aliis præsidiis rite ad ejus usum præparati, ut decet, fuerint. Amplius triginta annis hoc pene divino remedii genere usus sum,

nec unquam vidi in hisce, quos memoravi, casibus aut effectu caruisse, aut mala post se reliquisse, quorum falso insimulatur. Neque ejus laudibus quidquam detrahit, quod minime notum sit, qua ratione febres istas profliget; nam sive acido sale, sive alkalino, sive utroque, sive gummoso, aut resinoso principio, quo scatet, illud agere velis, sive antiseptica vi, sive styptica, sive nervina, sive stomachica, sive uno modo, sive alio malueris, nobis perinde videtur. Id unum certe novimus, quamquam modum, quo agit, sapientiores se ignorare fateantur, tutissimum, efficacissimumque in manu exercitati, et periti medici esse, et nostra hac ætate ab ignari vulgi calumniis satis, superque per doctissimos viros (*) vindicatum.

(*) *Innumeri fere scriptores extant, qui de corticis peruviani viribus, rectoque usu non modo in febribus, verum in aliis etiam morbis præclarissimas observationes ediderunt. Sed pro millenis profecto erit* I. H. Rahn M. D. *qui* Volumen primum, *quod inscribitur* Adversaria Medico-Practica, *Turici an.* 1779. *editum impendit, ut absolutissima eruditione undique conquisita, & interposito ubique æquissimo judicio ostendatur* usus Corticis Peruviani salutaris, & noxius. *Sciendum tamen est hoc eodem volumine, quod paginis* 408. *in* 8. *constat, contineri tantum priorem partem, quæ sistit* Corticis Peruviani usum in Febribus *tam intermittentibus, quam continuis cujusque generis; alteram avidissime a nobis expectari, qua de ejus usu in aliis morbis Cl. Auctor, ut speramus, disserens, parem doctrinæ ubertatem communi omnium bono nobiscum communicet.*

QUOTIDIANA INTERMITTENS.

Quotidianæ differentiæ.

§. 135. Quotidiana intermittens (*) quodnam febris genus sit, vel nomen ipsum statim significat. Est autem febris, quæ singulis diebus easdem, similesque habet accessiones, et decessiones. Distingui solet in *veram*, sive *exquisitam*, et in *spuriam*, sive *notham*. Utraque a tempore dici, quo invadit, videtur indicari; sed hac de re non satis convenit inter Auctores. Quidam enim, inter quos veterum plerique, illam horis pomeridianis, vespertinis, aut nocturnis suos circuitus obire tradunt; alii contra, in primis neoterici *exquisitam* vocant eam, quæ matutinis horis, *spuriam*, quæ vespertinis accedit, et decedit. Rectius fortasse illam *diurnam*, hanc *vespertinam*, et *nocturnam* cum HYPPOCRATE dicerent. Attamen, quoniam quæ vespere, aut noctu accedunt, plerumque longiores esse solent, quam *matutinæ*, sive *diurnæ*, et non parum a reliquarum intermittentium indole, si communia spectentur symptomata, discrepant; ideo hæ, sive vespertinæ frequentius *spuriarum* nomen, illæ, sive diurnæ *exquisitarum* mereri videntur.

(*) Negant nonnulli scriptores quotidianam intermittentem vere inveniri; quod ipsi eam non viderint. Sed accurata aliorum, nostraque observatio eos deceptos fuisse evincit.

§. 136. Quotidiana item vel est *simplex* vel *duplex*, et fortasse interdum *triplex*, prout nempe semel, bis, aut ter intra unius diei naturalis spatium, sive nychthemerum recurrit. Duplicem, sive reduplicatam egomet ipse pluries observavi. Scire autem licet, raro in hac inter unam, atque alteram accessionem veram intercedere integritatem.

Præterea huic quoque febri communes sunt reliquarum intermittentium differentiæ; atque adeo *benigna* esse potest, vel *perniciosa* (*), et *maligna*; vel *corruptiva*; *primaria*, vel *secundaria*; vel *symptomatica*; *periodica*; *erratica*; *larvata*; *partialis*; *sporadica*; *endemica*; *epidemica*; et sic porro.

(*) *Perniciosæ quotidianæ mirum exemplum prostat in* Diario Medico ann. 1757. mens. Aug. pag. 98. *Ipsemet Diarii Auctor* VANDERMONDIUS *eam memoriæ prodidit. En brevem morbi historiam. Juvenis quidam viginti annorum ceterum sanus, primum aliquot febris quartanæ accessiones passus est, quæ deinde in tertianam transmutata est. Sanguinis missione, emesi, catharsi, & demum cortice peruviano febris depulsa siluit per binos, vel tres dies. Sed ei mox supervenit quotidiana continua, vesperi quotidie accessiones habens a delirio vehementi comitata, & calore magno. Mane, id est, in remissionibus æger immobilis, & stupidus, fere aphonus videbatur. Toto corpore rigebat, nisi quod subinde tendinum subsultibus convellebatur. Nullus in toto corporis habitu calor erat præter naturam; pulsus debilis, parvus, & celerrimus; abdomen planum, & rigidum; penis tentus, ut chorda, sed sine tumore; obtutus defixus; verba interrupta, mutilata, incongrua; querelæ de difficultate mingendi; os siccum, aridumque; lingua, cum vellet eam exserere, tremula, & motibus variis impedita; alvus clausa; lotium paucum, & rarissime emissum; & jam ab aliquot diebus hæc eum conflictabant. Enematibus blandis, & laxantibus, potu aqueo temperanti, sale sedativo Hombergii, & corticis peruviani usu largiore in remissionibus adhibito febris, quæ ab intermittenti originem ducebat, cum omnibus pravis ejus symptomatibus profligata est. Hanc speciem* Amphimerinam spasmodicam *nominavit* SAUVAGESIUS. *Mihi videtur fuisse* quotidiana subcontinua perniciosa *tam ob continuitatem, quam ob delirium, & spasmos, a quibus stipabatur.* Quotidianam *pariter* perniciosam, *spasmis, & convulsionibus* comitatam, *extensam*, & subintrantem *vidit* CASIMIRUS MEDICUS. *Vid.* Comment. Lips. Supplem. 2. ad Decad. 2. pag. 204. & seq.

CAUSSÆ, ET SIMPTOMATA.

§. 137. Caussæ, et symptomata non differunt a generalibus iis, quæ de intermittentibus universim loquentes enumeravimus. Speciatim vero in hac frigus tenue est, ut JODOCI LOMMII verbis utar; nempe sine rigore, aut exiguo tantum horrore incipit; calor segnius, et magis inæqualiter se exserit, et mitior, humidiorque apparet, licet aliquam acrimoniam manui tangenti exhibeat. Febrilis motus plerumque lento passu progreditur; sæpe ad horas octodecim, et ultra protrahitur, antequam desinat. Id vero nequaquam, ut perpetuum, accipi debet; nam extant apud clinicos exempla quotidianarum, quæ brevissimis circuitibus continebantur. Phlegmatici, torpidiores, cacochymici, pueri, fœminæ frequentius in eam incidere dicuntur, præsertim autumnali, atque hyberno tempore, aut tempestate præhumida. Neque rarum est, quotidianam ab aliis intermittentium generibus per successionem et quamdam periodi mutationem derivari. Sudor, si *legitima*, et *exquisita* fuerit, licet non multus, ea tamen remittente erumpit; nullus vero, aut ferme nullus, si *spuria*, et *notha*. Urina pariter post remissionem in illa prodit pauca, subjugalis, lateritia; in hac vero multa, alba, tenuis et minime subsidens.

Secundariæ duplex genus.

§. 138. Ad spurias in primis spectare videntur *Quotidianæ secundariæ*, et *symptomaticæ*, quæ frequentissimæ omnium clinicos exercent. Harum duplex genus constitui potest, alterum, quod a morbo totum corpus afficiente, alterum, quod ab alicujus tantum partis vitio fit. Morbi totum corpus afficientes speciatim sunt hypochondriaca,

hysterica, scorbutica passio, aut similis alia totius corporis affectio, ut cachexia, cacochymia, lues venerea, arthritis. Qui vero ab alicujus tantum partis labe pendent, atque huc referri possunt, hi in obscuris præcipue, et latentibus quibusdam pulmonum, aut viscerum abdominalium affectibus consistunt, unde hujusmodi febres et oriuntur, et foventur.

§. 139. Quotidiana ab hypocondriaca, aut hysterica affectione proficiscens, frequentissime occurrit. Eam plerumque antecedunt graviora animi pathemata, in primis mœror, et tristitia, et tædium, dyspepsia, viscerum imi ventris obstructiones, alvi adstrictio, interdum immodicæ hæmorrhoidum, uteri, alvi evacuationes, spastici, et convulsivi affectus, aliquando etiam epileptici; sæpissime vero catameniorum suppressio; aut difficilis, et parcior eorumdem fluxus. Initio accessionis pedes frigent; caput calet, et dolet; frequens oscitatio, et mingendi necessitas est; urinæ tenues et percolatæ, sæpe magna copia, redduntur; cor palpitat; pulsus inæqualiter subsistit, et crebrius solito micat; tussicula sicca interdum vexat; respiratio quodammodo arctatur; sensus quidam quasi globi œsophago infixi percipitur; ventriculi regio tenditur, atque intumescit, et quasi insolito pondere gravatur. Post aliquot horas omnia remittunt, et paullatim febris sine ulla sensibili evacuatione solvitur. Comitantur eam vigiliæ, appetitus dejectio, pravus oris sapor, sitis, et totius corporis languor. Virgines, in primis vestales, hystericæ, et vitæ genus, cui addictæ sunt, jamdiu pertæsæ, præ ceteris ea corripiuntur. Sæpe eam post vehementes motus convulsivos, aut post sanguinis missionem vidit antiqua amicitia mihi conjunctus, et do-

Quotidianæ hystericæ et hypocondriacæ signa.

ctrina medica olim præstantissimus PETRUS PAULLUS DALLARMIUS (*a*).

(*a*) *Vid.* Saggi di Medicina Pratica Par. 2. p. 108. *a me edit. cum additam.* Faenza in 4. 1768.

Quotidianæ scorbuticæ diagnosis.

§. 140. Similia quotidiana laborantibus a scorbutica affectione eveniunt; sed in his præterea maculæ, suggillationes, ecchymoses corpus deturpant; membra, in primis crura, doloribus vagis, et punctionibus conflictantur; halitus oris fœtet; gingivæ flaccescunt, turgent, nigricant, aut intensius rubent, sanguinem facile fundunt; dentes vacillant, sæpe carie exeduntur, aut decidunt; urinæ rubent, cito perturbantur, sedimentum rubrum, interdum arenulas lucentes demittunt, et superficiem exhibent colore variegatam, et quasi pellicula quadam pingui, aut salinis crystallis conspersam. Major in his quoque crurum imbecillitas, et torpor, palpitatio, pulsuum inæqualitas, et debilitas, et ad quemvis corporis motum anhelatio est.

Aliæ secundariæ ut cognoscuntur.

§. 141. Si a cachexia, aut cacochymia, a lue venerea, ab arthritica labe, aut alia lymphæ universæ dyscrasia profluat: externus habitus, color cutis, œdematosi tumores, rheumaticæ affectiones, dolores articulorum, modo unam, modo alteram partem occupantes, fluxiones ut vocant, et distillationes catharrales, glandularum conglobatarum obstructiones, indurationesque; aut, cum virus venereum caussam præbet, gonorrhœa, ulcera penis, bubones prægressi, dolores artuum in primis noctu ingravescentes, pustulæ crustosæ faciem, et caput præcipue multantes, tophi, gummata, exostoses, aliaque syphilitica symptomata diagnosim attentiori, et sagaciori Medico commonstrant.

§. 142. Paullo difficilior cognitu est ea, quam pulmonum abdita vitia, uti tubercula cruda, incipientia, strumosa, aut phthisica alia quæcunque diathesis fovent. Tussicula sicca, et respiratio aliquanto impeditior signa haberi solent hujus magis propria. Sed hæc quoque in *hysterica*, atque *hypochondriaca* (§. 139.) præsto esse solent. Si tamen hystericæ, aut hypochondriacæ, spasmodicæve alius affectionis signa deficiant; si habitus corporis tenuior, et gracilior sit; si collum longum, pectus depressum, atque angustum contra observetur; si hæreditariæ labis timor aliquis adsit; si morbi antecedentes pectori præcipue vim intulerint; si tussicula, et respirandi difficultas etiam extra febrim ægrotantem non deserant, aut ad quemvis corporis citatiorem motum excitentur, aut intendantur; si decubitus in alterutro latere tussim magis moveat, aut respirationem lædat; si sputa glutinosa, aut salsa, aut dulcia, aut striis sanguineis tincta interdum prodeant; si demum febris erratico, et vago typo suos circuitus obeat, si macies corpus extenuet; si hæc, inquam, omnia, aut plura concurrant, de pulmonum abdito quodam vitio, a quo quotidiana febris symptomatica (*) oriatur, jure et merito erit judicandum.

Notæ quotidianæ pulmoniacæ.

(*) *Ad hanc speciem pertinet* febris intermittens pectoralis, *quam vidit descripsitque Cl.* Storckius (Ann. med. 2. p. 167. edit. nov. Amstelodam.) *In hac pulmones muco viscido, & glutinoso obstruebantur; isque erat morbus primarius; febris vero symptomatica. Nil mirum ergo, si cortex frustra datus fuit.*

§. 143. Abdominis viscera, quando ab his quotidiana est, plerumque antiquis infarctibus, atque obstructionibus laborant. Hepar, pancreas,

Secundariæ a visceribus imi ventris.

lien, mesenterium frequens hujusmodi vitiis obnoxia videntur. Deteguntur aut manus exploratione, aut functionum noxa, et læsione. Si igitur alicubi manus offendat aut tumorem, aut duritiem, aut dolorem, aut inflammationem, ibi sedem habere morbum, facile patet. Sin autem nihil horum manui objicitur, aut ambiguum negotium videtur, prospiciendum est, utrum ciborum concoctio, chylificatio, bilis secretio, fæcum egestio, urinæ color, murmura ventris aliquid vitii præseferant, quod viscerum illorum oppilationi tribui possit. Luridus quoque faciei color, aut subflavus, aut subviridis, abdomen undequaque tumidum, urinæ paucitas, prava victus ratio præcedens, aquarum palustrium potus, glutinosorum ciborum abusus, regio, atque aer ipse, in quo æger degit, non parum lucis afferent.

PROGNOSIS.

Diversarum specierum prognosis.

§. 144. Omnis quotidiana febris diuturnitatem, et longitudinem affectat; sed præ primis symptomatica, et secundaria. Hinc facile in continuam lentam, aut hecticam degenerat, nisi, cum pura, et primaria est, ejus progressionem intercipere artis adjumento enitamur. *Hysterica*, *hypochondriaca*, aut *spasmodica* (§. 139.) contumacior est, magisque medicamentis obsistit, faciliusque, si aliquando substiterit, revertitur, ad magnas speciatim anni temporum mutationes. *Scorbutica*, etsi pertinax et ipsa, et diuturna sit, minus tamen periculi habet, dummodo sanguinis dyscrasia nondum confirmati scorbuti naturam attigerit. Ceterum hæc quoque, uti et ea, quæ a viscerum abdominalium vitiis (§. 143.) gignitur, non raro in hydropem, aut alia exi-

tiosiora mala, acutas nimirum febres, inflammatorias, suppurationes, abscessusve terminatur. In phthisim vero sæpius, aut tabem *pulmonica* (§. 142.), *syphilitica*, *rheumatica*, *arthritica*, et *cacochymica* (§§. 138. 141.) transeunt.

CURATIO.

§. 145. Primaria, simplex, pura curari debet, quemadmodum in curatione generali febrium intermittentium (§. 106.) præceptum est. Lenium tamen purgantium, et salium neutrorum usum hæc magis exposcit, et bene fert, quia plerumque primarum viarum pituitosa saburra eam, nisi gignat, certe alit, et fovet. Sæpe his solis extirpatur, aut saltem ita mitescit, ut cortici peruviano confestim cedat. *Maligna*, et *perniciosa*, aut *corruptiva* continuo post venæsectionem, aut purgationem, si indicentur, antidoto supprimenda est. *Spuria*, etsi primaria, catharsim adhuc magis requirit, at per epicrasim, et quandoque, quia cum lymphæ vitiis conjungitur, aut ab his originem trahit, anticatharralia, et sudorifera remedia etiam expostulat. In secundariis, et in symptomaticis ad morbos primarios animum advertere oportet. Quæ pulmonum infarctus, catarrhum, rheuma, aut cruda et lymphatica tubercula pro caussa agnoscit, (§. 142.) chinæ chinæ vim aspernatur, imo ab ejus usu intenditur, atque ingravescit. In hac contra proficuum plane est, sanguinem parce, sed iteratis vicibus et per intervalla mittere; bechicis oleosis, mucilagineis, et demulcentibus tussim lenire; congestiones, concretionesque lymphaticas sero lactis, decoctis herbarum pectoralium leniter aperientium, atque attenuantium, sapone veneto, asellorum pulvere cum succo fumariæ,

aut hederæ terrestris subacto resolvere. Interdum jura tenuia ranarum et cancrorum fluviatilium, quibus succus nasturtii ad aliquot cochlearia adjectus sit; alias lac dilutum, et radicis chinæ, aut arundinis montanæ decocta magis profuisse visa sunt.

Hystericæ, et hypochondriacæ curatio.

§. 146. Quotidianæ hystericæ, aut hypochondriacæ (§. 139.) caussa cum multiplex sit, pro ejus varietate curandi etiam ratio differat, necesse est. Quando a nervorum systemate nimium mobili, atque ad spasmos prono ea fit, neque febrilis fomes valde multus, neque valde conspicuus arguitur, utpote animo potius affecto, quam corpore; tunc *spasmodica*, *sive convulsiva*, *sive nervosa* vulgo nominari consuevit, curarique debet animi quiete, atque hilaritate, anthystericis, et nervinis, uti castoreo, camphora, moscho, succino, galbano, et præcipue opio ante accessiones dato. Mox ab initio Sellius (*a*) suadet usum corticis peruviani cum cardiacis, et chalybeatis copulati. Verum hocce remedium vix aliquid præstat boni in febre hujus speciei, quæ cortice plerumque nequaquam tollitur; et si quando cardiaca, et chalybeata dari debent, tum solum debent, cum malo corporis habitu, chlorosi, viscerum atonia stipatur, aut diuturnitate corpus universum fregerit. Horis a febre vacuis ut extra lectum ægri maneant, et deambulent, quoad fieri potest, imperandum est. Sic enim viribus prospicitur, et febris paullatim temperatur, observante Dallarmio. At si nimiæ evacuationes morbo occasionem dederint, tum debilitati inde natæ, humorumque acritudini occurrendum est analepticis, corroborantibus, et euchymis alimentis. Contra ubi consuetæ evacuationes deficiunt, ut imminutæ sunt, aut viscera obstructa viden-

tur, omni cura illæ revocentur, hæc vero reserentur aperientibus, saponaceis, gummosis, et tonicis. Hic purgantia, ni mitissima fuerint, summopere noxia esse solent. In casu pertinaciore aeris mutatio, vectio, rusticatio, animi quævis oblectamenta omnibus reliquis artis præsidiis antecellunt, sensimque febrem arcent.

(*a*) Rudim. Pyretolog. method. p. mihi 315.

§. 147. *Scorbuticæ* (§. 140.) succi recentes, aut concreti herbarum cichorei, beccabungæ, acetosæ, nasturtii aquatici, cochleariæ, raphani rusticani, trifolii fibrini, similiumque temperamento ægrotantium accommodati, potus acidulati, fructus maturi, victus vegetabilis, peregrinatio, aquæ thermales, lactis serum, lac ipsum egregie prosunt. Succos plantarum antiscorbuticarum cum china china subactos summis laudibus efferunt adversus diuturnas, rebellesque febres; ideo fortasse quod sæpe a scorbutica labe ortæ, aut complicatæ chinæ chinæ puræ, et soli renituntur, nisi ejus vis additione antiscorbuticorum acuatur. *Rheumaticam*, *arthriticam*, *cacochymicam*, *veneream*, sive *syphiliticam* tollunt ea, quæ morbis primariis tollendis idonea sunt. Demum de quotidiana dicam, quam viscerum abdominalium obstructiones (§§. 138. 143.) antecedunt, non subsequuntur; quamque ideo ad symptomaticas retulimus. In hac obstructiones, ut ejus caussa, prius auferendæ sunt salibus neutris, rhabarbaro, extractis amaris, decoctis aperientibus; deinde cortice peruviano utendum, et ferro. Raro sanguinis missione opus est. Interdum tamen si febris vehementior videatur, et timorem inflammationis incutiat, nec quidquam aliud contra indicet, sanguis tum e brachio, tum e venis hæmorrhoidalibus mitti potest. Sin vero sanguinem

Scorbuticæ quæ conveniant et reliquis speciebus.

Quotidiana ab obstructionibus.

educi omnino vetent res ægrotantis in summo discrimine positæ, tunc antiphlogistica, atque enemata fervorem, æstumque febris, SYDENHAMIO observante, mirifice compescunt. Ceterum quando obstructiones febri superveniunt, ut ejus symptomata; inutiliter deterenda viscera non sunt neque catharticis, neque aperientibus, sed ad corticem illico properare expedit. Eo enim non solum febris, sed etiam ejus effecta protinus evanescunt; quod millies expertus sum. Lienes prægrandes, qui in accessionibus enormiter intumescebant, detumescebant vero non parum finita accessione, solo cortice peruviano, quo febris sistebatur, continuato ad pristinam molem, et sedem sæpissime redegi.

TERTIANA INTERMITTENS.

Quomodo differat a quotidiana.

§. 148. In hoc febris genere accessio tertio quoque die, sive alternis redit, deceditque, sic, ut inter unam, alteramque dies integer excurrat a febre vacuus. Hinc *tertiana intermittens simplex* tunc ei nomen est. Si vero accessiones quotidie fiant, et quotidie eas integritas, sive intermissio subsequatur, ita tamen, ut alternis solum diebus tam hora invasionis, quam circuitus gradu, et duratione similes inter se reperiantur, atque adamussim sibi respondeant; non simplex, sed *duplex tertiana intermittens* habetur. Hæc autem duplex tertiana, etsi quotidianum typum, sive ordinem servet, differt tamen a Quotidiana (§. 135.), in qua accessiones quotidie quidem recurrunt, sed non alterne, ut in illa, sibi invicem respondent.

Tertiana simplex et duplex.

Tertiana duplicata.

§. 149. Interdum in ea die, qua tertianæ simplicis accessio redire deberet, unius loco binæ

contingunt accessiones, intermedia die libera relicta. Hanc SAUVAGESIUS (*a*) ut a tertiana duplici, de qua supra, distingueret, *tertianam duplicatam* vocavit. *Triplex* vero *tertiana* esse dicitur, quando alterno quovis die binæ accessiones, uti in *duplicata* redeunt, intermedio vero una, ut in *simplici*. Talem descripsit SCHENCKIUS, et BRENDELIUS, quos excitat idem SAUVAGESIUS. Triplex.

(*a*) Nosolog. method. cl. 2. O. 5. G. x. sp. XV.

§. 150. Animadversione præ ceteris digna est Tertianæ febris communissima distinctio in *legitimam*, sive *exquisitam*, sive *puram*, ut alii vocant, et in *notham*, sive *spuriam*, sive *extensam*, quam JUNCKERO placuit etiam *subcontinuam* appellare. *Tertiana* igitur *legitima* ea existit, quæ sex, vel octo horis accessiones singulas absolvit, vel saltem non ultra duodecim horas producit, nullisque pravis symptomatibus stipatur. Hæc verno, et æstivo tempore frequentius corripit, atque his fere signis se prodit. Legitima et notha.

TERTIANA LEGITIMA.

§. 151. Protinus ab initio, sicque deinceps, alternis diebus, modo nocturno tempore, modo diurno accedit cum rigore, vel frigore brevi, quod toti corpori punctionum quarumdam sensum affert. Rigor interdum tantus est, ut ægri non modo contremiscant, verum etiam dentes dentibus allidant, et membris omnibus, speciatim toto dorsi, et spinæ tractu vehementer doleant. Sæpe frigoris tempore quædam constrictionis, anxietatisque species a dorso ad scrobiculum cordis usque protenditur, respirationisque adimit libertatem. Interdum frigus refrigerationi similius est; quod potissimum incidit, ubi levior

morbus tenet. Sub rigoris finem plerumque nausea movetur, aut vomitus biliosus; aut solvitur alvus, bile fortasse copiosus in duodenum per febrilem spasmum expressa. Tum calor per totum corpus, exteriores præsertim partes se diffundere incipit, et paullatim ita increscit, acerque fit, ut æger ob æstum, quo exuritur, stragula, et membra quaquaversum incondite projiciat. Hinc sequitur respiratio frequens, ingens sitis, dolor capitis, pervigilium, et quandoque vaniloquentia, et levis mentis aberratio. Pulsus ingruente accessione est parvus, contractus, obscurus, sæpe rarus; mox magnus, vehemens, elatus, frequens evadit, non tamen inæqualis, aut certe parum. Post aliquot horas laxatur universa cutis; arteriæ placidius micant, atque oborto sudore febris cum suis symptomatibus se se remittit, deinde penitus desinit. Quod intra memoratum octo, vel duodecim horarum spatium accidit. Tum æger bene se habet, viribus solum aliquanto languidior.

Quæ urinæ sint, et quæ magis ejus propria.

§. 152. Tempore frigoris, sive in primo stadio urinæ prodeunt tenues, decolores, et aqueæ; in altero, et tertio, sive augmenti, et remissionis subflavæ, aut rubræ, paucissimæ, maleque olentes, sed non ita croceæ, ut in aliis tertianæ speciebus. Neque adeo fœdatur lingua bilioso glutine, neque stomachus valde subvertitur. Peculiare vero, et fere proprium huic febri est, qualibet accessione, post primas, breviorem et mitiorem paullatim fieri; juvenes ut plurimum, sanguineos, biliososve, alioquin sanos, et nulla sanguinis aut viscerum alia labe affectos corripere; horis matutinis potius, quam vespertinis exarcerbari, noctemque futuræ accessioni præviam, insomnem reddere, atque irrequietam.

PROGNOSIS.

§. 153. HIPPOCRATES (*a*) *Tertiana*, inquit, *exquisita in septem ad summum circuitibus judicatur*. Item Auctor Coacarum (*b*): *Tertiana exquisita quinto, aut septimo, aut ad summum nono circuitu terminatur*. Hippocratis oraculis adstipulatur SYDENHAMIUS, qui non solum quatuordecim diebus hanc febrim sponte solvi testatur, sed etiam salutarem esse pronunciat (*c*). Id ipsum docuerat antea LOMMIUS (*d*), et nuper SENACIUS, qui scriptum reliquit, his *quandoque* tolli *stagnationes*, aperiri *vasa minima quibus imminebat* obstru*ctio*, addi *robur partibus*, *et imprimis vitalium functionum organis*; eliminari *per sudoris spiracula noxios humores*; *liquidis remanentibus novam* induci *crasim*; *seu totum* immutari *corporis* (*e*) *habitum*. Morbi solutionem ex urinis ominabatur GALENUS (*f*); si rubræ essent, aut flavescentes cum enæoremate, post quartum circuitum eam expectabat; si rubræ tantummodo prodirent, post septimum; et post tertium futuram, si prima die dejicerent sedimentum leve, et æquale. Verum incerta hæc omnino esse solent; neque melius ex urinis febrim solutum iri noscitur, nisi tum, cum copiosiores fluunt, et ad naturaliorem statum redeunt. Frequentius criseos imminentis indicium præbent pustulæ, vel scissuræ circa labia apparentes. Quandoque in summo febris ardore maculæ ad cutim erumpunt, *morbillos*, aut *purpuram urticatam* æmulantes, aut *peticulis* similes; sed minime hæ terrere debent, nam sudore manante, remittenteque febrili motu evanescunt, nec quidquam mali portendunt in tertiana legitima, a qua alias malignitatis notas, quibus eæ suspectæ reddantur, abesse pro certo habemus.

(*a*) Aphoris. 59. sect. IV. (*b*) N. 148.
(*c*) Oper. p. 89. (*d*) Med. Observ. l. 1. p. 118.
(*e*) De recondit. febr. intermitt. &c. lib. 1. cap. 20. p. 126. 127.
(*f*) SENAC l. c. lib. 1. cap. 10. pag. 64. & 65.

CURATIO TERTIANÆ EXQUISITÆ.

§. 154. Plerumque sola quiete, potu aqueo, acidulo, resolventi, victuque tenui curatur. Reliquum suis viribus, motibusque præstat natura. In plethoricis sanguinis missio; in aliis, si saburra, aut biliosa colluvies primas vias inquinet, purgatio lenis naturæ conatus feliciter adjuvat. Interdum utraque opus est. Raro corticem peruvianum postulat, et tunc solum, cum febris moras nectit, et diutius, quam solet, trahitur; aut cum e simplici in duplicem commutatur. SAUVAGESIUS ejus drachmam quarta quaque hora, integritatis tempore, die, noctuque sumendam jubet, donec accessiones non amplius redeant; deinde per dies septem bis quotidie, et tandem semel per septem alios. Verum, quod supra (§. 129.) monitum est, incommoda, et tædii plena hæc corticis adhibendi ratio est. Rectius binæ drachmæ mane et vesperi, die intermissionis, dantur, donec sesquiuncia, aut unciæ duæ captæ sint, et simul abacta febris; deinde alia uncia in octo partes tributa prophylaxeos caussa.

TERTIANA NOTHA.

Signa tertianæ nothæ.

§. 155. Absoluto de tertiana exquisita sermone, superest, ut de *notha* dicamus. Habet hæc, ut illa accessiones alternis diebus, sed longiores; calorem vero, ardoremque, si plerisque scriptoribus credere velimus, minorem. Sin JUNCKERO aures præbeantur (*a*), calor major, et diuturnior in *notha*

est, quam in *exquisita*. Id vero fortasse evenit in ea, quæ ad ardentis naturam accedit, ut quandoque fieri posse arbitramur. Sudor etiam in *notha* citius erumpit, sed minori copia, et parum levans; interdum nullus. Nullus item anticipantium, aut cunctantium accessionum certus ordo observatur, nec rigor valde magnus est; diutius vero protrahitur; non tamen æqualiter universum corpus affligit. Quilibet circuitus ad decem et octo horas, interdum ultra extenditur. Nunquam septimo, raro quartodecimo, sæpius primo et vigesimo circuitu finitur. Circa vesperas ut plurimum adoritur; noctu invalescit, et somnum sæpe aufert.

(*a*) Conspct. medic. Theoretic. Pract. Tab. 80. n. 2.

§. 156. Non solum lingua muco flavo obducta cernitur, verum etiam tota facies flavescit quasi, ut in ictericis. Exserto calore, concitatus quidem pulsus, et frequens deprehenditur, non vero magnus, ut in exquisita. Crocea magis urina apparet, et sedimentum lateri contuso simile deponit. Cibi præterea fastidium, amarus oris sapor, et stomachi dolor, sive gastrodynia, imo cardialgia ipsa ægros persæpe discruciant. Addit JUNCKERUS, tussim quoque adesse, et post quamlibet accessionem ægros conqueri de languore superstite, de lassitudine artuum, vertiginosa capitis gravitate, siti, calore, stomachi debilitate, agrypnia, aut somno interrupto, et perturbato. Quæ si quando incidant, me quidem judice, de perniciosa natura suspicari liceret. SAUVAGESIUS meminit de aliis etiam symptomatibus, tamquam huic febri propriis, nempe de linguæ siccitate, dolore capitis, et facili typi permutatione. Sæpe enim post quatuor, aut quinque circuitus eam continuam remittentem, hoc est, tritæophyam

fieri, scribit; quam mutationem, ubi imminet, indicari a brevissima intermissione, sive apyrexia, sudoris defectu in remissionibus, nulloque levamine, quo æger ad residendum alliciatur.

PROGNOSIS.

Prognostica tertianæ nothæ.

§. 157. Rarissimum tamen est, eam in continuam mutari, quousque simplicis tertianæ ordinem servat; frequentissimum vero, ubi duplex facta fuerit. *Perniciosa* etiam ratione symptomatum, videlicet vomitus, cardialgiæ, alvi fluxus dysenterici, delirii, aliorumque, quæ eidem interdum superveniunt, fieri potest: at tum non *spuriæ* solum, sed etiam malignæ, et *perniciosæ comitatæ* naturam inducit. Communiter *tertiana notha* e corruptivarum genere est, ideoque diutissime protrahitur, et pluries, si quando suppressa fuit, revertitur, et recrudescit. Hinc sæpissime, postquam diu ipsa vexaverit, tonusque viscerum labefactatus ab ea sit, hepar, lien, pancreas, mesenterium infarciunt, indurantur sic, ut deinde cachexia, hydrops, et febris lenta subsequantur. Non semper tamen obstructiones ejusmodi habendæ sunt pro effectis, quæ ejus diuturnitati debentur, ac succedunt. Interdum enim eam antecedunt, et comitantur, et tunc ab his flavus ille faciei, totiusque corporis color, quem in ea observari supra adnotavimus, repeti fortasse potest; quamquam is ut plurimum a spasmis abdominalium viscerum, et duodeni imprimis, qui choledochi ostium claudunt, bilemque refluere in hepar, venasque cogunt, proficisci (*) videatur, nisi etiam malueris interdum id vitii in pituitosam, viscidamque saburram, quæ in ventriculo non minus, quam in duodeno collecta sit, choledochique orificium obstruat,

transferre; vel in ipsam bilem, quæ copia et lentore præter naturam peccet, atque in biliferis canalibus congesta restitet, hæreatque. Quemadmodum enim in tertiana *legitima*, ut ejus concitatior motus, calorque acrior ostendit, acrimoniam quamdam calidam, biliosamque, sic in *notha* pituitam potius, crassosque humores, et bilis inertiam præpollere, verosimile est.

(*) *Quando ictericus color ab hujusmodi caussa, ut febris syntoma tantum est, in qualibet accessione ipse apparet, aut in ea intensior evadit, & contra in intermissionis intervallo evanescit, vel saltem multum diluitur; sicque cum ipsa febre accedit, receditque.*

CURATIO TERTIANÆ NOTHÆ.

§. 158. Quare si ex antecedentibus pateat, jam pridem obstructa viscera esse, si temperamentum, corporis habitus, vitæ genus, victus ratio, ætas, anni tempus cruditatibus congerendis, lentisque humoribus accumulandis, et condensandæ, coacervandæque bili accommodata videantur; illico prospiciendum est, ut, plenitudine primum vasorum, si qua est, per venæ sectionem ablata, aut symptomatibus, quæ eam postulent, per eamdem mitigatis, saburra primarum viarum deturbetur; pituitosi et viscidi humores, nec non amurcosa bilis attenuentur, solvantur, et foras emittantur, atque obstructa viscera liberentur. Itaque id præstari oportet aut emetico, si ætas, temperamentum, anni tempus æstivum, aut autumnale, et reliqua ferant, aut cathartico, etiam iterato, quod semper tutius est; et saponaceis, incidentibus, amaris, atque in primis salibus neutris apte, prudenter, ordinateque ut alibi præceptum est, adhibitis. Si his, quamdiu opus visum fuerit, usurpatis febris neque decedat, neque mi-

tescat, mature ad corticem peruvianum transeundum est, ut ea quantocius desinat. Neque expedit expectare, donec obstructiones omnino sublatæ sint; nam quæ remanserint, postea commodius, et tutius aperientibus medicamentis, atque amaris, in quorum usu diu perseverandum est, auferentur; et contra quæ diuturniori morbo supervenire possunt, sic optimo præcaveri poterunt.

§. 159. Cum vero flavus faciei, corporis, aut urinarum color (§. 157.), rebus omnibus bene perpensis, a bile ob spasmos regurgitare coacta, aut a febrili fomite hepar (§. 86.) aggrediente (*) potius, quam a lenta bile, crassisque obstruentibus humoribus oriri videatur, cortice item audacter febris oppugnanda illico est; quo non modo febris, sed etiam ejus symptoma istericum evanescunt. Quod si perniciosarum *comitatarum*, aut *subcontinuarum* graviori aliquo symptomate, aut continuitate similitudinem præseferat, sine ulla cunctatione vel in ipsis initiis ad corticem pariter confugere oportet; quo nihil ad perniciosum, venenatumque principium, quod morbum facit, sive emendandum, sive expellendum valentius, nihil præstantius, nihil innoxius. At febris hæc sæpe recidiva revertitur, præsertim autumnali tempore. Tum lenia purgantia, incidentia, et amara iteranda sunt, et demum, ni decedat, china china diu, liberaliterque adhibenda, cui tandem cedat, necesse est, modo diæteticum regimen ejus usum frustraneum non reddiderit, aut infirmaverit.

(*) *Mos vulgarium est medicorum, simul ac vident aurigine corripi febri intermittente laborantes, a cortice peruviano eos prohibere, & solis purgantibus, atque aperientibus addicere. Interim febris in dies fit gravior, aut pertinacior, & non modo mor-*

bus regius, ejus symptoma, altiores radices figit, ut ex periodico, qualis ab initio erat, assiduus, perpetuusque evadat, verum etiam hepar obstruitur, atque intumescit, & quæ fortasse prius aberant mala, vere accedunt. Quæ omnia evitari sine molestia, & sine noxa potuissent dato propere antipyretico; quod centies mihi feliciter cessit. Non me tamen latet, viros doctissimos, experientissimosque docuisse, sæpe in febribus hujusce generis, præsertim autumnalibus, ictericum hunc colorem levioris, occultæque hepatitidis, quam lentus, crassus, inersque sanguis venas portarum opplens inducit, indicium esse; tuncque datum corticem exasperare malum, perniciemque afferre. Ego vero arbitror disquirendum esse, utrum ista hepatitis, sive levis, sive gravis fuerit, primaria dicenda sit, an symptomatica? Si primaria videatur, profecto tunc nocet cortex peruvianus, utpote qui febrim, quæ hepatis inflammationis eo in casu symptoma est, nullo modo fugare queat; augeat vero ipsam inflammationem. Sed tum febris continua potius esse solet, neque verum tertianæ intermittentis typum, atque ordinem tenet. Sin autem febris primarius morbus est, hepatitis vero symptoma, tolle febrim cortice peruviano, & tolletur quoque hepatitis. Quo vero certius vim suam cortex exerceat, necesse prius est, ut sanguis semel, iterumque mittatur, quemadmodum in tertiana pleuritica *fieri oportet, de qua infra opportunius. Diathesis enim inflammatoria, nisi cura antiphlogistica, & præcipue sanguinis missione imminuatur, corticis antifebrilem facultatem irritam facit.*

TERTIANA CHOLERICA.

§. 160. Ex perniciosis febribus comitatis TORTII pleræque typum tertianæ servant. Ergo de his, ut earum tum diagnosis, tum curatio recte institui possit, agam singillatim initio a *Tertiana cholerica* facto. Hæc circa accessionis ingressum, in quo de more vomitum biliosum, interdum etiam copiosum, et similem alvi dejectionem cieri, supra (§§. 100. 101.) præmonui, vehementi stipa-

tur, et simultanea sursum, deorsumque excretione humorum tam qualitate, quam quantitate peccantium, qui modo *sinceri* sunt, modo *variegati, et bile ut plurimum prasina, vel æruginosa referti*. His *vomitibus*, et *dejectionibus copiosis et crebris* nonnunquam *adjungitur* singultus, *vox rauca*, et quasi clangori similis, oculorum depressio, *angor stomachi*, *sudatiuncula circa frontem*, *pulsus exilis*, *extremorum perfrigeratio*, aut lividus color, cuncta scilicet, quæ propria sunt choleræ morbi, a qua tamen distingui debent, quia symptomata hæc febris solito gravioris effecta sunt, eamque sequuntur; ea vero remittente paullatim cessant, neque redeunt, nisi nova ejus accessione periodice redeunte (*a*).

(*a*) Tortii Terap. Special. lib. 3. cap. 1.

CURATIO.

Curatio Tertianæ cholericæ. §. 161. Hæc igitur, quocunque tempore apparent, quamquam neque omnia una concurrant, neque semper ejus, quam diximus, intensionis sint, sequenti tamen circuitu intensiora fiunt, et mortem minantur, nisi eodem, proximo non evitandam *intermedia quiete* nequidquam juvante. Quare, protinus ac cholerica hujusmodi affectio se prodit, non solum eam cardiacis, alexipharmacis, et paregoricis compescere oportet, verum, absoluta accessione, corticem validissimo modo (§. 126.) adhibere, ut proxima accessio, fortasse exitium allatura avertatur, aut saltem ita infringatur, ut tempus deinde suppetat ad subsequentem aliam penitus inhibendam. Præstat vero hoc in casu corticem ex vino porrigere, aut in bolos syrupo quodam gratiore redactum; sic enim facilius remedium retinetur, et fertur, ut optatum effectum consequamur. Quod multo cer-

tius evenit, si aliquid etiam cortici adjiciatur Theriacæ, aut Diascordii FRACASTORII, ut quæ remanet ad vomendum, et egerendum propensio consopiatur.

TERTIANA DYSENTERICA.

§. 162. Tertianæ cholericæ valde affinis est *affectio*, *fere dixerim*, *semidysenterica potius*, *quam cholerica*; in qua, nimirum qualibet accessione, *humores in primis biliosi*, *et alius etiam naturæ tam acres ac erodentes excernuntur*, *ut post ipsos mucus cruentus exeat tam sursum*, *quam deorsum cum tenesmo*, *et torminibus*, *stomachique dolore*, *perinde*, ac si *illius membranæ divellerentur*, atque erosionem subirent; et revera œsophagus ab *humoris excreti transitu*, *et vomendi conatu* erodi videtur. Hæc tamen cruenta, et dolorifica excretio *minus* habet *periculi*, quam cholerica ipsa, modo descripta (*a*). Febris enim etsi intensior videatur, et *singultum*, et *jactationem irrequietam*, et croceum *urinarum* colorem, et *linguæ ariditatem*, et *scabritiem* secum trahat; ab ea tamen abest *funesta illa extremorum perfrigeratio*, angor, et sudatiuncula, quarum in descriptione cholericæ mentionem fecimus; et pulsus magis, quam in illa, expanduntur. Quoniam vero facile ex simplici in duplicem, et ex duplici in continuam migrat, aut inflammationem aliquam infert, non parum et ipsa discriminis continet, atque eamdem omnino (§. 161.) medelam requirit.

Quo differat a cholerica.

(*a*) TORT. l. c.

TERTIANA SUBCRUENTA, VEL ATRABILARIS.

§. 163. Aliud symptoma perniciosum, quod Tertianæ comitatæ speciem constituit, est quidam

alvi fluxus aquæ, in qua caro lota sit, persimilis, *qualem* nimirum *veteres fluxum hepaticum* dixerunt. Hinc febris *subcruenta* appellatur. *Solet* autem *nonnunquam vel invadente*, vel *etiam declinante accessione* placide, et frequenter laxari alvus, tantaque serosæ, et subcruentæ materiæ copia dejici, ut *intra paucas horas nullo fere sensibili ægrotantis incommodo* eum *nil tale* primo *timentem* ad *summam* tandem deducat *virium imbecillitatem*. Tunc pulsus fit minutus, ac exilis; extrema insigniter frigescunt; vox gracilescit; oculique veluti incavantur. Interea nulla *sitis molestat*, mens viget; *nec de alia re* æger *conqueritur*, *nisi de summa virium prostratione*, *ac proclivitate in lipothymiam*, sive animi defectionem, *quæ facile quoque* vel e lectulo surgere volentem corripit. Decedente febri *sensim sedatur tumultus*, *qui raro ad diem intermissionis* producitur. At si producatur, *væ* ægro *die sequenti*, in quam cadit proxima accessio. Recurrente igitur cum accessionibus pernicioso hujusmodi alvi fluxu, et vires cum febris augmento acquirente, brevi, hoc est, *intra duos*, *vel tres ab invasione symptomatis* circuitus æger certissimo exitio succumbit. Interdum tamen in obesis hominibus non adeo exitiale malum deprehenditur; sed, primo morbi impetu quodammodo superato, potius in diuturnitatem desinit. Verum si loco serosi, et subcruenti fluxus, sanguis ater et nigricans, modo concretus, modo diffluens, modo ex utroque genere coalescens copiose, et ad libras aliquot dejiciatur; tunc febris *atrabilaris* dici potest; et certius, citiusque sub placidæ cujusdam defectionis specie mortem accersit (*a*). Utraque autem species cortice adhibito (§. 161.) felicissime, et prodigii instar curatur.

(*a*) Tortius l. c. ib.

TERTIANA CARDIACA (*).

§. 164. *Cardiacæ*, sive potius *cardialgicæ* nomen, et lethalitatem accipit tertiana a cardialgia, quæ eam comitatur. Initio enim accessionis, rigente, aut horrescente adhuc ægro, aut incalescere jam incipiente *acerrimus oris ventriculi morsus*, sive stomachi dolor exoritur, cum exigua *ut plurimum aut inani* vomendi cupiditate. Si cum eodem frequens animi deliquium, pulsus exilis, facies Hippocratica, luctuosa suspiria conjungantur; *sitque dolor ille, seu mordicatio tam ferox, ut quandoque pro expiratione reddantur clangores, et ululatus* (nam sic vera cardialgia a simplici gastrodynia distinguitur), vitæ periculum imminet, eo certius, et propinquius, quo longius symptomata hæc protrahuntur, et contra. Quacunque autem in accessione, sive secunda, sive tertia (nam raro in prima id accidit) hæc insurgant, *metuendum est, ne uno adhuc, vel altero ingruente* circuitu *de vita sit actum* (*a*). Vix enim quintam accessionem tale symptoma attingit, quin interficiat. Scire autem licet, quando enarrata phænomena una concurrunt, *legitimam* esse *tertianam cardiacam*; quando pauciora, et leviora *spuriam*.

(*) *Ad hanc fortasse speciem referenda est illa, quam describit* MORTONUS exerc. I. de proteiform. febr. interm. gen. cap. IX. hist. 13. *etsi a spasmo diaphragmatis, & partium respirationi inservientium eam appellet*. (*a*) Id. ib.

TERTIANA EMETICA SAUVAGESII.

§. 165. Huc referenda videtur *Tertiana emetica* SAUVAGESII, in qua sub accessionis initium ingens vomitus bilis flavæ, et viridis, aut muco-

sæ pituitæ cietur cum non levi cardialgia, calore, atque intensissima siti per plures horas graviter affligentibus. In *Cardiaca* æque ac in *Emetica* vitentur omnia, quæ vomitum, aut alvum movent, exceptis tantummodo diluentibus potionibus, atque enematibus blandissimis. Solo cortice peruviano, omissis aliis inutilibus, quibus frustra usos esse interdum medicos observatione constitit, curatio tentetur. Sanguinis missio nonnunquam in febrilis accessionis augmento, si pulsus validi, et vehementes sint, si inflammationis, in primis ventriculum occupantis suspicio urgeat, locum habere potest. Non raro enim ventriculum in hujusmodi febribus inflammari vidi, *Lypiriamque* morbum æmulari; quo in casu ante corticis usum venam semel, aut bis secari in brachio oportet.

TERTIANA DIAPHORETICA.

§. 166. Fraudulentior, et cognitu difficilior est febris *tertiana diaphoretica*, utpote quæ *nullo præcedente pravitatis indicio* tertianæ benignæ instar *invadit cum horrore*, *rigore*, *et frigore*, *cui deinde* solitus calor succedit. At *statim sudor aliquantum* certe *præcox erumpit*, quo febris primum sublevari videtur, licet postea reapse intendatur. Intenditur vero, quo uberior sudor manaverit. Postea sudor refrigescit, id quod fraudem in primis detegit. *Sudat* enim *perpetuo ægrotans et diffluit undequaque frigido sudore perfusus*, *sicque perpetuo algens*, *et sudans sicut cera liquatur*, *dissolvitur*, *et deficit*. Interim *pulsus celer est*, *minutus*, *ac debilis; respiratio fit anhelosa et frequens*; vires universæ exsolvuntur; *sola mens lucidissima* perstat, et *sentit homo se paullatim mori*. Quod nisi in *illa ipsa accessio-*

ne mors accedat, in proxima certissime expectanda est. Nonnunquam diaphoresis non ita mature apparet, sed tantum circa accessionis remissionem. Quod etsi rarum, non minus tamen perniciei, et malignitatis recondit. Nam, fere tota feliciter transacta accessione, et jam ad *tempus declinationi proximum* perducta, incipit æger minuto, pauco, viscido, et frigido *sudore perfundi*, inalgescitque totus, ut marmor, et morte, quam facies Hippocratica præmonstrat, declinationis loco succedente de medio tollitur (*a*). Tantam perniciem sola china china præpropere adhibita potest avertere.

(*a*) Tort. L. c.

TERTIANA SYNCOPALIS.

§. 167. Syncope vera, simplex, et solitaria, nimirum nec cardialgiæ comes, nec diaphoresim subsequens, sæpe se perniciosæ tertianæ accessionibus adjungit. *Syncopalem* tunc febrim vocant. Qui tali febre corripitur, licet nullo dolore conflictatur, *frequenter* tamen, *graviter*, *et absque caussa manifesta languet*, *exsolvitur*, *et animo deficit*, dum præcipue se de latere in latus convertit, vel *brachium*, vel *manum* tantummodo tentat *loco movere*. Pulsum præterea exhibet languidum, parvum, celerem, obscurum, subinde deficientem; sudore tenui circa collum, et frontem madet; oculis est cavis et caligantibus; atque ita viribus omnibus destituitur, ut odoramentis, cardiacisque perpetuo indigeat, quibus reficiatur, recreetur, et, quoad fieri potest, deliquium imminens, quo tamen crebro afficitur, præcaveat. Si hæc durante febris augmento aut statu persistant, etsi deinde omnino cessent, et tranquilla integritas subsequatur; ni tamen futuræ accessio-

ni dato largius cortice prospiciatur, fortasse ultima instabit vitæ dies.

TERTIANA ALGIDA.

§. 168. Frigus etiam quoddam mortiferum ab initio ad finem usque accessionum quasdam tertianas comitatur. Hinc *algidæ* appellantur. In his nec corpus, ut solet, recalescit, nec pulsus attollitur. Sitis ingens interea urget; anxietas summa angit; et facies cadaveris imaginem refert. Si in ipsa accessione, qua ferale istud symptoma se primum sistit, febricitans non pereat, ægre postea, et post longum tempus incipit pauxillum calefieri, et pulsus, qui antea erat depressus, se se non nihil expedit, ita tamen, ut parum naturali frequentior, humilior, celeriorque percipiatur, cum *miti* ad manum *calore*, voce paululum rauca, *lingua nonnunquam scabra*, *urina* aut *copiosa*, et *tenui*, aut *pauca*, *et* intensius *rubra*. In eodem ferme statu totum integritatis tempus perseverat alioquin satis tranquillus; at redeunte novo circuitu, ut plurimum fatis concedit. Interdum algor nec valde protrahitur, nec pulsus adeo subit, nec desideratur quædam vaporosi caloris redintegratio. Quando hæc fiunt, diuturniorem potius fore morbum, quam lethiferum, quandoque significant. Quam citissime ergo huic quoque per corticem peruvianum eo, quem diximus, efficaciori modo occurrendum est.

TERTIANA LETHARGICA.

§. 169. Gravium denique symptomatum, quibus perniciosæ febres TORTII stipantur, agmen claudit soporosus affectus, modo *comatis* somno-

lenti, modo *lethargi*, modo *Cari*, imo interdum *apoplexiæ*, *hemiplegiæ*, affinium morbörum speciem referens; qui non uni solum tertianæ, sed omnibus aliis intermittentibus febribus superveni- re consuevit. Hinc febris *comatosa*, *lethargica*, *carotica*, *apoplectica*, *hemiplegiaca*, aut simpliciter *soporosa* pro diverso ejus symptomatis gradu apud Auctores nominatur. Perniciosum hoc symptoma incidit tam in initio, quam in augmento accessionis, et cum eadem proportionate increscit, donec, remittente ea, paullatim et ipsum discutitur. Non evanescit tamen ex toto, cum etiam intermissionis tempore ut plurimum aliqua in somnum propensio remaneat: *quæ*, ubi id contingit, *affectum paullatim* radices agere, atque in *idiopathicum tendere satis admonet*. Quapropter, *si negligatur*, lethargus *una*, *vel altera accessione* lethalis, nullaque arte superandus, *fortis apoplexiæ instar*, evadet, in primis si ægri, ut WERLHOFIUS (*a*) animadvertit, senes jam sint. Descriptio.

(*a*) Observation. de Febrib. præcipue intermitt. & ex earum genere continuis. Sect. 1. §. 3.

§. 170. Soporosus autem hujusmodi affectus quando incipit, æger quidem ab eo facile excitatur primum, sed mox in eumdem recidit; paullo post magna oblivione rerum omnium ante gestarum tenetur sic, ut si quid aut dixerit, aut petierit, non amplius recordetur, interim dormitans, et nonnumquam obloquens, aut balbutiens, et verba mutilans, aut unum pro alio proferens, *non secus ac si levi apoplexia in linguæ paralysin degenerante foret detentus*. Tandem sic veterno opprimitur, ut supinus jaceat, naribus stertat, nec ulla voce, aut arte, aut vellicatione excitari queat, aut, si aliquantulum excuti videatur, iterum statim profundiori sopore occupe- Soporis diversa ratio.

tur, donec remittente accessione paullatim mens, et sensus redeant. *Quod si una*, *vel altera vice* reviviscat, id *semper paullo difficilius* fit, et serius; aut si soporari accedat singultus, tum *tertia ad summum*, *vel quarta accessione*, certissimam fere mortem, ni cortice antevertatur (*a*), occumbit. In ipso autem soporis tempore ea omnia in usum vocari possunt, quæ lethargo, aut apoplexiæ opportuna sunt, nimirum sanguinis missiones, cucurbitulæ, epispastica, frictiones, clysmata acria, atque odoramenta naribus admovenda. Hæc tamen nequaquam impediunt, quo minus proxima accessione teterrimus affectus revertatur. His igitur omnibus, quæ symptomati aliquo modo levando serviunt, curatio per corticem superaddi debet, ut febris symptomatis illius caussa removeatur. Hic vero non prætermittam, seniores hac febre correptos, quamquam admirabili hoc remedio semel, iterumque servati fuerint, interdum tamen post aliquod tempus in eamdem relabi, et præcipiti apoplexia rapi, quin antidoto uti liceat, vel lenta et continua febri consumi, quemadmodum mihi pluries observare contigit. Credibile enim est, cerebrum tantam labem a gravissimo hujusmodi symptomate accepisse, ut deinde levi negotio idiopathice afficiatur, sine ulla salutis spe.

Curatio.

(*a*) Torti L. c.

TERTIANA CATARRHALIS MORANDII (*).

§. 171. Atque hæ sunt præcipuæ, et frequentiores *comitarum* species, quas Tortius observavit, et posterorum memoriæ concredendas duxit: quamquam non negarit, alias, atque alias esse, quas cum Ludovicus Mercatus, tum Richardus Morton commemorarunt. Ex his totidem, ac ha-

bet TORTIUS, deprompsit MORANDUS MORANDIUS, quarum quatuor propria experientia illustravit, etsi ab aliis jam visas; tres vero ipse primus omnium protulit, illisque addidit (*a*). Harum igitur prima est *tertiana*, ut ipse vocat, *catarrhalis*, quia catarrho quasi suffocativo stipatur. Accidit enim quandoque, ut, ineunte tertianæ febris accessione aliqua, pulmones veluti catarrhali colluvie obrui videantur; sive id vere a seroso, mucosoque humore in pulmones irruente, sive a spasmodica tantum pectoris oppressione pendeat. Hinc sensim *respiratio* fit *perdifficilis* cum intus quasi ebullientis, et spumantis materiæ sibilo, et strepitu. Huic sensim *juxta febris motum* adjungitur *pectoris plenitudo; jactatio irrequieta; vox humide rauca*, *facies turgida*; *oculi fulgentes; sudores circa frontem*, *et pectus; pulsus exilis*, et demum *virium defectus* tam ad extussiendum, quam ad excreandum; ita ut *catarrhum suffocativum* præsentem diceres. Remittente, atque evanescente accessione omnia ista symptomata sedantur; redeunte vero, iterum resurgunt, atque exacerbantur, ut jure metui possit, ne intra quatuor, aut quinque circuitus, ex quo primum apparuerunt, exitium inevitabile afferant. Remedio vero est cortex mature, et valide datus, quemadmodum supra præscriptum est, aut infra dicetur, ubi cl. Auctoris eo utendi rationem exponemus. Non tamen durante accessione negligenda ea sunt, quæ catarrho suffocativo mederi solent, uti venæsectio, balnea pedum tepida, frictiones artuum, vapores aquæ calentis inspirati, bechica incidentia, oxymel scilliticum, spiritus fuliginis, gummi ammoniacum, diluta herbarum resolventium, et similia.

(*) *Ad hanc spectat tertiana perniciosa* catharralis, & asthmatica BONETI, (Polyalth. T. 1. p. 250.)

quando nimirum catarrhus, vel asthma eam comitatur, & perniciosam efficit.

(*a*) De quibusdam tertianis perniciosis commentatio, cap. 3.

TERTIANA COLICA.

Descriptio. §. 172. Interdum tertiana, inchoante accessione, uterum, vel intestina speciatim aggreditur; atque hinc dolores vehementes earum partium cum sensu *modo torsionis*, modo molestissimæ *tensionis*, modo *fremitus cujusdam et tremoris*, pulsu parvo, anxietate summa, spasmis, convolutionibusque internis, vomituritione, vagis corporis exterioris vicissitudinibus, sudore nonnunquam frigido, siti, et linguæ ariditate ingenti eam comitantur. Hæc vero non semper omnia, sed modo plura, modo pauciora conveniunt, et prout febris decedit, revertiturque, abeunt et ipsa, et redeunt. Dolores autem hujusmodi semper magnum periculum portendunt, et tum potissimum, cum, obscurato accessionum typo, assidui cum ipsa febre facti ex symptomate in morbum *essentialem* transeunt, brevi lethalem futurum. MORTONUS *colicas* hujusmodi sæpe cum immodico vomitu, lipothymiis, extremorumque algore conjungi vidit (*a*), interdum etiam cum

Curatio. aphthis tum oris, tum faucium. Tempore accessionum nihil utilius videtur enematibus, fomentis, jure pulli copiose hausto, theriaca, laudano, aliisque spasmis laxandis idoneis; et si timor inflammationis subsit, pulsusque, et vires consentiant, sanguinis missione. Soluta vero accessione, statim cortici tota salus committatur. Interdum post fugatam ope corticis febrem oculorum ophthalmia succedere visa est (*b*), quæ phlebotomiis, et catharticis de more curanda est,

atque iterum, si febris redeat, cortice, quod sine noxa deinde fieri solet, expugnanda.

(*a*) De proteiform. febr. intermitt. genio, Hist. 16. 17. 18. (*b*) Id. ib.

TERTIANA ARTHRITICA.

§. 173. Perniciosam quoque febris indolem indicant dolores, universum corpus infestantes, rheumatismi, aut arthritidis instar, et febrilium accessionum circuitum sequentes. Initio hi *tensivi*, *gravativi*, *pressorii* sunt, et liberum membrorum motum impediunt; deinde *vibratiles*, *lancinantes*, *vellicantesque* fiunt. Ad hos accedunt *æstus modo volatici*, *modo ardentes*, *circa febris statum præcordiorum anxietates*, *pulsus depressio*, *virium collapsus*, et *sitis inexplebilis*. Solent dolores isti cum febre evanescere, iterumque cum ea redire periodice. Sed si, finita accessione, aliquid eorum superest; nova redeunte, ita increscunt, ut *facile in spasmum* desinant universalem. Prȩterea interdum accessiones diutius protrahuntur, et continuitatem affectant, obscuriori quotidie earum typo reddito. Quo in casu periculosa circa abdominalia viscera symptomata enascuntur; *unde hepatis*, *lienis*, *aut ventriculi inflammatio* imminet, vel *saltem febri lentæ*, *et habituali splenica pathemata* superveniunt. Hæc omnia data tempore china china avertit, febrimque de more jugulat. Sub ipsis autem dolorum, et spasmorum cruciatibus in hac febris specie, quæ dolorem universalem Rheumatismo spasmodico similem inducit, ut ait MORTONUS (*a*), ipse non timet venæsectione, emeticis, *vesicatoriis*, et paregoricis, in primis laudano liquido eum mitigare, et demulcere.

(*a*) L. cit. Histor. 20. & 22.

TERTIANA PLEURITICA.

Descriptio. §. 174. Nec minus perniciosa est tertiana, quacum dolor pleuritidem adamussim referens consociatur. Accessiones ut plurimum antecedit vertiginosa capitis perturbatio; deinde horror incipit, qui magis, magisque increscit, usquedum nauseam, cardialgiam, et vomitum excitet. Interim paullo infra mamillam, aut circa eam dolor acutus, et pungens, quandoque obtusus tantum, et gravans, sed jugis, interdum cum ardoris sensus conjunctus, plerumque inspiratione recrudescens supervenit, quem reliqua pleuritidis signa non deficiunt, uti pulsus celer, durus, non raro inæqualis, respiratio parva, frequens, difficilis, erecto capite, tussis molestissima, satis fere inextinguibilis, cum oris non dubia amaritudine. *Circa febris statum* ægri vehementer æstuant, delirant, sputa excernunt varie colorata, cruenta, et puri similia, urinasque emittunt crassas, turbidas, quales jumentorum. Nec rarum est, adeo malum augeri, ut peripneumoniam suffocantem cum exteriorum partium perfrigeratione imite-
Curatio. tur (*a*). Quando hæc febris ipsius vices subeunt, ideoque ejus symptomata haberi debent, non solum corticis citum usum postulant, ut in aliarum curatione febrium, perniciem minitantium, verum ea quoque omnia, quæ veræ pleuritidi conveniunt, atque in primis iteratam sanguinis missionem; quæ adeo necessaria est, ut sæpe ipse viderim, febrem cortici non obtemperasse, nisi sanguine prius largiter misso, hoc est diathesi inflammatoria per sectionem venæ quodammodo retusa. Nec quidquam metuendum tum est ab remedio, quod alias in inflammationibus vulgo

male audit. Tutissime, atque saluberrime tunc adhiberi, certissima observata evicere.

(a) Mort. l. c. Hist. 21.

TERTIANA CÆCA MORANDII.

§. 175. Tres, quæ sequuntur, tertianæ species, *cæca*, *scorbutica*, et *petechizans* a Morandio primum, ut ipse *sine arrogantia* contendit (a), et observatæ, et curatæ fuerunt (*). Et primum, quod ad *cæcam* pertinet, hæc incipit a lassitudine, debilitate, oscitatione frequenti, *pandiculatione*; deinde se exerit *horrore*, *rigore*, *tremore*, *pallore extremorum*, *anxietate*, *nausea*, *dolore capitis gravativo*, *obtuso*, *vomitu*, *pulsu depresso*, *citato*, *duro*, *aliquaque vertiginosa affectione visionem aliquantisper hebetante*. Calore, et febre invalescente, succedunt inquies, garrulitas, oblivio, visus obfuscatio, sitis, sopor, linguæ tarditas, delirium, cæcitas, facies luctuosa, urina sedimentum habens lateritium. Simul ac vero remittit febris paullatim visus restituitur, objectorum imagines primum confuse, mox clare, et distincte cernuntur, mens redit, et resipiscit, superstite aliqua in soporem modo, modo in garrulitatem propensione: quæ, ubi remanet, superestque, opportune admonet, non omnem e cerebro caussam excussam esse, sed ibi figi, ac stabiliri, remediaque *illico*, *vel saltem ante quartum* opportuna exposcere, ne fera nimis pœnitentia nos subeat. Necesse ergo est continuo alvum lenire, venam secare, alioque expispasticis revellere, et corticem validissime propinare. Cæcitatem ex hujusmodi caussa in quodam medico ætate, atque ingenio florente, patria Cæsenate ortam, et post febrem discussam corticis ope, diu

Descriptio.

Curatio.

adhuc permanentem solo continuato antidoti hujus usu tandem curatam perfecte lætus memini.

(*a*) MORAND. l. c. cap. 21.

(*) *Nempe jam ab anno* 1729. *quo epidemicæ cuidam febrium perniciosarum constitutioni ipse interfuit, multosque servavit.*

TERTIANA SCORBUTICA EJUSDEM (*).

§. 176. Hæc a *scorbuto*, cujus symptomata præsefert, nomen habet; sed *perniciosa* ut dici possit, (nam maculæ *regularis figuræ*, *colorisque rubescentis*, quæ remittente accessione evanescunt) a legitima, et benigna tertiana sæpe non absunt, hisce se debet patefacere symptomatibus. Initium accessionis facit sensus quidam spasticus perfrigerationis, qui a regione lumborum orsus, sensim juxta totius *dorsi longitudinem* ad *scrobiculum cordis* usque porrigitur, proceditque, cum *vomendi conatu*, *cum rigoribus toto accessionis tempore inordinatis*, *et in statu exasperatis*, *cum angustiis et anxietatibus præcordiorum*, *difficili respiratione*, *cum deliriis*, *aut somni profunditate*, *cum parvitate pulsus*, *ac depressione*; *cum urinis nimium crassis*, *cum maculis irregularibus*, *latis*, *violaceis*, *parumque in die quietis evanescentibus*. Ubi febris hanc sequitur symptomatum rationem, non temere fidendum est; nam versus *quintam* accessionem *hæmorrhagia narium vel intestinorum* occidet, *vel post septimam*, si non occiderit, *in alium* ipsa *morbum*, *et præcipue in tabem*, *vel hydropem* migrabit. Salus hic quoque a china china (**) expectari debet; quamquam non me latet, non defuisse olim medicos, et quidem non ignobiles, qui ejus usu viam scorbuto parari crediderint, idque posteros etiam, atque etiam monuerint, ut caverent. Sed hodie, postquam compertum est, scorbuto quoque chinam chinam re-

Curatio.

medio esse, vix fidem ullam amplius obtinent. Grassabatur hieme ann. 1765. Faventiæ scorbutus epidemicus, et gravissime grassabatur. Omnes ab eo immunes extire, quibus cortex peruvianus ob prægressas febres autumnales perniciossimas, et summopere recidivas diu, et liberali manu (*a*) datus fuerat.

(*) *Tertianæ scorbuticæ meminit quoque* ETTMULLERUS, *quem deinde sequutus est* SAUVAGESIUS. *Verum Tertiana scorbutica* ETTMULLERI *maxime differt a tertiana scorbutica* MORANDI. *Illa scorbuti symptoma est, benigna plerumque, sæpe spuria, pertinacissima, diuturna, facile recidiva, solis antiscorbuticis curanda, raro chinæ chinæ obtemperans. Vid.* ETTMULLER. Colleg. Pract. sect. XV. cap. 2. T. 2. pag. mihi 324 & seq. *Contra hæc* MORANDII *primaria est, perniciosa, brevi exitium afferens, cortice illico fuganda, cujus symptoma, non caussa, scorbutus apparet. Vid. sup.* §. CXL. CXLVII.

(**) *Si quis tamen eodem tempore antiscorbuticis putridæ dissolutioni occurrat, & præcipue acidis mineralibus, eo felicior erit eventus.*

(*a*) Saggi di Medic. Prat. di Pietro Paolo dall'Armi P. I. pag. 37. Giunta; *nempe historia epidemicæ constitutionis ann. 1765. a me addita.*

TERTIANA PETECHIZANS EJUSDEM.

§. 177. Horror in hujus febris accessionibus dimidiam circiter horam, aliquando integram, raro diutius ægrum pertinaciter concutit; interimque doloribus torquetur dorsum, ut inquiunt, *tensivis*, repente viribus exsolutis, et crebris lipothymiis intercedentibus. Calor horrori mox succedit, nunc satis quidem tolerabilis, nunc ingens, sed semper cum præcordiorum anxietate conjunctus. Pulsus esse solet parvus, celer, depressus; somni imminuti; caput imbecillum, *parumque dolens*; urina aurantio colore tincta, cras- Descriptio.

sum sedimentum exhibens. *Tertio*, aut *octavo*, quod tardissimum est, *febris circuitu efflorescunt peticulæ rubicundæ, vel livescentes, et circa collum, pectus, humeros copiosæ, cum insigni animi angore, delirioque febris statum præmonstrantibus*. Quæ omnia intermissionis tempore mitescunt quidem: nova vero accessione resurgunt, atque exacerbantur, exceptis peticulis, quæ etiam intermissionis tempore assiduæ perstant. Quamquam hæc febris, teste Morandio, ut plurimum prospere finiatur, (*) interdum tamen exitium vitæ comminatur. Quare ab eodem monemur, caute prognosim tamdiu differendam esse, donec certa boni, aut mali exitus indicia se præbeant. Bonum augurari licet in primis ex peticulis, si post *septimam* eruperint, atque ex pulsu, si magnus, si validus, si æqualis fuerit: contra malum ex iis *circa tertiam* prodeuntibus, et pulsu parvo, inordinato, inæquali, et imbecillo. Præstabit ergo, si quid judico, in tam ancipiti rei eventu ad corticem (**), ut ad sacram anchoram, confugere; quandoquidem tutissimum, et certissimum est istiusmodi præsidium.

(*) *Peticulæ enim quandoque benignæ sunt, nec perniciem aut malignitatem recondunt. Tales fuere in tertiana petechiali* Marcelli Donati de med. histor. lib. 3. cap. 14. *quam excitat* Sauvagesius. *Sed tertiana ejusmodi non erat perniciosa, ut ea, quæ a* Morandio petechizans *vocatur*. Petechizanti *vero huic propius accedit* tertiana epidemica petechialis, *quam observavit anno* 1652. *in Dania* Bartolinus. *Vid.* Bonet. Polyalth. Tom. 1. pag. 252. *Igitur, ut dignoscamus, utrum peticulæ symptoma perniciosum exhibeant, nec ne, reliqua etiam symptomata ad examen vocentur, ne errore implicemur*.

(**) Morandius (l. c. cap. 4.) *hanc proponit corticis peruviani adhibendi rationem* adversus singulas, *de quibus egit*, intermittentium febrium species, *plus minus efficacem pro majore, vel minore periculi pro-*

ximitate. *Cum citius ad exitium properant* catarrhalis, colica, pleuritica, & cæca, *sic validiore methodo indigent: contra leniore* arthritica, scorbutica, & petechizans, *quia hac lentiore passu vitam adimere solent. Itaque si prava symptomata, quæ antecedentes omnes accessiones, præcipue postremam, comitata sunt, ita intensa visa sint, ut in celerem mortem tendere morbum significent, totis viribus futurus accessus illico arcendus est. Cum primum igitur febris accessio præsens remittere inceperit, mox chinæ chinæ drachmæ sex uno haustu porrigantur, deinde aliæ tres post tres circiter horas; & demum post quatuor iterum eadem dosis. Profligata sic certissime proxima accessione, detur drachma una quotidie per occiduum, deinde alternis diebus usque ad vigesimam diem. Tum quinque vel sex sine cortice transactis diebus, iterentur drachmæ duæ, & demum quinto quoque die semidrachma per tres alias vices. Cum vero non adeo proximum urget periculum, leniorique modo agere licet, tunc prima vice quatuor corticis drachmas dare satis est, deinde binas alias post quatuor horas, & unam non modo quotidie per sex dies, verum etiam postea alternis diebus ad vigesimum usque; demum quinto quoque die semidrachmam ad diem usque quadragesimum.*

§. 178. Huc fortasse spectat *tertiana urticata* Planchonii (*a*), in cujus quavis accessione apparebat purpura urticata; et decedebat, febre sudoribus evanescente. Curatur hæc quoque cortice peruviano, diluentibus, et blandis eccoproticis. Fortasse quæ a Wedelio visa, et *scorbutica tertiana* (*b*) appellata fuit, aut ad *urticatam*, aut ad *petechizantem* referenda est. In quovis enim ejus circuitu erumpebant maculæ *instar petechiarum*. Curata autem fuit jure viperino. Symptoma *purpuram scarlatinam* referens tertianis addi posse, non est, cur dubitemus; nam *quotidianam* cum hujusmodi exanthemate conjunctam, et mali moris, vidit Mortonus (*c*). Exanthemata quoque *miliaria* non raro intermittentibus super-

Tertiana urticata, scarlatina etc.

Miliaris.

veniunt (*d*), nec semper sudori, et regimini calefacienti debentur. Quidni ergo et tertianis? SAUVAGESIUS, et CULLENIUS speciebus tertianarum adnumerant *Tertianam Miliarem* WALTHIERI (*e*), sed perperam; nam WALTHIERIUS veram febrem miliarem eo, quo citatur, loco descripsit, non tertianam comitatam exanthemate miliari: nec obstat, ab initio febrem illam primis diebus sub tertianæ intermittentis specie lusisse; cum hoc sæpe eidem solemne sit, nec ideo cortici obtemperare soleat, nisi tum, cum revera intermittens sua natura fuerit; exanthema vero symptomaticum (*f*).

Error Sauvagesii et Cullenii.

(*a*) Journal de Medec. Tom. 1. pag. 75.

(*b*) Medic. Septentrion. BONETI Tom. 2. pag. 552. observ. 22. sub finem.

(*c*) De proteif. febr. intermitt. genio exercitat. 1. cap. 9. histor. 24.

(*d*) GASTELLIER Essai sur la fievre militaire. Introduct. pag. 21.

(*e*) Nosol. meth. class. 2. ord. 3. Gen. 10. spec. 21. CULL. Gen. morb. cl. 1. Sect. 1. Gen. 1. Tertiana effervescentia cutis stipata.

(*f*) *Vid.* RONCALLI Europ. Medic. p. 151. *ubi* Walthieri epistola.

Aliæ comitatis febribus addi possunt.

§. 179. *Comitatis* accenseri debent non paucæ aliæ tertianæ, etsi non semper, neque adeo, ut superius expositæ, perniciosæ, neque valde frequentes, quarum tamen aliquam mentionem faciunt Nosologi. Interdum accessiones vel hysterismum, vel suffocationem, vel flatus immodicos, et borborygmos, vel motus convulsivos, vel spasmum, vel epilepsiam periodice comitem habent. Hinc tertianam hujusmodi symptomate comitatam vocant *hystericam* (*a*), *hypochondriacam* (*b*), *convulsivam* (*c*), *spasmodicam* (*d*), *epilepticam* (*e*). Nec desunt, qui *lyngodem*, nempe singultum excitan-

tem (*f*) viderint, quam alii *verminosam*, utpote a vermibus ventriculum irritantibus ortam, licet non satis id compertum esset (*), vocare maluerint (*g*). Quæ autem *syphilitica* a De Dierio (*h*), aut *scabiosa* a Junchero (*i*), aut *scorbutica* ab Ettmullero (*k*), et Bartholino (*l*) dicuntur, similesque aliæ, aut *symptomaticæ* tantum sunt, aut *complicatæ*, sic ut ad comitatas minime pertineant.

Quæ excludi debeant.

(*a*) Wedelius A.N.C. Dec. 1. A. 2. obs. 193. & Med. sept. Boneti P. 2. l. 7. Paraleip. obs. 22. p. 552.

(*b*) Ducan-Baine Essais de Med. d'Edimb. T. 5. P. 2. pag. 137. (*) *Quotidie recurrebat febris cum motibus convulsivis & spasmis. An tertiana duplex?*

(*c*) Wedel. l.c.

(*d*) Beobacht 1. Band. p. 24. Fr. Casimir. Medic. Tom. 1. vid. comment. Lipsiens. suppl. 2. ad decad. 2. p. 204. & seq. *ubi tamen Auctor observationes habet de* quotidiana *spasmis, & convulsionibus comitata, extensa, & subintrante*, maligna; *nisi fortasse mavis, eam fuisse tertianam duplicem perniciosam, communicantem, convulsionibus, & spasmis stipatam.*

(*e*) Caldera Trib. med. p. 225. Lautter Histor. med. bienn. cap. 11. cas. 2.

(*f*) Ramazzinius l.c. §. xi. p. 14.

(*) Ramazzinius *enimvero, eo quod in illa epidemica constitutione sæpe vermes complicari viderat, facile conjecturam fecit, singultum, quod febris tertiana simplex stipabatur, a vermibus excitatum esse. Sed quonam remedio eum sedatum fuisse credis? Febre nimirum per corticem sublata. Ni ergo singultus febris symptoma fuisset, cortici non certe obtemperasset. Quæ enim ei tribuitur vis anthelmintica, incerta valde, si non fictitia, est. Nec ex ejusmodi felici curatione, meo quidem judicio, magis ea evincitur, aut elucescit.*

(g) Sauvagesius l.c. spec. 18. Cullen. l. c. 4.

(*h*) De morb. ven. sect. 4.

(*i*) Tab. 80. Hoffm. 11. p. 12.

(*k*) L. c. (*l*) L. c.

Quæ ratione curandæ sint. §. 180. Singulis hisce *comitatis* (§. 179.) varia pro symptomatum ratione adhibenda quidem curatio est, qualem nempe hysterismus, hypochondriasis, convulsiones, motusve epileptici alias poscunt, et præ ceteris antispasmodica, nervina, atque antepileptica, præter generales evacuationes, quæ a plethora, aut cacochylia indicantur. Sed cortex peruvianus his quoque necessarius est, qui eas vel solus, vel aliis, quæ modo memoravi, remediis admixtus certissime discutit. *Symptomaticæ* vero iis curantur, quibus morbi primarii, quorum symptomata sunt; vel si *complicatæ* fuerint, mixta curatione opus est, febri nimirum, et morbo, quocum copulatur, accommodata. Hinc *syphiliticæ*, *scorbuticæ*, *verminosæ* antivenerea, in primis mercurialia, antiscorbutica, anthelminthica, et sic porro, opem afferunt præstantissimam.

QUARTANA INTERMITTENS.

Descriptio. §. 181. Cum accessiones quarto quovis die ordinate fiunt, et vacuum duorum dierum intervallum relinquunt, tunc febris *Quartana intermittens* est. Hæc autumno præsertim, atque hieme insolescit; horisque ut plurimum pomeridianis suos habet circuitus. A frigore ingenti, dolorifico, delassante, atque ossa ipsa quasi frangente, sive osteocopo incipit. Post primam accessionem, in qua plerumque ægri non admodum rigent, tantus in subsequentibus rigor, et tremor est, ut dentes interdum, etiam satis firmi inter se collisi e suis alveolis ejiciantur. Solet frigoris tempus ad duas, tres, aut plures horas protendi, diutiusque affligere, quam in quotidiana, et tertiana. Calor succedens frigoris intensioni nequaquam respondet, sed levior est, quam

in tertiana, major tamen, quam in quotidiana, saltem ut plurimum, atque ad quinque, vel sex horas cum aliqua capitis molestia, et gravitate protrahitur. Deinde sensim remittit, et sudore exiguo, interdum etiam nullo, solvitur accessio. Pulsuum micatus inchoante frigore, imo toto ejus curriculo parvi, profundi, inæquales, tardi, et rari existunt, neque accedente calore, quamquam celeriores, aut crebriores fiant, ad eum unquam gradum perveniunt celeritatis, et frequentiæ, qui in tertianæ vigore deprehendi solet. Vomitus, atque alvi solutio plerumque abest, quemadmodum ex SYDENHAMIO animadvertit SAUVAGESIUS. Attamen ante eos aliter visum est GALENO (*a*), qui copiosiores excretiones Quartanæ attribuit, quam Quotidianæ, vomitus in primis pituitosos urinas tenues, aquosas, et albas. Intermissio vero nunc perfecta consequitur, nunc imperfecta, prout sudor manaverit, vel defuerit.

(*a*) Different. febr. l. 2. cap. 5. de Typ. cap. 5. De cris. l. 2. cap. 4. ex TRNKA l. c. P. 1. cap. 4. f.

DIFFERENTIÆ.

§. 182. Atque hæc de *Quartana legitima* intelligantur; nam in ea, quam *spuriam* sive *notham* dicunt, cuncta symptomata, præsertim calor, sitis, pervigilium, vehementius urgent, accessiones diutius trahuntur, et sæpenumero ad perfectam apyrexiam nequaquam pertingunt. Præterea utplurimum hæc aliis febribus tam continuis, quam intermittentibus succedere consuevit. Quartana item alia *simplex* est, qualem supra (§. 181.) posui, alia *duplex*, *duplicata*, *triplex* et *triplicata*. In *duplici* accessiones duobus primis diebus revertuntur, tertio libero manente, sic tamen, ut accessioni primæ diei accessio quar-

ta die rediens; secundæ vero ea, quæ quinta die recurrit, similis sit, atque ad amussim respondeat. Si quarto quovis die non semel, sed bis accedat febris, recedatque intermedio biduo libero, *duplicata* dicitur. *Triplex* autem ea est, in qua singulis diebus quotidianæ in modum accessiones habentur, sed primæquarta, tertiæ sexta æquari debent. *Triplicata* demum vocatur, quæ quarto quolibet die tantummodo corripit, sed tres habet intra idem nychthemerum accessiones. Hac per sex menses conflictatum fuisse FEOVIUM narrat SAUVAGESIUS (*a*), tandem ope chinæ chinæ cum salibus alkalinis fixis commixtæ curatum.

(*a*) Nosol. cl. 2. gen. 11. spec. 16.

§. 183. Quartana insuper, ut de quotidiana, et tertiana dictum est, communibus illis differentiis, toties jam inculcatis subjicitur. Quare et ipsa distinguatur necesse est, in *benignam*, *perniciosam*, *comitatam*, *primariam*, *secundariam*, *symptomaticam*, *complicatum*, et sic porro. Quartanam *catalepticam* videsis apud BONETUM (*a*), *comatosam* apud CAROLUM PISONEM (*b*), *epilepticam* apud SCHOLZIUM (*c*), *hystericam* apud MORTONUM (*d*), *nephralgicam* apud LEMERYUM (*e*), *amentem* apud SYDENHAMIUM (*f*), *spleneticam* apud SENNERTUM (*g*), et ETTMULLERUM (*h*), *arthriticam* apud MUSGRAVIUM (*i*), *syphiliticam* apud MONIOUM (*k*), et BALLONIUM (*l*), et PLATERUM (*m*), *scorbuticam* apud BARTHOLINUM (*n*), et TIMÆUM (*o*), quod SAUVAGESIUS, et CULLENIUS erudite advertunt.

(*a*) Polyalt. vol. 1. pag. 805.
(*b*) Observ. de morb. a colluv. seros. obs. 167. 168. & seq. ad 174.
(*c*) Cons. 379. 380.

(*d*) Pyretol. exerc. 1. cap. IX. h. X. & XI.
(*e*) Sauvag. sp. 9. qui *citat* Diar. erudit.
(*f*) De morb. acut. cap. V.
(*g*) De febr.
(*h*) Colleg. Consult. cas. 25.
(*i*) De arthrit. symptom. cap. IX. hist. 4. & 5.
(*k*) Ess. d'Edimburg. vol. VI. art. 47. obs. 9.
(*l*) Epid. lib. 2. pag. 131.
(*m*) Observ. l. III. p. 676.
(*n*) De med. Dan. Diss. IV.
(*o*) Lib. VIII. cas. 18.

PROGNOSIS.

§. 184. Quartana alias omnes febres diuturnitate longe superat, excepta fortasse quotidianæ specie aliqua, ac in primis symptomatica, et spuria, quibus conveniunt ea, quæ passim memoriæ prodita sunt de ejus pertinacissima natura. Plerumque autumno incipit, et tota hieme, si sibi relinquatur, prosequitur, donec vere adventante paullatim desinat. *Æstiva*, et *spuria* breviores esse solent; ideoque scripsit HIPPOCRATES (*a*), *Quartanæ æstivæ plerumque fiunt breves; autumnales vero longæ*, et *maxime quæ prope hiemem incidunt*. Raro ultra annum producitur; quamplurium etiam annorum quartanæ contumaciores interdum visæ fuerunt. Insolita, et vix credenda diuturnæ quartanæ exempla, per octodecim scilicet, triginta tres, et quadraginta etiam octo annos affligentis extant apud Jo. WIERUM, et WOLPHANGUM GABETCOVERUM, aliosque mirabilia sectantes (*b*). At non audiendus omnino est HIPPOCRATES, ubi inquit (*c*), *omnium febrium* tutissimam, et placidissimam esse quartanam; neque tanti GALENI locus, in quo eam periculi expertem pronunciat (*d*), faciendus est, ut obliviscamur alterius (*e*), in quo graviter eam etiam vexare, et in lethalem hydropem interdum

desinere fatetur, experientia quotidiana id confirmante.

(*a*) Aphor. 25. sect. 2.
(*b*) *Vid. hæc fusius allata a Cl.* TRNKA in Historia Febr. Intermitt. omnis ævi Vol. 1. P. 1. cap. 9. §. LXXIV. & seq.
(*c*) Epid. 1. III. 17.
(*d*) De art. curand. ad Glauconem l. 1. c. 8.
(*e*) Comment. III. in Hipp. Epid. l. 1. n. 4.

Quartana interdum maligna et mortifera.

§. 185. Imo quandoque epidemicas, et malignas, mortiferasque esse quartanas, præsertim senibus, qui plerumque in ipso frigoris stadio enécantur, non modo FORESTUS (*a*), atque alii multi (*b*) asserunt, verum etiam nos ipsi pluries observavimus. Quare ad *benignas*, *legitimas*, *depurativasque* coarctanda sunt ea, quæ a BOERHAAVIO (*c*), HOFFMANNO (*d*), aliisque dicuntur de Quartanæ salubritate, et de longævitate ab eadem expectanda. Limitandæ item sunt laudes, quas ei impertit HIPPOCRATES hisce verbis; *A quartana correpti non admodum convulsionibus capiuntur; si vero prius capiantur, et quartana supervenerit, liberantur* (*e*). Nam non modo epilepticos insultus cum ea conjungi, supra indicatum est; verum etiam alios spasticos nervorum affectus ab eadem natos non raro vidimus. Neque universim, et absolute vera sunt, quæ habet auctor *sexti libri epidemiorum* (*f*), sic loquens: *Qui quartana vexantur non ullo magno aliquo morbo corripiuntur. Quod si aliquo corripiuntur, quartana succedente, liberantur.* Utrumque enim sæpe falsum experientia demonstravit. Extant apud clinicos observationes, ex quibus discimus, quartanæ, præsertim hibernæ pleuritidem, aut alios morbos acutos non raro supervenire, neque ab eadem eos, qui jam erant, semper depelli. Noverunt id vel antiquissimi (*g*) Medicorum.

Limitandæ laudes Quartanæ.

Neque quidquam boni est fortasse a quartana profluxurum, quod ab aliis febribus tam continuis, quam intermittentibus expectari, aut haberi non possit, ut variis in locis HIPPOCRATES (*h*) spopondit. Si quid boni e Quartana expectatur, id commune cum quavis intermittente alia febre.

(*a*) L. III. observ. 32. schol. & 35.
(*b*) *Vid.* TRNKA l. c.
(*c*) De cognosc. & curand. morb. §. 745.
(*d*) Med. Syst. T. IV. P. I. sect. I. c. 2. Thes. patholog. §. IX.
(*e*) Aphor. 70. sect. V.
(*f*) Sect. VI. n. 9.
(*g*) Coac. 159.
(*h*) Aph. 5. sect. V. 57. sect. IV. Coac. 354. aph. 51. sect. VI. 52. sect. VII. Coac. 449. aph. 40. sect. VI. 44. sect. VI. Coac. 475. 222. 477. 379.

§. 186. Recidiva autem valde est quartana, sed qualibet vice mitior, minusque pertinax sensim evadit, et plerumque post aliquot tum circuitus facile, aut sponte decedit. Vetus etiam opinio obtinuit, eum qui semel hac febre laboravit, nunquam in eamdem relabi. Verum id a SENNERTI, HAVERMANNI, MARC. DONATI, GASP. a REIES, WIERII, MADAI, BENIVENIIQUE observatis (*a*) omnino refellitur. Ut tertiana, et quotidiana sæpe in quartanam mutantur, sic quartana in tertianam, aut quotidianam vicissim degenerat; imo interdum in continuam, et lentam; quod minus tutum est. Gravidas ad partum usque comitari ea dicitur; posthac cessare, sed in infantem natum transfundi, qua deinde hic conflictetur. Non solum sudoribus et temperie verna, ut aliæ intermittentes, solvitur, sed etiam non raro scabie, purpura, hæmorroidum fluxu, ptyalismo, ulcusculis labiorum supervenientibus. Interdum furunculo in buccis nato ex VOGELII testimonio (*b*) amandatur, itemque abdominis

Recidiva valde est.

Qui semel ea laboravit, iterum in eam potest incidere.

In gravidis pertinax.

Quibus evacuationibus solvatur.

tumore, aut diarrhœa. Contra si quartana affe-

Sanguinis fluxus quinam noxius?

ctis *sanguis ex naribus fluxerit*, malum (*c*) portendit; et multo perniciosius adhuc est, cum concretum magna copia ano dejici; postridie enim mortem subsecutam, testis est HEURNIUS (*d*).

(*a*) *Vid. loca apud* TRNKA l. c.
(*b*) De cogn. & curand. morb. §. XIX.
(*c*) HIPP. aph. 3. sect. VIII.
(*d*) In HIPP. aph. 23. sect. IV.

CURATIO.

§. 187. Isthæc febris, antequam cortex peruvianus cognosceretur, opprobrium medicorum passim habebatur, quod ut plurimum quævis artis adjumenta aspernaretur. Hodie vero non item; nam ejus ope æque ac reliquæ intermittentes facile subjugari consuevit. Paranda tamen eidem via sæpe est sanguinis missione (*); qua sola in manu instituta diuturnas quandoque quartanas devictas perhibent; emeticis, catharticis, salibus tam *fixis*, quam neutris, atque aperientibus, amarisque medicamentis, prudenter, et opportune adhibitis. At lectissimus, nec effœtus sit oportet, ut votis omni ex parte respondeat, dandusque est liberaliori, quam alias solet, manu, ne optato effectu careat. Compertum enim habemus, sub parciore ejus usu febrem aut nihilo minus invictam progredi, aut, si victa eo fuerit, facile post aliquod tempus recidivam fieri, quæ iterum largiori, et validiori remedii sumptioni cedere solet. Si igitur febrim, quando ea vehementior urget, largius datus cortex supprimit, cur non eodem modo sumptus ejus reversionem avertat? Augenda igitur ejus dosis ita est, ut caussæ, quæ quartanam efficit, fovetque, sive majori, sive difficiliori subigendæ sufficiat. Quod

non semel expertus sum ego, exemplo a perniciosarum curatione ducto, expertique sunt alii exercitatissimi viri (*a*).

(*) *Cl.* STORCKIUS (Ann. Med. 2. p. 164. ed. Amstelod. 1779.) *binos ex quartana laborantes habuit, quibus pulsus tempore apyrexiæ erat fortis, æqualis, appetitus bonus, & vires validæ. Febris qualibet accessione nullo sudore solvebatur. Cum febris vehemens progrederetur & vires infringeret, maciemque induceret, dedit corticem, sed incassum. Uncia ejus data neque mitiorem reddidit febrim, neque frigus imminuit, sed longe majus, & molestius factum est. Altero integritatis intervallo auxit dosim remedii ad unciam cum dimidia; sed frustra. Tum extractum adhibuit eadem dosi, eodemque effectu; nec mirum cum extractum minus efficax est. Multa tentavit, & quidem sudorifera; tandem frictiones in frigoris stadio ad spinam dorsi, & os sacrum pannis laneis vapore camphoræ imprægnatis adhibuit, totumque dorsum, & corpus iisdem, stragulisque tegendos curavit. Sic sudore elicito ambos restituit. Nullam mentionem fecit de purgatione, nullam de sanguinis missione. Pulsus etiam apyrexiæ tempore erant validi. Num depletis vasis, expiatisque primis viis cortex irritus fuisset? Num sesquiuncia corticis summa est dosis, qua data, ejus inutilitas appareat?*

(*a*) TRNKA l. c. P. 2. sect. 2. cap. X. *quod totum legendum est, quia omnium auctorum de chinæ chinæ usu sententiæ ibi afferuntur. Sed nullibi plura quæ ad corticis delectum, & præparationem, & vires spectant, reperies quam apud* RAHNIUM Adv. Med. Pract. Vol. 1. sect. 1. *neque saniora consilia, quæ ad ejusdem usum respiciunt, quam in sect. 2. in qua recte & vere de aliorum observationibus, sententiisque judicium fertur.*

§. 188. Non diffiteor tamen, interdum peculiaria quædam humorum, aut viscerum vitia cum caussa febrim efficiente consociari, quæ non modo, ut cortici pertinacius reluctetur, sed etiam

Quæ cortici utiliter adjici interdum possint.

ut levissima de caussa reviviscat, præter morem faciunt. Quamobrem interdum maxime proficuum est cortici adjicere modo salem ammoniacum, modo radicem gentianæ, modo succos concretos plantarum amaricantium, aut antiscorbuticarum, modo extractum cicutæ (*), modo mercurium dulcem septies, aut novies sublimatum (*a*) modo chalybem. Hinc innumerabiles apud auctores compositionum hujusmodi formulæ inveniuntur, et summis laudibus ad quartanas in primis contumaciores curandas (*b*) extolluntur.

(*) *Qui Cl.* ANT. STORCKII *Archiatror. Cæsareor. Comitis* libellum de Cicuta *cum adjectis aliorum observationibus*, Vindobonæ *an.* 1761. *recusum perlegerit, cognoveritque ejus vires medicas multis in morbis, non mirabitur, cicutæ extractum corticis facultatem in pertinacissimis quartanis augere posse. Narravit mihi Medicus præstantissimus, amicissimusque* FRAMBAGLIA, *se in quadam epidemica febrium intermittentium constitutione, quando viscera abdominis obstructa reperiebat, usum felicissime extracto cicutæ esse, & quandoque hoc solo febres pertinaciores superasse.*

(*a*) *Calomelanon* TURQUETI RIVERIUS *vocabat, ut videre est in ejus observationibus medicis. Hoc intermittentibus diuturnis, & rebellibus feliciter medebatur. Imo celebratissimum ejus specificum* antiquartium, *quo quartanas chronicas cito tollebat; ca*lomelano *potiorem suam vim debere, verosimillimum est; etsi vera ejus compositio nunquam innotuerit. Si vero conjecturis locus detur, inter varias, quæ de* Antiquartio RIVERII *extant opiniones, Cl.* TRNKA *in primis videtur probanda, qui illud constare autumat ex* Mercurio vitæ, *sive rectius* præcipitato antimonii, *in patina terrea vitreata ad ignem exsiccato, donec non amplius fumet,* Calomelano Turqueti, & Diagrydio. *Vid.* TRNHA l. c. P. 2. sect. 2. cap. 3. §. XCII. h. *Debet etiam consuli* Jo. HENR. SCHULZII Dissert. de Mercurialium usu in febre quartana curanda. (*b*) *Vid.* l. c. cap. XI.

de Febrifugis compositis §. CXXVIII. *ubi speciatim varii generis formulæ ex clarioribus scriptoribus depromptæ adducuntur*.

§. 189. Mercurii autem dulcis, aut calomelani egregia vis ad quartanas eradicandas merito celebratur, præsertim si luis venereæ, sive syphilidis aliquid subsit, quod eam alat. Verum etiam extra hujusmodi suspicionem miros sæpe effectus præstat, tam solus, quam cortici adjunctus, non modo *cathartici*, sed etiam *alterantis* in modum. Utor ego feliciter ad quatuor, vel sex grana in singulos dies, quæ cortici admisceo, diuque ejus usum produco, sic tamen, ut etiam minori dosi contentus interdum sim, aut etiam subinde intermittam, si ptyalismum moveat, aut alvum nimium laxet. Cl. HOFFMANNUS (*a*) commendat pulverem, ut efficacissimum adversus quartanam, in cujus compositionem ingreditur Mercurius dulcis. Idem quoque celebrat *electuarium* quoddam (*b*), nec non *Infusum vinosum* miræ efficaciæ (*c*), ad quorum exemplum quilibet alia, atque alia pro varia indicationum, et circumstantiarum ratione poterit sibi componere, et comparare.

Mercurii dulcis vis febrifuga.

(*a*) Med. Rat. systemat. T. IV. P. I. sec. 1. c. 2. method. med. §. VIII. *Pulvis autem est hujusmodi:* ℞. Pulv. cortic. drachm. iij. Regul. antim. medicin. drachm. ij. Mercur. dulc. rite parat., croc. Mart. tenuiss., Arcan. duplicat. MYNSICHT. an. drachm. j. ol. destillat. Menth. gutt. iv. M. f. pulv.

NB. Mercurius non terendus cum pulvere, sed cuspide tantum cultelli permiscendus est.

Dosis pulveris est a drach. sem. ad drachm. j. cum Roob Sambuci, vel juleb. rosar. in elect. form. redact. D. mane & vesperi tempore apyrexiæ. Recens debet parari, ne noceat; sed non detur, nisi robustis, servata opportuna victus ratione. *Laudatur etiam ab aliis*.

(*b*) L. c. sect. 1. cap. 1. §. IX.

Electuarium antifebrile Hoffman.

℞. Roob. Sambuc. unc. sem. Pulv. cortic. peruvian. drachm. vj. pulv. flor. chamom. vulgaris drachm. ij. Extract. min. cent. pulv. caryophyll. an. drachm. sem. syr. acetos. citri unc. j. & semis. M. f. elect.

NB. addi quandoque potest antimon. diaphor. Theriac. vel sal. etiam ammoniaci drach. sem. Finito paroxismo altera quaque hora detur drach. sem.

Pro iis vero, qui sunt tenuioris texturæ, & stomachum habent imbecilliorem, parari potest remedium in forma liquida sic:

℞. Cort. chin. unc. j. cascarill. cinnam. acuti, sal. tartari an. drach. j. Aqu. flor. chamom. vulg. lib. j. vini tantumdem. Digerantur leni calore. Colat. add. syr. cortic. aurant. unc. sem.

Dos. unc. j. quovis bihorio, *vel* unc. ij.

(*c*) L. c. §. VII.

Infusum vinosum Hoffm.

℞. Fibrar. hellebor. nigr. rad. polypod. querni, fol. sena. s. s. unc. j. herb. absynth. centaur. min. card. bened. trifol. fibrini an. m. sem. Rasur. ligni Colubrin. cortic. chin. aurant. recent. an. drach. iij. Limat. Mart. unc. sem. Tart. Tartarizati tantumdem. Cont. contund. irrorentur drachmis duabus spirit. sal. ammon. urinos. Misceantur, & duabus vini mensuris infundantur.

Omnibus indicationibus curatoriis satisfacit; de quo matutino tempore quotidie liberalis haustus sumatur.

Quando chalybis usus locum habet.

§. 190. Chalybe vero nihil præstantius est, ubi febres intermittentes cujuscunque typi diuturnitate solidarum partium tonum, fluidarumque crasim pessundederint, sic, ut non solum malus corporis habitus, verum virium languor, et coctionum depravatio consequantur. Tunc enim tonica corticis vis impar est ad corpus firmandum, atque ad febris, etsi eo cohibita subinde sit, re-

versionem impediendam. Hinc corticis adaugenda virtus est vel chalybis adjectione, vel interposito opportune ejus usu. Hunc in finem ALLENIUS (*a*) *decoctum nigrum* (*) commendat, cui interdum pro delicatulis adjiciendam suadet *Tincturam Burgundicam* (**). Ego quoque non semel ALLENII auctoritate ductus corticem cum chalybe conjunctum forma liquidi ad præcavendos febrium recursus (*a*) summo cum ægrotantium emolumento adhibui, assertasque medicamenti hujusmodi vires comprobavi.

(*a*) Synops. univers. med. pract. cap. 1. art. 48.

Decoctum nigrum.

(*) ℞. Cortic. Peruv. pulv. unc. ij. chalyb. cum tart. præpar. unc. j. coq. in aq. font. lib. iij. lento igne ad lib. j. & sem. addend. sub finem coction. cinnamom. acutiss. drachm. Colatur. addit. aqu. absynth. magis composit. lib. sem. M.

(**) Tinctura Burgundica.

℞. Cortic. peruv. pulv. drach. x.
Calam. aromatic.
Cinnam. an. drachm. j.
Cortic. aurant. drach. ij.
Cochinell. drach. sem.
Macera per biduum in vin. alb. Ulissoponens. lib. ij. & sem. filtretur &c.
Dos. cochl. n. iij. vel iv.

(*b*) HAMILTONIUS (de Prax. regul. & febr. miliari cap. 9.) *præstantissimum prædicat salem absynthii ad præcavendas febris reversiones. Formula vero qua ego corticem, & chalybem conjungere soleo, differt aliquantum ab illa* ALLENII *modo descripta. Est autem hujusmodi.*

℞. Cortic. peruvian. contus. unc. ij.
Limatur. Martis unc. sem.
Tartari albiss. unc. j.
Aq. flor. chamom.
Vini albi an. lib. j. sem.

Decoq. ad tertiæ partis consumpt. Colat. unc. iij. vel iv. dentur quotid. mane, & repetit. per dies XXX. vel XL. *Edulcari potest additione syrupi alicujus gratioris, prout libuerit.*

Œdemata hydrops, obstructiones quartanæ supervenientes cortice tolluntur.

§. 191. Si œdemata, aut aqua intercus, aut obstructiones a diuturniori præsertim quartana, superveniant, sola china china diu usurpata cum ipsa febre tolluntur; in primis si æger non modo a febris diuturnitate, verum etiam repetitis catharticis fuerit enervatus. Demum chalybis usu firmandus est (*). Œdemata præcipue discuti dicuntur sale Tartari ad grana xv vel xx singulis diebus mane per hebdomadem dato, feliciusque id obtineri ajunt, si ex diluto Baccarum Juniperi contusarum sal istud præbeatur (*a*). Qui hisce (§§. 187. ad 191.) opportune uti noverit, omnibus aliis arcanis, atque antidotis, quæ passim ab auctoribus celebrantur, facile carebit.

(*) Laborabat quartana intermittenti ab aliquot mensibus illustris quidam Jurisconsultus Alexandrinus ætate florens, & bono alioquin corporis habitu præditus: ex qua non solum ei magno œdemate pedes, crura, & femora intumuerant, verum etiam urinæ substiterunt, & quæ parcissime fluebant, rubræ erant, crassæ, & lateritiæ cum ejusdem generis sedimento. Nec deerat molesta sitis. Faciei, totiusque cutis color ad pallidum, flavumque vergebat. Abdomen flatibus distendebatur. Languebant vires. Appetitus erat pene dejectus. Hinc non sine caussa vehementer timebat ascitem sibi imminentem. Hactenus catharticis pluries iteratis, salibus neutris magna copia sumptis, & diu continuatis, decoctis amaris, atque aperientibus febrem depellere tentaverat, nec salem essentialem Chinæ Chinæ, quem magni, licet immerito faciebat, experiri neglexerat; sed incassum hercle. A china china in pollinem redacta, & valido modo sumenda, cane pejus, & angue sibi caverat. Diuturnitate morbi pene fractus se Ticinum transferendum curavit, quamquam jam

hyems ingruerat, ut opem suis malis, si qua esset, quæreret. Febris quartanæ adhuc regularis typum servabat, ad continuitatem tamen assumendam propendens. Cuncta coram diligenter scrutatus in eam sententiam veni, morbum principem quartanam adhuc esse, cetera incommoda ut ejus symptomata habenda, originemque suam debere nimiæ solidarum partium atoniæ, fluidarum vero aquosæ dissolutioni, & tenuitati. Auctor igitur fui, ut dimissis quibuscunque aliis medicamentis, extemplo solum chinæ chinæ pulverem optimæ notæ, & largiori manu sumeret, confideretque, eo solo febrim non modo desituram, sed reliqua etiam symptomata continuato ejus usu profligatum iri. Ita enimvero factum. Hinc illico febris decessit, nec amplius reversa est; œdemata paullatim discussa; urinæ ubertim fluere, appetitus reviviscere, vires instaurari, uno verbo pristina valetudo redire. Post quadragesimam ab incepto, continuatoque remedio diem bene valens domum repetiit. Ad corpus vero etiam atque etiam firmandum proximo vere, quod adventabat, ei suasi, ut diu tinctura martis vinosa Boerhaavii uteretur, seque moderato motu pedes, aut vectus exerceret. Quo factum est, ut pristinum robur, firmitatemque recuperaret. Aliquot jam anni exacti sunt, ex quo convaluit. Nuper cl. virum, qui me peramanter convenit, ita prospera utentem valetudine vidi, ut qui nunquam ægrotaverit.

(*a*) Lange Miscell. verit. Fasc. 1. p. 68.

FEBRES LONGIORA INTERVALLA HABENTES.

§. 192. Quod ad reliquas intermittentes longioribus intervallis distinctas (§§. 64. 65.) spectat, cum hæ neque natura differant, neque quidquam habeant, quod curandi rationem variari jubeat, nisi per se sensim omnino desinant, iisdem propemodum artis auxiliis, quæ in curatione generali febrium intermittentium (§. 106.) proposuimus, et demum cortici peruviano et ipsæ li-

bentissime obediunt. Idem dicito de febribus *larvatis*, et *topicis* (§. 67.) sive potius de morbis periodice revertentibus sine manifesta pulsuum mutatione; nam non quidem aliud postulant curationis genus, quam quod febres intermittentes, quarum naturam sequuntur.

SUBCONTINUA, ET SUBINTRANS.

§. 193. Quæ febris *subcontinua*, quæ *subintrans* (§§. 69. 71. 127.) a nobis dicatur, jam supra explicatum est. In eas migrare, et verti potest quæcunque febris intermittens, sive quotidiana, sive tertiana, sive quartana fuerit. Quando id evenit, protinus post generales evacuationes (§§. 108. ad 116.) ad corticem eo, quem tradidimus modo (§§. 127. 128.) deveniendum est. Naturam enim intermittentium, etsi non amplius intermittant, adhuc tamen retinent.

Finis Tomi Primi.


INSTITUTIONUM
MEDICINÆ PRACTICÆ

QUAS

AUDITORIBUS SUIS PRÆLEGEBAT

JO: BAPTISTA BURSERIUS

DE KANIFELD.



TOMUS SECUNDUS.



VENETIIS

1817

EX TYPOGRAPHIA JOSEPHI MOLINARI.



DE FEBRIBUS

PARS ALTERA.

DE FEBRIBUS CONTINUIS CONTINENTIBUS.

§. 194. Continuas continentes (*) appellavimus (§. 61.) eas febres, quæ uno quasi circuitu sua stadia, sive tempora percurrunt, et συνόχοι a Græcis dicuntur. Hinc *simplices*, sive unius circuitus præ reliquis febrium generibus et videntur esse, et reputantur. Ita tamen earum continuitas accipienda est, ut non quovis tempore, una, eademque febris vis, atque eadem symptomatum intensio urgeat, sed in principio, et remissione morbi omnia mitiora sint; graviora vero in augmento, et statu, quemadmodum in aliis morbis fieri consuevit. Synochi.

(*) Scire autem oportet, Mortonem *febres, quas alii* remittentes, *& synecheas vocant,* continentes *nominasse, nova sane, ac insolita vocis usurpatione; quod errore ne, an studio fecerit, non satis liquet.*

§. 195. Non tamen putandum est, ut apposite, recteque monent Tortius (*a*), Lieutaudius (*b*), Sauvagesius (*c*), Hænius (*d*), aliique optimi harum rerum judices, hujusmodi febres sine ulla omnino gravioris intensionis vicissitudine usque ad finem procedere. Nam etsi neque, ut *Remittentes*, statis quibusdam horis manifesto ingravescant et remittant, neque intermissionem habeant, ut *Intermittentes*; plerumque tamen matutino tempore nonnihil defervescunt, sive paullo lenius affligunt: a pastu vero, vel post meridiem, vel ad solis occasum, vel ex quacunque caussa Quænam in his continuitas?

evidenti, uti medela, animi affectibus, sermone, vigilia paullatim et lente invalescunt, vel demum ex ipsa caussarum intensione, aut symptomatum, accidentiumque accumulatione subinde et sine ordine exacerbantur. Non ergo tantam in iis esse quisquam credat continuitatis uniformitatem, ut nulla unquam remissio, nullumque incrementum observetur: nam uno, vel altero tempore mitius, aut gravius habent ægrotantes; sed hujusmodi variationes neque adeo manifestæ, neque adeo constantes, ordinatæque, ut in vere remittentibus, esse solent. Quod si probe animadvertissent illi, qui *continentis* vocabulum strictim, et prout rigor significatus exigit, sumpserunt, fortasse non dubitassent, an unquam (§. 61.) hujusmodi febres incidant, aut visæ a quopiam fuerint, cum licet rariores, non tamen clinicorum effugiant diligentiam (*e*).

(*a*) Therap. special. l. 1. cap. VIII. p. 63.
(*b*) Précis de Med. livr. 1. sect. 1. p. 2.
(*c*) Nosol. method. cl. 2. ord. 1. charact. ord. & gen. 2.
(*d*) De febr divis. Divis. IV. schol. 1.
(*e*) *Ved.* SELLIUS Rudiment. Pyretolog. Ord. 1. Gen. 1. p. 94. sub fin. *qui* propria observatione *existere hujusmodi febres cognovit*.

§. 196. In hisce sanguinem præcipue affici, atque a statu naturali peculiariter desciscere, plerisque probabile visum (*a*) est; quod tanta continuitas vix se possit sustinere, nisi primarius ejus fomes in ipso sanguine insideret; hinc has febres *venosas* nuncupavit BALLONIUS (*b*), ut a *gastricis*, sive fomitem in abdomine, aut intestinis habentibus eas distingueret. Fieri interdum potest, ut in ventre quidem fomitis origo sit, sed tanta jam copia in sanguinem influxerit, quæ ad febrilem æstum eodem tenore ad finem usque morbi alendum valeat. Quæ primo modo fit fe-

bris continens, dicitur *primaria*, sive *essentialis*; quæ secundo, *secundaria*. Hinc intelligitur, qua ratione febris *intermittens*, aut *remittens* in *continentem*, quod sæpe accidit, transmutari interdum possit.

(a) *Vid.* SELL. l. c. ord. 1.
(b) Oper. T. 1. L. 2. epidem. p. 78. edit. Thevart.

§. 197. Si quis tamen velit, non semper in his (§. 194.) sanguinem vitiari, aut infici, neque in omnibus febrilem fomitem eidem inesse, sed quandoque aliis in humoribus, et præsertim in lymphatico latice, aliisque in sedibus eum contineri; imo etiam non raro nervos, et cerebrum, et reliquas solidas partes potissimum laborare, aut affici; non repugnabimus, dummodo tale vitium ponatur, a quo febrilis motus ita sustentetur, ut continenter, et sine notabilibus remissionibus suum curriculum absolvat. Variæ enim ephemerarum, et synochorum species, itemque lentæ nervosæ, atque hecticæ, quæ ad continentes referri solent, uni sanguini quacumque ratione vitiato non videntur tribui posse; quod jam veteribus ipsis fuit optime animadversum, et proinde varia caussarum tum ratio, tum sedes singulis adsignata est, ut in frequentibus perspectum fiet. Præcipua autem febrium genera, de quibus seorsum hic agendum erit, tamquam *continentium* ordine comprehensis, sunt *ephemera*, *synochus imputris*, *synochus putris*, *Continens lenta maligna*, *nervosa dicta*, atque *hectica*.

EPHEMERA.

§. 199. *Ephemera* Græcis, *Diaria* nostris est ea febris, quæ unica accessione intra diem unum, sive Nychthemerum, vel paullo amplius spatium Quid Ephemera?

terminatur. Suum enim curriculum absolvit, modo septem, modo duodecim, modo decem et octo, aut etiam quatuor et viginti horarum intervallo. Interdum quoque ad horas, quod summum est, triginta sex extenditur. Quando intra hosce terminos concluditur, *simplex*, et *legitima* plerisque nominatur. Ulterius vero producta, ut tertio, aut quarto die tantummodo decedat, nomen *ephemeræ extensæ*, seu *plurium dierum*, vel etiam *febris* simpliciter *continentis* apud quamplurimos obtinuit.

Ephemera simplex, sive legitima.

Extensa, sive plurium dierum.

Ephemera symptomatica remittens.

§. 199. Scire autem oportet, eam, cum diem unum excedit, non semper continentis in modum, nec semper una dumtaxat accessione decurrere, sed quandoque remittentium more alias, atque alias successive minores habere accessiones, donec ex toto finiatur; uti pluries a nobis compertum est. Sed, quando id evenit, plerumque ephemera *symptomatica* est, non *primaria*, et tunc potius ad remittentes febres referenda videtur. Si vero *primaria* fuerit, et tamen pluribus, ut dixi, accessionibus ad finem perducatur, quod interdum evenire etiam concedimus, tunc ea fortasse non inepte *duplicata*, aut *triplicata ephemera* dici posset.

Ephemera duplicata, aut triplicata.

Caussa et signa.

§. 200. Pura, et simplex ephemera fere semper a caussis movetur evidentibus, vigilia, mentis contentione, curis, mœrore, ira, æstu solis, calore balnei, exercitatione, labore, lassitudine, temulentia, repletione, inedia, nimia evacuatione, subito frigore, fumo carbonum, similibusque. Quod tamen, GALENO (*a*) judice, etsi ab ephemera inseparabile sit, aliis quoque febribus, quarum non paucæ a caussa quadam evidenti sæpe incipiunt, commune observatur. Juvenes,

ut plurimum, sanguineaque temperie præditos, et ceterum sanos, et bene ante habentes in primis adoriri solet. Non eam, inquit LOMMIUS (*b*) *cibi antecedit fastidium, non spontanea corporis lassitudo, sed neque gravior somnus, multave oscitatio, neque horror, aut frigus: verum repente tota accedit, neque graviore incommodo, ubi jam esse cœpit, molesta est; dolorem intelligo capitis, atque ventriculi, itemque nauseam, æstum, corporis inquietudinem, et hujusmodi*. Totum vero corpus suavi calore perfunditur, qualis *in ira percitis, aut vino farctis* percipi solet: suavitas enim caloris perpetuum, et proprium hujusce febris signum (*c*) existit. Cutis mollis, atque humida est. Arteriarum autem motus protinus magnus est, sed modice celer, et frequens, nec vehemens, æqualior tamen, liberior cum mollitudine, et justioris ordinis, quam in prima statim reliquarum febrium accessione esse consuevit.

(*a*) De differ. febr. lib. 1. cap. 7. text. 2.
(*b*) Medicin. observ. l. 1. febr. diaria.
(*c*) GALEN. l. c.

§. 201. Celeritas autem pulsus magis in diastole, quam in systole se prodit; quod minus arteriæ vellicantur, ideoque minus celeriter contrahuntur. Parva enim caussa (*a*) est, quæ arteriarum fibras irritat, atque ad contractionem allicit. Urinam nihil, aut parum certe mutari in hac febre ajunt, excepta ea, quæ in ejus fine prodit, quæ aliquanto saturatior, et concocta esse perhibetur. At aliis inseparabile, et proprium videtur primo statim die eam concoqui. Non solvitur profusis sudoribus, ut febres intermittentes, sed sæpe aucta solum insensibili perspiratione; interdum copioso halitu, et humido vapore, aut madore; interdum etiam sudore, sed mini-

me multo. Hoc tamen nequaquam perpetuum est: non raro enim vidi febrim hujusmodi largis sudoribus, hæmorrhagia narium, vomitu, aut alvi fluxu solutam.

(a) SCARDON. de cognosc. & curand. morb. lib. 4. cap. 2. p. 65. in comment.
(b) GALEN. l. c.

Quæ rarius contingat. §. 202. Neque perpetuum est, eam sine horrore, et frigore repente, inopinatoque invadere: nam compertissimum habeo, non raro ab horrore, aut frigore ipsam exordiri; imo etiam cum dorsis, capitisque dolore, nausea, aut vomitu conjungi, quod præcipue evenit *ephemeræ extensæ*, sive *plurium dierum*, eique potissimum, quæ æstivo tempore, et in quibusdam anni constitutionibus quasi populariter increbrescit. Id etiam constantissimum, et pene solemne est in illa, quæ erysipelas exterius erupturum antecedit, quæque ideo ephemera *erysipelatosa* a quibusdam (*a*) appellatur. Quamquam, ut libere dicam, febris hæc neque semper ephemeræ modum servat, ideoque inepte a nonnullis ad ephemeras (*b*) refertur, neque ad febres puras, et solitarias spectat, sed potius ad morbos exanthematicos febriles, de quibus singillatim, et seorsum alibi disserendum erit.

(a) SYDENHAM observat. med. circa morb. acut. histor. & curat. sect. 6. cap. 6. p. 322. edit. Patav. 1700.
(b) VOGEL Gen. morb. cl. 1. Gen. 68. & de cognosc. & curand. præcip. human. corp. affect. §. XLVII.

Quomodo ab intermittentibus distinguatur. §. 203. Ceterum ubi sine frigore, aut horrore aggreditur, facile hoc ipso a febribus intermittentibus, et remittentibus distinguitur; quia hæ fere semper a frigore, aut horrore inchoare solent. Verum si frigus, aut horror ejus initium

faciant, tunc sane non ita planum, atque expeditum est, eam ab illis, aut ab aliis *continentibus* certo internoscere. Tunc vero ex ejus progressu dilucidanda res est. Nam si longior accessio fuerit, uti est, quando diem unum excedit, tum intermittentis, aut remittentis accessionem suo circuitu superat. Synochos vero ob brevitatem non adæquat. Verum hæc omnia plurimum variantur. Hinc sæpe accidit, ut nonnisi post ejus discessum a reliquis discerni queat. Quare diariam omnem curasse facilius interdum est, quam novisse.

Item a synocho putri.

PROGNOSIS.

§. 204. Hinc fere sequitur, ut hæc ipsa prius nocere possit, quam cognosci. Plerunque tamen, si *pura* et *benigna* est, periculo vacat; non item *complicata*, et *maligna*, de quibus infra verba fient. Generatim biliosos homines negotiis deditos facilius, et gravius occupat. Quando in *extensæ* modum transcurrit, timor est, ne in synochum imputrem, aut putrem vergat. Primum cognoscitur ex majore æstu, majoreque faciei rubore; alterum vero fieri, docente Avicenna (*a*), significant remissio sine sudore, aut madore, aut si cum sudore fiat, sine tamen *apyrexia*, atque *horripilatio*; pulsus inæqualis, celer, parvus, contractus; calor acer, et siccus, dolor capitis, si non defuerit, perseverans; et omnia demum intensiora symptomata: quamquam tunc dubitari licet, ephemerane ab initio fuerit, an ipsa jam synochus putris. Quod si caussæ vehementius corpus afficiant, atque homo siccissimo habitu sit, diutiusque febris, quam ejus natura ferat, protrahatur, in hecticam permutari eam posse, vetustissima opinio est. Id autem indicari dicunt

Quando in Synochum simplicem aut putrem degenerat; aut in hecticam.

a calore ad carpum, si manu tangatur, magno, a febri assidua, et continenter æquali, a caloris in omnibus membris post cibum incremento, a pulsu duro, parvo, sed æquali, atque a reliquis deinceps hecticæ indiciis. Verum hinc quoque quæri potest, utrum ephemera tunc transeat in hecticam, an vero ab initio jam hectica fuerit? HIPPOCRATES omnes febres, quæ a bubonibus fiunt, *mala* appellavit, præter *ephemeras*. Raro autem febris a bubonibus ephemeræ instar occurrit. *Suppuratoria* enim esse solet, et per varios circuitus procedit, plus minus gravis, et longa, pro diversa tumoris natura, ex quo oritur. Verum esto ephemera. An quia a bubone, non ideo absolute mala? Bubo malignus et pestilens, si eam excitarit, quid erit ipsa lethalius? Limitanda ergo HIPPOCRATIS sententia videtur.

(a) Lib. IV. Fen. I. Tract. I. cap. 8.
(b) Aphorism. 55. sect. IV.

Ætiologia. §. 205. Ephemera pura, et primaria ab una, vel altera caussarum evidentium, quarum frequentissimas supra (§. 200.) jam tetigi, sine ulla majori sanguinis, humorum labe præcedente, ut monet LUDVVIGIUS (a), procreatur. Per eas quippe vel sensibilitas solum, vel irritabilitas ita concitatur, ut febrilis perturbatio non ingens, neque diu permansura consequatur; vel aliquid acre in ipso sanguine evolvitur, vel in eumdem infertur, vel id, quod excerni debuisset, retinetur, in corpore, et tale est, ut alterutram, quam memoravi, vim (*) afficiat, sed facile, et brevi e corpore emitti possit. Neque ex illis tantummodo caussis eam progigni crediderim, verum etiam ex sanguinis copia, congestione, dolore, vulnere, contusione, fractura, luxatione, partu laborioso, difficultate catameniorum, lacte in

mammis congesto, tumoremque dolorificum inferente, catarrho, similibusque aliis; et tum ephemera erit *secundaria*, aut *symptomatica*, a pura illa, et legitima non parum diversa. Non ergo semper ab inquinato sanguine proficiscitur, ut *excrementitia* haberi queat, quemadmodum nimis præpropere QUÆSNEO (*b*) visa est. Namque haud illico *excrementitiis* febribus adnumeranda est, quod nulla coctione, ut loquuntur, purulenta egeat, et cito, facileque solvatur; cum id potius caussæ levitatem, et facilem emendationem aut ablationem significat, quam impuram, *excrementitiamque* naturam. Sympto-matica.

(a) Instit. Med. Clinic. P. 1. cap. 1. §. CCXXXIX.
(*) *Morbum spirituum ephemeram ex præconcepta opinione crediderunt veteres. Hinc fortasse* CELEB. SCARDONA (De cognosc. & curand. morb. lib. IV. cap. 2. p. 58. & seq.) *ad eos accessit, cum scripsit, proximam ejus caussam esse spirituum concitationem. Id autem ostendere putat animi pathemata, fumumque carbonum, aliasque hujusmodi remotas caussas, quibus ipsa excitatur, & nervi in primis affici videntur. Verum non omnes caussæ remotæ in nervos agunt. Non immerito igitur, ut opinamur, positum & constitutum a nobis est,* sensibilitatem, *aut* irritabilitatem, *aut utramque vim in ephemera commoveri, ita tamen, ut inde orta febris non ingens sit, & cito conquiescat.*
(b) Des Fievr. contin. T. 2. p. 349.

§. 206. Ephemerarum differentiæ non paucæ reperiuntur apud auctores. Usu non carent quædam communes, quibus distinguuntur in *primarias*, *secundarias*, *symptomaticas*, *sporadicas*, *epidemicas*, *benignas*, *puras*, *complicatas*, *malignas*. Nec valde absum, ut etiam in *putridas* distingui possint; nam non video, cur cum sanguinis proclivitate quadam ad putrescendum conjungi quandoque nequeant. Reliquæ a caussis, quæ eas mo- Differentiæ.

verint, ductæ facile possunt omitti, cum cuilibet medico eas indaganti in mentem veniant (*). Sic pariter illæ quæ a tempore, quo periodice quasi, et de more redire solent, *menstruæ*, *bimestres*, *trimestres*, *annuæ* dicuntur, notissimæ videntur. Nosologi (*a*) inter ephemeræ species collocant *febrem lacteam puerperarum*; quæ tamen raro ephemera est, et, cum plerumque remittentis typum habeat, alibi a nobis peculiariter describetur.

(*) *Inter veteres* AVICENNAS, *& inter recentiores* FORESTUS *ephemeras diviserunt in tot species, quot sunt earum caussæ evidentes; ideoque apud eosdem alia est ephemera ex tristitia & mærore; alia ex spe, & timore; alia ex meditatione, & cogitatione; alia ex ira; ex vigiliis; ex somno, & quiete; ex gaudio; ex metu; ex labore; ex evacuatione; ex dolore; ex syncope; ex fame; ex siti; ex oppilatione; ex satietate nauseativa, & repletione; ex apostemate; ex siccitate, & asperitate; ex calore vel aeris, vel balnei; ex constipatione a frigore; ex vino; ex cibis calidis aliisque similibus caussis. Huc spectant* ephemeræ symptomaticæ *dolorum, vulnerum, fracturarum, luxationum, contusionum* HOFFMANNI, *menstruæ, sive catameniales* RAMAZZINII, *&* FREINDII, erysipelatosa SYDENHAMII, *&* SENNERT, *aliæque apud* SAUVAGESIUM *commemoratæ, quarum curatio cum a morbi primarii curatione omnino pendeat, idcirco satis erit eas indicasse.*

(*a*) SAUVAG. l. c.

CURATIO.

§. 207. Non negligenda tamen est caussarum evidentium consideratio, quia earum varietati curatio accommodari plane debet. Præcipue vero sedulo quærendum est, an *simplex* ephemera sit, an *extensa*, an *benigna*, an *primaria*, an *secundaria*, aut *symptomatica?* Ubi simplex est,

levique ex caussa oritur, curatio fere absolvitur sola abstinentia, aut tenuissimo victu, copioso potu, tepido, temperante, blandissime aperiente, et diapnoico, interdum injecto clysmate, quo alvus eluatur. Potui autem detur vel aqua purissima, vel succo limonum acidulata, vel decoctum hordei, vel foliorum Thee, vel florum sambuci, vel emulsa, ut vocantur, ex seminibus frigidis. Si æger sanguine abundet, aut febris ex plethora orta sit, quam tum *plethoricam* nominant nostri (id vero cognoscitur ex lauta victus ratione præcedente, ex liquorum vinosorum largiore usu, vita deside, otio, temperamento sanguineo, habitu corporis pleniore, consuetarum excretionum defectu, faciei rubore, venarum plenitudine, calore totius corporis, vividiori arteriarum, temporalium in primis, pulsatione; spirandi aliqua difficultate, membrorum torpore, et gravitate, pulsu magno, et pleno) quam citissime sanguinis copiam minuere oportet venæ sectione, tuncque præsertim, cum doleat caput, aut timeri possit, ne febris ultra producatur; quod maxime usuvenit, quando secunda jam die nullus sudor prorumpit, nec febris mitescit. Quo in casu etiam iterari sanguinis missio debet. Simili ferme modo curanda quoque est ephemera *extensa*, itemque *symptomatica*, metum inflammationis (§. 205.) afferens; non omissis interea quæ propius ad morbum primarium respiciunt.

Quinam potus dandus.

Quando sanguis mitti debeat.

§. 208. Nec prætermitti possunt ea, quæ saburram de ventriculo, aut intestinis excutiunt, si febris a crapula, a vino, a repletione, a fæcibus retentis ortum duxerit, quemadmodum id ex anamnesi, signisque conjunctis facile innotescet. GALENUS (*a*) eos, qui balneo assueti sunt ubi febris jam desierit, lavandos jubet; nam re-

Quando purgandum.

Balneum.

liquias morbi, si quæ supersunt, balneum discutit, corpus humectat, et refrigerat. Hodie vero, cum rarior sit balnei usus, quiete, parciori victu, perspirationis cura, et leni primarum viarum expiatione id præstamus. Atque hæc de *ephemera benigna*, et *pura* intelligantur. Complicatæ enim, aut malignæ alia omnino ratio est. Et quidem quod ad complicatam attinet, prout cum ea complicantur alieni affectus, aut plures caussæ eam excitant, varia etiam, atque aliena, insolitaque phænomena exhibet, quæ aliquantulum etiam ipsam curationem, atque exitum variare possunt, quod in symptomaticis ephemeris (§. 205. n. *) quæ ad complicatam plerumque spectant, potissimum elucet.

(*a*) De Art. curand. ad Glaucon. l. 1. p. 31. & 39 edit. Junt. in 8. Venet. 1542.

EPHEMERA MALIGNA.

Quid ephemera maligna.

§. 209. *Malignam* ephemeram voco eam, quæ brevitate sui cursus, et continuitate continenti ephemeras omnino adæquat; periculosis vero symptomatibus longe superat, utpote quæ caussam habet venenatam, animalibus et vitalibus viribus infensiorem, difficillime subigendam, et plerumque lethiferam. Prout vero caussa isthæc vel sponte in corpore gignitur, vel a communi aeris infectione dimanat, vel per miasma contagiosum communicatur, sic quoque vel *sporadica* est, vel *epidemica*, vel a *contagio*. Rarissimus quidem morbus est, cujus tamen non desunt funestissima exempla. De *epidemica* igitur primum verba faciam, et præsertim de ea vulgatissima specie, quæ *ephemera sudatoria* a Sauvagesio (*a*) nuncupatur.

De epidemica.

(*a*) Nosolog. Metod. c. 2. Gen. 1. spec. 7.

EPHEMERA SUDATORIA (*) EPIDEMICA.

§. 210. Morbus ab effusis sudoribus, qui eum comitantur, nomen obtinuit. In Anglia primum observari cœpit, quoad novimus, anno 1483. inter milites HENRICI SEPTIMI apud portum Milfordiensem. Eodem quoque tempore Londini a die vigesima secunda septembris, usque ad octobris finem caput extulit, ut narrat CAJUS ANGLUS. Denique quinquies æstiva semper tempestate Britanniam revisit; primum scilicet anno 1485, sive ut alii volunt, 1486, secundum anno 1506; tertium anno 1517, et tunc ingenti adeo clade, ut trium fere horarum spatio plures optimatum, plurimos plebejorum, imo in quibusdam oppidis dimidiam incolarum partem deleverit. Quartum rediit anno 1528, tuncque ægri intra sex horas vita exuebantur, Rege ipso HENRICO OCTAVO in summum discrimen adducto, cum plurimi ex aulicis Proceribus interirent. Quintum, postquam anno 1529. totum Belgium, totam inferiorem Germaniam, Zelandiam, Brabantiam, Flandriam, Daniam, Norvegiam, Galliamque peragrasset, iterum in Angliam cum multorum pernicie pedem intulit. Morbi historia.

(*) SYNONYMA

Ephemera Britannica SCHENCKII, observat. medic. p. 763. Sudor anglicus WILLISII Pharmacop. rational. Par. 1. sect. V. cap. 3. pag. 473. Febris Anglica RAYMUND. Jo. FORTIS, de Febrib. pag. 533. Febris pestilentialis contagiosa unius diei CAJI ANGLI de Ephem. Britan. Hydronosus FORESTI, obs. med. L.VI. obs. 8. Hydropyreton, sudor Anglicus, & febris sudatoria SENNERTI de febrib. l. IV. cap. XV. Ephemera pestilens, & contagiosa FRACASTORII, de Morb. contag. lib. 2. cap. 5. Ephemera postilentialis quibus-

dam, & præcipue LIEUTAUDIO, Précis de Med. Pratiq. l. 1. pag. 41. Sudoriferus morbus BATAVIS, La suette GALLIS.

DIAGNOSIS.

Symptomata.

§. 211. Plerumque epidemice grassatur singulari in aliqua regione post humidum, caliginosumque cœlum, tempore in primis æstivo, aut autumnali, soletque tres, vel quatuor menses tantummodo perdurare. Incipit morbus a magna virium jactura, animique deliquiis. Interdum tremor ingens, et horror convellens antecedit, deinde acer subsequitur cutis mador, qui mox in sudores profusissimos, et continuos convertitur, sæpe non prius desituros, quam vita defecerit; quod ut plurimum intra quatuor et viginti horas contingit. Fere semper insolitus adest interiorum partium æstus, atque ardor, sitis inexplebilis, ingens cum desperatione timor, anxietas summa præcordiorum, ventriculi ægritudo quædam cardialgica, lumborumque dolor. Interdum accedit cephalalgia, cordis palpitatio, quæ etiam morbo depulso, remanere diu solet. Septima ab ingressu morbi hora omnia increscunt. Tunc delirium supervenit, major virium dejectio, imo exsolutio, et profundissimus somnus. Hora decima quinta malum extremos habet labores. Rarissime vomitus insequitur, licet stomachum dolor vexet, quod in tanta ejus anxietate mirum est.

Qui pulsus, quæ respiratio.

§. 212. Pulsus jam ab initio celeritate, frequentia, inæqualitate febrem testatur; interdum etiam fit magnus, et vehemens. Respiratio cita est, atque anhelosa. Robustiores malum hoc præcipue adoritur; infantibus, senibus, pauperibusque sæpe parcit; reliquos ferme omnes et corri-

pit, et enecat. Indigenæ, etsi in exteras regiones emigrent, non tamen fuga incolumes servantur: advenæ contra vix unquam media in epidemia hac lue infici visi sunt. Insuper animadvertendum est, raro hæmorrhagias ægrotantibus supervenire, neminemque ex iis, qui hac febre correpti sunt, bubonibus, aut exanthematis obnoxium esse solere; et si quæ in summa cute pustulæ erumpunt, morbilis similes esse, rarissimeque id accidere, iisque dumtaxat, qui jam e morbo evaserunt. Nam sæpe per plures menses nocturnis diffluunt sudoribus, unde cutis rubore suffunditur. Hinc aliquam similitudinem habere videtur cum *febre miliari sudatoria*, *vulgo la suette miliaire* SAUVAGESII (*a*), quamquam hæc ab *ephemera sudatoria* vere discrepat, quod pustulas miliares citissime, et jam inter initia ad cutim propellit, atque ad septimam, aut decimam quartam diem protrahitur.

Qui magis obnoxii.

Nulli bubones, nulla exanthemata.

(*a*) Nosol. method. cl. III. ord. I. Gen. V. spec. 8.

CAUSSA.

§. 213. Probabile admodum videtur, subtilissimum, et summopere noxium venenum id esse, quod morbum efficit. Fortasse aliquid in ipso aere incognitum, at venenatæ indolis continetur, quomodocunque natum, aut a putridis terræ effluviis suppeditatum. Quod verosimile redditur ab humida, et nebulosa tempestate, quæ morbum præcedere solet, atque a magna vi avium sub arboribus, cum in Anglia lues hæc desæviret, necatarum inventa, quæ sub alis abscessus ciceris magnitudine gerebant. Potest etiam virus istud corporibus, quin aliunde veniat, innasci; nam prægressæ humidæ, et calidæ tempestates; aerisque constitutiones laxando solidas partes, per-

Caussa peculiare virus.

spirationem cohibendo, humoresque ad putredinem proclives reddendo sic universam œconomiam animalem pervertunt, ut aliquid intus gignatur, quod veneni instar agat, epidemicamque perniciosissimam febrem invehat, non aliter solvendam, quam profuso, et continuato sudore, qui nimirum illud noxium, et subtilissimum venenum expellat.

PROGNOSIS.

§. 214. Sævissimum igitur malum est, et celerrime lethiferum, quippe quod, ubi primum in aliquam civitatem impetum facit, singulis diebus pestis instar quingentos, aut sexcentos occupat, et ferme omnes intra quatuor, et viginti horas de medio tollit. Quidam intra sex, vel septem horas interimuntur, et si qui diem integram superant, eos convalituros esse, plerumque licet sperare. In tuto tamen res esse nequit, nisi elapsis viginti quatuor horis; sed tunc etiam timori adhuc locus superest, ne æger in eumdem morbum relabatur. Qui morbi vim eludunt, effugiuntque, assiduis pene, copiosisque sudoribus servantur: illi contra, quibus sudores non satis diu manant, vel illico pereunt, vel in magnum discrimen adducti febre pessimi moris subsequente periclitantur (*). Sed id fortasse evenit iis, qui non *ephemera* hac, sed alia febre mali moris, aliquid epidemicæ constitutionis in se recondente correpti fuerint; quod neque novum, neque difficile omnino putaverim.

(*) Lieutaudius. (Précis de Med. l. 4. p. 43.) *nescio quo fundamento, scribit, nonnullos ad diem quartam, septimamque pervenire feliciter posse. Fatetur tamen ipse, id rarissimum esse. Nobis vero etiam ab* ephemeræ sudatoriæ *natura omnino alienum videtur, cum* unius diei morbus *a* Cajo Anglo

esse dicatur. Puto autem, LIEUTAUDIUM *deceptum fuisse descriptione, quam evulgavit* BOYERUS *illius epidemicæ febris, quæ apud* Bellovacos *sæviit anno* 1750. *aut alterius, de qua mentionem fecit* VANDERMONDIUS *in* Tomo XII. Diarii Medici, *quarum neutra fuit* ephemera sudatoria, *ut mox infra animadvertam, licet pro tali habita fuerit.*

CURATIO.

§. 215. Experientia edocemur, non aliam quam spontanea cutis excretione malignum virus, unde hujusmodi febris nascitur, melius, certiusque expelli. Sudores enim quocunque modo imminuti, abrupti, aut suppressi mortem certissime afferunt. Quapropter omni cura enitendum est, ut sudor libere prodeat, diuque continuetur. Ægroti diligentissime a frigore arcendi sunt. Si sudores sponte remittant, stragulis impositis, diaphoreticisque medicamentis revocentur. Inter hæc primis illis temporibus, quibus id morbi genus apparuit, celebrabantur hoc nomine Terra sigillata, Bolus armenia, Dictamnus, Carduus Benedictus, Zedoaria, Tormentilla, Nymphæa, Borrago, Aqua acetosæ, et scabiosæ, aliaque hujus census, quæ non modo sudoribus promovendis, sed etiam malignitati perdomandæ accommodata credebantur: quorum tamen nonnulla hodie vix, ac ne vix quidem apud nos hujusmodi laudem merentur. Neque sudandi finis fiat, nisi viginti quatuor horis exactis. Tunc primum et stragula minuere, et sudores quam diligentissime abstergere, sine periculo ut plurimum licere, ferunt. Interdum vero, præsertim in robustioribus, sudores iterum, atque iterum ad duodecimam usque vicem ciere oportet; quod tum maxime necessarium ducitur, ubi venenum non satis expulsum videatur, morbusque non ex toto defuisse.

Quomodo sudor promoveri debeat.

Quando a sudore cessandum sit.

Viribus quomodo consulere oporteat. §. 216. Sed inter sudandum prudenter viribus prospicere necesse est. Si hæc languere ob sudoris nimiam copiam incipiant, erigendæ, reficiendæque sunt cardiacis, alexipharmacis, atque antisepticis medicamentis, uti vino, succo mali citrei, granatorum, acetosæ, aliisque in peste, malignisque morbis adhiberi solitis; sudorque ita gubernari debet, ne ei æger prorsus succumbat. Observatum enim est, nimio sudores eliciendi studio, dum supra vires stragulis onerabantur ægri, magnam eorum partem suffocatam esse. Cardialgia quibus sedetur. Cardialgia quoque non parum negocii hoc in morbo facessit. Huic igitur occurrendum docet SAUVAGESIUS (a) aqua florum aurantiorum, cinnamomi hordeata, mero, confectione hyacinthina, aut Kermesina, Theriaca, a quibus illud etiam boni præstatur, ut vires recreatæ sudori ferendo pares evadant. Acetum quoque, aquæ theriacales, omniaque acescentia videntur hic esse convenientissima. Fortasse non male cessissent camphora, *liquot anodinus mineralis* HOFFMANNI, Moschus, Spiritus MINDERERI, aliaque hac ætate summopere celebrata.

(a) L. c. sub fin. capit. de ephemera.

Nocet sanguinis missio. §. 217. Quod attinet ad sanguinis missionem, noxia nunquam non deprehensa hæc est in hujusmodi lue, nec ullo modo per se opportuna esse posse videtur. Neque audiendus est BOYERUS, qui in ea constitutione, quæ non multis ante annis Bellovacos (*) misere afflixit, venæsectionem non parum profuisse narrat; nam idem auctor, re melius perpensa, fateri postea debuit, morbum illum ab *ephemera sudatoria* fuisse valde diversum (a). Discrimen enimvero cuique patebit, si descriptio *sudoris Anglici*, sive *ephemeræ sudatoriæ* conferatur cum descriptione morbi Bellovacorum, a MA-

(*) Beauvais.

LOVINIO in *Historia morborum epidemicorum* etc. *Parisiis observatorum* (*b*) typis edita. Catharsis quoque nullum locum invenit, nisi interdum in morbi fine, eoque jam superato. Fortasse ingruente morbo non inutile fuisset leniter vomitum ciere. Notum enim est, quantum emetica morbidi fomitis partem ejicere in epidemicis, contagiosisque morbis possint, quantumque sudoribus promovendis faveant. Magni etiam interest, quo regimine diætetico uti expediat. Generatim primis quinque ab ingressu morbi horis omnis potus proscribendus est, post has concedi quidem potest; sed loco alimenti sit. A carnibus omnino ægri abstineant, nec inter sudandum somno, in quem pronissimi sunt, indulgere unquam sinantur; nam nisi omni studio evigilare cogantur, veterno obruti extinguntur.

Catharsis non convenit.

Quid de emesi sentiendum.

(*a*) LIEUTAUD. synops. univers. Prax. med. lib. I. sect. I. sudor anglic. p. 31. edit. Patav. 1777. *Febris autem, quam anno* 1750. BOYERUS *in Bellovacis curavit, erat quoddam febris malignæ putridæ genus, cui nomen* miliaris sudatoria *impositum fuit a* SAUVAGESIO (Nosol. method. cl. III. spec. 9.) *A nostra differt quoque ea, quam vidit, descripsitque anno* 1759. VANDERMONDIUS (Journal de Med. T. XII. p. 354.). *Nam erat & ipsa de genere miliarium, quæ producebatur ad septimam usque diem, perperam vocata* la suette.

(*b*) Hist. Acad. Roy. ann. 1747. p. 563.

§. 218. Nolo quidquam hic desiderari eorum, quæ ad regimen hujus acutissimi morbi conferre usus comprobavit. En POLYDORI VIRGILII in hanc rem saluberrima præcepta: *Post ægrotantium*, inquit ipse, *plurima experimenta, et observationes, a juvantibus, et lædentibus factas, ita usuvenit, ut remedium unicuique promptissimum inventum sit, quod hujusmodi est. Si quis interdiu sudore*

corripiatur, cum vestitu protinus cubatum eat; si nocte et in lecto, tum quiescat, nec se e loco moveat, usque ad viginti quatuor horas exactas; interim ita se stragulis oneret, quo non provocetur sudor, sed sua sponte molliter stillet, cibi nihil capiat, si tamdiu famem tolerare possit, neque plus potionis consuetæ, ac calefactæ hauriat, quam modice satis sit ad sitim extinguendam. Inter hanc curationem imprimis caveat, ne manum quidem, aut pedem suum refrigerandi, recreandique caussa extra stragula proferat, quod facere lethale est (*a*). Nostrum nequaquam esse arbitror quidquam in hac regiminis ratione carpere, tamquam ad superstitionem usque eve&a; nec, quid hodie sudoriferorum vituperatores di&uri sint, sollicite inquirere; cum una omnes reliqui voce affirment, in hac pestilenti ephemera istud fuisse præsentissimum auxilium, quemadmodum in quamplurimis morbis virulentis ab eorum exordio esse consuevit, ut id quod noxium est, atque volatile, citissime evaporetur.

(*a*) Willisio *referente* Pharmac. Rational. P. 1. se&. V. cap. III. pag. mihi 473. col. *a*

EPHEMERA SUDATORIA SPORADICA.

Ephemera sudatoria sporadica.

§. 219. Rarissime hic morbus (§. 210.) sporadicus occurrit, vel saltem rarissime, quod sciam apud medicos de eo mentio fa&a invenitur. Unus Lieutaudius memoriæ prodidit, se in homine triginta annorum, qui *e levi morbo convalescens* la&e Nosocomium *Versaliense* deserere parabat, eumdem semel vidisse. Is enim in hunc *sævissimum sudorem* (hoc est, *ephemeram sudatoriam*) *subito incidit, quo intra quatuordecim horas, variis frustra tentatis, raptus fuit* (*a*). Curatio *sporadicæ* non erit absimilis ab ea, quam supra

(§§. 215. ad 218.) recensui; donec experientia, et ratio meliorem, efficacioremque detexerit.

(a) Synops. cit. l. 1. sect. 1. p. 31.

EPHEMERA GANGRÆNOSA.

§. 220. Ad ephemeram malignam (§. 219.) reducenda quoque videtur rara quidem, sed non ita, ut *ephemera sudatoria* (§§. 210. et 219.), species illa, quæ ob gangrænam in aliqua exteriori parte citissime subsequentem, et præcipiti fato enecantem, *gangrænosa* dici potest. Hæc *sporadica* esse solet, nunqnam, quoad mihi hactenus licuit cognoscere, epidemica. Primus omninm eam descripsit HIPPOCRATES brevi quidem, ut solet, at luculentissima historia (*a*). En ejus ipsissima verba: *Critoni in Thaso pedis dolor incepit fortis a digito magno erecte ambulanti; decubuit eadem die, horridus, anxiosus, parum subcalefactus; nocte deliravit. Secunda tumor per totum pedem, et circa talum subruber cum contensione: phlyctænæ parvæ, nigræ: febris acuta: furebat: ab alvo autem sincera biliosa, submulta prodierunt; obiit secunda die a principio* (*). Hippocratis descriptio.

(a) I. epid. ægr. IX.
(*) *Utor versione, qua usus est* HIERON. MERCURIALIS *in* Prælect. Pisan. in Epidem. Hippocratis historia.

§. 221. GALENUS in commentario, quo hanc HIPPOCRATIS historiam (*b*) breviter explicat, malignum, et veneficum aliquid a natura in crus protrusum, unde dolor, tumor, et pustulæ nigræ orirentur, existimat, sed tanta copia, ut ea pars omne vitium recipere nequiverit; ideoque reliquum ad caput delatum desipientiam, et mortem perpetrasse. Non valde a GALENI sententia abest Galeni ad hunc locum commentatio. Mercurialis opinio.

Cl. MERCURIALIS, qui itidem venenum quoddam in corpore genitum arguit, quod pedem in primis occuparit, gravissimumque dolorem, deinde gangrænosas etiam phlyctænas in eo procreaverit, et demum venenatos, putridosque halitus ad præcordia, et cerebrum transmiserit, atque illa, quæ memoravimus, teterrima, exitiosaque symptomata induxerit. Utcunque res sit, certum, ratumque habendum esse puto, febrem hoc malum *ephemeræ malignæ* in modum comitatam esse; incertum vero, ac dubium, an *primaria*, vel *symptomatica* exstiterit, cum non satis ex historia constet, dolorne, an febris antecesserit, quamquam verosimile sit, eodem tempore, quo pes dolere cœpit, etiam febrem accessisse; nam *decubuit eadem die* Crito et horruit *anxiosus*, *et parum subcalefactus*.

(*a*) In prim. Epid. Hippocr. comment. III. N. 26.

Alia historia hippocraticæ similis.

§. 222. Hippocraticæ historiæ quam simillima videtur ægrotatio, quæ Nobilem quemdam virum immatura nuper, et celerrima morte rapuit. Raritas morbi, et minus, quam par est, memoriæ tradita malignitas postulat, ut aliquanto fusius a nobis exponatur. Is quinquaginta tres annos natus, temperamento sanguineo, et bono corporis habitu præditus, mediocriter carnosus, imaginandi vi, et mentis acie acutissima pollens, jam ab aliquot annis, postquam nimirum frigida, imo gelida, ut Cl. cujusdam Medici auctoritati pareret, sibi caput non semel aspersisset, queri cœpit de quibusdam capitis incommodis, et præsertim de quadam ejus, ut dicebat, inanitate, et confusione, ob quam a lectione, et studiis literarum, quibus assueverat, abstinere cogebatur. Hinc vehementi angebatur metu incidendi aut in amentiam, aut in apoplexiam. At-

Anamnesis.

tamen diserte, nitide, et copiose, si quis alius, loquebatur, memoria admirabili valebat, et cum in conviviis, tum in conventibus nobilium hominum, acumine ingenii, idearum perspicuitate, judicii præstantia, atque eloquii facili ubertate omnes in sui admirationem trahebat. Ipse tamen asseverabat, id a se quidem fieri, sed non sine summa animi contentione, atque indicibili totius mentis conatu. Ceterum bene appetebat, comedebat abunde, digerebat perfecte, naturaliter dejiciebat, somno tranquillo fruebatur, atque omnes vitæ functiones recte obibat, sic ut sanissimum eum dixisses.

§. 223. Interim pulsus ei erant, prout mihi non semel visi sunt (nam me quoque pluries consuluit) paullo frequentiores, duriusculi, atque inæquales, plus minus pro majori, vel minori mentis perturbatione. Timorem vero desipiendi, aut repente obeundi, quo assidue conflictabatur, augebat permolestus quidam tensionis sensus, quem circa universum caput, intimumque cerebrum continenter percipere se dicebat. Quamobrem quotidie semel, iterumque, imo crebrius medicum aut ad se accersebat, aut conveniebat ipsemet, ut cum eodem de sua valetudine ageret; tantoque mortis, aut stultitiæ pavore premebatur, ut longius a domo sua abesse non auderet. Hac igitur tristi, et melancholica affectione occupatus nullo unquam modo induci potuit, ut longius iter in exteras regiones capesseret, quemadmodum pluries ei a Medicis, quos consulebat, propositum, inculcatumque fuit; aut cum uxore, quæ ætate, et specie florebat, concumberet, aut paullo remotiora in loca, quam solebat, se se transferri sineret.

Continuatur anamnesis.

Initium morbi.

§. 224. Tandem mense octobri an. 1779. proxime elapsi, postquam levem dolorem rheumatico similem, qui collum, et scapulas corripuerat, solisque frictionibus cito decesserat, esset conquestus, quadam die cum, nocte tranquillo somno transacta, e lecto consueta hora, nempe decima sexta italica vel paullo serius surgeret, deambulans de uno in aliud cubiculum, repente sensit sibi crus sinistrum dolore quodam impeditum. Aderat de more Chirurgus, qui illico suram, nam in hac insidere dolorem asserebat, diligenter speculatus est, manibusque etiam contrectavit, ut qua, atque unde doleret, detegeret. At ea et colore, et mollitudine omnino naturalis apparuit; contrectata nec magis ullibi doluit, nec ullam duritiem, ne quidem interiorem, aut altius abditam tangenti exhibuit. Idcirco Chirurgus, ne rem negligere videretur, totum crus manu aqua Reginæ Hungariæ madida perfricuit, eumque utpote valde meticulosum bono esse animo jussit. Dolor autem levis ita fuit, ut impedimento non esset, quo minus pransum, veluti consueverat, apud amicum foras prodiret. Post prandium, in quo non defuit ei appetitus, dolor increvit. Ipse etiam leviter inhorruit, et friguit. Hinc accitus Chirurgus (erat hora circiter vigesima secunda italica) cum pulsum febrilem invenisset, videretque eum vix pedi affecto insistere præ dolore posse, suasor fuit, ut domum se transferendum curaret, ut in lectulo conquiescere, medicumque, quoniam febricitabat, etiam consuleret. Itaque nocte ingruente domum curru vectus est. Scalas vero nec descendere, nec ascendere potuit. Necesse ideo fuit, ut a duobus famulis gestaretur. Hi autem vehementer mirati sunt corporis pondus insolitamque gravitatem. Ægro demum in lectulo reposito, Medicus, et Chi-

Dolor in crure.

Febris.

rurgus iterum crus inspicere, contrectare, et rimari: sed nihil in eo vitii deprehendunt. Suspicantur idcirco dolorem istiusmodi prodromum esse erysipelatis erupturi. Quia vero dolor acerbior videbatur, cataplasma emolliens, quo leniretur, admovendum interim censent. Hora quarta noctis jusculum tenue sorbillavit cœnæ loco. Deinde doloris tormentum ita auctum est, ut cataplasma, quod moleste, ægreque ferebatur, removendum fuerit. Non tamen, eo detracto, minuebatur. Interea sitis magna accessit. Urinæ rubræ, et quasi sanguineæ prodiere. Nox ferme tota insomnis, ac irrequieta fuit; nam hora tantummodo decima, nempe paullo ante auroram insequentis diei, Nob. vir aliquantulum conquiescere cœpit.

Suspicio de Erysipelate.

Nox irrequieta ob dolorem auctum, et febrem.

§. 225. Postero mane cum febris nequaquam remitteret; dolor acerbe excruciaret; sura tota tumeret, et prædura esset; expectatum erysipelas non appareret; et pulsus magnus, validus, durusque inveniretur; Medicus injecto prius enemate, quo alvus exoneraretur, mittendum e brachio sanguinem duxit. Detractæ igitur decem unciæ sanguinis, qui non solum firmius concrevit, sed crustam etiam inflammatoriam, sive ut vocant pleuriticam exhibuit, valde crassam, et conspicuam. Circa meridiem accersitur alius Chirurgus, ætate, doctrina, atque usu probatissimus, ut dolens crus intueretur, suumque de morbi genere judicium ferret. Hic ruborem nullum exteriorem, qualis in erysipelate esse solet, offendit, uti ab eo postea mihi narratum fuit: contra vero invenit pedis articulum, tendinem Achillis, et musculos suræ enormiter tumidos, tensos, duros; quod in erysipelate, morbo scilicet cutis, nequaquam videre est. Hinc conjecit, aliud morbi genus illud esse, quam putaretur; et, quo-

Tumor totius cruris prædurus.

Sanguis missus.

Accitus alius Chirurgus.

Suspicio arthritici morbi. niam æger ex patre affectibus podagricis obnoxio natus erat, superioribusque diebus rheumatici cujusdam doloris ad collum, et scapulas indicia non defuerant, aliquid arthritici mali subesse judicavit. Quam ob rem auctor fuit, ut totum crus prædurum decocto emollienti, et discutienti, in quo sapo venetus solutus esset, calide foveretur, uti continuo factum fuit.

Signa imminentis gangrænæ. §. 226. Hora vigesima prima ejusdem diei subfriguit toto corpore cum pulsibus depressis, et parvis. Exacerbari tunc febris credita est; verum hora vigesima tertia pulsus in eodem omnino depressionis statu pergebant, nec quidquam se se erexerant; quod sane fatiscentis naturæ potius, quam novæ accessionis effectum videbatur. Dolor cruris aliquantum minutus erat, tensio nonnihil mollita; color vero dubius. Erant enim, quibus sublividius appareret, dum aliis, etiam non imperitis, non item. Si qua igitur coloris mutatio contigerat, vix hæc distingui poterat, ambiguaque videbatur. Delirium Hora quarta vespertina incepit desipere, et quodammodo furere; tentabat enim e lecto exilire, anxius, irrequietus, anhelans. Pulsus, qui nunquam inter hæc se se extulerant, parvi, obscuri, inæquales, crebri multo magis evaserant. Hora decima versus novam lucem deteriora omnia cum pulsuum tanta imbecillitate, ut pene deficerent. Tunc color cruris manifeste lividior; respiratio rara, anxia, difficilis; mens perturbata; singultus frequens proximum exitium indicabant. Brevi enimvero sensuum ex- Mors. pers factus, asphycticus, stupidus, ad horam usque decimam tertiam cum morte colluctatus, tandem obiit; die nimirum secunda ad finem properante, ex quo dolor inceperat; horis vero quadraginta circiter ab ingressu manifestiore fe-

bris, atque adaucto cruris dolore. Dum animam agebat, crus totum a pede ad coxendicem usque ut a medico peritissimo, qui accitus huic tragœdiæ interfuit, accepi, striis satis conspicuis in longum porrectis, nigricantibus, et livescentibus notatum apparuit. Cuncta hæc ex fide, et sermone eorum, qui Nobili viro adstiterunt, conscripsi. Non enim potui ego, alibi occupatus, eidem præsto esse. Cruris color nigricans.

§. 227. Præceps adeo, atque inopinata pernicies magnæ cunctis admirationi fuit; medicis vero, et chirurgis, qui in auxilium occurrerant, disceptandi caussam præbuit. Alii enim erysipelas malignum, quod cito in gangrænam abiisset, accusabant: alii arthriticum humorem acerrimum, et fortasse sua e sede ad interiora demum conversum. Nec facile decerni poterat, quorum potior esset ratio. Nam abfuit cutis rubor roseus, qui erysipelatis proprius est, et contra non cutis, in qua erysipelas sedem habet, sed interiores, muscularesque partes doluerant, intumuerantque, et si qua gangræna insequuta est, prout nigricans cruris color ultimo visus indicabat, non ab erysipelate, cujus nullum, aut certe valde anceps indicium extiterat, profecta esse videbatur. Arthritici porro humoris tanta interdum esse potest malignitas, ut plurima, et lethalia mala, imo subitam mortem ab eo illatam sæpius viderint clinici. Neque nobismet ipsis deficiunt exempla gangrænæ, et sphaceli ab ejusmodi caussa progeniti. At nunquam antea arthritide laboraverat, vir illustris, neque articuli solum, sed sura præcipue in eo affecta fuit, neque adeo præceps gangræna arthriticos dolores, quando eos subsequitur, subsequi consuevit. Quid vero de metastasi arthritici humoris sentiendum

An erysipelas malignum fuerit?

An metastasis arthritici humoris?

putem? Detumuit certe non nihil crus affectum, et prædurum; dolorque mitior evasit secunda die ingruente ad vesperam. An metastaseos id signum? Sed commune id quoque gangrænæ nascentis. Si vero cruris tumor, et dolor ex eo remisit, subseditque, quod illinc arthriticæ materiæ pars maxima recessit, cur tamen crus nigricavit, cur gangræna fœdatum?

An ab atra bile malum? §. 228. Affectio melancholica, qua jamdiu mœrebat ægrotans, aliquam de atra bile in abdominis visceribus coacervata, et demum repente mota, atque in circuitum acta suspicionem creare posset. Certum, probatumque est, atram bilem interdum tantam acritatem contrahere, ut veneni erodentis, corrumpentisque naturam adepta pessimas febres, et mortiferas, quocunque feratur, sistaturque, partium siderationes facile inferat. At nulla in nob. viro viscerum abdominalium labes, nulla hærentis sanguinis in iis indicia, nulli flatus, nulli borborygmi, nulla digestionis, reliquarumque functionum in imo ventre depravatio antecesserant, ut compertissimum mihi est.

Ætiologia. §. 229. Ergo, sive ab arthritico humore latitante, atque *anomalo*, sive ab *erysipelatode*, sive ab *atrabilari* id mali derivandum quis velit, illud semper cum GALENO, et MERCURIALI verosimillimum credam, humorem venenatæ indolis fuisse, qui in hujusmodi viro paullatim genitus, et repente evolutus tantam perniciem attulerit. Is enim juxta GALENUM erumpens, non modo febrim excitare potuisset, si hæc cum incipiente morbo accesserit, quod tamen in nostro ægro non satis constitit; verum etiam partim a viribus vitæ in crus detrusus dolorem, tumorem, et gangrænam; partim ad cerebrum, pulmones, et præ-

cordia circuitu vitali delatus delirium, anxietates, difficilem respirationem, et vitæ finem præstitit. Quod si in ipso crure malignum humorem et genitum, et evolutum cum MERCURIALI malueris; facile intelligis, dolorem ibi primum, tumoremque cum febre, quemadmodum supra narratum est, oriri debuisse, et demum gangrænam ipsiusmet cruris. Vides etiam, cur absorpto in venas necrotico, putridoque tabo, cordis, pectoris, cerebri, nervorumque functiones labefactatæ, imo cum vita ipsa cito deletæ fuerint. Alterutra explicatione uti poteris, prout febris dolorem antecesserit, aut consequuta sit, sive, quod perinde est, prout primaria, aut secundaria febris isthæc videatur; quamquam interdum ita febris et dolor synchrona esse possint, ut distinctioni huic nullus sit locus; quo casu ut primariam eam haberi licebit.

CURATIO.

§. 230. In summo igitur isto vitæ discrimine, atque adeo celerrimo, lethiferoque morbo vix suppetit quod tantæ opponas ruinæ. Infensissimum vitalibus, animalibusque facultatibus venenum, irritabilitatem, sensibilitatemque destructurum, cuncta citissime corrumpens postulare videtur vel sui correctionem, vel evacuationem, et simul mitigationem symptomatum. Correctio vero vix speranda est, cum neque peculiaris veneni natura nobis nota sit, neque antidotum ullum habeamus, quo illud obtundi, aut immutari queat. Præstabit ergo quanta possumus velocitate ejus evacuationem moliri. GALENUS (*a*), et MERCURIALIS (*b*) in hujusmodi calamitate non dubitant protinus sanguinis missionem proponere. Ea enim tum a dolore, qui inflammationem

Indicationes.

Sanguinis missio.

ciere potest, tum a febris magnitudine videtur exposci. Sed magna tamen opus est prudentia in administrando hoc artis præsidio, ubi venenata, et maligna subest humoris natura, quæ vitæ viribus adeo adversatur, gangrænamque, aut putrefactionem accelerat. Itaque si plethora, si ætas, si corporis habitus, si pulsuum ratio, si vehemens febris, si dolor acutus, et reliqua consentiant, sanguinem utique mitti oportet, sed protinus ab initio, et antequam putris corruptio prævaleat, et manu quidem suspensa, nec liberali. Ubi vero anceps mittendi sanguinis indicatio est, tutior ejus detractio per cucurbitulas reputatur. Deinde leniter, si qua in primis viis saburræ suspicio est, eccoprotico medicamento, aut clystere satis valido excutiatur. Parti autem, quæ tumet, dolet, et tenditur, multoque magis si caleat, et rubeat, hirudines admoveri possunt, ut quodammodo detumescat. Sin hoc non sufficiat, crebris, altisque incisionibus pertundenda, ut veneno ad exeundum via paretur, atque avertatur gangrænæ metus. Quod si, ut in *Critone*, jam nigræ vesiculæ membrum fœdarint, vitamque in eo emori doloris, et tumoris imminutio, colorisque mutatio ostenderint, neque scarificationes quidquam profecerint, MERCURIALIS modo memoratus spem omnem in ejus amputatione esse positam arbitratur. Verum, quando hoc crudele auxilii genus vitari non potest, maturandum strenue est, antequam gangrænosus humor totum corpus inficiat; nam eo infecto, supervacaneum, et prorsus inutile illud esset.

Cucurbitulæ.

Hirudines.

Scarificatio.

Amputatio membri.

Alexipharmaca quænam conveniant?

§. 231. Dum hæc aguntur, curandum diligentissime, et citissime est, ut venenum, quodcunque fuerit, mitigetur, atque e corpore expellatur, ejusque effecta teterrima inhibeantur. Ita-

que alexipharmacis, antisepticisque efficacissimis, et præcipue iis, quæ sudores provocant, mature uti convenit. In his eminent camphora, radix Serpentariæ Virginianæ, Contray rvæ, Polygalæ, Cortex Peruvianus, *Elixir* Vitrioli, spiritus MINDERERI, varia forma, et salis valida, sed partitis vicibus data. Nec aliena sunt volatilia, ut sal volatile, cornu cervi, viperarum, succini, spiritus salis ammoniaci, et celebris illa compositio, quæ constat ex spiritu salis ammoniaci cum calce parato, et oleo succini intime commixtis, quæ a LUCIO nomen habet. Horum actionem, et vim plurimum interest copioso, crebro, temperanti, atque antiphlogistico potu, subacido nimirum, aperienti, et ni calido, egelido certe adjuvare, et perficere. Opportunissimum quoque puto statim ab initio, in primis si vires langueant, extrorsum vim morbi cantharidibus brachiis, vel femoribus impositis avocare. Loco autem dolenti noxia sunt, quæ reprimunt, aut discutiunt, ob timorem metastaseos. Ab his igitur probe cavere oportet. Sufficiet ergo dolori, tensioni, et spasmo leniendis aqua tepens cum lacte remixta, ex qua spongia, aut lintea expressa imponi, et subinde renovari poterunt. Plura temporis brevitas, acutissimusque mali cursus ne cogitari quidem permittit, nedum fieri.

Volatilia.

EPHEMERA A CONTAGIO, SIVE A MIASMATE PUTRIDO.

§. 232. Hæc edere paranti opportune mihi redduntur literæ, quas ad me dedit Kalendis Maji hujusce anni 1780. amicissimus, expertissimusque Medicinæ clinicæ Professor publicus, et Nosocomii militaris, quod Vindobonæ est, Medicus ordinarius, Cl. JACOBUS REINLEINIUS. In his, post-

Febris putrida milites epidemice affligens. quam de febre putridissima, quæ in milites atrociter sæviit, quæque ab eo ipso evitari non potuit, certiorem me fecit, casum mecum communicat cujusdam puellæ, quam *ephemera* maligna ex *pestifero* propemodum *miasmate*, sive ex *contagio* (§. 219.) repente orta, et terrificis, insolitisque symptomatibus stipata e medio sustulit. Exscribam verba ipsa, quibus funestissimam historiam expressit: *Morbus ipse*, inquit, *qui tot militibus adeo infensus fuit tam quoad symptomata, quam quoad curam, idem fuit, quem Authores febrim putridam appellant; dejectus neoconductorum militum animus, nostalgia auxerunt periculum; plurimos rapuerunt recidivæ. De egregia infusi florum Arnicæ virtute antiseptica quotidiana experientia fui convictus, et forte huic ego quoque vitam debeo, qui nec corticem peruvianum, nec camphoram, nec acida mineralia ferre potui. Formidabilem effectum, quem contagium hoc apud quosdam milites, qui Infirmariorum, ut vocantur, munere fungebantur, præstitit, silentio hic præterire non possum. Homines isti sani, robusti (tot Hercules credidisses) simul et semel collabebantur; facies fuit ex flavo livida; oculi semimortui, excavati; nasus acuminatus, frons, et cutis rigida; extrema superiora, et inferiora in principio pallida, paullopost frigida, successive livida, nigra: pulsus debilissimus; respiratio summe anxia; vomitus continuus materiæ viridis, æruginosæ, fætidæ; lingua humida, tremula, obsessa; sitis pauca; alvus tarda, enematibus sollicitata viridis, cadaver redolens; hypochondria tensa; tristitia summa. Sub finem tertiæ, quartæ, etiam sextæ diei inter anxietates maximas, frequentia animi deliquia, et convulsiones secuta est mors.*

Servi ab ægrotis, sive valetudinarii contagio correpti, quibus symptomatibus afficiebantur.

Puella sedecim annorum, fortis, sana, chirurgi filia, percupida videndi cadavera, sæpe ingrediebatur locum, in quo cadavera ad humatio-

Historia ephemeræ a contagio.

nem asservabantur. Hæc die quadam, dum ex eo loco, ubi cadavera erant disposita, egrederetur, illico quasi temulenta facta est, et ad suum cubiculum reversa statim inhorruit primum, deinde incaluit cum pulsu febrili, atque incepit vomere materiam viridem, æruginosam, porraceam; paullo post aphona evasit, et levibus in principio, tandem enormibus toto corpore convulsionibus correpta fuit. Quidquid ori inditum est, ipsa aut non deglutivit, aut revomuit; enemata ipsa statim dimisit. Sanguis e vena detractus nihil vitii ostendebat, si solito majorem densitatem exceperis. Post viginti quatuor horas vocatus ipsam vidi cadaveris simillimam; pulsus vix erat sensibilis, tetanus maxillam inferiorem tenebat, convulsiones continuæ, dejectiones alvinæ involuntariæ mephitim cadavericam spirantes. Curavi subito applicari hirudines ad arterias temporales, et post aures, quæ aliquot uncias sanguinis extraxerunt. Injecta fuere enemata repetita ex chamomilla cum largiori dosi camphoræ. Fuerunt etiam applicata ejusmodi fomenta abdomini; nuchæ, et extremitatibus inferioribus vesicantia. Ut tetanus maxillæ inferioris solveretur, adhibita cataplasmata emollientissima, camphora, et succino permixta, sed omnia incassum. Trigesima sexta ab invasione hora expiravit. Chirurgorum, et Infirmariorum plurimi, qui, dum insolitam illam debilitatem veneni jam suscepti prænunciam animadverterunt, statim quæsiverunt auxilium. Evacuata per datum emeticum materia viscida, interdum biliosa, et sumpto postmodum per epicrasim spiritu MINDERERI *cum infuso florum Arnicæ, ortoque inde copioso sudore periculum feliciter evaserunt.* Hactenus præclarissimus REINLEINIUS.

Mors. Quomodo contagione infecti curabantur.

§. 233. Itaque quotiescunque putridum contagium, sive miasma septicum hominem ingredi-

Curatio.

tur, totumque nervorum systema afficit, quantocius danda opera est, ut salivalis, gastricusque latex, quem lues infecit, proximiori via expurgetur; et quidquid penitius corpus occupavit, cutis spiraculis emandetur, antisepticisque medicamentis corrigatur. Quare ea ipsa curatio convenit, quæ venenatis, et contagiosis morbis adhiberi solet. Blandis nempe emeticis, post sanguinem detractum in plethora summa, præmissis ad sudorifera, antipsetica, et leniter sedantia properandum est, qualia sunt spiritus Mindereri, acetum Bezoarticum, Aqua Theriacalis, Aqua Lucii, Theriaca, Diascordium Fracastorii, Mitridatium, succus mali medici aqua dilutus, decocta rad. Contrayervæ, Serpentariæ Virginianæ, Arnicæ, florum Tiliæ, Melissæ, Sambuci, Camphora, Moschus, et alia hujus generis pro circumstantiarum, temperamenti, ætatis, sexus, anni temporis ratione. Neque aliena sunt omnia, quæ revellentia dicuntur, uti cantharides, cuti de more, ut vesicam excitent, impositæ, cucurbitulæ scarificatæ, frictiones, balnea pedum, ipsumque regimen diaphoreticum; quale REINLEINIUS utile (§. 232.) ad venenatos halitus cito e corpore expellendos in ægrorum curatoribus expertus est.

SYNOCHUS SIMPLEX (*) SIVE SYNOCHA.

Synochus simplex est ephemeræ extensæ valde affinis.

§. 234. *Synochus simplex*, sive *Synocha*, ut aliis vocatur, *ephemeræ extensæ* valde affinis est, sed aliquanto gravior, et longior. Ideo ephemeris a GALENO adnumeratur. Omnium brevissima quatuor diebus, longissima vero septem plerumque finitur. Illam *synocham legitimam*, hanc *extensam*, quemadmodum de ephemera dictum est, distinctionis caussa appellandam censent nonnul-

li (*a*). Utraque *synochus imputris* nominatur, ut ab alio febris genere, quæ *synochus putris* passim dicitur, apte distincteque sejungeretur (*b*). Nullum enim humorem in illa putrescere GALENUS, veteresque qui eum sequuti sunt, putabant. Hinc etiam *synochus simplex* ab aliis dicta est. Quanquam vero febris hæc continuitatem continentem exhibeat, tres tamen differentiæ pro diversa incedendi ratione a Veteribus ei attribuuntur. Prima est *Homotoca*, sive *Acmastica*, quæ nempe a principio ad finem usque eumdem fere gradum servat, altera *Epacmastica*, sive *anabatica*, quæ ab ipso ingressu paullatim increscit, donec remittat, et desinat: tertia denique *Paracmastica*, quæ post primam intensiorem accessionem gradatim, et sensim decrescit usque ad finem. At multis hujusmodi differentiæ videntur imaginationis figmenta. Ego tamen non ausim eas, ut fictitias, omnino rejicere, cum experientia didicerim, magnam esse huic febri procedendi varietatem, nihilque videatur repugnare, quo minus caussa febrim excitans aliquandiu eodem in gradu persistat, donec subigatur, vel aliquantulum successive evolvatur, motumque febrilem adaugeat, donec minuatur, atque e corpore secedat; vel sensim minuatur, ut demum stato tempore tota evanescat. Sæpe enim post unum, vel alterum diem febris remittit, licet sub vesperam nonnihil ut reliquæ continentes, intendatur, sed in dies levius, donec prorsus cesset. Proprium autem febris hujusce est a caussis manifestis oriri, continentis naturam habere, atque intra septem aut novem dies desinere.

Synocha legitima, et extensa. Cur imputris vocata? Cur simplex?

Ejus differentiæ tres.

An fictitiæ hujusmodi differentiæ?

(*) SYNONYMA

Synochus imputris GALENI, Diff. febr. l. 2. Synochus simplex RIVERII, Prax. med. lib. XVII. sect. 1. cap. 2. continens non putrida LOMMII, observ. me-

dic. pag. 2. Synocha simplex JUNCKERI, Tabul. 58. Febris continens, sive Synocha STAHLII Casual. min. cas. 87. Synocha SAUVAGESII, Nosol. Method. cl. 2. gen. 2. Febris Synocha VALCARENGHII, De præcip. Febrib. §. XXIII. Febris acuta simplex STORCKII, Ann. Medic. 2. mens. Julio 1759. Febris continua simplex LIEUTAUDII, synops. lib. 1. sect. 1. Febris continua depuratoria, sive defœcatoria QUÆSNÆI, Traité des fievr. contin. Tom. 2. p. 354. Continens inflammatoria simplex SELLII, Pyretolog. method. rudiment. pag. 103. Ephemera plurium dierum QUORUMDAM. Febris continens, sive homotona, item septimanaria ALIORUM. *Neque hic credas synonymorum finem esse. Tanta enim est hodie nomina pro lubitu innovandi licentia, atque intemperantia, ut, nisi aliquantum coerceatur, eorum numerus excrescere demum debeat in immensum, & plurimum memoriæ & temporis requiratur ad ea sola sine ullo propemodum fructu perdiscenda. Hinc nomina a Veteribus imposita, & per plura jam sæcula a scriptoribus usurpata etsi interdum minus propria, retineo libentius. Nova enim, ut ut plerumque aptiora, sæpe tamen barbariem sapiunt, aut confusionem pariunt, caussamque præbent priscorum libros versantibus, ut non intelligant, quibusnam veterum hæc recentia respondeant, aut morbum pro morbo decepti accipiant.*

(a) VALCARENG. l. c.

(b) GALEN. l. c. *qui omnes febres* putres *vocavit, & esse credidit, præter* ephemeras *in quibus hanc quoque Synochum ponebat, & præter hecticas, uti supra, ubi de divisione febrium agebatur, animadversum est.*

CAUSSÆ.

§. 235. Caussas easdem habet, quas *Ephemera* (§. 200.), sed validius agentes, aut graviores, incidentesque in corpus non quidem impurum, sed sanguine turgens, aut cholericum, aut ad effervescendum aliunde proclivius. Hinc ejus etiam symptomata fere conveniunt cum iis, quæ in

ephemera esse solent, hoc solum discrimine, quod *ephemera*, ut paullo ante tradidi, repente corripit, et brevi, si ultra viginti quatuor horas extendatur, mitior evadit, brevique remittit, neque adeo intensum, ut ab initio, calorem comitem habet. Synochus contra lentior passu, et veluti pedetentim ingreditur, atque in dies invalescit ad quartum usque, si septima die finienda sit, inde paullatim decrescit, et finitur. Raro evenit, ut diu in eodem gradu consistat, donec tandem ex toto decedat. Si vero quarta die solvi debeat, hæc omnia, uti patet, maturius contingunt. Quoniam vero eædem omnino caussæ utrique febri, ephemeræ scilicet, et synocho simplici communes sunt, sed in synocho validius, diutiusque quodammodo agentes; necesse est, ut symptomata eadem quoque in utraque, sed in hac vehementiora consequantur. Hinc factum est, ut a quibusdam tam veterum, quam recentium synochus hæc veluti ephemeræ intensior gradus, sive productio ejus quædam habeatur.

§. 236. Præter illas synochi differentias, quas supra (§. 234.) memoravimus, pro caussarum varietate, quæ eam efficiunt, aliæ etiam, atque aliæ distinctiones oriuntur. Quare alia est *sanguinea*, sive *plethorica* (*), alia *cholerica*, sive *ardens sine periodo* (**) et sic porro, ut de ephemera dictum est; itemque *primaria*, *symptomatica*, *secundaria*, *sporadica*, *epidemica* esse potest, uti reliqui morbi, et iterum subdividi multifariam adhuc pro circumstantiarum ratione. Ad hoc febris genus transferri solet *Synocha putrida* SENNERTI (*a*), quamquam hoc nomine non *Synocham* simplicem, sed *Synocham* vere *putrem*, de qua postea dicam, expresserit. Non tamen is ego

Aliæ differentiæ.

sum, ut omnem a synocha putredinem, aut malignitatem semper abesse contendam. Quidni etiam putrida, et maligna esse possit? Rectius quidem prætermitti hic possunt quædam aliæ species, ut *scorbutica* LINDEN (*b*), catarrhalis HOFFMANNI, HENISCHII, et RIVERII (*c*), *tragæda* RAMAZZINII (*d*) aliæque a SAUVAGESIO (*e*) commemoratæ, utpote quæ aut ad alios morbos, aut ad febres remittentes, intermittentesve pertinent, non ad Synochos, sive continentes.

(*) SYNONYMA

Synocha plethorica; synocha septimo die soluta FRID. HOFFMANNI De febr. sec. 2. cap. 1. & observ. 4. Spec. 1. SAUVAGESII, Nosol. Class. 2. Gen. II. Febris sanguinis Avicen. Tom. 2. p. 43. Synocha simplex FRID. HOFFMANNI De febrib. pag. 110. synocha sine putredine SENNERTI, De febr. lib. 1. cap. 6. & l. 2. c. 10. Febris inflativa HEURNII, Sauvag. l. c.

(**) SYNONYMA

Synocha ardens spec. 2. SAUVAGESII. Synocha biliosa SENNERTI De febr. lib. 2. cap. 10. Synocha causodes MANGETI Biblioth. Med. Synochus causonides GILBERT. ANGLI fol. 56. Cholerica febris FRID. HOFFMANNI de febrib. sec. 2. cap. 2. obs. 5. Synocha biliosa FERNELII. Sennert. l. 1. cap. 6.

(*a*) De febr. l. 2. cap. XI. *Plerumque eam nasci autumat* SENNERTUS *ab impedita transpiratione, & sanguine in venis, ut veteres loquuntur, putrescente, sive potius leviter inflammato. Nam sanguis putrescens apud ipsos idem est, ac phlogisticus, ut postea videbimus. Eam vocat ipse* putridarum simplicissimam (*non* synocharum, *ut male alii credunt; multa enim putridarum genera, ut alibi* §. LVIII. *monuimus, veteribus erant*) facillimamque curatu. *Duplicem putat esse, aliam* puram & legitimam, *aliam* notham, *sive* spuriam. *Illam raro septimam diem excedere, hanc ad decimam quartam etiam extendi, coctionisque signa in ea apparere. Itaque ad* Synochos putres *omnino spectat, vel si ad Syno-*

chum simplicem velis, profecto non differret a synocha sanguinea, *&* plethorica.

(b) Descriptionem Synochi scorbuticæ, *quam dedit* Sauvagesius, *si consulas, facile intelliges, vel symptomaticam eam fuisse, vel cum scorbuto complicatam, vel ob contagium a parentibus scorbuticis susceptum a Synochi simplicis natura descivisse, lethumque ob veram sanguinis corruptionem die septimo attulisse.*

(c) Sauvagesius *unam, eamdemque febrim existimavit* Synocham catharralem Hoffmanni *cum* catarrho epidemico Henischii, *& cum* febre epidemica Anonymi apud Riverium inter observat. addit. obs. X. *& cum* catarrho Riverii cent. 1. obs. X. *Sed, si quid judico, non parum hujusmodi morbi differunt inter se, & speciatim a* Synocho simplici *valde distant. Singulorum descriptiones una simul comparentur. Descriptio febris epimedicæ, quam* Frider. Hoffmannus *vocavit* Synocham catharrhalem, *sive* synocham compositam An. 1729. *extat apud eumdem* l. de febrib. sect. 2. cap. 1. obs. V. *Si eam rite perpenderis, deprehendes, catarrhum epidemicum fuisse cum febre plus minus gravi conjunctum, aut si febrem malueris eum appellare, nequaquam, sive durationis tempus, sive typi rationem consideres, febribus* continentibus *accensendam esse. Nam sæpe, quando gravior morbus erat, ad decimam quartam diem protendebatur, quod Synocho simplici minime convenit; & præterea vespertinis horis exacerbabatur, quod* quotidianis remittentibus *proprium est: ut nihil dicam de exanthemate* miliari, *aut* petechiali, *quod in ea erumpebat non raro, exitioque erat.* Synochus *vero* epidemica composita cum catarrho A. 1580. G. Henischii *describitur in* Comment. in Aretneum pag. 315. *Hæc quidem ratione durationis ad Synocham magis accedit, nam* quarto ut plurimum die, interdum, sed raro, longius protrahebatur ad septimum, & nonum diem. *Nulla vero ibi mentio fit de continuitate continenti, probabileque est, cum catarrhalis morbus esset, vespere exacerbatum esse, & mane remissiones habuisse. Quam ob rem, si ad febres referendus sit, ad remittentes procul dubio spectabit, non ad continen-*

tes. Adde, HOFFMANNI *descriptionem non parum ab illa* HENISCHII *discrepare : atque adeo non unam, eamdemque morbi speciem complecti. Potius cum* HENISCHII *morbo convenit* febris epidemica A. 1580. *quam* Anonymus *apud* RIVERIUM *describit ; quamquam hujus descriptio aliquantum ab illa* HENISCHII *deflectat, neque ita accurata, atque absoluta sit, ut de specifica morbi natura aliquid decerni queat. Id unum certum, manifestumque est, utrumque morbum catarrhum epidemicum fuisse plus minus malignum, atque exitiosum.* Catarrhus *demum cum aliis symptomatibus a* RIVERIO cent. 3. obs. X. descriptus *nulla febri stipabatur, ideoque nequaquam cum superioribus conjungi debet.*

(d) RAMAZZINIUS (constit. epid. urban. A. 1591.) *febres ab æstivo calore maxime genitas descripsit.* Febres *autem* istæ tertianæ intermittentes erant, ac ut plurimum exquisitæ, & quæ die septima, ac etiam citius, post unam, vel alteram phlebotomiam per sudorem judicabantur (§. XXXIV.). *In sequenti paragrapho febrem* tragœdam *Abderitarum ex* LUCIANO *commemorat, non quod ea, quam in illa constitutione Mutinensi observaverat, tragœda esset, sed ut ostenderet, immodicum æstum caussam ejus fuisse, ac proinde esse etiam posse febrium tunc regnantium,* adspectu quidem terribilium, nec sine mentis emotione, sed quæ postea die septima, oborto sudore, post celebratam liberali manu phlebotomiam solverentur. *Febris igitur isthæc* RAMAZZINII *erat tertiana intermittens, cum diathesi inflammatoria fortasse complicata, aut cum sanguinis nimia copia, & fervore conjuncta, nequaquam ad Synochos spectans. Jure etiam omitto* Speciem septimam, *nempe* Synocham dolorum, *&* speciem octavam, *sive* Synocham cephalalgicam D. BAZOUX, *quas habet* SAUVAGESIUS; *nam febris, quæ* comitatur dolores, & phlogoses *vulnerum, ambustionum, phlegmonum, bubonum suppurantium, tendinum punctorum, arthritidis, rheumatismi, nephralgiæ, proctalgiæ a mariscis, aliorumque morborum nunquam continens est, sed exacerbans, atque inæqualiter decurrens, interdum etiam intermittens : ideoque male synochis accensetur. Nec quæ atrocem* cephalalgiam

ex vermibus narium cava obsidentibus consequebatur, a D. RAZOUX *ita describitur, ut Synocha fuisse dici possit. In ejus enim historia* (Journal de Medec. T. IX. p. 415.) *nec de typo febris, nec de tempore, quo desiit, quidquam prolatum est. Cur igitur* Synocha *symptomatica dicatur, cum ipsemet* RAZOUX *eam nomine non donaverit?*

(*e*) Nosol. method. l. c.

Pura, impura, anomala, et complicata.

§. 237. Magni autem refert, utrum synochus hæc (§. 234.) sit *simplex*, *pura et vera*, an *impura*, *anomala*, aut *complicata*. Hinc enim non solum symptomata, et procedendi ratio, verum etiam cura ipsa variantur. Simplex, et pura incipit plerumque sine frigore, et sine horrore. Totum corpus segnescit, ac quadam veluti lassitudine fractum, aut contusum videtur, atque æstuat. Succedit manifestior cutis mador. Caput vel dolet, vel gravius persentitur. Facies præcipue tumet, rubet intensius, et calet. Altior occupat somnus; multum arteriæ temporum pulsant; respiratio magna subdifficilisque est; pulsus plenus, vehemens, creber, et velox, at æqualis, mollisque, eo casu excepto, in quo primæ viæ vitiosis succis scateant, aut a vermibus infestentur. Tum enim, antequam ejiciantur, spasmos excitant, unde pulsus parvus, duriusculus, atque inæqualis efficitur. Sed tunc complicatum malum est. Urina a naturali non multum aliena esse consuevit. Initio tamen ut plurimum aquea, paullatim vero rubicunda, aut alba, crassa, et turbida fit, præsertim ubi febris attingit tertiam, aut quartam diem. Mador autem cutis, quem cito apparere diximus, sensim augetur adeo, ut remittente jam morbo, aut quavis ejus remissione in plenum sudorem prorumpat. Interdum etiam si plethoricus, juvenisque sit æger, vel quarta, vel septima die supervenire visa est narium hæ-

Puræ signa.

morrhagia, quæ febri finem imponit. Quandoque sola etiam insensibilis transpiratio id præstat. Nec rarum est, alvi fluxu morbum quoque feliciter solvi (*).

(*) *Synochus simplex, quem anno* 1759. *Julio mense curavit cl.* STORCKIUS (Ann. Med. secund.) *sic sub* febris acutæ simplicis *titulo ab eo describitur:* Symptomata *ejus* erant levia: exiguus solummodo capitis dolor, sitis mediocris, sicca tussicula, & febris admodum mitis observabantur. Lingua fuit plerumque alba, oculi vivaces, raro turbidi, respiratio naturali fere æqualis, cutis mollis. Alvus bonæ consistentiæ, & coloris, fere quotidie sponte prodiit. Urinæ sub initium fuerunt rufæ; finiente tertio morbi die turbidæ, & quarto die posuerunt sedimentum copiosum, album, glutinosum (quale calculo laborantibus commune est). Sæpissime quarto die ortus est copiosus sudor per universum corpus, & desiit tunc febris, & urinæ sensim naturales factæ sunt. Si vero quarto die sudor nullus observatus fuit, tunc urinæ continuarunt crassum ponere sedimentum, & septimo die citra omnem sensibilem evacuationem ægri a febre liberati sunt, & vires suas brevi recuperarunt. Ultra septimum diem febris acuta simplex (*sic vocat Synocham*) nonnunquam duravit. Tres tantum hoc mense ægri fuerunt, quibus septimo die miliaria alba eruperunt. Nihilominus & his eodem die febris cessavit; cæperunt redire vires; viguit appetitus, & omnis actio, & functio, uti iis, in quibus talia non contigerunt &c. *Scire autem licet, præcedente mense Junio fuisse miliaria exanthemata morbum præcipuum, sive* stationarium; *cumque constitutio epidemica semper morbis intercurrentibus aliquid suppeditet suæ indolis, aut faciat, ut succedentes morbi aliquid præcedentium in se retineant, nil mirum, si in hac Synochi specie interdum miliaria eruperint benigna, & salutaria; quamvis communiter a Synocho abesse soleant.*

§. 238. Atque hæc quidem Synocho simplici, et puræ communiora. Sunt tamen quædam cui-

que propria. In *sanguinea*, quæ frequentius juvenes, virosque plethoricos, et sanguineis evacuationibus assuetos, quovis anni tempore, sed præcipue verno, aut æstivo corripit, graviora omnia eveniunt. Sæpe sanguis copiosius in caput, fauces, pectus, aut in abdominis viscera irruens, congestiones quasdam quasi inflammatorias procreat; hinc manifestiora earum partium symptomata se produnt, uti turgidior, rubicundiorque facies, insignior oculorum rubor, et lacrymatio; gravior capitis dolor, temporum pulsatio, vertigo, sopor, interdumque mentis etiam aberratio; in faucibus deglutiendi aliqua difficultas; in ore sitis, atque ariditas linguæ. Si pulmones, et præcordia magis afficiantur, mox urgent pectoris angustia, difficilior, et crebior respiratio, anxietas, cordis palpitatio, virium, animique dejectio. Quod si ventriculi vasa sanguis oppleat, nausea, vomitus, aut vomendi cupiditas, et quandoque singultus accedunt. Similis congestio sanguinis in intestinorum tunicis molestissimas inflationes facit, alvum adstrictam, aut liquidam et fœtidam; in mesentericis arteriis, et venæ portæ ramis dolorem fixum circa primam lumborum vertebram, decubitum insuetum, jactationem, et si spinalis medulla petatur, torporem, languoremque artuum, aut etiam convulsiones, HOFFMANNO (*a*) referente, qui tamen multa ex præconcepta opinione sibi confinxisse videtur. Utcunque res sit, *sanguineam* detegunt temperamentum sanguineum, et plethoræ signa.

(*a*) De febr. sect. 2. cap. 1.

§. 239. In *Synocha cholerica*, sive *ardente sine periodo* (§. 236.), quæ accenditur tum, cum caussæ (§. 235.) in biliosum, sive calidum et siccum corpus, alioquin sanum inciderint, nullæ Cholericæ signa.

quidem putredinis ex veterum mente in pulsu, aut urinis notæ inveniuntur, verum calor acer in cute arida ferit manum tangentis, os amarescit, appetitus dejicitur, sitis, vigiliæ, et capitis dolor magis excruciant. HOFFMANNUS his addit anxietates, æstum internum, crebras dejectiones, viribus infensas, et quasi animi defectionem inferentes (*). Sed præcipua, et veluti pathognomonica ejus signa sunt calor ardens, et sitis ingens (*a*). In his enim ardentium omnium febrium natura sita hodie a plerisque reputatur. Distinguitur vero a febre *ardente periodica*, sive *cum periodo*, quæ ad intermittentes, aut remittentes spectat, quod nullas accessiones, et remissiones manifestas, et certas habeat. FERNELIUS, aliique in *Synocha* hujusmodi bilem præter modum effervescere, febremque movere opinantur. At FERNELII opinionem, si unquam admitti debeat, ita accipiendam rite monet SENNETUS (*b*), ut non vera bilis hepatica, aut *excrementitia* pro hujusce febris caussa intelligatur, sed tenuior, calidior, atque acrior sanguinis pars, cui bilis etiam nomen veteres indidere; sive, quod eodem recidit, sanguis ipse, qui in cholericis præsertim, tenuior, fervidior, acriorque est, ex caussa evidenti effervescens.

(*) *Suspicor* HOFFMANNUM *hic falli; nam hæc symptomata tum locum habent, cum a biliosa in primis viis congesta colluvie gignitur. Tunc febris biliosa quidem est, non tamen continens, nec homotona, sed periodice exacerbans, & remittens, sic, ut ad Remittentium classem, ut gastricæ omnes, omnino pertineat. At si unquam in Synocha biliosi humores copia, aut qualitate peccantes primas vias obsideant, hi non ut caussa, sed ut effecta ipsius febris habendi sunt, aut, ut complicatio quædam gastricæ saburræ, cum febre ipsa conjunguntur, sic ut eorum excretione morbus tantummodo minuatur.*

(a) Galen. 2. de meth. cap. 1. & 9. cap. 3. & 5. de diff. febr. 2. cap. 2. & de cris. 2. cap. 6. *(b)* L. c.

§. 240. Universim varietatem aliquam facit aut temperamentum, aut ætas, aut cacochymia, aut aeris constitutio, aut anni tempus, aut plurium caussarum complicatio; quorum si ratio habeatur, symptomatum, atque accidentium novitas, aut diversitas Medicum nequaquam occupabit, neque in errorem adducet. Facile enim ipse perspiciet, quid cuique caussæ, aut complicationi tribui debeat, quid proprium, quid insolitum, quid accessorium morbo sit. Plurimum autem refert nosse, quinam morbi antecesserint, quænam sanguinis diathesis prævaleat, quænam morborum genera potissimum dominentur: nam omnes tum febres sporadicæ, aut intercurrentes, atque adeo ipsa synochus symplex antecedentium, aut concomitantium morborum naturam quodammodo induunt, aut æmulantur; quo fit, ut non parum earum symptomata discrepent, aut præter propria cuique morbo, etiam aliena, atque insolita se adjungant. Quapropter Synochus modo tussim, modo diarrhœam, modo lateris dolorem, modo peticulas, modo exanthemata miliaria, aut alia hujusmodi secum trahit, ut *catarrhalis*, aut *inflammatoriæ*, aut *gastricæ*, aut *petechialis*, aut *miliaris* speciem mentiatur. Sic, opinor, interpretandi sunt scriptores, quando *Synochas* cum *peticulis*, aut *miliariis*, aliisque morbis complicatas referunt. Atque hoc sensu *putrida*, aut *maligna* dici etiam poterit.

Varietas symptomatum unde?

§. 241. Ceterum Synochus simplex distinguitur a *Synocho*, ut vocant, *putri*, quod posterior hæc diutius trahatur, ægros gravius symptomatum cumulo afficiat, functionesque omnes evidentius, et pertinacius lædat, et quod vere *inflammatoria* sit. Præterea, ut animadvertit Quesnæus (*a*), Synochus putris incipit cum horrore, pulsu statim

Discrimen inter Synochum imputrem et putrem.

contracto, profundo, inæquali, calore acri, mordaci, ardente, urinis tenuibus, flammeis, coloratis, interdum aqueis, et pallidis, diuque talibus. Item aliæ febres in ipso initio magnum horrorem, aut longius frigus plerumque excitant, sed simul inter initia mitiores videntur, deinde sensim ingravescunt, donec summum gradum attingant. Contra Synocha imputris nullo, aut certe levissimo horrore aggreditur, et gravibus mox adscitis Symptomatibus se prodit, caloremqne generatim non acrem, nisi *cholerica* fuerit, comitem habet, qui calor semper ejusdem tenoris est, et si unquam remittit, brevissimam ejusmodi remissionem esse, ex STAHLIO docet SAUVAGESIUS. Pulsus insuper exhibet plerumque magnos, et plenos, nisi cum cacochylia primarum viarum, ut supra (§. 237.) animadversum est, forte complicetur, aut malignitatem recondat; (nam in malignis pulsus parvus, debilis, humilis, atque inæqualis esse consuevit) et summam virium lassitudinem adjunctam plerumque habet. Malignitatem vero ipsa recondit, vel quod ex venenato principio oriatur, vel ea sit aeris constitutio, quæ malignos morbos gignit, unde eorum particeps et ipsa quodammodo fiat.

Complicata cum malignitute aut cacochylia.

(*a*) Des Fievr. contin. T. 2. p. 294. 295.

PROGNOSIS.

Plerumque periculi expers est.

§. 242. Synochus simplex plerumque salutaris est, quia Natura a superfluis humoribus, inutilibusque excrementis per sudorem, urinas, vel alias excretiones, interdum etiam per solam auctam perspirationem se se exonerare in ea annititur Hinc a QUESNÆO (*a*) inter *depuratorias*, sive *defæcatorias* ut ipse vocat, collocatur, hoc est, inter eas febres, quæ, quoniam à caussa facile

Inter depurativas passim ponitur.

per corporis emissaria sine coctionis purulentæ subsidio transmittenda profluunt, ideo *acriticæ* ab eodem dicuntur. Si plethora tamen fuerit insignior, aut grave aliquod erratum vel ab ægro, vel a Medico admittatur, multa timeri possunt, quæ nimia vasorum plenitudo, aut vehemens sanguinis motus inferre solent. Speciatim periculi plus habet, quam ephemera, eoque deterior est, quo crassior, densior, aut impurior sanguis plethoram faciat, aut quo manifestior scorbutica labes, aut malignitas, aut alia parva complicatio cum ea copuletur. Neque discrimine prorsus vacat, cum *ardentis* naturam assumit; nam facile tum interiores partes inflammatione, aut gangræna corripi possunt, ni cita et apta medendi ratio succurrat, aut in *hecticam*, ut docet GALENUS (*b*), degenerat. In universum *impura*, et *maligna* ceteris perniciosior est.

Quando periculum portendit.

(*a*) L. c. Tom. 2. pag. 354.
(*b*) De differ. febr. l. 1. cap. VIII.

CURATIO.

§.243. Sæpe sola Natura motu febrili se liberat. Cum enim, ut vere, sapienterque scribit SAUVAGESIUS (*a*), hujusce febris *principium*, *seu occasio* sit *sanguis purus ut plurimum, sed vel copiosus, vel sero perspirabili onustus, vel igneis particulis fœtus, vel leviter inspissatus per moram; in primo casu eum resolvit natura in serum perspirabile motu febrili excitato; in altero continuam seri secretionem tantum molitur; in tertio, potu per sitim imperato ipsius fervorem extinguit, et dilatatis urinæ, et sudoris viis* igneas *particulas exhalat; in quarto, ope caloris aucti viscositatem minuit*. Jure igitur optimo monuit VALCARENGHIUS (*b*), *non aliter melius suo munere* fungi

Naturæ opus plerumque committendum.

Medicum, *quam si naturæ ipsi præcipuum curationis opus committat, eos dumtaxat obices (si forte alicubi adsint) tollendo, qui nempe utiles hosce motus alterare, vel arcere quomodocunque possint; in primis autem phlebotomiam, si de plethoricis agatur ægrotis, necessariam esse, atque tum maxime, quum ob excedentem sanguinis copiam, et æstum tumefiunt plus æquo vasa etc.*

(a) Nosol. class. 2. ord. 1. Gen. 2.
(b) De præcip. febr. specim. pract. §. XXIII. pag. 139.

Sanguinis missio. §. 244. Ubi igitur pulsus plenus, et magnus, aut durus, rubor faciei, et dolor capitis, aut gravitas, aut sopor, aut defectus consuetarum evacuationum, aut spirandi difficultas, aut alicubi imminens, aut facta sanguinis congestio (§. 238.) id auxilii postulant: vena in brachio secanda est, et pro symptomatum continuatione, ægri ætate, temperie et viribus sanguinis missio repetenda; quod interdum, cum ingens plethora, aut diathesis inflammatoria subsit, fieri debet tertia, aut quarta etiam vice. In synocho tamen *cholerica* sanguinis missio cautius administranda est, solumque ut æstus, fervorque contemperetur; quod una vel altera venæ sectione, si cetera consentiant, præstari sane poterit. Non enim largiorem et repetitam sanguinis missionem cholerica diathesis aut sustinet, aut requirit. Ad caput quoque levandum sæpe cucurbitulæ cum scarificatione scapulis, et cervici admoventur utiliter. Pueris quoque, atque adolescentibus sanguis mitti debet; sed si aliqua de caussa in illis vena incidi nequeat, nec narium hæmorrhagia opem ferat, tunc hirudines collo, et brachiis commode applicantur; idque infantibus præcipue convenit.

Minus convenit cholericæ.

Cucurbitulæ. Hirudines.

§. 245. Quod si arteriæ capitis validius pulsent, facies, oculique tumeant, et rubore suffundantur, sanguinis missione non juvante, aut e naribus guttæ solum aliquot cruoris stillent, provocandus ejus uberior fluxus est vel scarificatione interiorum narium, ut Ægyptiorum mos erat, vel culmo stramineo firmiori, vel calamo scriptorio in nares adacto: sic enim sanguine copiosius manante vasa cerebri deplentur proximius, atque ejus inflammatio, aut delirium providentissime avertitur. Quo in casu nonnulli (ut sectionem jugularium venarum atque arteriotomen in temporibus prætéream) venas sublinguales incidendas jubent: at hujusmodi consilium ab aliis minus tutum creditur, quod aliquando viderint, sanguinem inde profluentem non facile sisti potuisse. Id autem haud timendum videtur, si sectio prudenter instituatur, et nulla sanguis dissolutione putrida colliquescat. Si tamen mala fortuna plus sanguinis, quam oportet, effluere pergat, linteolis duplicatis impositis, et digito compressis, aut gelida in ore detenta, aut stypticis admotis sisti potest.

Quando et quomodo sanguis e naribus mitti possit?

Sectio raninarum.

Qua ratione compesci sanguis e raninis profluens?

§. 246. Post primam, aut alteram sanguinis missionem, fracto quodammodo febris impetu, disquirere oportet, utrum in primis viis cacochylia existat, quæ purgatione egeat. Itaque, si aliquod in victu peccatum antecessit; si lingua albicat; si malus oris sapor, pondus ventriculi, nausea, aut vomitus saburram testentur; protinus cum primum febris deferbuerit, idoneo medicamento leniter alvus ducatur. Qua ratione id fieri debeat, quibus auxiliis, cautionibusque, docet Therapeutice generalis, atque a nobis pluries alibi jam traditum est. Sales neutri præ ceteris blandissime alvum solvunt. In *Synocho cholerica*

Cacochilia purgationem poscit.

præferuntur ea, quæ bilem leniter purgant, et simul sanguinis fervorem mitigant, uti Tamarindi, Cremor Tartari, Serum Lactis, et similia subacida, aut facile acescentia. Raro emesi opus est. Si quid vero purgationem vetet, aut nulla purgandi indicatio videatur, solis clysteribus tunc alvus lenienda est.

§. 247. Ad æstum porro compescendum, lentoremque humorum attenuandum potui detur aqua vel simplex cum succo limonii, citrei, aurantii, ribesiorum, vel emulsa ex seminibus frigidis, vel ex hordeo, avena, gramine decocta, addito singulis haustibus nitri puri tantillo. Si succi modo memorati ad manum nequaquam sint, aqua purissima acui poterit aceto, aut oxymelle. Quotiescunque magna sanguinis tenuitas, et raritas in suspicionem venit, ut in Synocha *cholerica*, atque *ardenti* usuvenit, nec fervor remediis modo propositis satis obtemperarit, potui aliquid spirituum acidorum Vitrioli, Sulphuris, aut Nitri adjicere opus est. HOFFMANNUS Veterum doctrinam amplexus hoc in casu aquæ frigidæ largiorem potum suadet, et meritis sane laudibus extollit.

Acida vegetabilia. Acida fossilia. Aquæ frigidæ potus.

§. 248. Morbo jam remittente, si sudor sponte non prodeat, aut ægre, aut imperfecte prodeat, promovendus est potu tepido, aut calenti, præsertim dilutis veronicæ, cardui benedicti, scordii, florum sambuci, tiliæ, papaveris rhoeados, copiose hauriendis. Neque, si cui magis arrident, folia vulgo *Thee* ab his excludi debent. Ad hæc victus ratio accedat tenuis, humectans, et refrigerans. *Panatella*, ut vocant, et poma cocta bis in die dari possunt. Carnes et parata ex iis jura nimium succulenta prorsus exulent. Hactenus de Synochæ simplicis, et purioris curatione. Nunc

Ubi sudor proliciendus. Victus ratio.

aliquid de complicata et magis impura. Si cum ea catarrhus, vel pleuritis, vel putredo, vel peticulæ, vel miliaria, vel scorbutus complicentur, tum ea expedit experiri, quæ hisce morbis opportune adhiberi solent, e suis quæque locis transferenda. In fœtida gingivarum corruptione, metuque putridæ sanguinis dissolutionis; post lenem alvi ductionem, mox antisepticis, spiritu vitrioli acido in primis potui largius instillato, vino rubro subaustero, cortice peruviano, aceto, succo aurantiorum, spiritu MINDERERI, aliisque malo obsistendum est, ne cita morte, ut solet, hominem jugulet. Symptomatica, si qua quidem synochus vere talis est, curari debet, uti morbus primarius, unde fit, postulare consuevit. Synochi complicatę curatio.

SYNOCHA MALIGNA.

§. 249. Supra (§§. 236. 240.) non dubitavimus inter differentias hujusce febris *Synocham malignum* recensere. Ne vero dubitent alii, faciet primum QUESNÆI (*a*) auctoritas, qui certo statuit, febrem Synochum imputrem interdum conjungi cum *accidentibus*, Symptomatibusque spasmodicis, ut putris, et *critica* imo *maligna* videatur. Deinde cl. STORCKII omnem dubitationem tollere videtur referens, mense Octobri An. 1758. dum febres miliares, et petechiales nondum grassari destiterant, (nam superioribus mensibus frequentissimæ fuerant) *plures simplici febre acuta*, id est Synocho imputri, correptos fuisse cum symptomatibus mitioribus, atque in plerisque curam temperantem suffecisse. Inter hos tamen duas fœminas vidit, in quibus *insoliti tendinum subsultus per totum corpus illico ab initio morbi observabantur*. *Reliqua Symptomata*, ut ipse nararre pergit, *simillima erant iis, quæ proditura* Storckii observationes binæ.

exanthemata præsagiebant; etenim oculi erant turbidi, facies rubra, respiratio difficilis, inæqualis cum tussicula sicca, et rara, præcordia erant anxia, caput, et lumbi vehementi dolore vexabantur. Hi tendinum subsultus ægras statim in morbi principio debilitarunt, neque ullo remedio nervino, camphorato, aut opiato, aut cortice peruviano his juncto, aut vesicantibus ad moderamen redigi potuere. Pulsus fuit inæqualis, debilis, multum febrilis, lingua humida, glutine fusco obducta, sitis magna, mens subinde præsens, subinde turbata. Tendinum subsultus eadem vehementia semper durantes, demebant omnem somnum, et vires, atque morbum lethalem effecerunt. Remedia alexipharmaca excitarunt sudorem debilitantem, et majora adhuc deliria; lenia stimulantia ægras non mutarunt; sola diluentia, refrigerantia frequentes lipothymias produxere. Unde una ex his ægris sub initium quarti diei inter tendinum subsultus, et convulsiones, apparentibus paucis petechiis, exspiravit. Altera quarto die copiosas petechias habuit absque ullo levamine, et sub finem diei sexti, existentibus iisdem Symptomatibus, orto horrore (b) obiit. En, ni fallor, luculentissimum exemplum *Synochæ malignæ* cum curationis, etsi infelicis, quam ei adhibuit expertissimus vir, specimine. Quid vero in tanta temporis angustia, tantoque systematis nervosi vitio sperandum supererat?

(*a*) L. c. Tom. 2. pag. 360.
(*b*) Ann. med. I. mens. Oct. 1758. pag. 32. edit. Amstelod.

Nova febris Sydenhamii perperam a Quesnæo Synocha maligna habetur.

§. 250. Exemplum vero *Synochæ malignæ*, quod profert ex *Sydenhamio* Quesnæus (*a*), non videtur eamdem vim habere probabilitatis. Suspicatur siquidem hujusce generis fuisse *novam Febrim An.* 1685. a Sydenhamio (*b*) descriptam; multisque

verbis ostendere conatur, ejus descriptionem, etsi imperfectam, nulli magis morbo convenire, quam *Synocho imputri malignæ*. Verum quæcumque sit illius natura, atque origo, de qua nihil hic definiendum arbitror, nullo modo synochis æquiparanda est; quia non solum manifestas quotidie, nocturno in primis tempore, accessiones habebat, tertianamque duplicem, aut quotidianam continuam referebat, verum etiam non raro ex continua intermittens fiebat, et cortice peruviano tum vincebatur. Quod ut continuis remittentibus, sive *Synecheis* maxime proprium est, sic quam longissime a continentibus, sive *Synochis* dissentit.

(*a*) Schedul. monitor. de Nov. febr. ingress.

§. 251. Neque iis unquam assentiar, qui ad Synochi imputris genus redigunt febres variolarum, morbillorum, purpuræ scarlatinæ, erysipelatis, aliasque hujusce ordinis; 1. quia morbi istiusmodi nequaquam febribus accensendi sunt, ut alibi (§. 56.) indicavimus; 2. quia febres, quæ hosce morbos exanthematicos comitantur, aut antecedunt, continentium naturam minime obtinent, nullumque statum typum habent, et si quem unquam assumunt, is omnino remittentium, atque exacerbantium morem sequitur. Idem dictum velim de febribus, quarum caussa est peculiaris aliqua inflammatio. Hæ perperam a quibusdam Synocharum species habentur, dum e febrium numero, qui per se ingens jam est, nec alienis morbis augeri debet, omni jure expungendæ (§. 54.) videntur. Sic innumerabilis alioquin febrium cohors intra justos limites, quos natura constituit, coercebitur.

Cur quædam febres perperam ad Synocham referantur?

SYNOCHUS PUTRIS VETERUM (*).

§. 252. Ut ephemeræ Synochus simplex, sic Synocho simplici *Synochus putris* quam proxime accedit, utpote quæ *sine omni remissione, et intensione periodica a principio ad finem usque affligit*. Totum autem discrimen in eo situm est, quod hæ, ut ait Fernelius (*b*), *caussas habet, quam simplex, validiores, quæ nempe non modo inflammationem, verum etiam putredinem accersunt*. Fernelio subscribit Nicolaus Piso (*c*) quando inquit: Synochus ista *est continentium altera, in qua non modo sanguis incaluit præter naturam, ut in Synocho priori* (id est simplici) *verum et computruit*. Quoniam vero hodie variæ de *Synochi putris* natura et symptomatibus extant scriptorum opiniones, ut difficillimum sit, quid hoc nomine intelligere debeamus, decernere; operæ pretium erit, antequam in ea describenda progrediar, excutere, quid veteres de hac febre, ejusque caussa primum senserint, quid deinde recentiores, ut planius iter ad veriorem ejusdem indolem et characterem aperiatur.

(*a*) Sennert. de febrib. l. 2. cap. XI.
(*b*) Pathol. l. 4. cap. V.
(*c*) De febrib. cogn. & curand. l. 1. cap. IV.

Synonyma.

Synochus putris, vel putrida Nic. Pisonis de febrib. cogn. & curand. l. 1. cap. IV. Synochus putrida Fernelii Pathol. l. 4. cap. V. Synocha putrida Fortis de febrib. & Sennerti de febr. l. 2. cap. XI. Synochus putris, sive febris continens Bellinii de febrib. Kopp. pag. 161. T. 1. Synocha composita, quæ a veteribus Synochus putrida appellatur, Junckeri Tab. 58. Febris simplex continua Pascoli de Febr. P. 2. cap. 9. Febris critica simplex Quesnæi Des fiev. T. 2. p. 289. 294. Febris continua acuta, aut ardens,

aut inflammatoria BUCHANI Med. Domestiq. Tom. 2. chap. 4. p. 64. Febris continua benigna sporadica LE ROY Prem. Memoir. sur les fievr. aigues. Febris continua putrida BOERHAAVII de cognosc. & cur. morb. §. 730. & LIEUTAUDII synops. l. 1. sect. 1.

§. 253. *Synochi*, ut altius rem ipsam repetam, sive *Continentes* (194.) febres sunt eæ, quas nullæ certæ accessiones aut sane exiguæ admodum, exacerbant, aut distinguunt. Harum alias *imputres*, *putres* alias veteres vocaverunt. *Imputres*, quæ ephemeras etiam tam simplices, quam extensas, dummodo puras, complectuntur, brevi temporis spatio ad finem properant, et plerumque ab evidentibus caussis, aut a sanguinis copia, æstuatione, aucto motu, aut recentis recrementis, aut immissis noxiis, atque alienis, facile tamen, et brevi, nisi malignitati jungantur, excernendis excitantur, nulla interim intercedente sanguinis, reliquorumque humorum putredine. *Putres* vero illæ a Veteribus habebantur, quæ pari quidem continuitatis passu decurrunt, sed graviora sibi adsciscunt symptomata, longioreque tempore producuntur, neque desinunt, nisi coctione humorum, ut vocant, purulenta, utpote quæ a sanguine putrescente *(a)*, et præter naturam effervescente oriri putabantur. A putredine igitur, quam a Synochis imputribus abesse communiter opinabantur, nomen accepere. Synochorum discrimen.

(a) SENNERT. loc. cit. PISO l. cit. FERNEL. loc. cit. & reliqui.

§. 254. Præcipua, quibus in hanc sententiam adducerentur, argumenta erant potissimum duo, calor nempe peculiaris, quem in hac febre laborantibus manu percipiebant; et sanguis e vena missus. Ille manum admotam acri quadam punctione mordebat, quæ juxta ipsos non nisi a pu- Argumenta quibus putrescere sanguinem crediderint.

tredine, esse poterat. Hic concrescebat illico, et crassa, flava, aut albida, et firma crusta ut plurimum obtegebatur. Talem sanguinem putridum, corruptum, aut purulentum dicebant. Quam porro longe a vero aberrarent, quantumque fallerentur, ille noverit, qui putredinem, corruptionemque in intima partium componentium, omnisque mixtionis resolutione sitam non ignoraverit. De putredinis deinde genere inter ipsos non conveniebat, imo disceptabatur, utrum sanguis, ut ceteri humores, putrescere intra vasa posset. Plerique tamen in hac febre putrescere sanguinem posse affirmabant, sed hoc *non ita accipiendum*, ac si *quasi universus* putresceret (*nisi forsan ad extremam corruptionem pervenerit*, *morbusque lethalis sit*) dum tantum partes quasdam ejus, præcipue *ichorosas* putrescere, probabilius videbatur (*a*). Hinc non nulli hujusmodi *putredinem in febribus salutaribus*, id est benignis, quales plerumque sunt *Synochi*, existimabant, *non* esse *perfectam*, *sed imperfectam*, *et suppurationi similem*; *perfectam* vero esse, ubi *febris* esset *perniciosa*, sive lethalis (*b*).

An perfecta aut imperfecta putredo sit?

(*a*) SENNERT. l. c. FERNEL. l. c.
(*b*) NIC. PISO l. c.

§. 255. Addebant id confirmari coctione ipsa purulenta, cujus manifesta indicia, morbo ad judicationem tendente, in sputis, urinisque apparebant: pus enim ipsum, quod et sputa, et urinarum hypostasis referre viderentur, putredinis opus esse, censebant. Alii vero, et inter hos nuperiores non pauci veræ putredinis intus obortæ non fallacia indicia in hac febre, quam putridam vocari jure credunt, deprehendere sibi visi sunt, quod sudor, urina, excrementa alvi, orisque halitus in hujusmodi ægrotis fœtere soleant.

Alia argumenta.

Nec gangrænæ, et sphaceli, quibus interiores, exterioresque corporis partes non raro in hac febre corripiuntur, obliti sunt, ut melius suam de sanguinis, humorumque putredine opinionem sartam tectamque servarent. Hactenus quid Synochi putris nomine intellexerint olim, intelligantque nonnulli adhuc, paucis declaratum est. Dicam modo, quantum putridæ febris vocem ii, qui a Veterum sententia paullatim desciverunt, extenderint.

§. 256. Hac quippe febres omnes comprehenderunt, in quibus sanguis vera putredine corrumpitur, et colliquescit sic, ut sanguis e vena missus omnino difluat, nec unquam, nisi ægre, concrescat, aut in vasis ipsis resolutus immanes hæmorrhagias, aliasque immodicas, fœtidissimasque evacuationes pariat. Aliis vero putridæ febres vocantur illæ, quarum putridus fomes in primis tantum viis insidere, paullatimque in sanguinem invehi visus est. Nec defuerunt, qui putridas eas dumtaxat dicendas velint, quæ vulgo malignæ vocantur; atque hi utriusque generis supra expositi symptomata permiscent, novumque pro arbitrio conficiunt. Hac tandem putridæ febris denominatione alii ita abutuntur, ut ubique putredinem sibi imaginentur, fereque omnes aliquanto graviores febres putridarum censui adscribere non dubitent.

Putridæ febris vocabulum, quomodo extensum.

§. 257. Verum, ut ad Veteres redeam, non sine caussa inter ipsos disceptatum est; quid putredinis verbo generatim intelligendum esset, et quando putredo, et quousque in sanguine humoribusque locum haberet? Perspiciebant enim, destructa sanguinis, aliorumque humorum mixtione, resolutisque eorum elementis cum fœtore in-

Difficultates quæ opponi possunt.

sequente, ut plerisque placet, quæ vera, et perfecta est putredo, vitam superstitem nullo modo esse posse. Neque enimvero ad pristinam, perfectamque valetudinem corpus redire, verosimile est, si semel sanguis putrefactus restitui ad naturalem crasim, integritatemque nequeat, cum id putredinis naturæ omnino repugnet. Quando igitur unquam fiat, ut perfecta putredine humores corrumpantur, quemadmodum in quibusdam perniciosissimis, et pestilentibus morbis fortasse contingit, citissima, et inevitabilis mors hominem rapit. Fœtet interdum vel sanissimis oris halitus, fœtent sudores, alvi excrementa vehementer fœtent, fœtent etiam urinæ, fœtent ulcera cum exteriori aere communicantia; imo animalia quædam putridissimam (*) undique mephitim exhalant. An inde colliges, in hisce corruptum esse sanguinem per vasa clausa decurrentem, veraque putredine jam affectum?

(*) *In America est vulpeculæ quædam species, vulgo* Zorro *ibi appellata, quæ urinam tanti fœtoris emittit, ut ea emissa Venatores teterrimo nidore arceat, aut remoretur.* Mustela Putorius LINNÆI *vere fœtidos exhalat odores tum maxime, cum irritatur. Italice* Puzzola. Mustela Erminea EJUSDEM *omnium fœtore suo infestissima est.*

Continuantur objectationes.

§. 258. Otio præterea abutentis hominis esset, eos refellere, qui ex gangrænis, sphacelisque morbo supervenientibus, aut ex acrioris, mordicantisque caloris sensu putridam, perfectamque sanguinis corruptionem certo conjicere contendunt. Quis enim tam hospes in physiologicis esse queat, ut caloris, gangrænæ, sphacelique originem soli putredini acceptam referat? Nonne sæpe putredo calorem, gangrænam, sphacelumque, ut effectus consequitur? Novum certe non est, neque inauditum gangrænam, qua membra vita privantur,

immodico sæpe frigori succedere. Quid tamen frigore ad arcendam putredinem valentius? Cadavere, aut membris corruptione emortuis quid frigidius, quid algentius? Neque continuo putridam sanguinis dissolutionem licet accusari ex crebris hæmorrhagiis, aliisque immodicis excretionibus, quamquam cum his eam copulari posse non inficiamur. Nam qui ex Pathologia didicerit, non uno, sed multis modis sanguinem e vasis profundi, aliasque secretiones, excretionesve augeri posse, non eas quidem solius putredinis indices profitebitur. Neque demum constans, perpetuumque est malignas febres omnes cum putrida illa (§.256.) sanguinis dissolutione necessario conjungi, ut hæ tantummodo putridæ haberi debeant; neque contra cum eadem complicatæ, proprie malignæ semper vocandæ videntur. Frequentius autem putridus fomes primis viis insidet, ibique non modo possibilis, verum etiam manifestus febribus nomen, et caussam impertit; sed in his non putrescit sanguis, ut in synochis perhibetur, nec febres ejusmodi quidquam cum synochis putribus commune habent, qunm remittentium naturam sequuntur.

§. 259. Itaque cum vera, et perfecta putredo sanguinem totum corrumpens in vivente homine raro occurrat, et sæpe, ubi corpori insidet, imperfecta sit, imo alia atque alia ejus ratio, ut supra ostensum est; multo minus in synocho putri videtur præsto esse, licet a putredine nomen accipiat id mali genus. Symptomata enim præcipua, quæ hujusmodi febrim comitantur, nullo modo putridam sanguinis dissolutionem commonstrant. Quin imo multa ex iis contrariam omnino naturam, ut videbimus paullopost, significare videntur. Pulsus, calor, sanguinis, quem ve- Vera et perfecta putredo in Synocho putri nulla.

teres perperam vocabant corruptum et putridum, firma compages, crusta pleuritica, qua sæpe contegitur, tantum absunt, ut sanguinem, reliquosque humores putrescentes ostendant, ut potius inflammatoriam quamdam in ipsis diathesim evincant. Nec mirum est. Veteres talem sanguinem corruptum et putridum esse credidisse, cum etiam in pleuritide, in angina, reliquisque inflammationibus idem vitium agnoscerent, et febrem inde ortam inter putridas collocare non dubitarent. Idem diathesim sanguinis inflammatoriam in synocho putri veteres posuisse, argumento est medendi ratio, quam ipsi unanimi consensu adhibebant. Hæc potissimum sanguinis missione larga, et repetita innitebatur; quam certe nemo dixerit febri, cujus vera sanguinis putredo caussa esset, opportunam, aut innoxiam fore. Præterea in febribus epidemicis, malignis, exanthematicisque si quando mittendi sanguinis oriretur dubitatio, solebant Galenici hac uti animadversione, mittendum liberius, si cum vasorum plenitudine putrida natura prævaleret malignitati; contra si malignitas putredini (*a*). Qui, quæso, quæstionem hac distinctionis lege dirimere potuissent, nisi pro putredine inflammatoriam sanguinis diathesim (*) accepissent?

(*a*) PETRUS A CASTRO de Febr. malign. puncticulari sect. VI. aph. 1. & VII.

(*) BOERHAAVIUS *etiam scripsit* Synochum putrem deberi caussis inflammatione simplici majoribus §. 730.

§. 260. Id ipsum, quod modo (§. 259.) proposui, manifeste etiam ex GALENO (*a*) eruitur, qui omne dubium sustulit, docens, putredinem humorum, quæ fit in vasis, similem esse illi, quæ in inflammationibus, abscessibus, et tuberculis offenditur, variamque esse, prout varia hu-

moris natura, et major, vel minor est concoquendi eum vis, et potentia. Quod probe cognovit Cl. Swietenius (*b*), animadvertens non hic Veteres eam putredinem, aut corruptionem intellexisse, quæ in cadaveribus sponte exoritur, sed insignem potius sanguinis a naturali sua crasi, aut, ut ait Ludwigius (*c*), mixtione discessum. In eadem ferme versatur sententia Lieutaudius(*d*), synocho putri talem sanguinis tribuens depravationem, ut quidem ad alkalescendum pronior fiat, non vero putrescat; negatque in ea reliquos etiam humores unquam putredinis notas acquirere, nisi tum, cum e corpore egressi calorem, motumque amittunt, aerisque actioni subjiciuntur. Hinc nil magis rationi consonum est, quam coctione, et quidem purulenta, ut febres inflammatoriæ egent, hanc quoque febrem egere, ut quidquid sanguinis, humorumque a naturali statu descivit, permutetur, et puris albi, concocti quasi naturam acquirat, aptumque reddatur ad secretionem, excretionemque plus minus manifestam subeundam.

(*a*) Galenus de Different. Febr. lib. 1. cap. 6. *hæc habet : Putredo* autem humorum, quæ fit in vasis, similis *putredini*, quæ in inflammationibus fit, & abscessibus, & aliis phymatis, duplex quidem genere est : ex permixtione autem duorum generum, alia tertia varia specie existit. Siquidem & mixtionis modi, quum alterum genus majoris, minorisque ratione superet, & superetur, facile numerari non possunt. Sed ex duobus generibus alterum quidem fit superante natura, alterum vero evicta. Superante quidem, ut per inflammationes, et phymatosos tumores omnes, *pus* : in humoribus autem venarum & arteriarum, id quod subsidet in urina proportione puri respondens. Atque hæc *putredo* non simpliciter *putredo* censetur, sed etiam habet aliquid *concoctionis*. Manente enim adhuc coquendi facultate vasorum, putrescens tunc humor ad talem alteratio-

nem deducitur. Porro alia est *putredo concoquendi* facultate adeo debili, ut nulla mutatio ad benignum putrescentis excrementi efficiatur. Quod fit interdum illa extreme debili: quamvis putrescens humor sit modice pravus. Interdum autem facultas ad extremam debilitatem minime deducitur; sed humor extreme pravus existit. Hujusmodi excrementi *putredo* neque consistentiam, neque colorem, neque odorem habet unum, sed *putrescens* humor semper secundum substantiam permutatur, ac variatur. Altera vero *putredo*, quam & *concoctionem* esse diximus, in unam speciem *puris* semper mutatur, & colorem, & consistentiam, & odorem. Ubi igitur natura ipsa omnino superet, *pus optimum* gignitur, visu candidum, ac crassum, & sibi simile undique, leve vero tangenti, ac minime fœtidum. Quod si velut semiputridum fuerit, tertium genus in tali mutatione (quod paullo supra diximus) consistit. Porro diximus tale genus maxime multiplex esse. Nam quod magis, ac minus recipiat *concoctionem*, innumerabilis differentia est. Sæpe enim candidum effectum, aut fœtidum est aut tenui consistentia; quandoque vero non candidum, sed lividum apparet, atque in omnibus his magis, & minus est infinitum. Ceterum quot in abscessibus *putredinis* differentiæ sunt, tot in febribus ex putredine accensis *urinarum* formæ existunt. Optima enim urina, quæ ex putrescente humore adepto ex continenti vase *concoctionem* efficitur, candidum, leve, æquale, ac minime fœtidum sedimentum habet. Pessima vero, maxime contraria huic est. Ea vero, quæ media est, quo magis alteri earum propinquet, tanto melior, aut deterior est.

(b) Comment. in aph. Boerhaav. §. 730.
(c) Instit. Med. Clinic. P. 1. cap. 1. §. 241. in not.
(d) Synops. Univ. Prax. med. l. 1. sect. 1. Febr. contin. putrid. p. mihi 13.

Definitio Synochi putris. §. 261. Retento igitur vetere nomine (§. 252.) etsi non undequaque probando, dicimus, *Synochum putrem* peculiare, et distinctum febris genus esse, continentium more unica propemodum

accessione, aut certe obscurissimis remissionibus universum suum cursum absolvens inflammatoriæ sanguinis diatheseos particeps, atque ideo gravitate symptomatum, et longiori plerumque duratione a superioribus continentibus, quas modo exposui, diversum. A plerisque ei tribuuntur eædem differentiæ (§. 234.) quæ Synocho simplici tribui solent, quarum prima est, quando febris a principio ad finem æqualiter procedit; secunda, quando paullatim augetur; tertia, quando sensim decrescit. At febrium reliquarum omnium tempora, quanquam vel ratione symptomatum, vel ratione cruditatis, et coctionis distinguantur, in Synocho tamen putri non tam ex symptomatum incremento, aut decremento, quam ex signis coctionis, quæ in urinis præsertim apparent, æstimanda videntur. Differentiæ.

§. 262. Item Synochus putris, quemadmodum simplex, vel est *sanguinea*, vel *biliosa* sive *cholerica* (§. 236.) prout nimirum sanguis purus, vel flava bilis in caussa est (*a*). Per flavam bilem hic RIVERIUS (*b*) intelligendam aperte judicat tenuiorem sanguinis partem, et calidiorem, *qua flavæ bilis naturam æmulatur*. A GALENO (*c*) et RIVERIO (*d*) *Biliosa ardentibus*, sive *Causis* febribus adnumeratur. *Ardentium* vero omnium, ut alibi adnotavimus (§. 55.) natura in eo posita est, ut *calor ardens*, et *sitis inextinguibilis*, quamvis ægri bibant, *perpetuo* eas comitentur (*e*). Sed hujusmodi differentia a Symptomatibus desumpta *accidentalis* est, veluti *accidentales* reputantur *colliquans*, *horrifica*, *assodes*, *elodes*, *syncopalis*, *epiala*, aliæque, si quæ sunt, quæ in synochum putrem cadere unquam credantur.

(*a*) GALEN. 2. de method. cap. 1. & 9. method. cap. 3. & 5. & demum de Differ. febr. lib. 2. cap. 2. & 2. de cris. cap. 6.

(b) Prax. med. lib. XVII. sect. 2. cap. 1.
(c) 3. epid. comm. 3. text. 34. (d) L. c.
(e) GALEN. & RIVER. ibid.

Differentiæ aliæ. Caussæ. §. 263. Præter has differentias (§§. 261. 262.) non alienæ pariter a synocho putri sunt illæ omnes, quas supra (§§. 236. 237. 240.) commemoravimus. Hinc caussæ omnino eædem, quæ synochum *simplicem*, pariunt etiam *putrem*, sed vehementiores, et sanguinem ipsum non solum motu, verum etiam crasi, et qualitate pervertentes; sic, ut non sola cutis excretio cohibita, sed et vasorum obstructio, aut sanguinis congestio, aut diathesis phlogistica, sive ut veteribus dicebatur, putredo accusanda sit.

DIAGNOSIS.

Historia morbi. §. 264. Antecedunt lassitudo spontanea, corporis gravitas, somni turbulenti, aut vigiliæ, appetitus deficiens, aut imminutus, atque alia, quæ hominem non recte valere significant. Incipit demum febris a frigore, vel horrore, quo ab imputribus plerumque distinguitur, et ad duas, imo tres hebdomadas produci solet, iisdem prorsus symptomatibus stipata, quibus synocha simsplex stipatur, sed insignioribus, et magis conspicuis. Calor acrior est, vigiliæ, capitis dolor, sitis, inquietudo, aliaque vehementiora; pulsus non modo magnus, vehemens, celer, et frequens, verum etiam inæqualis, inordinatus, et quandoque durus; urina crassa, et rubra, et sine sedimento. Et si *sanguinea* fuerit, facile se ei adjungunt omnia, aut plura illorum, quæ supra (§. 238) ex HOFFMANNO fusius enumeravimus. Si vero *Synochus biliosa* sit, calor adhuc acrius adurit, et mordet; pulsus multo velocius, et crebrius micat; urina tenuis, acris, flammea,

initio cruda, et nihil subsidens mingitur; sitis ingens; lingua sicca, arida, aspera, nigricans; oris amaritudo; nausea, vomitus biliosi, dejectiones pallidæ, agrypnia, interdum desipientia, respiratio frequens, magna, difficilis ore aperto atque anhelante, inquietudo, anxietas, et reliqua omnia vehementius divexant. Atque hæc potissimum excandescunt acerbius in *ardente*, sive *Causo legitima*, quam in *notha*, sive *spuria*, quarum altera ideo septimo die, altera decimo quarto finiri consuevit. Interdum, præsertim inter initia, pulsus nonnihil depressior, et contractior est, in augmento quandoque celerrimus, et durus. Dolent artus, lumborumque regio. Vigilias non raro excipit delirium, aut sopor. Rarissime vero, et tunc solum, cum regimen calefaciens adhibitum perperam sit, aut malignitas se addiderit, in summa cute efflorescunt peticulæ. His igitur, sed præcipue caloris acrimonia, et pulsus inæqualitate *Synochum putrem* ab *imputri* licet internoscere. Qui vero plura, aut graviora ei attribuunt, videntur gastricas, petechiales, colliquantes, et malignas quasque una confundere, et commiscere.

Discrimen inter Synochum putrem et febres malignas et gastricas.

§. 265. Hinc patet, Synochos putres gradu tantummodo, et paullo longiore durationis tempore speciatim differre ab imputribus. Et quamvis symptomatum vehementia ad malignarum febrium interdum naturam propius accedant, et pro iis sæpe a plerisque habeantur; attamen, si puræ fuerint, ut advertit LIEUTAUDIUS, breviori temporis spatio terminantur, minorem virium imbecillitatem comitem habent, et pulsum validiorem, et frequentiorem. Cerebri vero, nervorumque affectiones, quæ in malignis, speciatim lentis nervosis tam continentibus, quam remittentibus perpe-

tuo, et assidue tenent, mitiores in Synocho putri sunt, citiusque evanescunt, quotiescunque impura, maligna, aut complicata non fuerit. Præterea in Synocho coctio, et crisis frequentissima est: contra in illis. A *Gastricis* porro, quas *putridas*, aut *biliosas* multi hodie vocant, maxime differt Synochus hæc, quod in illis nausea, lingua alba, aut flava, parvus oris sapor, halitus fætens, ventris tumor, inflatio, borborygmi, diarrhœa, pulsus parvus, debilis, inæqualis, intermittens plerumque occurrant, et remittentium typus servetur.

PROGNOSIS.

§. 266. Synochus putris, quoniam ex acutarum genere est, periculo non vacat, imprimis cum malignitatem, aut putridæ liquationis notas præseferat. Facile autem a diathesi inflammatoria, morbo provecto, ad dissolutionem, et alkalescentiam declinat: in primis biliosa, et inopportunis phlebotomiis curata. In universum *paracmastica* tutior, *acmastica* periculosior, *epacmastica* periculosissima censetur. Si exquisita, benigna, pura, rite curata felicioris exitus; contra non exquisita, impura, complicata, maligna, sævis symptomatibus et virium imbecillitate comitata, discriminis plena exsistit. Sic die septima coctionis purulentæ signa accedant, et nullus error committatur, salutariter decima quarta terminabitur. Si tardius coctio adveniat, ad vigesimam primam, aut ultra protrahitur perfecta solutio. Nulla vero coctione apparente, facie ægri turgidula perseverante, morbum fore longum, certi tum erimus. Urina quo rubicundior, et crassior est inter initia, ceteris paribus eo tutior, et brevior morbus esse consuevit. Si in ea coctionis signa

cernantur, dum in reliquis cruditas, et symptomatum gravitas perseverant, in primis, si vires langueant, periculum non leve imminet. Urina alba exitium portendit. Ubi febris ad finem vergit, si symptomata recrudescant, brevi desitura est, nempe decima quarta die. Coctionem enim validius natura moliri videtur. Contra pulsus parvus, contractus, inæqualis, et spasticæ affectiones male ominantur. Vigiliæ item pertinaces, respirationis difficultas, anxietas, delirium, hypochondriorum tensio, et cruditatis indicia, mala. Synochus putris ardens, pura et legitima ut plurimum septem; non pura, aut notha novem, undecim, aut quatuordecim diebus, quod supra innui, judicatur. Senibus plerumque alvi dejectione, sudore, vomitu, abscessu. Senibus etiam persæpe lethalis est, sicut iis, qui *Causo* corripiuntur, temperamento, aere, annique tempore frigido existente.

CURATIO.

§. 267. Ut caussæ hujusce febris eædem fere sunt, quæ Synochi simplicis, sic et curatio. Sanguinis copia, fervor, concitatior motus, diathesis phlogistica, inflammationis periculum iteratam sanguinis missionem exposcunt. Veteres ea ita confidebant, ut ad leve animi deliquium usque imperarent. Reliquum curationis diluentibus, et refrigerantibus perficiebant. In sanguinis tamen missione, diluentium, et refrigerantium usu mediocritas quædam observanda est, ne coctio purulenta, quæ vividiori quodam febris motu, et calore indiget, impediatur. Quod præcipue menti alte defixum hæreat, ubi febris *ardentis*, *biliosæ*, aut *malignæ* mores induerit. Purgantia ab initio, nisi materia in primis viis turgeat, evitentur. Si forte tamea subita ad caput metastasis

Sanguinis missio, et refrigerantia.

Cautelæ.

Catharticorum usus. accesserit, ex SYDENHAMII auctoritate et fide post sanguinis missiones cathartica alternis diebus, atque ad tertiam usque vicem iteranda præcipit SWIETENIUS. His enim, revulsione facta, feliciter ægri servari dicuntur. Coctione etiam peracta, si materies morbida lente, aut nullo modo excernatur, utiliter in usum vocantur. Tunc gelidæ quoque aquæ potus mirifice febrim compescit, cunctantemque Naturam ad criticas excretiones sollicitat.

Revellentia. Delirio, sopori, et dolori capitis succurunt cucurbitulæ, hirudines, clysmata, epispastica, balnea pedum, atque alia, quæ revellunt. Quod si, ut interdum evenit, ad putridam liquationem (§.266.) morbus deflectat, non modo ad acida valentiora, sed etiam ad reliqua antiseptica properandum est. Reliqua ex generali febris curatione (§. 42.), itemque ex supra (§. 243. ad §. 248.) propositis depromantur.

§. 268. De Synocho putri, quæ malignitatis notas habeat, aut quæ impura, et complicata sit, qualis plerumque epidemica (*) esse consuevit, ex professo, et distincte dicere supersedeo, cum quæ de Synocho simplici prolata sunt, huc commode, apteque transferri etiam possint. Jo. COYTTARUS (*a*) morbum *peticularem*, sive *petechias epidemicas* an. 1557. describens, utramque Synochum, brevem nimirum, sive simplicem, et longiorem, sive putrem, *purpuratam*, ut ipse vocat, sive *petechialem* se in iis offendisse ratus est. Nec mirum id sane, cum hujusmodi morbi exanthematici febriles cujusque febris characterem facile mentiantur, quando epidemice grassantur, et modo unum, modo aliud febrium genus pro temperamentorum, ætatum, sexus, complicationum, caussarum, aliarumque circumstantiarum diversitate imitentur. Hinc si ad febrium classem redi-

Synochus tam simplex quam putris petechialis Coyttari.

gantur, *febrem quidem continuam* in iis *esse*, *sed nulli continuarum adstrictum*, sapienter, et jure optimo jam advertit PETRUS A CASTRO, *de febre maligna puncticulari epidemica* sui temporis verba (*b*) faciens. Nec aliter profecto fieri potest, cum istiusmodi morbi, ubi primarii sunt, nequaquam ad febres pertineant, quod alibi monuimus.

(*) NICOLAUS RIGLERUS *tradit historiam* Synochi putris anabaticæ malignæ; *imo* pestilentis, epidemicæ, & contagiosæ cum dissolutione humorum, *id est vere* putridæ, *cujus specie ssequentes ipse observavit*: 1. synochum putrem malignam sine exanthematibus. 2. synochum putrem malignam exanthematicam. 3. complicatam cum bubonibus, carbunculis, antrhacibus, ideoque pestilentialem. 4. sine his ut in plerisque. 5. cum spissitudine aliquali sanguinis phlogistica. *Vid. ejus* constitutio epidemica anno 1775. 76. 78. 79. Uratislav. 1780.

(*a*) De Febre purpurata epidemiali, & contagiosa c. 19. p. 166. & seq.

(*b*) Sect. 1. aphor. 3. p. 3. ed. Patav. 1653.

§. 269. Complures aliæ febrium species ad *Synochum putrem* a Nosologis revocantur, quæ tamen hujusce generis minime videntur. A LIEUTAUDIO ad hoc genus traducitur *febris depuratoria* A. 1661. 62. 63. 64. SYDENHAMII (*a*). Quod etiam fecit SAUVAGESIUS. Verum ejus descriptio nihil habet, quod Synocho conveniat, a qua ita discrepat, ut æquius ad remittentes puras, aut compositas, sive proportionatas remittenda sit, utpote quæ multum, etsi continua, de intermittentium natura participabat, imo sæpe in eas transmutabatur (*b*): quod veræ, et puræ *Synocho putri* nunquam contingit. Neque potiori jure ab eodem SAUVAGESIO (*c*) ut species hujusce Synochi habentur *Febris continua epidemica ann.* 1665. et 1666.; *Febris variolosa ann.* 1667. 68. *et* 69.; *Dysenterica*, *pleuritica*, aliæque a SYDENHAMIO descriptæ,

Species Synochi perperam habitæ.

Error Sauvagesii.

cum levi negotio, quicunque earum historias pervolverit, comperire possit, vel non satis patere ex imperfecta, et deficienti earum descriptione, cujusnam generis eæ fuerint, vel a Synochis alienissimas fuisse, vel ad alios, quam ad febres, morbos omnino propius accessisse. Multo minus inter Synochos locandæ sunt *species* 12., sive *soporosa* GUARINONII, 13., sive *Scorbutica* SENNERTI, et 14., sive *putrida miliaris ann.* 1754. GERARDI apud VANDERMOND. *Diar. med.* 1756. *p.*311. a SAUVAGESIO indicatæ quidem, sed non satis, ut par erat, expensæ. Omnes enim hæ a continentium indole, et charactere quam longissime distant. *Febris* item *catarrhalis putrida* anni 1768. Moscuæ epidemice grassata, MERTENSIO (*d*) visa est *Synochus putris* cum *febre intercurrente catarrhali* conjuncta. Fortasse, si vere ad *Synochum putrem Veterum* spectabat, *malignæ* quædam species illa fuit. Ex descriptione tamen, quam edidit MERTENSIUS, videtur fuisse *febris gastrica maligna* cum *catarrho* complicata, quæ certe a synochis alienissima est, utpote *remittentium* naturam referens, aut exanthematicis morbis febrilibus tantum adnumeranda, cum peticulas, et miliaria sibi perpetuo associaret. Verius ad *Synochum putrem*, sed *malignam* referenda est *Maligna febris superante humido* RAYM. Jo. FORTIS, cujus historiam tradit Auctor in libro *de Febribus, et morbis mulierum* (*e*).

(*a*) Synops. Univers. Prax. Med. Lib. 1. sect. 1. cap. de Feb. contin. putrid.

(*b*) Observ. Medic. circa morb. acut. sect. 1. cap. 3. & 4. & sect. 5. cap. 6. *quo ultimo loco ait:* notatu dignum esse autumo, quod cum febris hæc (*nempe depuratoria*) quæ ab illa constitutione pendebat, qua intermittentes cæteris prædominabantur (si vel diutius persisteret, vel æger nimis evacuationibus fuerit exhaustus) subinde in intermittentium castra

de facili transiret; istæ febres, quæ sequentes funestabant annos, etiamsi diutissime cruciarent, rarissime tamen Intermittentes fierent, indicio satis manifesto, eam febrem continuam (*depuratoriam videlicet*) atque intermittentes istas vel natura quadantenus convenire, vel non multum ab invicem abhorrere.

(c) Nosolog. l. c. Gen. 3.
(d) Observ. medic. de febrib. putrid. Par. 1. cap. 1. pag. 1. & pag. 12.
(e) Pag. 281. edit. Patav.

FEBRIS LENTA NERVOSA, MALIGNA PASSIM DICTA (*).

§. 270. Quam plerique Medicorum ad nostra usque tempora peculiari nomine, et speciem *Malignam* appellare soliti fuere, eam Angli *lentam nervosam* nominare non ita pridem cœperunt. Est autem febris continentis genus, quod ultra duas, aut tres hebdomadas extenditur cum calore, urina, et pulsu, quod ad crebritatem, sanorum quasi similibus, corporis interim totius viribus valde languentibus. *Nervosa* ex eo dicitur, quod nervos, et cerebrum potissimum afficere videatur; *lenta* vero, quod lento, et tardo fere passu incedat, proserpatque sic, ut unum et viginti dies plerumque prætergrediens, ad *acutos* morbos ex *decidentia* sæpissime pertineat. *Malignam* autem, et *mali moris* antehac Clinici passim appellarunt, quod sub bona caloris, pulsus, atque urinæ specie ægrum quasi clanculum decipit, et vix suspicantem terrificis mox advocatis, exsertisque symptomatibus, sopore videlicet, delirio, cardialgia, exanthematibus, nervorum distensionibus, aliisque brevi enecat, dum ab initio levis, placida, benigna, et periculi expers credebatur.

(*) SYNONYMA.

Febris pestilens FRACASTORII, De morb. contagiosis lib. 2. cap. 4. Febris maligna cacoethes, seu mali moris BELLINII, de febrib. p. 165. ed. Venet. Febris lenta, sive hectica nervosa ann. 1661. WILLISII, de Morb. convulsiv. cap. VIII. Febris maligna FIZESII, Traité des fievr. chap. VI. Febris lenta nervosa HUXHAMII, de febr. cap. VI. & ANGLORUM. Febris maligna lenta VOGELII de cognosc. & cur. morb. §. 56. Febris maligna in specie Auctorum VOLPRECHTI, Dissert. de febr. nervos. ejusque genuina indole Gotting. 1767. sub præsid. VOGELII. Febris maligna, ut vocatur Parisiis, LORRY, de Melanchol. T. 1. p. 117. Febris pessimi moris an. 1711. MORGAGNII, De sed. & caus. morb. Epist. VII. articul. 16. Febris maligna Clar. QUARINII, Method. medend. febr. cap. V. Febris lenta, aut nervosa BUCHANII, Medec. Domest. T. 2. chap. 8. Febris putrida nervosa an. 1770. MERTENSII, observ. med. P. 1. cap. 3. Febris lenta acuta, sive nervosa DE MEZA Compend. Med. Pract. Fasc. 1. cap. X. Typhus (a) SAUVAGES. Nosol. cl. 2. Gen. 4. spec. 2.

(a) *Nullam rationem* SAUVAGESIO, *cur hanc febrem pro* Typho primæ & secundæ speciei, *quarum meminit Auctor* de Intern. affect. *apud* HIPPOCRATEM, *fuisse putat* VOGELIUS *loco citato*. Si enim, *inquit*, a præmagna imbecillitate recesseris, quam HIPPOCRATES adscribit suis Typhis, nihil commune habent cum nostra febre, seque in primis ingenti ardore, & breviori duratione ab hac distinguunt. *Nec fallitur. Nam prima species maxime discrepat a febre nervosa, quia statim* febres fortes tenent, & calor acutus &c. *& quia* pauci effugiunt, & corripit tempore æstatis, cum canis sydus oritur, bile per corpus commota, *& quia morbus brevis esse solet, nempe septem vel quatuordecim ut plurimum dierum. Et si unquam longius trahatur, diem vigesimam quartam non excedit. Neque esse potest secunda species, quia* febris tertiana, aut quartana in principio oboritur, *&* dolor fortis *in capite consistit*, aliquando etiam in toto corpore intermittens, & vomit salivam, & frequenter eructat, & oculorum regiones dolet, & facies albescit, & tumor in pedes descendit, *& demum, quia* quandoque totum corpus intumescit.

§. 271. Ut vero clarius hujusce febris innotescat facies, tradam modo eorum omnium, quæ ipsam antecedunt, comitantur, et subsequuntur, historiam. Qui in eam pronus est, incipit primum non belle se habere, tædio affici, nulla amplius re delectari, et quodammodo quid velit, aut optet, prorsus nescire. Interea leves quasdam caloris, et frigoris subitas, incertasque patitur vicissitudines, quæ in primis caput, et faciem afficiunt; de lassitudine, qualem percipiunt labore fessi, conqueritur, sed adhuc obambulat, licet oscitans, et torpore insolito languens. Hæc autem accidunt, præsertim ubi sponte morbus exoritur, nec aliunde per contagium infunditur. Tunc enim velocius est mali initium, et progressio. Post hæc mox accedit quando major, quando minor in capite ponderis sensus, interdum dolor, vertigo, temporum constrictio, animi desponsio, præcordiorumque oppressio insolita. Paullo post se his jungunt nausea, et ciborum omnium fastidium sine ulla sitis molestia, aut potus cupiditate, et sæpe cum crebro ad vomendum incitamento, quo plerumque nihil ejicitur, aut si aliquid, id parum phlegmatis insipidi tantum est. Quandoque hæc omnia per aliquot horas cessant, evanescuntque, brevi tamen gravius insurrectura, præsertim advesperascente die: nempe caput tum magis, magisque gravatur, incalescitque; mens obnubilatur, pulsus crebriores, celerioresque fiunt, sed languidi semper, atque inordinati, cum quibus conjungi solet quædam spirandi difficultas, ac pectoris angustia, atque oppressio; magnus sæpe stupor, aut obscurus dolor, et quidam frigoris sensus posteriorem capitis partem tenet, aut dolor gravans sinciput etiam circa suturam coronalem occupat. Utraque enim doloris species propria fere est cujusque fe- Historia morbi.

bris lentæ nervosæ, et plerumque aliquem desipientiæ gradum comitem habet. Calor autem ut plurimum mitis est, neque facile excandescit. Attamen interdum volæ manuum fervent, aut caput vaporibus calidis, faciesque rubore crebro suffunditur, dum interea pedes, atque extrema frigescunt.

Stadii primi finis. §. 272. Quinque aut sex dies in hac valetudinis ambiguitate versatur homo, pallidus, torpidus, membris quasi fractus, non omnino ægrotans, nec tamen sanus, nec quietus, sed plerumque insomnis, et vigil; et quamquam adstantibus somno ipse indulgere videatur, idem tamen constantissime asseverat, se nullo modo dormire posse. Neminem autem ex his arbitror falsum dicere. Nam æger sæpe ita quiescit, et clausis oculis dormientis imaginem exhibet ut negari nequeat, eum reapse dormire. Ipse vero sibi non dormire videtur, quia ejus menti tot spectra, et tot idearum simulacra perpetuo obversantur inter dormiendum, ut vigilare omnino se credat. Pulsus toto hoc morbi stadio celer est, debilis, ac inæqualis, quandoque fluctuans, quandoque tardus, rarus, itemque intermittens; subinde concitatior micat, modo sedatur, atque ordinatus, æqualisque evadit, et sic alternatim variatur. Nec diversa vultus ipsius ratio est, nam crebro hic et repente calore quodam, qui vaporis instar ascendit, rubescit; et paullo post pallet, et albicat. Quo fit, ut sæpe pro affectione hypochondriaca, aut hysterica morbus a minus peritis accipiatur.

Secundum stadium. §. 273. Hinc malum in dies augescit, jam loqui aut moveri piget, et tandem lecto æger defigitur, nec satis potest exponere, quo modo se habeat. Nihil ipse postulat, ne potum quidem;

atque interrogatus aliquid, vix quærenti novit apte, et distincte respondere. Jam tendines subsiliunt; manus, et lingua tremunt. Hæc muco albido obducta non valde inarescit; nisi in medio, ubi fusca apparet, et sicca. Tandem aliena subinde obloquitur, et leviter insanit, sine tamen furore. Tenuem ut plurimum urinam emittit, modo limpidam, modo vappæ instar, aut cerevisiæ turbidæ similem, et lentescentem, non raro etiam subnigram, subinde crassiorem, farina quasi inspersa, et subsidente, aut sine lege sursum, deorsumque vagante. Inter hæc sanguis e vena missus aut naturalis invenitur, aut tenui pellicula tectus, sed crassamento laxo et nigro, parum cohærenti. Interdum etiam ad liquescendum pronior est, et sero turbido copioso scatet.

§. 274. Circa septimam, aut octavam, ex quo æger lectulo se tradidit, omnia ingravescunt. Genæ magis rubent, et manuum volæ magis calent. Gravitas, et dolor capitis acerbius vexant; accedunt vertigines, tinnitus, et susurrus aurium, quo fere perpetuo obstrepente mens ipsa moleste afficitur, et non leviter perturbatur; non ita tamen, ut delirium vehemens sequatur, cum plerumque ejus loco sit quædam idearum, cogitationum, actionumque inde pendentium perversio, et confusio. Hinc fere æger secum obmurmurat, et verba quasi mutilata, et difficilia intellectu profert. Id præcipue evenit in somno, aut quando e somno expergiscitur; tunc enim mens magis laborat, et obfuscata apparet, sed brevi post ad se redire consuevit, non tamen diu sibi constat. Pectoris oppressio, virium languor et defectio ita increscunt, ut animi deliquia et Syncope, præsertim cum e lectulo æger surgere nitatur, eum corripiant; nam tunc sudore frigido

Tertium stadium.

frons, et manuum dorsum madent, atque animus deficit. Lingua, quæ antea humida, albidaque cernebatur, jam arescit, rubet, et finditur, et quasi mali punici corticem colore imitatur, medio in primis spatio, dum utroque ex latere muco flavo sordescit. Ubi ea ex ore producitur, tremula, atque instabilis est; interim licet ipsa cum labiis siccescat, vix tamen ulla sitis urget. Calorem vero in ea acrem, et permolestum queritur sæpe æger.

Quartum stadium. §. 275. Nona, decima, aut duodecima die sudores breves, ac inæquales, aut etiam profusiores et repentini emanant, sed viscidi, frigidi, et glutinosi, in primis extrema corporis occupantes. Sæpe alvi dejectiones crudæ, liquidæ, aquosæ superveniunt. Universim sudor, alvique fluxus colliquantes sunt, viribusque infensi. Non raro tamen mador quidam tepens, totam cutim perfundens, utilis esse consuevit, uti et lenis diarrhœa, quæ delirium, et comatosos affectus discutit plerumque. Circa hoc morbi stadium Natura præcipue deficit, extrema rigent, ungues pallent, et livent, pulsus parvi, et celeres ita fiunt, ut vix percipi, et numerari possint, etsi antea lenti, rari, tardi, aut intermittentes fuerint; aut ita fluctuant, vacillant, intercidun tque, ut mortem in propinquo esse diceres. Ægri stupidi jacent, et ferme sensibus orbantur. Strepitu, et lucis appulsu, quo ab initio plurimum percellebantur, vix tunc emoventur. Delirium paullatim excipitur profundo sopore, et brevi perpetuo somno. Excrementa alvi, urina, et lacrymæ sponte, atque inscio, nolenteque ægro profluunt, proximamque vitæ dissolutionem portendunt. Tremores vero, tendinumque subsultus spasmum sæpe universi corporis imminentem significant, quo vitæ filum

cito abrumpatur. Alterutro enim ex his modis, postquam quatuordecim, octodecim, aut viginti dies, imo multo etiam plures languerint ægri, tandem pereunt.

§. 276. Interdum stragula palpant prius, inanes imagines consectantur, obmutescunt voce faucibus hærente, faciem cadaveris exprimunt, perpetua, et frigida suspiria emittunt de pectore, plerumque mortis proximæ indicio. Nonnulli etsi antea animo forti, et magno essent, subito terrore, et desperatione corripiuntur, nec somno indulgere volunt, cum mortem, tum mentis perturbationem, quam dormientes subire credunt, aut experiuntur, evitaturi. Quandoque pustulæ, et maculæ diversi generis in summa cute apparent; inter quas interdum peticulæ fuscæ, lividæ, atræ (*), et vibices corpus defœdant. Non raro parotides, aut abscessus aurium, aliarumque partium superveniunt. Nec desunt aphthæ albæ, rubræ, depascentes, nigræ, gangrænosæ labiis, linguæ, faucibus infestæ, præsertim ubi febris cum dissolutione putrida humorum copulatur, et pestilentialis, et contagiosa est. Interdum ad os sacrum, et nates vis morbi convertitur, atque ibi post brevem ruborem, dolorem, tumoremque cutis, suppositæque partes gangræna sicca, aut humida, plus minus alta, nigrescunt, et vita privantur, et fœtent. Plerumque, nisi morbus malignissimus sit, in longum trahitur, et ad quadraginta usque dies interdum ægros languere cogit, quorum nonnullis, etiam post febrem devictam, mens per aliquod tempus aberrat, donec paullatim resipiscat. Quædam symptomata non perpetua.

(*) *Cl.* PRINGLIUS (Malatt. dell'Armat. P. 3. cap. 6. pag. 220. 221.) *non diffitetur & ipse magnam esse affinitatem inter febrem* malignam in specie dictam,

& lentam nervosam. Nam utrique, inquit, communia sunt pulsus languidus, urina pallida, sudores non critici, obfuscatio mentis, virium lapsus, spirituum oppressio; artuum tremor, sive nervorum. Discriminantur vero, ut ipse putat, quod nervosa febris minime a caussa putrida gignatur, & quod miliaria exanthemata, non peticulas ad cutim propellat. Verum alterutrum falsum est. Multiplex enim febris nervosæ origo est; atque interdum, ut contagiosa, nosocomialis, nautica, carceraria, *de quibus postea, ex miasmate putrido nascitur. Miliaria vero non perpetuo in ea erumpunt, (alias miliaris morbus esset) sed interdum tantum, nec ab ea quandoque peticulæ vere absunt, ut sæpe vidimus.*

§. 277. Continuitate continenti *Synocho putri* affinis est, sed ab ea discernitur per signa, quæ alibi jam (§. 267.) recensuimus. A morbo petechiali, sive a peticulis, sive, ut alii vocant, a febre *putrida maligna petechiali* discrepat, quod hæc posterior vehementiori aggrediatur impetu, quod horrores et calores cum majores, tum longiores excitet; quod pulsus, præsertim inter initia, duriores, et magis tensos exhibeat; quod capitis dolorem, vertigines, nauseas, et vomitus, etiam in ipso morbi ingressu afferat intensiores; quod tempora, imo orbitas ipsas dolor veluti fixus affligat; quod oculi graves, flavi, aut rubri appareant; quod arteriæ temporum vehementer vibrent cum frequenti aurium tinnitu; quod singulis diebus, ut remittentes, exacerbationes habeat; quod carotides in augmento validius pulsent, licet quæ in carpo sunt arteriæ tardius, et placidius moveantur; quod animi deliquia, spirituumque dejectio citius, magisque, etsi nulla immodica præcesserit evacuatio, et pulsus satis validus videatur, infestent; et demum quod respiratio ut plurimum laboriosior, inæqualiorque

sit, et sæpe dolorem, suspiria, aut singultum comitem habeat. Præterea a peticulis, reliquisque exanthematicis morbis *febris lenta nervosa* differt, quod plerumque peticulæ, et exanthemata miliaria, quando in ea oriuntur, regimini calefacienti debeantur, et quando etiam sponte prodeunt, in statu potissimum morbi erumpere soleant; nec perpetuo, nec quovis in ægrotante se exserant; dum contra in febre petechiali vera, et primaria, et reliquis exanthematicis morbis peticulæ, miliaria, variolæ, morbilli etc., si regulares sint, ante morbi statum, et protinus primis diebus prodeant, et nunquam, cum primarium morbum afficiunt, absint. Facile etiam a *gastricis malignis* febribus distinguitur, quod illæ manifestioribus accessionibus, remissionibusque varientur, nec tantam continuitatis æqualitatem ostendant.

§. 278. Aggreditur hæc febris homines ut plurimum laxioris texturæ, nervis debilibus, sanguine tenuiori, aquosiorique præditos; quos vel nimiæ evacuationes exhauserunt, vel tristitia, aut immodicæ vigiliæ, et studia assidua, laboresque infirmarunt, vel alimenta cruda ac insalubria, vel potus aquosi, impuri, corruptive repleverunt, aut diu aer crassus, vitiatusque circumcinxit, vel ptyalismus, aut alvi solutio, aut nimia venus enervavit. Quando ex hujusmodi caussis oritur et sparsim aliquos tantum singulares homines inficit, *spontanea*, et *sporadica* est; videturque non tantum a nimia solidarum partium laxitate cum tenuiori sanguinis crasi conjuncta, verum etiam a lymphatico latice, copia, et lentore peccante, cerebrum speciatim, et nervos obruente, et tandem, quia resolvi nequit, putrescente pendere. Idque vel ab ipsa comprobatur medendi ratione, quæ cardiacis mitibus, attenuantibus,

Quinam magis eidem obnoxii.

Sporadica unde?

antisepticis, leniterque stimulantibus felicissime solet perfici. His enim vis cordis, et nervorum excitatur, lentor lymphæ resolvitur, et quidquid corruptum est, evacuatur non modo per communes excretiones, verum etiam per eas, quas natura, atque ars novit sibi aperire. Hinc plerumque omnibus simul evacuationibus, nimirum sudore, ptyalismo, urina, diarrhœa, exanthematibus, abscessibus, imo interdum ulceribus arte excitatis, ipsisque gangrænis opus est, ut noxius, depravatusque humor e corpore ejiciatur. Raro enim coctione et crisi hujusmodi febris ad finem perducitur.

Quot modis judicetur.

§. 279. Quando vero communiores caussæ plures eodem tempore afficiunt, popularemque morbum reddunt, *epidemica* tunc est, et perniciosior. Quo in casu, ni sani sibi caveant, facile suscepto maligno, et nervis infensissimo miasmate in eandem incidunt. Tunc etiam *contagiosa* dicitur, quia per subtilissimos halitus, putridosque vapores ab ægris manantes in adsidentes, inservientesque diffunditur. Interdum ex sola mora in aere putridis, morbidisque effluviis scatente, ut in Nosocomiis sæpe contingit, ipsa contrahitur. Tunc patet, eam esse *ex putrido contagio*, dicique posse *nosocomialem*, quamquam non omnis *nosocomialis* (*) ad hoc genus spectet. Notum etiam est, aerem non renovatum, in quo complures, frequentesque vel sanissimi homines diu clausi detinentur, uti in navibus, et carceribus sæpe fit, humanis halitibus atque effluviis ita corrumpi, ut veneni instar immissa animantia cito enecet, destructa nimirum nervorum, et cordis potentia. Febris ex hujusmodi caussa orta, *lenta nervosa* esse solet, et *nautica*, aut *carceraria* nuncupatur, et sæpe adeo pestifera est, ut

Contagiosa interdum.

Epidemica quando est.

Quando ex putrido contagio.

Nosocomialis quænam sit.

Nautica et carceraria.

contagione in vicinos, et ceteroquin sanissimos sola infectorum præsentia pernicissime propagetur, ut pestis.

(*) Nosocomialis *febris, quæ ex contagione in Nosocomiis ægrorum putridis nidoribus repletis oboritur, plerumque* petechialis *est*, & remittens, *non* continens, & lenta nervosa; *prout dicetur, ubi de peticulis speciatim, ut morbo exanthematico febrili, agemus. Nobiscum prope sentit* Cl. MONROUS (Des Malad. des Hospitaux militair.) *cui Febris maligna* Nosocomialis *dicta*, & petechialis *videntur unus idemque morbus esse*.

§. 280. Non solum autem caussarum præcedentium diversitas, earumque mitior, aut pravior natura, verum etiam Symptomatum minor, vel major pernicies hujusmodi (§§. 278. 279.) differentias facit. Variat etiam non parum ejusdem febris aspectus pro temperamenti, habitus corporis, ætatis, sexus, anni temporum, constitutionis, et morbi *stationarii*, sive dominantis ratione; ad quæ singula si animus advertatur, facile varietates, quas subit morbus, sic, ut falso natura diversus haberi possit, quisque non imperitus intelliget. Discrimen etiam aliquod affert inter initia præsertim complicatio caussarum, aut morborum, prout nimirum febris cum diathesi sanguinis inflammatoria, rheumatica, catarrhali, aut cum ejusdem ad liquescendum, putrescendumque proclivitate, aut cum putrida, et verminosa primarum viarum cacochylia conjungitur (*). Hinc enim Symptomata alia, atque alia proficiscuntur, quæ minus peritis errandi occasionem suppeditant. Hinc sæpe profluunt tam varia, et discordia de eadem febre medicorum judicia. Aliæ differentiæ.

(*) *Cl.* SIMSIUS (Malad. epidem. pag. 167.) *nuper pluribus, argumentis annisus est ostendere, febres*

lentas HUXHAMII, *& Anglorum esse de genere Gastricarum, sive earum febrium, quæ fomitem in imo ventre habent. Sed ejus argumenta vix, ac ne vix ejusdem aliquid evincunt. Credo autem, virum alioquin perspicacissimum in hujusmodi errorem incidisse, quod in regione, quam incolit, ubi febres gastricæ frequentissimæ sunt, sæpe cacochylia gastrica non modo occurrat, quod humidis, palustribusque locis commune est, verum etiam cum febribus lentis nervosis complicetur, ideoque facile adductus sit ad credendum, has quoque febres a gastrica cacochylia progenitas, id est,* gastricas *omnino esse.*

PROGNOSIS.

§. 281. Maligna, et subdola febris natura semper dubium eventum reddit. In *sporadica* et *spontanea*, si pura fuerit, vitæ periculum quidem, sed minus esse solet; majus in *epidemica*, et *contagiosa*; et maximum in *nosocomiali*, *nautica*, *aut carceraria*; itemque in illa, quæ cum putrida sanguinis dissolutione complicatur, aut a venenato miasmate originem habet. Ceterum
Signa fausta. si circa nonum, decimum, vel duodecimum a decubitu diem lingua humida fiat; si sputa uberiora fluant; si alvus leviter laxetur, aut cutis leni madore humectetur, aut alterutra auris abscessum patiatur, aut pustulæ latæ labia, aut nares occupent, sperari licet aliquam bonam cri-
Signa mala. sim. Contra si alvus immodice fluat, si sudoribus corpus veluti colliquetur, unde crebræ animi defectiones impendeant; si lingua tremit, si extrema frigent, si pulsus fluctuat, aut vermicularis est, si tendines subsiliunt, si visus, aut auditus deperditur, si excrementa invito, aut inscio ægro exeunt, jure timeri potest exitium (*a*). Eorum vero, qui subita desperatione capiuntur,

et nullis eriguntur promissis, servatum vidi neminem.

(a) BUCHAN Medec. Domest. T. 2. chap. 8.

§. 282. Speciatim sudores breves, frigidi, aut circa collum, aut caput tantum manantes, mali: pestiferum etiam est inter sudores repente inhorrescere. Dejectiones alvi moderatæ non inutiles; immodicæ, crudæ, aquosæ noxiæ; plumbeæ, et lividæ, etsi subinde desistant, periculosæ. Stupor solus, aut debilitas non semper formidanda est; nam interdum surditas in caussa est, cur ægri stupidi videantur. Maculæ rubræ, floridæ, confertæ, aut pustulæ miliares multæ, turgidæ si circa morbi statum erumpant, septima nimirum, nona, undecima, aut decima quarta, aut tardius, pro breviori aut lengiori febris cursu, non raro bonum eventum præmonstrant, in primis quando saliva multa, et copiosa expuitur, aut urinæ crassæ, et subsidentes simul prodeunt, et graviora symptomata minuuntur. Peticulæ vero nigræ, atræ, aut vibices ut gangrænulas referunt, sic subitam sanguinis corruptionem, et vitæ ingens periculum significant. Pustulæ miliares tam albæ, quam rubræ, copiosæ aut morbificæ materiæ copiam, aut regiminis calefacientis effectum ostendunt. Ne variolis quidem ipsis per regimen calidius expulsis melius habent ægrotantes; cum tamen variolæ criticæ dici possint, sive rectius morbus primarius sint, et proinde, pleniori eruptione facta, eorum saluti magis provisum esse deberet. Non male ominantur aphthæ albæ, benignæ, linguam et labia cingentes; contra vero nigræ, lividæ, ad fauces protensæ, Surditas quoque atque aurium abscessus in fine morbi si superveniant, spem aliquam faciunt; dummodo cetera respondeant. Nec rarum est, gan-

Alia signa infausta, et fausta.

græna exteriorum partium, præcipue coccygis, et natium deleteriam morbi vim extrorsum bono ægri fato depositam indicari; quod tum factum cognoscimus, cum ea apparente caput, pectusque levatur, et febris minuitur. Sed potissimum pulsus amplior, validior, æqualior; respiratio facilior, liberior, placidior; cutis mollis, tepens, universim madida; spasmorum cessatio bene sperare jubent.

CURATIO.

§. 283. Ex his facile prospicitur, neque sanguinis missionem, neque purgationem ab hujusmodi morbo per se postulari; præsertim in corporis habitu laxo, et debili præditis, aut crudo, pravo, facile putrescente victu utentibus, aut nimias evacuationes jam passis, aut mœrore, studiisque confectis, aut aerem impurum, infectumque respirantibus, ut plerique ii esse solent, qui huic febri sunt magis obnoxii. Multo minus sanguinem mitti licet in *epidemica*, *nautica*, *carceraria*, aut *nosocomiali*, aut a *putrido contagio* orta, aut sanguine ad dissolutionem jam prono. Nihilo tamen minus si plethora adsit, si vires vitæ non omnino deficiant, si ætas, habitus, anni tempus, si pulsuum magnitudo consentiant, aut demum si cum *diathesi inflammatoria sanguinis* complicetur malum, incidi vena poterit, sed id ineunte solum morbo, et parca manu fiat. Nam sæpe altera sanguinis missio, aut justo amplior prima, vires dejicit, et delirium accersit, aut jam præsens adauget. Eoque minus iteranda est, si sanguinis primo eductus livescat, parum crassamenti, postquam refrixerit, relinquat, multum vero seri turbidi, aut fusci emittat, ut plerumque evenit.

Quid de sanguinis missione decernendum.

§. 284. Tutius vero detrahitur cucurbitulis sca-

Cucurbitulæ tutiores.

rificatis, hisque multo certius levatur caput, imo ea ipsa pectoris oppressio; nec quidquam mali ab earum iteratione consequitur; quod non ita facile de venæ sectione dixeris. Cucurbitulis etiam in morbi augmento, et statu uti possumus, si delirium, aut coma urgeat. Nec carent utilitate hirudines temporibus, aut ano admotæ. Post phlebotomiam, aut aliam quamcunque sanguinis detractionem, si capitis dolor, aut vertigo non remittat, statim pone utramque aurem duo *vesicantia* applicentur, nec ab eorum usu deterreat ipsum morbi initium.

Hirudines.

Vesicantia.

§. 285. Ut virium ratio suspectam sanguinis missionem reddit, sic eadem caussa purgationi adversatur. Purgatio enim temere, et inconsulto, licet initio morbi, instituta sæpe languorem summum, animi deliquia, alvi profluvium, aliaque funesta symptomata afferre visa est. Fieri tamen potest, ut medicamento aliquo, alvum lenienti, inter initia etiam opus sit, quando nimirum saburra in primis viis turgeat, vires adhuc valeant, et nondum liquationis putridæ timor, aut suspicio locum habeat. Sed tunc cautissime, et lenissime alvus expianda est, enemate primum, deinde eccoprotico ex Rhabarbaro, aut Manna, aut Tamarindis, prudenti, et circumspecta manu dato. Id vero tum in primis opportune fit, cum febris nervosa cacochyliæ primarum viarum adjuncta est. Quam ob caussam *non sine ratione*, inquit Gorterius (*a*), *egregii in arte viri curarunt febrem lentam, seu nervosam dictam leni alvi ductione alterno die*.

Quid de purgatione sentiendum.

(*a*) Exercitat. Med. quinta de Action. Viventium particul. §. XXII. inter Opusc. varia Med. Theoretica.

Emesis præstantior.

§. 286. At alvi ductione præstantior, utiliorque est *emesis*; hæc enim minus in ejusmodi morbo naturam perturbat, quam *catharsis*; quin imo, ubi nausea, pondus, et dolor ventriculi, atque alia cacochyliæ signa adsunt, aut ex contagio, aut putridis halitibus, aut aere miasmate maligno infecto febris orta est, lene *emeticum* statim inter initia reliquis remediis antecellit. Hoc enim citissime non modo pituitosa, viscida, aut biliaris saburra, aut quidvis putridum miasma salivam, gastricosque liquores inficiens educitur, verum etiam totum vasorum Systema ita excutitur, ut quidquid lenti, et viscidi in iis stagnat, aut hæret, e loco dimoveatur, atque in circuitum remeet. Lenissime autem vomitus cietur pulvere, aut diluto radicis Ipecacuanhæ, oxymelle scillitico, aut tartaro emetico in magna aquæ copia soluto, et partitis vicibus propinato. Quivis vero vomendi conatus adjuvari debet potu aquæ tepentis, aut juris tenuioris aflatim hausti, ut facilius vomitus feratur, quousque satis materiæ rejectum videatur. Et si indicia excitandi vomitus perseverent deinceps, aut revertantur, nihilque obstare reperiatur, emeticum iterare etiam licet.

Quæ observanda in usu vesicantium.

§. 287. Antequam vero vomitus provocetur, magni interest cuncta attente considerare, an quidpiam occurrat, quod vomitionem vetet, quod ex Therapeutice generali sciri potest; vasorumque plenitudo sanguinis missione imminuta sit oportet, et vesica pone aures per cantharides excitata, ne vomitu vasa nimis turgida disrumpantur, aut lentum, viscidumque lymphæ gluten altius in interiora cerebri propellatur, nisi depleta illa prius sint, hoc vero aliorsum, extrorsumque prolectum. Absoluta sive *catharsi*, sive *emesi*, prout

res postulaverit, si alvus pigra aut clausa perstet, sollicitari tutissime poterit enemate ex lacte, saccharo, et sale subter injecto, idque tertio quoque die repeti toto morbi decursu, quotiescunque per se non respondeat.

§. 288. Cantharidum extrinsecus adhibitarum tanta utilitas est, ut ulcera pone aures per illas excitata (§. 284.) aperta servari debeant, donec discussa penitus febris sit. Itaque ubi siccari incipiunt, cantharidum pulvere iterum imposito curandum est, ut recrudescant, et renoventur. Præterea vel in ipso morbi exordio, si caput gravius occupetur, deraso occipiti emplastrum ex iisdem cantharidibus conflatum quod *vesicans* dicitur, apponi debet; nam hoc remedii genere delirinm, quod imminet, aut superventurum est, præcaveri solet. Nec inde ægri valde dolent, stupore nimium obruti. Ceterum quo magis hujusmodi ulcera inflammantur, et dolent, et pus bonum, et copiosum fundunt, eo prosperiorem eventum pollicentur, et contra. In progressu quoque cantharides locum habent cum brachiis, aut femoribus, tum suris applicitæ, ut vesicas excitent, si nempe vis vitæ nimium langueat, mens torpeat, aut imminens peticularum eruptio anxietatem, difficilem respirationem, delirium, et pectoris gravitatem, quæ peripneumoniæ metum incutit, inducat. Sed hæc symptomata a spastica potius fibrarum, nervorumque affectione, quam ab inflammatione, aut sanguinis in pulmonibus congestione pendere solet. Tunc enimvero respiratio est quidem densa, inæqualis, suspiriosa, et per vices difficilis, non vero calida, nec cum tussi conjuncta, qualem peripneumonia infert. Pulsus item spasticæ affectionis signa præbet, nam parvus, contractus, inæqualis, et celer percipitur. Quo in

Cautela in ciendo vomitu.

casu cavendum est a venæ sectione, nisi certiora inflammationis indicia præsto fuerint. Spasticas quoque hujusmodi affectiones confirmant, sanguinisque emissionem rejiciunt urinæ pallidæ, aqueæ, limpidæ, copiosæ, quæ ut plurimum hanc febrim comitantur.

§. 289. Cum igitur in hujusmodi febre vis irritabilis, et nervea potissimum torpeat, et vitalis humorum circuitus in primis circa encephalum quodammodo restitet, quid cantharidibus cuti admotis ad illam excitandam, atque ad hunc promovendum erit præstantius? quid accommodatius? Quid ad revellendum, extrorsumque avocandum expeditius? Attamen, ubi sanguis aut dissolutus jam sit, aut ad dissolutionem putridam maxime vergat, quod in primis morbo epidemice grassante, aut a putrido contagio profecto, atque ad statum progrediente evenire potissimum solet, non temere tunc cantharidibus, quæ putridam dissolutionem augerent, uti licet; nisi per antiseptica, atque acida fortiora, quæ dissolutioni huic frænum injiciunt, earum septica, et dissolvens vis contemperetur. Prudentis igitur, et circumspecti medici tantum est validum hujusmodi præsidium opportune, salubriterque adhibere.

Cautelæ circa vesicantium usum.

§. 290. Ceterum tota curationis ratio eo collineare debet, quemadmodum experientia magnorum virorum (a) docuit, ut vires oppressæ erigantur, et leni stimulo incitentur, humores diluantur, et sanguini recens, saluberque succus affundatur, qui acris, vitiatique locum subeat. Inter cardiaca, atque alexipharmaca aromatico stimulo prædita, quæ huic febri præsertim *sporadicæ*, et spontaneæ conveniunt, quia attenuant, incidunt, et blande excitant, celebrantur radix Con-

Indicationes præcipuæ, et generaliores.

Remedia illis accommodata.

trayervæ, Scordium, Ruta, Angelica, Carduus benedictus, sales volatiles Succini, Cornu Cervi, liquor Cornu Cervi succinatus. Tinctura Croci, Castorei, Succini, Camphora, Theriaca, Diascordium, confectio hyacinthina, pulvis contrayervæ compositus; aliaque his similia. Quædam etiam ex his ataxiæ nervorum, spasticisque affectionibus præclare opitulantur. Camphora id quoque emolumenti præstare creditur, ut si cum Galbano, et Silphio commisceatur, non solum egregie resolvat, verum etiam somnum conciliet, atque adeo vigilias, deliriumque avertat, aut tollat. In horum tamen omnium usu non modo ad temperiem, habitum, ætatem, sexum, regionem, aliasque circumstantes res respiciendum est, sed etiam temperamentum aliquod sit, oportet, ne nimium humores exagitentur, et calefiant, aut præmature sudores cieantur, præsertim in morbi initio, atque augmento. Ex quorum altero calores, et rubores increbrescerent; itemque peticulæ, atque exanthemata miliaria cum anxietatibus, deliriis, pectorisque oppressione consequerentur. Ex altero ob nimiam humorum jacturam, viriumque exsolutionem tremores, tendinum subsultus, horrores, syncope, sudor frigidus, et veternus essent timendi.

(a) *Vid.* Swieten *in* Boerhaav. §. 950.

§. 291. Simplicior autem medendi methodus, si unquam alibi, hic certe summopere commendanda est. Quo enim minus naturæ opus arte perturbatur, quo blandioribus, tutioribusque remediis oppugnatur malum, eo felicius, faustiusque ægri ad pristinam salutem restituuntur. Solo sero Lactis per vinum Canariense parato in potum ordinarium utuntur quidam Anglicorum non incelebres. Alii sero lactis Clarificato addunt aliquid vini Rhenani, aut pu-

Simplicissima medendi ratio hic utitur.

striaci albi, aut alterius cujusque aciduli, atque austeriusculi. Aliis placent diluta foliorum salviæ, scordii, florum sambuci, similiumque plantarum temperatiorum; decocta aliis radicis Scorzoneræ, aut Eryngii, aut Cornu Cervi, vel ptisana ex hordeo, cichoreo, gramine. Quibus aliquid adjiciunt vel vini, vel aceti, et calide potanda jubent. Dum his impletur corpus, blandus plerumque sudor subsequitur, per quem resurgunt vires vitales, et subigitur, expelliturque de corpore noxium illud sive sponte natum, sive per contagium receptum, sive epidemice vagans, atque absorptum, sive ab aere vaporibus venenatis infecto suppeditatum miasma, quod omne hoc malum fecit.

Circa potum monita.

§. 292. De his (§. 191.) igitur crebro, et liberaliter potandum est, sed non tantum tamen, et non ita abunde, quantum in febribus vehementioribus, ardentibusque, aut in peticulis ipsis, in quibus febris in primis inter initia magis exardet, et pulsus validior, et durior esse consuevit, nisi cum diathesi inflammatoria morbus complicari videatur, aut cum aliis affectionibus, quæ liberaliorem potum, atque aquosiorem exigunt. Raro aqua pura sufficit, quæ, nisi saccharo, aut succo aliquo saponaceo vegetabili acuatur, vix intime cum sanguine commisceri potest. Nec frigida, licet a multis plurimum laudetur, in hac febre danda est. Testatur enim Huxhamius, frigidam bibentes, eam reddere per urinæ vias limpidissimam, nullo modo mutatam, magno cum ipsorum detrimento. Sed hic quoque inspicere oportet et regionem, et anni tempus, et temperamentum, et consuetudinem, et reliqua, per quæ interdum frigida calidæ anteferenda sit. Frigida in primis, ubi nullæ dissoluti sanguinis no-

tæ cernuntur, fortasse minus convenit ut in *sporadica* plerumque, et spontanea; contra in *epidemica* et *contagiosa*, ubi dissolutio pene universi sanguinis plerumque occurrit, non parum utilitatis potest afferre. Jus quoque pulli tenue, aut viperinum, tam uti remedium, quam uti alimentum restaurans subinde nonnulli propinant, præsertim remittente morbo, et viribus fatiscentibus; quo nomine etiam Gelatinæ cornu Cervi, decocta, aut juscula panis, vulgo panatellæ, addito vini tantillo, aut succo mali medici, aut aurei, aut citrei commendantur; quibus alendi sæpe quidem, sed paullatim, sunt ægrotantes.

§. 293. Singularem porro considerationem varia symptomata requirunt. In primis in hac febre, ut supra narravimus, evacuationes cujuscunque generis facile excessu peccant; quas tamen comprimere res plena discriminis est, quia pessimæ inde sequuntur morbifici humoris ad interiora metastases. Si igitur moderatæ fuerint, sini; si immodicæ, compesci quidem debent, non vero penitus cohiberi. Sæpe enim sudori repente suppresso protinus succedunt horrores convulsivi, pectoris oppressio, tædium, mœror, syncope, aliaque id genus gravissima symptomata. Sic, fluxu alvi per adstringentia cohibito, nauseam, stomachi dolorem, colicos cruciatus, et deliria supervenire, certissimum est. Imo ipsa inusta per cantharides ulcera justo citius arescere, non vacat periculo. Quare nova subinde induci expedit, ne naturæ hoc utile evacuationis genus deficiat. Non enim cantharides stimuli tantum caussa prosunt, sed etiam resolutione, atque excretione pravi humoris, quam totis viribus tentandam docent pustulæ, quæ sponte in vigore, et statu morbi erumpunt, atque ulcerantur, et quo ducere opor-

De symptomatibus curandis.

teat, patefaciunt. Quas ob caussas vitetur aeris frigidi subitus appulsus, lintea, aut indusia frigida, potiones gelidæ, atque omnia quæ actu, aut potentia, ut loquuntur, nimis refrigerant, aut reprimunt.

Sudoris ratio quæ habenda.

§. 294. Itaque sudores modum excedentes, non levantes, vires prosternentes, quoniam liquationem ostendunt, prudenter compesci possunt. Nihil ad id præstantius est vino rubro aut meraco, aut aqua diluto; quo et sudores reprimuntur, et vires instaurantur, et pustularum eruptio, si ea præsens sit, promovetur. Ad hoc etiam valet Tinctura chinæ chinæ, interposita subinde Rhabarbari refracta dosi ad saburram a primis viis identidem educendam. Sic non modo sistuntur sudores, sed etiam interdum fit, ut febris ipsa, quæ sub morbi finem remittens solet evadere, distinctiores habeat accessiones, cortice deinde peruviano validius dato extirpandas. Peculiari quadam Tinctura (*), cum *Elixirii Vitrioli* guttis aliquot juxta *Pharmacopœam Londinensem*, eumdem in finem utebatur Huxhamius. Diarrhœam refrænat Theriaca Andromachi, aut Diascordium Fracastorii, aut clysmata demulcentia. Prosper Alpinus testatum facit, fluxus alvi *colliquativos*, qui febribus malignis Ægyptiorum superveniunt, tutissime compesci fructibus Berberum, atque his se ipsum curatum fuisse.

(*) Tinctura Huxhamii.

℞. Cortic. Peruvian. optim. pulv. unc. ij. Flaved. aurant. unc. ij. & sem. Rad. serpent. virgin. drachm. iij. Croci anglic. scrup. iv. Coccinell. scrup. ij. Spirit. vini un. xx. f. s. a. Infusio per tres dies, aut quatuor, deinde liquor coletur. Dos. a drachm. j. ad unc. sem. quavis quarta, sexta, aut octava hora cum decem, aut viginti guttis Elixirii Vitrioli ex vino diluto, aut aqua idonea.

§. 295. At tanta est interdum sanguinis dissolutio in hac febre, præsertim epidemica, aut a contagio orta, aut nautica, et carceraria, ut non solum nimiis quibuscunque evacuationibus caussam præbeat, verum etiam hæmorrhagias, nigras dejectiones, gangrænas, vibices, atrasque peticulas corruptionis fœtidæ indices pariat. Tunc uno ore omnes clamitant ad acidos spiritus, et præcipue vitriolicos, utpote sanguinis dissolutione *alkalescentiumque* coercentes, esse quantocius properandum, voluntque largiori manu potui admiscendos. Jure id quidem. Cum vero acidis spiritibus insit facultas irritabilitatem cordis, atque arteriarum, quæ in hujusmodi malo propemodum extinguitur, destruendi; non temere, et sine consilio audienda eorum vox est (*). Invertendum quidem principium putridum, aut alkalinum, cogendaque acidis sanguinis nimia tenuitas est, verum simul languenti irritabilitati prospiciendum; quod præstabitur si acidis adjiciantur alexipharmaca, aut antiseptica leni stimulo aromaco prædita, ut fecit HUXHAMIUS in Tinctura modo laudata, aut factum videmus in *Elixirio* vitriolico, in quo Tinctura aromatica vitrioli oleo adjuncta utramque indicationem adimplet.

Nimiæ sanguinis dissolutioni quid opponendum.

(*) *Largiorem acidorum e fossilibus usum, quem non nulli effuse laudant, dehortatur, & dilutissima tantummodo, & maxima cum circumspectione usurpanda jubet* BARTHOLOMÆUS CAMILLUS DE BOISSIEU. Memoir. sur les method. refraichissante, & echauffante p. 56.

§. 296. Ubi aphthæ totum os, imasque fauces tenent, quod circa morbi statum, aut paullo post plerumque evenit, aut ad œsophagum, ventriculum, atque intestina porriguntur, unde deglutiendi difficultas, singultus, diarrhœa, et dysenteria sæpe permanant; tunc creberrime gargarizandum

Aphthis quæ medela.

est ex aquis, quæ et molliunt, et detergunt, et vi antiseptica pollent. In his aliquid spiritus salis tam acidi, quam dulcis instillari utilissime solet, et tunc præcipue, ubi gangrænosæ, et nigræ apparent. Dandum quoque, si alvus cita eum torminibus fatiget, modicum Rhabarbari, pulvere absorbenti, atque aromatico contemperati. Interdum aphthæ acerbissime dolent, somnumque omnem, aut quietem avertunt. Si sedando dolori impar fuerit lac ore detentum, aut spiritus vitrioli ex melle rosaceo illius, aut alia hujusmodi, mihi quandoque felicissime cessit eas oblinire penicillo, quod in *saturni Balsamo* sic dicto fuerat intinctum. Quando gargarizatione utimur, post quamlibet gargarizationem indatur ori paullulum mucilaginis seminum psyllii, et cotoneorum, syrupo mororum, aut rubi idaei admixto, lenteque deglutiatur. Sic enim demulcentur, leniunturque ulcera, et citius sanescunt. Detersis etiam, purificatisque ulcusculis summopere prodest liquor Myrrhæ per deliquium, aut ejus tinctura illinita.

In suffocationis metu quid agendum. §. 297. Interdum magna pituitæ vis in faucibus congeritur citam minitans suffocationem. Quod ubi incidit, lene emeticum remedio est. Mirum enim est, quam in quovis morbis stadio prosit hujusmodi auxilium. SYDENHAMIUS eo ægros singulis momentis suffocationis periculo anxios, stupore obrutos, et spiritu fere ob fauces muco, aut viscida saliva infarctas præclusos quandoque feliciter liberavit (*a*). Non raro ægrotantes crebris lipothymiis, et languore ventriculi afficiuntur, et difficillime ad bibendum, etsi sitiant, impelli possunt, quasi hydrophobia laborarent.
Hydrophobia spuria qui cure tur. Sæpe id a cacochylia ventriculum obruente proficiscitur. Tunc dato cardiaco, multum confert

una, vel altera post hora vomitum ciere, et sic viscidam saburram e ventriculo horum Symptomatum caussam (*b*) ejicere.

(*a*) Variol. regul. an. 1667. 68. 69. Oper. p. 178.
(*b*) CAROLUS BARBEYRAC. Medicamentor. constitut. pag. 47.

§. 298. Sæpe, etsi non semper, ut jam dictum est, peticulæ, aut pustulæ miliares in augmento, aut statu morbi huic febri superveniunt. Quocunque modo eruperint, sive criticæ, sive non criticæ, id est salutares, vel non salutares, semper corrupti, et putrescentis, depravatique humoris aliquid extrorsum ferunt; eo tantum casu excepto, in quo regimen calefaciens, et remedia nimium sudorifera eas effecerint. Quando igitur naturæ, non artis effecta sunt, cavendum præsertim ab aere frigido est, et lenia porrigenda Cardiaca, ut naturæ motus, et molimen lenissime sustineatur. Si enim aut frigore extrinsecus applicito, aut deficiente cordis vi intro repellantur, lethales sæpe metastases impendent. Ubi maculæ appareant nigræ, fuscæ, lividæ, quæ gangrænulas referunt, putridamque sanguinis dissolutionem ostendunt, unde quandoque saniosæ, et sanguineæ etiam dejectiones contingunt, aut cruor e vena missus diffluat, et difficillime concrescat; tunc acidis, austerisque alexipharmacis opus est. Talia sunt *Elixirium* Vitrioli, Spiritus Sulphuris, Tinctura rosarum vitriolata, succus uvarum immaturarum, Cortex peruvianus, Radix serpentariæ Virginianæ, vinum rubrum cinnamomo, aut maci incocto, aliaque hujusmodi. Peticulæ, et Miliaria.

§. 299. Quod si casu, aut frigore, aut incauta indusiorum mutatione, aut animi pathemate Exanthemata intropulsa quid exigant.

maculæ peticulares, aut pustulæ miliares intro vertantur, atque ex eo caput, pectus, aut stomachus impetatur, delirium, convulsivi motus, spiritus difficultas, anxietas, singultus, cordis palpitatio, pulsus intermissio, aliaque teterrima symptomata sæpe oboriuntur. Protinus tum in balneum calidum pedes demitti, aut crura pannis laneis ex aqua calenti expressis involvi, et foveri, aut totum corpus fricari, aut cucurbitulis siccis cutim laxari, plurimum confert, ut iterum ad exteriora morbidus humor revocetur. Eo respiciunt etiam cantharidum brachiis, aut suris applicatio, atque epispastica plantis pedum admota. Intrinsecus vero diluta herbarum leniter diaphoreticarum, si calide sorbillentur stragulis corpore aliquanto gravioribus confecto, non parum diaphoresim, atque adeo exanthematum ad cutim propulsionem promovent. Hoc nomine in primis excellere dicuntur spiritus C. C., aut ejus liquor succinatus, serpentaria Virginiana, Camphora, et Moschus; quorum postrema nerveam etiam sensibilitatem, et spasticas affectiones sedando mira præstant. Sed Camphoram, ubi pulsus languidus, sed mollis et æqualis est; Moschum vero, ubi aliquantum durus, et tensus, docet Cl. QUARINIUS (*a*) magis convenire, quia hic nervis amicior est, et minori stimulo, quam camphora, aut minus permanenti agere reputatur. Si vero exanthematum recessio febrem accenderit vehementiorem, cum pulsu valido, magno, et duro, facie rubra, aliisque notis phlogisticis, et diathesis inflammatoria quæ aut antecessit, aut in constitutione prævalere videtur, reviviscat, ceteris omnibus præstabit parca, et cita sanguinis missio.

(*a*) Meth. med. Febr. cap. IV. p. 55.

§. 300. Interdum ægri, etiam sine exanthema-

tum ullo retrocessu, anxii fiunt, exagitantur, agrypnia, aut comate vigili tentantur. Tunc nonnulli continuo ad narcotica confugiunt. Sed prudentius se gerunt, qui in morbo, in quo cerebrum insigniter afficitur, et nervea vis aut languet, aut maxime ad languendum propendet, mitiora prius experiuntur, et quæ anodyna vocantur, quam opium habentia. Tutissima autem videntur liquor anodynus *mineralis*, camphora, moschus, emulsa ex seminibus frigidis, syrupus papaveris albi; et, si quando advalentiora transire necessitas cogat, ea seligantur, quæ opium quodammodo cicuratum continent, et leniter stimulantibus adjunctum, qualia sunt Theriaca, Diascordium Fracastorii, atque his similia. Vigiliæ quomodo occurrendum.

§. 301. Vermibus, qui frequentissime hujusce febris, præsertim cum epidemice sævit, aut cum cacochylia primarum viarum jungitur, comites, ut supra notavimus, esse possunt, prospiciendum quoque est. Hi autem, ubi in ventriculo, aut intestinis latent, symptomata omnia, uti nauseam, lipothymias, vomitum, soporem, tremores, singultum, graviora, et pertinaciora reddunt, sed præterea crebras ac repentinas vicissitudines, quæ Medicum terreant, fugaces genarum rubores, somni perturbationes, narium pruritum, tormina, colicas. alvi fluxum. palpebrarum inter dormiendum diductionem, album oculi detectum relinquentes inferunt. Frequentissimum vero mihi visum est vermium argumentum, fames insolita, qua ægri ad edendum incitantur, et subitus pavor, quo dormientes repente evigilant. Quando igitur præter hæc signa vermium etiam dejectio eorum præsentiam patefacit; quoties eccoprotica, clysteres, acida fossilia, quæ vermibus infensissima esse solent, non suffecerint; toties Quando cum vermibus complicatur, quid requitat.

anthelminthici reliquis locus dandus est, in quibus semen santonici experientia certissima comprobatum, et radix Valerianæ sylvestris palmam merentur.

Aurium abscessus, et parotides quomodo tractari debeant.

§. 302. De aurium abscessu, et parotidibus supra (§. 276.) meminimus. Aures enim non in hisce febribus dolore intus corripiuntur, suppurantur, atque abscedunt, ut ex iis magna puris vis effundatur. Quando id incidit, si morbus remittat, caput levetur, coma discutiatur, mens resipiscat, et reliqua symptomata mitigentur, expeditissimum est judicare, morbificam materiam extrorsum ferri, interioresque capitis partes liberari. Contra vero, si aurium dolor, morbo invalescente, accesserit, nec cessent gravia symptomata, imo sopor, delirium, stupor, nervorumque distentiones ingravescant, timeri tum potest, a cerebro, interioribusque partibus ad exteriores usque mali, inflammationis, suppurationisque propagatio. Quorum alterum ut plerumque salutare est, sic alterum perniciosum. In priore casu expedit dolorem lenire lacte recenti tepido sæpius injecto, et mollissimis cataplasmatis desuper impositis; deinde pus aqua hordei simplici, aut leviter mellita eluere, atque abstergere, quousque auris sanescat. Raro aliis remediis opus est; quorum tamen plenior commemoratio habebitur, ubi de otalgia, auriumque vitiis disseretur. In posteriore vero resolutio procuranda, et quoad fieri potest, interiorum partium suppuratio avertenda est iis, quibus *cephalitidi*, aut *phrenitidi* occurrendum alibi præcepimus.

Parotidum duplex genus.

§. 303. Sed frequentius in hac febre aliisque malignis, præsertim epidemicis abscessus fiunt circa aures, tumoresque, qui pone eas, aut subter

attolluntur, a parotide glandula de genere conglomeratarum nomen accipiuntur; quod supra (§. 276.) jam indicatum est. Neminem latere arbitror, parotidum duplex genus esse, primarium alterum, alterum secundarium: hocque posterius hic loci intelligendum esse. Parotis igitur secundaria, de qua hic loquimur, febribus supervenit vel per *diadochen* ut vocant, sive materiæ morbificæ a nobiliori ad ignobiliorem partem translationem, vel per *epigenesim*, sive propagationem morbi, aut novi symptomatis accessionem. Magni autem interest, primone, an secundo modo oriatur. Multiplici vero ratione parotis intumescit, ut habemus ex Pathologia. Generatim tamen tumet vel ob majorem humoris influxum, vel ejusdem lentorem, et densitatem, vel vasorum et totius compagis laxitatem, vel nervorum irritationem, vel humoris excernendi impedimentum, et ductuum excretoriorum obstructionem, aut spasmum. Nervorum autem irritatio frequentissima caussa est, quod multis in locis videtur innuere *Hippocrates* (*a*); nam nervea vis ut naturalibus secretionibus perficiendis plurimum confert, sic alterata labefactandis, vitiandisque caussam præbet. Idcirco *convulsorio modo* cum HIPPOCRATE plerasque fieri contendit PUJATUS (*b*).

(*a*) Vid. PUJAT. de Morb. Naronian. sect. 2. c. 12.
(*b*) Ibid.

§. 304. Hinc varius est parotidum exitus, nec ex Hippocraticis locis, aut aliorum scriptis quidquam certi hac super re statui potest. Ex his enim apparet, suppurationem, quam magni faciunt, et plerique exoptant, neque ad morbi judicationem necessariam esse, neque certo judicationem afferre. Nam sæpe resolutis parotidibus ægri convalescunt, et suppuratis pereunt. Communior opinio

Varius parotidum exitus.

est, exortam parotidem, si febrem et dolores mitiget, salutarem fore, contra noxiam. Sed quandoque febris, quæ antea remiserat, paullopost vehementius exardescit, periculumque, quod abiisse videbatur, revertitur. *In universum*, inquit DURETUS (*a*) *parotis sperabilem vitæ salutem non facit, quod sit abscessus ἡμίῤῥοπος, neque ἀντίῤῥοπος*, id est *affluxus dimidiati, nec morbo paris*. Cl. vero PUJATUS generatim parotides periculosas esse (*b*) prædicat, quod in eas tumentes lympha ingredi non potens ad cerebrum cum sanguine feratur, serosaque colluvie obruat, tumore deinde sic jugulares venas et fauces comprimat, ut sanguinis refluxus e capite præpediatur, spirandique, aut deglutiendi facultas cum summo vitæ discrimine fatiscat.

(*a*) In Coac. Hipp. n. 110. (*b*) L. c.

Quæ salutares, quæ noxiæ? §. 305. Ego vero, si libere quid sentio dicere liceat, putaverim in universum parotides, quæ per *diadochen* fiunt, salutiferas esse, quæ vero per *epigenesim*, et *convulsorio* modo superveniunt, aut Sympathicæ sunt (§. 303.), plerumque noxias et lethales. Experientia etiam compertum sæpe est, parotides, quæ cito, id est *intra duodecim vel viginti* horarum spatium *valde increscunt, et molles sunt instar tumoris flatulenti sive cum, sive absque inflammatione*, aut vehementem dolorem inferunt, perniciosas semper extitisse; contra eas, quæ statim ab initio duræ, atque instar tendinis rigidæ, ac oblongæ erumpunt, et paullatim augentur, et *tolerabili dolore* stipantur, salutem afferre consuevisse, *præcipue* si *accrescendo duritiem illam aliquandiu* servaverint. At, si duræ istæ parotides *circulum quemdam diversi coloris instar iridis* habeant, aut rubicundæ, lividæ aut nigræ fiant, malum indicium

præbent; veneno enim gangrænam non modo tumoris, verum etiam vicinarum partium induci signum est (*a*). Atque hinc non erit arduum cognoscere, quando parotides ad suppurationem perduci debeant, quando eæ discuti, resolvique sine vitæ periculo possint. Sine periculo quoque sponte evanescunt, ut ex Hippocratis observationibus constat, per alvos citatas, id est diarrhœam, et dysenteriam, per urinas cum sedimento crasso, per tussim cum suppuratione copiosa, et demum, ut nonnullorum experientia ostendit, per transpirationem etiam insensibilem.

Quando evanescant sine periculo.

(*a*) *Ex* Diemerbroekio Bonet. Polyalth. T. 1. l. 1. art. 9. p. 436. §. 30. 31. 32. *item* Paræus l. 21. cap. 30.

§. 306. Quam primum se attollit parotis, disquirendum est, critica ne sit, an Symptomatica? num caput, et febrim levet, an morbum novo malo graviorem faciat? Si primum, curandum est, ut malignus, noxiusque humor, qui in eam confluit, universus ibi accumuletur, coctione maturescat, et facto puri exitus cito paretur. Si alterum, utilius est, leniter resolutionem tumoris moliri, debitisque evacuationibus naturam a sarcina sublevare. Itaque simul ac tumor se prodit, duo in primis expetenda sunt, videlicet ne acerbius doleat, deinde, ut lente increscat. Quare ei admovendum est fomentum aut cataplasma, quod molliat, et dolori leniendo vi anodyna par sit, cautione adhibita, ne pondere noceat, aut pinguitudine aut glutine cutis meatus occludat. Passim anteferri solent radices Altheæ, et Liliorum alborum; quas tamen nonnulli ob mucedinem, qua scatent, quaque cutis spiracula obstruere rejiciendas existimant. Opportuniora cataplasmata, aut fomenta reputantur, ex floribus Violarum, Verbasci, Pa-

Curatio quæ in utrisque instituenda est.

paveris rhoeados, Meliloti, Sambuci, Malvæ, seminibus Lini, Papaveris albi, farina hordei, mica panis, atque aliis, quibus vis anodyna, et consopiens insit, parata. His Crocum, et Chamomillæ flores adjici interdum possunt, si resolvendi simul indicatio concurrat.

§. 307. His et dolor avertitur, et nimius humorum concursus, quo tumor cito nimis, et vehementer augescat, præcavetur. Quod si suppuratio lente procedat, promoveri ea etiam potest blando aliquo medicamento. Ceteris præstare creditur a Cl. PUJATO Emplastrum Diachylon magnum. Facto pure, tumor maturius scalpello aperiendus est (*). Aperiri etiam tumor crudus debet, si mole fauces coarctet, sanguinam e capite refluere impediat, suffocationem minetur, aut
Quomodo et quando aperienda. pestiferus humor eum gignat. Quo in casu igne potius, quam ferro aperiendum jubent complures. Sed tutius ferro id præstatur, citiusque effluente humore, quem vulnus allicit, parotis detumescit. Parato per incisionem puri exitu, quod superest crudi humoris concoquendum, digerendumque est, imposito vulneri unguento *digestivo*, et desuper adhibito aut emplastro Diachylo magno, aut cataplasmate emolliente ex iis, quæ modo memoravimus. Si valentius digerere oporteat, quod humor lentus, viscidus, frigidiorque
Apertis quænam admovenda. sit, Digestivo aliquid Mercurii dulcis adjicere plurimum confert. At, ubi puris loco ichor acer, et saniosus effluit, vulneris labia pallent, aut livent, putridusque nidor exhalans corruptionem, aut gangrænam prope esse significat, tum pulveris camphoræ aliquid indere necesse est, aut toti tumori camphoram cum gummi arabico subactam super dare, aut alia hujusmodi antiseptica, donec tumore penitus in pus converso, repurgatoque abscessus cavo vulnus coeat.

(*) *Mira sane est observatio* ECRELII, *qua ostenditur, non semper tuto parotides, etsi perfecte suppuratas aperiri. Narrat enim milites Gallos ante aliquot annos in Bohemia ob ingens frigus, immodicosque labores incidisse in febrem putridissimam, cui superveniebant abscessus pone aures, sub axillis, aliisque in partibus cum manifesta symptomatum omnium imminutione. Hos ab initio Medici ad plenam maturitatem perductos, ut criticos, aperiebant. At postea in debilitatem prolabebantur ægroti, & paullatim symptomatibus recrudescentibus plerique moriebantur intra octiduum. Ex his nonnulli, postquam in hujusmodi tumoribus fluctuans humor certo perceptus fuerat, materiam alvo, aut expuitione, aut naribus excreverunt, atque omnes fere hi servati sunt. Hinc a natura edocti medici, omissa abscessuum incisione, neque suppurationem externis remediis, neque resolutionem evacuantibus amplius moliti sunt. Verum quando abscessus ex toto maturuerant, dabant ægris purgans medicamentum ex manna, rhabarbaro, aut sale Epsomensi. Post tertiam plerumque medicamenti dosim, alvi excrementa generatim purulenta prodibant; ægre recreabantur, & abscessus minuebantur, & tandem evanescebant. Victu utebantur tenui, sine sale, & aromatibus, & potu blando, demulcente.* Vid. Comm. societ. med. & philos. Edimb. T. 1. P. 4. sect. 1. n. 111. *Si hæc vere dicuntur, ita rara tamen videntur, ut legem non sanciant. An aditu aeri aperto corruptio & gangræna promovebatur? An datis intrinsecus antisepticis, extrinsecusque adhibitis præcaveri potuit? An vere pus per nares, per os, per alvum eductum, aut potius resoluta, ut par erat, parotis, aliaque evacuatione natura levata? Nihil profecto certo de his ausim decernere.*

§. 308. **Si vero anodyna, atque emollientia (§. 306.) nihil proficiant, tumorque nimis increscat, et vehementer doleat, et multo magis, si etiam rubeat, sanguis illico mittatur. Nec plethoræ signa hic requiruntur ad sanguinis missionem, quemadmodum** GALENO (*a*) **necessaria vi-**

sa sunt, sed sufficit partis affectæ magna tensio, irritatio, et spasmus. Neque sanguinis missionem prohibent pulsuum parvitas, aut imbecillitas; nam sæpe post paucas sanguinis uncias emissas pulsus attollitur, elevatur, et validius micat. Vires quippe oppressæ tunc potius, quam exsolutæ, et deficientes videntur. Id ipsum auxilii genus cito adhibendum est, quando parotis symptomatica est, aut per epigenesim oritur, aut a spasmis imi præsertim ventris est. RIVERIUS in epidemica constitutione febris illius, quæ Monspelii anno 1623 sævissimam stragem edidit (b), adeo feliciter sanguinis missione erumpentes parotides, quæ, antequam hoc remedio uteretur, omnes ægros occidebant, repressit, ut nemo ex iis, quibus vena etiam cum pulsu languidissimo secta est, obierit. TRAVERSARIUS quoque apud LANCISIUM (c) testatur, felicissime in febribus anni 1709. ad 1711 grassantibus ad hosce infidos tumores sanguinem detractum fuisse. Cl. item PUJATUS (d) idem a se factum affirmat; imo is non tantum initio erumpentis parotidis, verum etiam in ejus augmento, et progressu sanguinem mitti posse prolatis periclitationibus ostendit. Nec aliter parotidibus erumpentibus obviam ibat clarissimus, atque expertissimus olim apud Bononienses Medicus, et Clinices Professor publicus JOSEPH AZZOGUIDIUS, qui simul ac apparebant, sanguinis missionem imperabat, nec quidquam inde detrimenti unquam vidit (*).

Quando resolvendæ.

(a) De composit. pharm. secund. loc. l. 3. cap. 2.
(b) Prax. med. lib. XVII. cap. 1. p. 354.
(c) De nox. palud. effluviis l. 2. epid. 4.
(d) De Morb. Naron. sect. 2. cap. XII. pag. 198. & seq.

(*) *Sæpe in aliorum medicorum ægris parotides obortas offendi, rarissime in iis, quibus ego medicinam feci; cum tamen triginta annorum spatio quam-*

plurimis fecerim. Hinc eo adducor, ut suspicer, parotides symptomaticas, & perniciosas, quibus sanguinis missionem profuisse legimus, ex eo natas fuisse, quod vel sanguinis missio perperam omissa sit inter initia, vel non satis sanguinis detractum ad eas avertendas. Sæpe enim parotides istæ sanguineæ, ut TRALLIANO *vocantur, sunt, & a phlogistica sanguinis diathesi, cum qua crebro malignæ febres quibusdam in constitutionibus complicantur, originem ducunt. Suspicioni meæ favet sanguinis missi consideratio. Is enim, ut* RIVERUS *ipse testatum facit, esse solet* corruptus, & putridus, *id est, ut cum nostris loquar,* inflammatorius, pleuriticus, *albo, & duro corio contectus.*

§. 309. Quantum vero sanguinis detrahi debeat, id prudentis, peritique medici est. In magna virium oppressione, aut imbecillitate tres, vel quatuor unciæ e venis brachii mitti possunt. Si his arteriarum motus reviviscat, iterari aliquot post horis sanguinis missionem licet ad eam quantitatem, quæ opportunior videatur. Si quis tamen, cunctis rite pensitatis, non audeat venam secare, hirudines tumori circum admoveat, sicque dolorem leniat, suffocationisque periculum arceat. A sanguinis missione detumescit parotis, dolor imminuitur, caput relevatur, spiritus liberior, sed non semper tumoris resolutio consequitur. Suppuratio enim, sed mitior, et melioris notæ ejus locum tenet, quod minime malum est. Quando vero nulla suppurationis futuræ signa se produnt, aut parotis symptomatica est, ut eam resolvere utilius videatur; post sanguinis missionem leniter, et sensim tam internis, quam externis remediis resolutio tentanda est, quo spectat etiam omne revulsionum genus. RIVERIUS postero a venæsectione die catharticum medicamentum propinabat. Sic enim optimo effectu non modo revellebat a superioribus partibus, sed etiam

Sanguinis mittendi quantitas.

Resolutio quibus auxiliis procuranda.

morbificæ caussæ portionem e corpore ejiciebat. Aperientibus quoque, et diureticis urinas ciere proficuum est; itemque iis uti, quæ salivam movent, expuitionemque proliciunt, et leniter gargarizare, ut glandulæ omnes in os hiantes uberiorem humorem eructent. Extrinsecus emplastrum ex cicuta, aut unguentum arthanitæ, aut sapo lacti incoctus, aliaque resolventia mitiora locum habent. Perspiratione etiam sola interdum parotides resolvuntur; et quamquam per *diadochen* ortæ sunt, si tamen lente, et paullatim evanescant, earum resolutio tum innoxia omnino deprehenditur. Contra si repente, et subito delitescant, periculum summum vitæ imminet, nisi maligna materies per auctam aliquam excretionem emandetur. Tum ubi id timeri potest, attrahentibus, et cucurbitulis impositis revocandus tumor, aut exulcerandus illico locus est, et Cantharides, ut vesicam excitent, variis locis admoveri solent, aliaque revellentia utiliter adhiberi.

Si subito retrocedant, revocanda.

In fine morbi an liceat purgare?

§. 310. In hac febre suspecta esse alvum ducentia supra monuimus (§. 285.) utpote quæ diarrhœas *colliquativas*, vix sistendas facile accersunt. Morbo tamen ad finem vergente licet intestinorum sordes blando eccoprotico medicamento, uti Rhabarbaro, Cremore Tartari, Myrobalanis, aliove simili subinde exturbare, interpositis pro re nata cardiacis, et paregoricis ut nimia alvi solutio præcaveatur. Sic enim non solum primæ viæ a recrementis morbidæ materiæ ibi depositis expurgantur, verum etiam efficitur, ut sæpe febris ab initio continens demum fiat remittens, aut intermittens periodica, quæ cortice peruviano penitus extingui possit.

§. 311. Quod ad victus rationem pertinet, hæc

ea esse debet, quæ ceteris acutis morbis convenit, sed simul reficiens vires, et restaurans. Hæc sola rite adhibita, et temporis spatium sæpe magnam curationis partem implent. Plerumque pauperiores patientia, et sola victus exquisita ratione contenti, spretis quibuscumque Medicorum pharmacis, felicius evadunt. Ad virium in primis defectum, quem malignior morbi fomes, aut nimia aliqua evacuatione affert, sedulo respicere oportet. Utendum igitur liquido, tenui, sed restaurante alimento, quod etsi respuat æger, sæpius tamen id vel renitenti quasi per vim ingeri debet. Nullibi enim magis nocet abstinentia, aut tenuissima diæta, quam in hac febre. BUCHANUS præ ceteris ad hunc finem quam maxime extollit vinum Burdigalense (vulgo *di Bordeaux*), narratque, ægros quasi pulsibus carentes, continuo delirio affectos cum extremitatibus frigidis, aliisque proximæ mortis indiciis, data quotidie istius vini vitrea lagena, quam vocant *Bottiglia*, cum sero lactis, aut cremore hordei, aut avenæ servatos fuisse non paucos (*a*). Interim quies cum animi, tum corporis, et perfecta tranquillitas imperanda. Cubiculi calor sit temperatus, novoque subinde aere admisso vetus halitibus, vaporibusque infectus emendetur. Calore enim, acrioribusque alexifarmacis, quibus nonnulli promovent, foventque sudorem, resolvitur æger, non reficitur. Tanta autem vis aeris purioris, recentisque est, ut febris nautica, carceraria, et nosocomialis, ægris e navibus, carceribus, nosocomiisve in salubrem locum transductis, mox sæpe mitescat, et facilius, citiusque curetur.

Victus ratio. Usus vini utilis. Calor moderatus. Aeris renovatio.

(*a*) Medicin. Domestiq. T. 1. chapit. 8. p. 167.

§. 312. Plures, quam opus est, a SAUVAGESIO species hujusce febris, sive *Typhi*, ut ipse vocat,

Quæ species referri soleant. propositas video. Species enim tertia, quæ *Typhus comatosus* ab eo nominatur, sive *Febris maligna cum sopore* Riverii *observ. ab Anonymo communicat obs.* 4. ad differentiam spectat *febris lentæ nervosæ ex contagio* (§. 279.), in qua calor idem semper fuit ab initio ad finem, et sexagesima demum die solutio contigit per sputa multa, et viscida. Species 2. ejusdem, sive *Typhus nervosus*; species 1., sive *Typhus carcerum*; spec. g., sive *miliaris nautica*; spec. h., sive *miliaris purpurata*; spec. 5., sive *Typhus castrensis*; spec. 6., sive *typhus ægyptiacus* a Cullenio (*a*) *Synonyma potius, quam varietates habentur*. De *Typho hysterico verminoso* Sauvagesii *spec.* 4., de *Typho exhaustorum spec.* 8., et de *Typho a Manipuera spec.* 9. id Cullenius dubitare videtur, cum de iis *non satis sibi liquere* moneat. At timeo, ne ipsemet Cullenius ad Typhos multa febrium genera, quæ a *Typho* maxime distant, ibi retulerit, sicque in idem vitium inciderit. Exemplo sit *Febris pestilens hectica* Foresti *l. VI. obs.* 32., quæ nequaquam *Typhi* species est, cum, ni valde fallor, manifestissime descriptionem ejus legenti pateat, *Febrem gastricam malignam* eam fuisse a qua continuitas continens, soporque, quæ *Typhi* propria sunt, omnino aberant. Reliquarum febrium, perperam pro Typhis habitarum discrimina, partim ex iis, quæ hactenus posuimus, partim ex iis, quæ deinceps dicentur, ut spero, elucescent.

Cullenii error notatur.

(*a*) Gen. morb. Cl. 1. sect. 2. Gen. V.

FEBRIS HECTICA (*).

Hecticæ definitio. §. 313. Febris *hectica* sic appellatur, quia totus corporis habitus in ea laborare a Veteribus credebatur. A calore enim præter naturam in so-

lidis partibus accenso, atque assidue in iis inhærente eam gigni, olim putatum est. Febriculæ autem quoddam genus est, continentis naturam servans; sensim, et sine notabili virium jactura, et cum exigua pulsus frequentia diutissime perdurans, a pastu aliquantulum recrudescens, et maciem corpori summam demum inducere solitum. Hinc *habitualis* etiam a quibusdam, aut *lenta* nominatur. Distingui solet in *primariam*, quæ sponte sine alio malo præcedente exoritur, et in *secundariam*, cui occasionem, et genesim præcedens alius morbus præbuit, itemque in *symptomaticam*, quæ alterius morbi præsentis veluti effectus, aut symptoma est. *Primaria* sive *essentialis*, sive *hectica simplex*, ut alii loquuntur, adeo raro occurrit, ut dubitari possit, an unquam existat. Quam ob rem non defuerunt, qui eam prorsus negarint (*a*). Ego, ut verum fatear, in toto meæ praxeos curriculo non memini hecticam hujusmodi uspiam vidisse; neque vidit Cl. CULLENIUS (*b*), cui hectica *semper symptomatica* esse videtur, vel saltem plerumque talis, ut conjicit ex variis speciebus, quas hoc morbi genere (*c*) complexus est SAUVAGESIUS. (**) At *symptomaticæ*, quæcunque fuerint, ad *lentas remittentes*, amphemerinas, sæpe anomalas, atque inæquales spectant, proindeque nullo modo pro veris hecticis, quæ continentium in modum procedunt, haberi possunt. Primaria et Symptomatica.

(*) SYNONYMA

Hectica primæ, & secundæ speciei GALENI, De differ. febr. l. 1. cap. 8. & omnium GALENICORUM. Febrium lentarum prima species, hectica dicta LUDWIGII comm. Lips. vol. 7. part. 3. p. 450. Febris lenta JUNCKERI, Conspect. Med. Theor. Pract. Tab. 69. & HOFFMANN. Med. Ration. Systemat. T. IV. sect. 2. chap. 13. §. 2. *N.B.* HOFFMANNUS, & JUNCKERUS a febribus lentis, *quæ apud ipsos non aliæ sunt quam*

nostræ hecticæ primariæ, *segregant* hecticas *sic ab ipsis dictas, utpote* magis symptomaticas, & gravioribus ulcerationibus, vomicis, abscessibus, & viscerum corruptionibus *supervenientes; sive quod idem est,* hecticis primariis lentarum *nomen,* symptomaticis hecticarum *tribuunt.* Febris habitualis, *sive* hectica Jo. RAYM. FORTIS de febrib. & morb. Mulier. pag. 551. Hectica καθ᾽ἕξιν juxta habitum, seu habitualis BELLINII, de febrib. pag. 165. op. T. 1. *sive* P. 1. edit. Venet.

(a) Vid. PIENS P. 2. de febrib. p. 49. *&* ETMULL. Oper. omn. P. 1. p. 367.

(b) Gen. Morb. cl. 1. ord. 1. sect. 2. Gen. VI.

(c) Nosolog. method. cl. 2. ord. 1. Gen. V.

(**) Species hecticarum SAUVAGESII *sunt Hectica,* chlorotica, syphilitica, scrophulosa, a calculis, ab hydropibus, a vermibus, cachectica, a fluxibus &c. *quæ omnes, ut patet,* symptomaticæ *plane sunt, & præterea* exacerbantes, *sive remittentes. Quam vero* infantilem (spec. 1.) *vocat, eam cum charactere careat, vel* rachitica, *vel* scrophulosa, *vel* verminosa, *vel* mesenterica, *vel aliorum morborum symptoma* CULLENIO, *mihique videtur.* Symptomatica *pariter sine dubio est, quæ phthisim, ulcera, abscessus, fistulas, scabiem, similesque morbos subsequitur.* Hectica vespertina (spec. 2.) *vix pro morbo haberi potest, neque hecticis accenseri, quia continuitas æqualis, quæ hecticæ propria est, in ea desideratur.* De hectica lymphatica (spec. 12.), *&* nervea (spec. 13.) *non liquere sibi ait* CULLENIUS, *& si liqueret, nemo tamen dixerit,* hecticas primarias *eas esse, cum omnes* lentæ *quidem, sed* amphemerinæ *videantur.*

Hecticæ primariæ descriptio.

§. 314. Attamen, cum GALENUS (*a*) *Hecticam primariam* commemoret, nec *secundariæ* mentionem omittat, cumque ETTMULLERUS (*b*) illam a clinicis observatam interdum esse asseveret, aliique complures agnoscant; non hic prætermittam ejus descriptionem, qualem ab iis traditam invenio, secundum graduum, qui in ea considerari solent, diversitatem. In tres autem gradus divi-

Tres ejus gradus. Hectica primi gradus.

ditur. In primo gradu calor est valde mitis, et ne ipsis quidem ægris molestus; pulsus moderate celer, et frequens, sed æqualis, et plerumque duriusculus; urinæ non multum a naturalibus alienæ. At calor, qui primo attactu mitis videtur, manu diutius, diligentiusque exploratus acer, et mordax percipitur, magis præcipue circa arterias, et volas manuum, quam alibi. Fereque proprium, atque inseparabile signum habetur caloris hujus, crebritatisque pulsuum a pastu incrementum, nullo horrore, aut frigore, aut alio indicio præcedente, quod novam febris accessionem præmonstret. Ut vero certius discernatur, an a pastu febris tantum invalescat, aut vera accessio sit, quæ casu in eam horam incidat, mutandum est cibi sumendi tempus, isque dandus ægrotanti procul ab eo tempore, quo dari consueverat. Nam si hectica vere fuerit, exacta una, vel altera hora increscet calor, et pulsuum celeritas; id est anticipabit, vel cunctabitur hujusmodi incrementum, prout ante, vel post cibus sumptus fuerit. Caloris autem augmentum istud, quoniam ab externa hujusmodi caussa profluit, et brevi deinde conquiescit, non videtur continuitatem continentem, quæ febris hujus præcipua nota est, immutare, ita ut ad febres remittentes transferri debeat.

(a) De diff. febr. l. 1. cap. 8. *ubi hæc habentur :* Quæ igitur febres hecticæ appellantur duplici via ortum habent, magna quidem ex parte ex ardentibus (*imo ephemeris, quotidianis, aliisque, ut alibi* (§. 204. 242. &c.) *memoravimus*) febribus, quæ tantum protrahuntur, ut longitudine temporis humorem in corpore cordis contentum consumant: vel fieri potest, ut ejus adhuc magna portio reservetur. Illæ vero non tantum hecticæ sunt, sed tabidæ etiam. Quæ autem manente adhuc humiditate generantur, ubi cordis corpus occupaverint, hinc maxi-

me accenduntur, quemadmodum lucernæ flamma ex ellychnio. Atque una quidem a nobis exposita est earum febrium generatio. Reliqua autem est, quum statim ab initio invaserint similem primum sui ortum ephemeris facientes, aut ex tristitia, aut ira, aut lassitudine nimia una cum solis fervore contracta.

Secundi gradus. §. 315. Sed difficilius cognoscitur in primo, quam in secundo ejus gradu. In hoc manifestior fit cutis ardor, aut calor; vires sensibilius minuuntur; corpus magis macrescit, nihilque ab alimentis reficitur; urinæ prodeunt rubicundæ, sedimentum dimittunt, sursum efferunt cuticulam cærulescentem, aut oleosam ob fusam pinguedinem, quæ per renes cum sero sanguinis elabitur, et lotio deinde supernatat. In tertio gradu corpus contabescit totum, et tanta macie extenuatur, ut ossa ubique promineant; squallet facies; tempora collabuntur; capilli defluunt; oculi incavantur, et quasi defixi hærent; nares acuminantur; cutis universa exasperatur, atque arescit. Tum hectica, quia humiditas omnis consumpta videtur, *marasmodes* GALENO (a) est. His interdum sudores colliquantes, in primis circa caput, et collum, nocturno potissimum tempore, alvique fluxus putridi accedunt, quibus vitæ reliquum extinguitur. Sed primaria, et propria signa habentur calor ab omni pastu post aliquot horas auctus, extenuatio corporis lenta, et pulsus celer parvus, frequens, debilis, et subinde durus. Quæ ubi concurrunt, hecticam jam adesse, aut imminere certo significant. Genarum autem rubores, aliaque, de quibus mentionem faciunt in hecticæ historia scriptores, symptomaticæ, et phthisicæ magis propria sunt.

Tertii gradus.

(a) Loc. cit.

§. 316. Hectica porro (§. 314.) isthæc inter-

noscitur a *symptomaticis*, reliquisque *secundariis*, quod hæc vel ab organico alicujus partis vitio, uti pulmonum, hepatis, lienis, pancreatis, omenti, renum, uteri, ventriculi, intestinorum, aut mesenterii, aliarumve partium, etiam exteriorum ulceribus, vomicis, abscessibus, fistulis, tumoribus, strumis, scirrhis, cancris, obstructionibus, vel ab aliqua peculiari corporis et sanguinis labe, uti scorbuto, lue venerea, cachexia, chlorosi, aliisque cacochymiæ generibus ortum ducunt, accessionibusque vagis, atque erraticis inæqualiter exacerbantur, et conjunctas habent horumce morborum, aut affectionum notas. Differt præterea a febribus colliquativis reliquis primariis, quod illæ *acutæ* et *vehementes* sint, non *lentæ*, quod citissime incipiant, atque invalescant, et breviore tempore suum cursum absolvant; et demum quod macies solum post ingentes evacuationes ægrotantem occupet; dum contra in hectica principium obscurum est, et longum, mitis, et parva febris, diuturna duratio, et macies etiam sine notabili evacuationum excessu. Toto autem cœlo discrepat ab atrophia, aut Tabe nervosa, de qua alibi, quod in hac sine febri corpus marcescit.

Signa hecticæ secundariæ.

Quomodo discrimen appareat inter febres colliquativas et hecticas.

Quo differat atrophia?

§. 317. Quid de hujusce febris proxima caussa senserint Veteres, alibi (§§. 313. et 314.) exposuimus. A veteribus non longe discedit BELLINIUS (*a*), cui videtur esse *intemperies calida, et sicca partium solidarum, humiditatem ipsarum roridam, vel substantiam carnosam, et adiposam, vel membranosam, et fibrosam* pro triplici ejus gradu absumens. Dubium tamen est, num calor iste præter naturam, et siccitas caussa sit febris hecticæ, an effectus? Utrumque enim esse posse, pro rerum diversitate crediderim. Nam et sanguis phlogisto onustus atque acer calorem, et febricu-

Caussa proxima.

lam movere potest, et febricula ipsa calorem acrimoniæ extricare, atque evolvere. Quibus veterum loquendi ratio non probatur, *dyscrasiam sanguinis acido-salsam*, *et acrem* cum nimio ejus lentore *conjunctam* accusant (*b*); alii *acrimoniam alkalinam*, et *rancidam* sæpe in hac febri reperiri, ex phænomenis, quæ eam comitantur, conjiciunt, *sive illa sit* ejus *caussa*, *sive sit effectus* (*c*). In universum omnes in eo conveniunt, ut eam a sanguine, et lympha acri procreari (*d*) putent. FRID. vero HOFFMANNUS ut in hecticis symptomaticis *humorem quemdam corruptum*, *et putridum*, *qui temperatæ*, *et naturali sanguinis et humorum vitalium mixtioni penitus est adversus*, peccare, sic in primariis, quas ipse *lentas* nuncupat, variam esse originis caussam existimat (*e*), cum experientia compertum sit, ex plurimis manifestis, sive procatarcticis caussis non parum inter se diversis eam exoriri. Fatendum tamen est, per eas omnes, ut ex earum proxima recensione apparebit, sanguinem blanda, et naturali sua indole, et mixtione privari.

(*a*) De Febrib. mihi pag. 162.
(*b*) ETTMULL. Oper. T. 2. P. 1. pag. 368.
(*c*) SCHACHT Instit. Med. Pract. cap. VI. §. V.
(*d*) LUDWIG. Comm. Lips. vol. VII. P. 3. p. 456. &c.
(*e*) Med. Rat. Syst. sect. 2. cap. XIII. §. 3. 4. & 5.

Caussæ antecedentes.

§. 358. Antecedentes igitur, et procatarcticæ caussæ calorem hujusmodi hecticum inferunt, vel quod *plurimum substantiæ in partibus solidis* absumunt, vel quod *maximum calorem* excitant, vel quod *utrumque præstare possunt* (*a*), vel quod in corpore aliquid retinent, quod excerni, ne noceret, debuisset. Tales sunt diuturnæ, atque insignes evacuationes, diarrhœa, dysenteria, diabetes, ptyalismus, gonorrhœa, fluor albus, se-

minis nimia et frequens profusio, sudores immodici, copiosiora sanguinis per uterum, anum, nares, aliasve partes profluvia; fames; assidui labores; exercitationes nimiæ; vigiliæ; animi curæ; lucubrationes; studiorum intemperantia; febres ardentes, acutæ, contumaces intermittentes, aliæque quævis continuæ; variolæ; morbilli; evacuationes criticæ, aut consuetæ deficientes, retentæ, aut improvide cohibitæ; et demum habitus corporis calidior, et siccior; aeris, et regionis constitutio calida, et sicca; liquorum inebriantium, aut alimentorum acrium, et calefacientium abusus; melancholicæ affectiones; nostalgia; furor; amor. His accenseri quoque debet mala ciborum digestio, ut frequentissima hujusce febris caussa, nervorumque nimia debilitas, quibus ciborum coctio, chylificationisque perfectio aut chyli in succum dulcem, atque albilem conversio, aut hujus assimilatio, atque appositio impeditur (*b*).

(*a*) Bellin. *l.* c. (*b*) Vid. Hoffman. l. c.

PROGNOSIS.

§. 319. Omnis hectica febris per se valde diuturna est, et difficilis curationis, et plerumque post lentam, longamque consumptionem morte finitur. Generatim *primaria*, sive *spontanea*, ex perverso sex rerum non naturalium usu in primis genita, nondum inveterata, corpore bene constituto, minus periculi habet. *Secundaria* (§.313.) ardentibus, diuturnis, aut aliis acutis febribus succedens difficilior curatu, et periculosior passim censetur; non ita vero, quæ hæmorrhagiis, aliisque evacuationibus nimiis ex caussa evidenti natis ortum debet; nam facilius arte discutitur. *Symptomatica* demum, si ab alicujus visceris ul-

cere, aut alio incurabili vitio dependeat, omnium difficillime superatur, excepta ea, quæ lui venereæ, scorbuto, cachexiæ, similibusque humorum tantum vitiis supervenit, cujus interdum curatio possibilis perhibetur. Præterea primus hecticæ gradus spem aliquam facit; alter plus difficultatis exhibet; tertius plane lethalis est. Ætas quoque variam prognosim suppeditat. Juniores, visceribus sanis, et firmis præditi, ceteris paribus, facilius; adulti difficilius, et serius; senes, quocumque modo se habeant, fere nunquam (*a*) evadunt. Non raro *hectica primaria* in phthisim pulmonarem, aliosque viscerum morbos terminatur. Pedum, et crurum œdemata, quæ proveclioris malo sæpe adveniunt, conclamatum esse de ægri salute, passim indicare creduntur. Funestior item hectica est iis qui temperamento, et habitu calidiore, siccioreque donantur, quam humidioribus, torosioribusque.

(*a*) Ettmull. l. c.

CURATIO.

§. 320. Quam primum ad hecticam curandam aggredimur, dispicere oportet, num *symptomatica* sit, an vero *spontanea* et *primaria*, aut *secundaria*. In symptomatica, ut patet, morbo principi, cujus symptoma est, omnis curatio adhibenda est, et pro ejus diversitate varianda, prout alibi opportune dicetur, cum de morbis, quibus lenta febris accedit, sermo erit. In *spontanea*, sive *primaria*, itemque in *secundaria simplici* generatim nimius calor temperandus est, acrimonia quævis obtundenda, aut emendanda, lentor humorum, si quis est, diluendus, solidarum partium siccitas humectanda, exsuccum, macrescensque corpus idoneo alimento restaurandum, debi-

Indicationes generales.

le, et laxum firmandum, omnisque cruditas a læsa coctione ciborum avertenda. Quare ut opportune hæc fiant, ad caussas respicere oportet, a quibus febris inducta est, et pro earum ratione aliud, atque aliud medendi genus adhiberi opus est. Itaque si nimiæ evacuationes corpus exhauserint (§. 318.) humoresque non solum inopia, verum etiam acritate laborent, cibis eupeptis, et remediis nutrientibus parca manu, sed crebro datis, atque acrimoniæ peculiari adversis uti convenientissimum est. In his jura carnium tenuiora, atque ova sorbilia, sed in primis lac asininum, deinde vaccinum excellunt. In lactis vero usu probe curandum est, ut primæ viæ liberæ et puræ sint, ut acida omnia exulent, ut e mammis recens eductum sumatur, ut a parva quantitate initium ejus fiat, paullatimque augeatur, carnes vitentur, et præter lac vix aliud alimentum præbeatur. Si lac nequaquam feratur, ei substitui possunt cremores oryzæ, aut avenæ, aut hordei, jura ranarum, testudinum nemorensium, cancrorum fluviatilium, viperarum, emulsa ex amygdalis dulcibus, et similia. Quoniam vero sæpe ex nimiis evacuationibus viscera, et reliquæ solidæ partes enervantur, idcirco intermiscenda nutrientibns subinde ea sunt, quæ leniter roborant, et firmant. Paullatim vero ciborum quantitatem augeri necesse est.

Curatio hecticæ a nimiis evacuationibus.

§. 321. Quod si exercitationes immodicæ, curæ, vigiliæ, inedia, aut febrium acutarum ardor humores difflarint, ignis vim auxerint, acrimoniamque calidam, sive *alkalescentem* invexerint; tum serum lactis; decocta cichorei, avenæ, hordei, acetosæ; succi vegetabilium acidorum, aut acescentium; spiritus vitrioli potibus ad gratam aciditatem instillatus; balnea aquæ dulcis tepida

Curatio hecticæ a motu nimio, et calida acrimonia.

(nam nihil aqua ad phlogiston contemperandum, trahendumque præstantius); blandæ post balnea illinitiones, ut nimia perspiratio, aut sudor coerceatur; rusticanus aer, ad humidum quodammodo vergens, et purus; victus humidus, et refrigerans præcipue indicantur. Ubi morbus a suppressis consuetis evacuationibus, aut a retenta, aut cohibita critica materie originem duxit, illæ omni cura revocentur; hæc contemperetur, atque ad excretionem proliciatur. Quo spectant diluentia, edulcantia, aperientia, et leniter diaphoretica, uti sunt ptisanæ, decocta, et jura purificantia vulgo dicta.

Hecticæ a suppressis evacuationibus.

§. 322. Cum vero a dyspepsia, sive mala alimentorum coctione, sordibusque primarum viarum, quod frequentissimum est, hectica gignitur, aut febribus intermittentibus diuturnioribus succedit, tunc plus emolumenti affert emesis, et blanda alvi ductio, subinde iterata, quam sexcenta alia. Post purgationem per epicrasim institutam amaricantia stomachica, et roborantia conveniunt, uti infusa, aut decocta radicum taraxaci, cichorei, valerianæ sylvestris, herbæ absynthii, agrimoniæ, centaurei minoris, corticum aurantiorum, cascarillæ, quassissi, chinæ chinæ, quibus demum adjici aliquid potest ferri, aut chalybis, aut aliqua ex eo mitissima præparatio, quale est *specificum stomachicum* POTERII, etsi hodie, sed immerito, fere oblivioni traditum sit. Aquæ item acidulæ, ferratæ dictæ, uti Spadanæ, Pyrmontanæ, Recobarienses, Mauritianæ, aliæque similes parva, et continuata diu copia sumptæ mira hoc in casu præstant.

Hecticæ a læsa chylosi.

§. 323. Celebre olim fuit *Antihecticum* POTERII, quo bis in die cum conserva rosarum rubra-

rum dato non paucæ hecticæ febres cum phthiseos pulmonaris suspicione curatæ feliciter dicuntur (*a*); nec fortasse omnino contemnendum remedium est. Non desunt etiam qui ad calorem hecticum extinguendum, lymphæque acritates mitigandas saccharum saturni, variasque ex plumbo tincturas extollunt. Sed saturnina quævis noxia, et venefica a prudentioribus reputantur. Sanguinis quoque missionem plerique rejiciunt, nec injuria. Interdum tamen inter initia, morbo non adhuc adulto, viribus constantibus, pulsu duro, validoque existente, in sanguineis, habitioribusque ægrotantibus, quibus præsertim evacuatio aliqua consueta defecerit, aut sanguis vehementius ferveat, eo, dummodo parciore manu, et potius iteratis vicibus instituatur, opportunissima ad jugulandum veluti in ipso initio morbum esse poterit. Quod si hectica jam ad tertium gradum pervenerit, nullaque fere spes supersit, *palliativa*, ut ajunt, *cura* utendum dumtaxat est, symptomatibusque, quoad fieri potest, rite, prudenterque obsistendum.

(*a*) Petr. Poter. insign. curat. & simul observat. cent. I. cap. XXIII. cent. III. cap. XIX. cap. XX. cap. LXXVIII. cap. LXXXIII.



DE FEBRIBUS CONTINUIS REMITTENTIBUS.

§. 324. Medium quasi locum inter febres *intermittentes* (§. 64.) et *continuas continentes* (§. 194.) obtinent *continuæ remittentes*, cum neque ullum integritatis intervallum habeant, neque una, et continua accessione, sed ex pluribus et manifestioribus, quam in *continuis continentibus* esse solent, veluti compositæ decurrunt, donec ad finem, perfectamque solutionem perveniant. Statis enim quibusdam temporibus, et certis intervallis exacerbantur, et novas quasdam accessiones subeunt, iterumque post aliquot horas paullatim remittunt se se, et pacatiores factæ mitescunt; qua alterna incrementi, et decrementi vicissitudine sua stadia prosequuntur, quin tamen vacuum spatium inter hujusmodi circuitus relinquatur ullum. Hinc *compositæ* a quibusdam vocantur, ab aliis *continuæ proportionales*, aut *continuæ periodicæ*, quod circuitus obeant periodis intermittentium similes, aut etiam *continuæ in specie* (*a*), a Græcis vero συνεχέες, et συνεχεῖς, Mortoni (*b*) placuit eas *continentes* nominare, alia prorsus vocis usurpatione, quam communiter ab aliis accipi soleat. At æquiori jure a plerisque *Remittentes* dicuntur.

Synechees et Synecheis.

(*a*) Sennert. de Febrib. l. 2. c. 13.
(*b*) Oper. T. 2. De Febrib. exercit. 2. c. 5.

Differentiæ.

§. 325. Præcipuæ earum differentiæ ab excandescendi modo, et periodo desumuntur. Hinc

aliæ *quotidianæ*, aliæ *tertianæ*, aut *quartanæ continuæ*; tam *simplices*, quam *duplices*, *triplicesque*, aut *continuæ erraticæ*, *et vagæ*. Nonnulli ad *Remittentium* ordinem revocant *subcontinuas* (§§. 69. 71.) et *subintrantes* (§. 71.) TORTII, itemque eas, quæ ex continua, ac intermittenti, aut ex continuis varii generis una implicitis coalescunt; quæque rectius, aptiusque a nobis, aliisque *proportionatæ* appellantur. Quia autem de *subcontinuis*, et *subintrantibus veris*, quæ origine, aut natura ad *intermittentes* plane pertinent, alibi jam actum est, et quia *proportionatas*, sive *complicatas*, et *complexas* a reliquis secernere, et peculiari tractatione comprehendere consultius, opportuniusque nobis visum est; ideo hic solum de legitimis *Remittentibus*, proprieque dictis sermonem habebimus.

§. 326. Etenim *veræ remittentes* natura sua, et prope insita vi, vel ab ipsomet exordio, continuæ sunt, et quoddam veluti *continentium spuriarum*, ut nonnulli opinantur, genus constituunt. Nam in his singulæ accessiones, præsertim si hybernum tempus sit, se se produnt majore corporis æstu, et calore; proclivitate in somnum, capitis dolore, aut saltem gravitate, coloratiore facie, et pulsu sensim pleniore, et vehementiore facto: remissiones vero obscurius omnino fiunt, cum in ipsis pulsus parum subsidant, parumque caloris gradus minuatur, nullus sudor, aut vix sensibilis, et nulla alia boni ominis excretio subsequatur. Contra *subcontinuæ*, atque eæ, quæ ob anticipantes accessus, et longiores circuitus *subintrantes*, ut vocantur, evadunt, ab initio saltem intermittunt, manifestiora tum ingressus, tum remissionis præbent indicia, et sudore, urinaque vel copiosa, vel late-

Comparantur remittentes cum aliis similibus.

ritia emissa mitescunt, neque aliam curationem exigunt, quam quæ *veris intermittentibus*, a quibus permanant, accommodata est. *Proportionatæ* demum differunt a *Remittentibus* ex eo, quod constantiorem, majoremque continuitatis, et magnitudinis gradum habent, quam *subcontinuæ*, et *subintrantes*, et simul tamen manifestiorem quamdam periodi rationem offerunt, quam simpliciter *remittentes*. Præterea *remittentes* matutinis plerumque horis ab intensione sua solent laxari, et mitescere, et pomeridianis, aut circa vesperam tantummodo exasperari, et invalescere: quod non adeo fixum, ratumque est in *subcontinuis*, *subintrantibus*, et *proportionatis*; quia harum circuitus non uno, sed alio, atque alio tempore recurrunt.

Caussæ. §. 327. Caussa, ut ajunt, materialis harum febrium fere eadem videtur, ac *continentium*, sed aliquo modo parcior, aut inæqualior, ita ut nec tanta, nec talis sit, quæ ad eundem febrilem motum pari vi, atque uniformi vigore sustinendum valeat; sive id fiat originis loco, et sede, sive in sanguinem influendi ratione, sive successiva, et periodica ejus evaporatione, sive quocunque alio modo se habeat. Non dissimulavero tamen, quosdam esse, qui contra persuasum sibi habent, caussam ejusmodi natura ipsa nonnihil accedere ad eam, a qua febres intermittentes gignuntur; eo quod *Remittentes* interdum, postquam aliquandiu se protriverint, continuitatem amittere, et sensim *intermittentes* fieri observarint. Verum quando sic permutantur, probabilius videtur, eas *proportionatas* potius fuisse, quam *remittentes* simplices, et puras; cum hæ nunquam fortasse in veras intermissiones desinere visæ sint, aut si intermittentibus similes paullatim fiant, cortici tamen peruviano pertinaciter reluctantur, quod ve-

ræ intermittentes haud facerent; atque ideo inter utramque caussam proximam, materialemque discrimen non leve intercedere.

§. 328. Itaque verosimillimum est, vel a primarum viarum saburra, vel a succis earumdem depravatis, vel a glandulis conglobatis, totoque vasorum lymphaticorum systemate, vel a cellularis telæ loculis aliquid subinde, et statis temporibus in sanguinem infundi, unde hæ febres non modo excitentur, verum etiam foveantur, et novis veluti accessionibus identidem recrudescant. Pro vario porro caussarum remotarum, quas deinceps opportune recensebimus, genere, atque ingenio, pro diverso ætatis, temperamenti, habitus corporis, aliarumque circumstantiarum ratione, aut concursu *benignæ*, vel *malignæ*; *puræ*, *simplices*, *periodicæ*, *regulares*, vel *anomalæ*, *erraticæ*, et *complicatæ*; *mitiores*, vel *graviores*; *gastricæ*, vel *venosæ*; *biliosæ*, vel *sanguineæ*; *putridæ*, vel *inflammatoriæ*, vel *lymphaticæ*, et *catarrhales*, vel multifariam *mixtæ* (*) esse possunt; quas quidem nequaquam omnes pertractare animus nobis est, nam infinitus propemodum numerus nos obrueret, si singulas ad caussarum omne genus, omnemque sanguinis, et corporis constitutionem expendere, et describere vellemus: sed ex his præcipua et frequentiora genera adducere contenti erimus, ut ad reliqua cum distinguenda, tum curanda planior quodammodo via aperiatur.

Conjecturæ.

Differentiæ.

(*) *Prætermittere hic nequeo*, Clariss. BUCHANIUM (Medic. domest. T. 2. chap. XI. p. 215.) *verba fecisse de* febre remittente, *uti ipsa esset genus quoddam peculiare, non classis. Sed videtur varias species una simul confudisse, aut saltem* proportionatam, *quam indicavi, præcipue delineasse; quod luculentius ostendam, cum de* febribus proportionatis, *sive* complicatis *speciatim dicendi erit locus.*

FEBRES QUOTIDIANÆ CONTINUÆ.

Et primum

QUOTIDIANA CONTINUA VETERUM (*).

Descriptio. §. 329. Quotidiana continua, Barbaris *latica* etiam dicta, quod latentem et quasi absconditum calorem foveat, singulis diebus, ut par est, recrudescit, et se se remittit; numquam vero aliquam inter quaslibet accessiones, quæ gradu, modo, hora sibi quam maxime affines esse consueverunt, integritatem relinquit, nisi morbo penitus devicto. Phlegmaticos, senes, pueros, infantes, et fœminas humidiores affligit, et præ ceteris homines corripit otio, crapulæ, longiori somno, aut victui duro, crudiorique deditos, aut loca humida incolentes, aut obeso, pituitosoque corporis habitu præditos. Quo fortasse factum est, ut Veteres eam a pituita in sanguine accumulata et putrescente proficisci putaverint, ideoque febrem *pituitosam*, aut *phlegmaticam* illorum complures appellaverint. Nec ab horum sententia valde discrepare videntur neoterici scriptores, qui ejus caussam in mucosa, viscidaque colluvie primas vias æque ac reliquum corpus obruente, atque acritudinis, aut corruptionis gradum quemdam adepta posuerunt. Hinc quidquid seri, et lymphæ copiam, lentorem, tenacitatem augere; fibris vero laxitatem, atque atoniam inducere, aut aqueorum humorum motum retardare potest, id omne caussæ remotæ, et proegumenæ loco habere non dubitant; cujusmodi sunt ætas in primis senilis, temperamentum phlegmaticum, tempus

Caussa materialis.

hiemale, suppressa perspirabilis humoris, aut pituitosi cujusque excretio, victus ratio humida, et frigida, atque alia hujusce generis.

(*) SYNONYMA

Quotidiana continua SENNERTI, de Febrib. lib. 2. cap. 14. & plerorumque. Febris phlegmatica periodica AVICENNÆ, de Febrib. cap. 46. Febris phlegmatica, vel amphimerina, vel quotidiana continua NICOLAI NICOLI, de Febrib. Quotidiana continua in specie ETTMULLERI, oper. T. 2. Colleg. Pract. p. 357. Febris lymphatica primaria ETTMULLERI Colleg. Consultat. cas. XXXI. p. 1459. (*) Amphimerina SAUVAGESII, Nosol. method. cl. 2. ord. 2. Gen. IV.

(*) *Lymphaticas primarias duplicis generis habet* ETTMULLERUS, *alteras nimirum sine præcedente ullo morbo, & sponte ortas, alteras, quæ convalescentibus, & speciatim iis, qui febribus intermittentibus diu laborarunt, ob pleniorem cibum, quo se repleverunt, superveniunt. Utræque quotidianæ continuæ veterum persimiles sunt, atque a lympha viscida, & ut ipse ait, acida repetuntur; sive quod idem est, a succis lentis, crudis, male elaboratis, nempe pituitosis; eodemque curationis genere tolluntur.*

DIAGNOSIS.

§. 330. Præter caloris, et febris continuitatem, et præter manifestas intensionis plerumque circa vespertinum, remissionis vero circa matutinum tempus vissicitudines, id habet peculiare, et proprium *Quotidiana continua*, ut sine frigore, et horrore invalescat, et sine ullo pariter sudore remittat; quam ob rem facile a *subcontinuis*, a *subintrantibus*, aut etiam a quibusdam *proportionatis* distinguitur. Et, si quando aliquis frigoris sensus in accessionibus, aut sudor in remissionibus, percipitur, levissimus sane uterque est, sic, ut alter levissimæ pedum perfrigerationi, aut

auræ frigidiusculæ cutim occupanti; alter madori, quo caput, aut collum, aut aliqua singularis pars humescit, persimilis potius sit; nec in singulis deprehendatur. Calor in ea primo attactui se mitem ostendit, sed paullo post, manu diutius corporis applicita, acriusculum, atque inæqualem. Pulsus, etsi frequens, et febrilis semper sit, rarior tamen, tardior, et minor offenditur, quam in aliis febribus acutis, et continuis. Facies tumet aliquantum, et laxa, et sublivida apparet. In somnum ægri propendent. Urina emittitur, teste RIVIERIO, initio alba, aquosa, et perturbata, deinde crassior, et nonnihil rubra, sed non ita, ut in febribus acutioribus. Sitis non urget, nisi peculiaris humorum acritas, aut tanta lymphæ crassities, aut sanguinis lentor tantus adsit, ut salivæ secretione imminuta, aut depravata os, et fauces arescant, et tunc sæpe lingua albo, et viscido muco fœdatur. Neque denium cetera febrilia symptomata vehementius desæviunt.

§. 331. Hæc autem quotidianæ continuæ puræ, et regularis propria sunt. Si vero cum ea diathesis inflammatoria, aut cacochylia primarum viarum, aut malignitas complicetur, aliquantum symptomata variari necesse est. In primo casu pulsus validior, major, frequentior, et durior; calor, et sitis intensior; facies rubicundior; urinæ saturatiores; respiratio gravior, et difficilior; capitis dolor pulsans, atque interdum pervigilium, primis saltem diebus, morbum exacuunt. Idque potissimum in quibusdam constitutionibus, quæ inflammatoriis affectibus inferendis accommodatæ magis sunt, in temperamentis sanguineis, ætate florente, et vegetiore contingit. In altero oris sapor depravatur, aut amarescit; cibi fastidium,

Variatio si complicata sit.

et nausea, aut vomitus, et crebri ructus, et flatus vexant; hypochondria cum epigastrio tument, gravantur, et borborygmis perstrepunt; facies, oculique flavent; et venter sæpe liquidior est, fœtidaque excrementa dimittit. In tertio denique vires summopere languent sine manifesta caussa, pulsus inæqualiter micant, tendines subsiliunt, mens obfuscatur, et tetris somniis aberrat, dum interim exigua febris esse videtur, et calor mitis, et urina sanorum similis, et sic porro. Sed in primis tum ad miasma aliquod putridum susceptum, aut ad epidemicam constitutionem sedulo respicere oportet, ut certius judicium fiat. Reliquas vero differentias (§. 328.) facile per se quisque dignoscet, si animum advertit ad ea, quæ supra non semel inculcavimus.

§. 332. Quoniam vero *quotidiana continua* lento passu incedit, et durationis longitudine, symptomatumque lenitate quandoque *hecticam*, si minus primariam, symptomaticam certe, præseferre potest; nunc qua ratione discerni possit, etiam dicendum est. In hectica calor, qui alioquin æqualis est, a pastu tamen increscit, et post aliquot horas ad pristinum gradum revertitur. In quotidiana vero, etiam si nihil cibi assumptum fuerit, aut jam multum temporis post captum cibum præterierit, vespere tantummodo intenditur, et ad mediam usque noctem invalescere pergit; deinde sensim mitescit ita, ut mane temperatissimus videatur. Pulsus in hectica durus, et contractus sæpe est, in quotidiana mollis, et latus. Cutis in illa squallet, et resiccatur; in hac nequaquam. Hectica primaria *continentium*, quotidiana continua *remittentium* morem, et naturam sectatur; et quamquam prior, ubi symptomatica est, accessionibus, remissionibusque

Quo modo differat ab hectica.

suis propius ad quotidianæ similitudinem accedat, ab hac tamen longe abest erratico typo, et alterius morbi præsentia, quem ea consequitur, et comitatur. Largiar vero si urgeas, amphemerinam, sive quotidianam continuam plerumque eam esse, sed symptomaticam, et vagam. Demum hecticam caussæ antecedunt, quæ valde calefaciunt, atque exsiccant; quotidianam contra quæ refrigerant, laxant, augentque humiditatem.

PROGNOSIS.

§. 333. Longa, et curatu difficilis plerumque esse consuevit atque adeo non prorsus vacat periculo. Quo magis corpus lentis, crassisque humoribus scatet, et quo hi tenacius cohærent, uberiusque sanguinem inficiunt, aut canaliculos minimos penitius opplent, ac obstruunt, aut altius in glandulis, cellulis, membranisque coacervantur, et lentescunt; eo diutius trahitur, pertinaciusque naturæ, atque artis viribus obnititur. Quas ob caussas non unum ei tempus est, quo finiatur. Nunc enim quadragesima tantum die solvitur, nunc demum sexagesima: interdum etiam ultra hosce fines extenditur. Principium igitur morbi fere ad vigesimam usque diem pertingit. Longior plerumque est, quæ tardiori, mitiorique motu procedit, quæque nulla humorum corruptione, aut acrimonia, aut bilis mixtione, ut veteres ajebant, incitatur. Citius contra ad finem ea perducitur, in qua plures subinde evacuationes sequuntur. Periculi vero differentiam faciunt ipsa symptomata. Si enim protinus ab initio vires vitæ prosternuntur, et simul appetitus deficit; quoniam morbi diuturnitati ferendæ impares ægri tum videntur; timeri profe-

ϐo exitium potest; idque eo certius, quo viribus jam fractis, et dejecto appetitui longiores, gravioresque accessiones, et somni profundiores accesserint; nam conjicere hinc licet, non solum ventriculi sensum a pituitosa colluvie obtundi, sed cerebrum etiam ipsum ejus copia obrui. Ubi autem ista procul absint, spes est fore, ut morbus feliciter terminetur. Maligna, epidemica, et cum putredinis signis conjuncta, lethalior est, quam benigna, sporadica, et pura. Non raro diuturnitate hepatis obstructiones, cachexiam, hydropem accersit, vel in hecticam secundariam migrat; in quam proclivior est, majusque discrimen affert illa, quæ cum alicujus visceris labe, aut alio peculiari morbo complicatur.

CURATIO.

§. 334. Cum in hujusmodi febre pituitosus humor abundet, et lympha lentore, et spissitudine peccet, mucusve iners ubique excedat; et simul solidæ partes laxitate, atque atonia laborent; mox liquet, liquores illos attenuandos, solvendos, excernendosque esse, has excitandas, roborandas, firmandas. Sanguinis missio vix locum habet; nisi plethora, aut inflammatoria diathesis præsto sit, aut aliquod grave symptoma superveniat, quod eam requirat. Cucurbitulæ scarificatæ capitis dolorem, aut soporem egregie discutiunt, itemque fricationes, balnea pedum, epispastica, atque alia id genus revellentia. Si vero profundior somnus teneat, cantharides occipiti, pone aures, brachiis, aut cruribus apponi debent. His enim tenax, viscidusque humor non solum resolvitur, verum etiam aliorsum avocatur, excernitur, ipsæque vitæ vires excitantur.

Indicationes.

Remedia S. M. cucurbitul. fricationes, balnea, Epispastica.

Purgantia. §. 335. Purgantia tam initio morbi, quam per totum ejus progressum subinde iterata cum primas vias a mucosa saburra liberant, tum reliquam in vasis contentam, et circumeuntem liquant, educuntque. Interdum tamen necesse est eam incidentibus, saponaceisque medicamentis excretioni paratiorem reddere; quod in primis expedit, ubi ventriculus muco tenaciori scatet; quin imo emeticis breviori scilicet via, excutere; potui item dare, quæ attenuant, aperiunt, atque evacuationem urinæ, sudorisque sollicitant, qualia sunt decocta ex radicibus aperientibus, aut leniter aromaticis, lignis blande sudoriferis, aut
Sales. herbis amaricantibus parata. Sales fixi lixiviales glutinosos omnes potentissime dissolvunt; post hos veniunt sales medii, liquor cornu Cervi succinatus, spiritus Mindereri, itemque spiritus, et
Incidentia. sales volatiles, oxymel simplex, aut Scilliticum, Kermes minerale, et quam plurima hujusmodi. At si cum hac febre complicetur diathesis inflammatoria, aut malignitas, aut venenatum, putridumve miasma, aliquantum profecto varianda curatio est, prout nempe complicationis genus, atque adjuncta symptomata postulare videntur. Tunc autem in memoriam revocentur, quæ supra variis in locis præcepta fuere. Victus porro ratio indicationibus respondeat. In universum tenuis, aperiens, blande reficiens sit, oportet: neque in ea vinum penitus intercidendum est.

EPIALA Galeni *de diff. feb. l. 2. cap. 6.*

Varietas quotidianæ descriptæ. §. 336. Interdum quotidiana continua illud peculiare habet, ut uno eodemque tempore, qui ea laborant, calorem simul, et frigus querantur. Hanc speciem Galenus *Epialam* nominavit. Duplex autem a Sennerto (*a*) statuitur, *vera*, et

spuria. Epialam *veram* a pituita acida, et vitrea, *spuriam* vero a pituita, et bile simul commixtis gigni, sibi imaginatus est. Sed ut caussa meram hypothesim sapit, sic hujusmodi Sennertiana distinctio supervacua omnino est. Qui vero calor, et frigus eodem tempore ab ægris percipiatur, non convenit inter veteres scriptores. Si quid conjectura valeo, probabile equidem crediderim, frigoris potius sensum, quam verum frigus illud esse. Nam irritatis cutaneis nervis, intimeque spastice affectis talis idea in sensorio communi excitari potest, ut ægrotantes se frigere credant; mutato nempe sic cerebri meditullio, quemadmodum mutaretur a vero frigore nervis applicito. Calorem porro simul, et frigus percipi, dum non omnes simul nervi per ambitum corporis discurrentes spastice afficiuntur. Illæsis quippe sensus caloris, spasmo vero correptis sensus frigoris insideat, necesse est.

(*a*) L. c.

§. 337. Rara omnino est Epiala; cui curandæ proponebant Veteres validiora attenuantia, incidentia, et cardiaca calefacientia; quia materialem caussam, ex qua oriri eam putabant, crassiorem, et glutinosiorem sibi fingebant. Sed verosimilius est, lentori frigido acrimoniam adjungi nervos peculiariter irritantem. Ceterum eadem propemodum servanda sunt, quæ ad quotidianæ continuæ, sive *phlegmaticæ* modo expositæ curationem commendavimus; quamquam mitius purgare præstet in Epiala, quia in hac vires magis languent, nec fortiora cathartica facile feruntur. Quare id, quod una vice effici non licet, partitis fiat, et lenibus medicamentis, quæ alvum ducunt, et caussam obstruentem, atque irritantem paullatim detrahunt.

FEBRIS SYNCOPALIS HUMOROSA
AVICENNÆ *Lib.* 4. *Fen.* 1. *c.* 53.

§. 338. Scire quoque interest, Avicennam duas *febris syncopalis* differentias instituisse, nempe syncopalem *minutam*, et syncopalem *humorosam*, illam ex bilioso humore, hanc ex pituitoso genitam. Utraque sic nominatur ob Syncopem, quæ accessionibus supervenit, distinguitque hanc speciem a reliquis. Posterior igitur, videlicet *syncopalis humorosa*, cum in ea ob humoris pituitosi copiam, et oris ventriculi debilitatem febre ingruente in syncopem ægri incidere credebantur, quotidianæ in modum decurrens huc quoque spectat. Hæc difficillima curatu habita est, quia neque purgationem, neque missionem sanguinis ob virium defectionem admittit. Quare GALENUS solis frictionibus utendum esse voluit cum ad morbificam materiam resolvendam, tum ad eamdem evacuandam. Videtur tamen clysteribus, blandisque eccoproticis locum reliquisse, et post pravorum humorum sarcinam imminutam, sicque periculum syncopes amotum, incidentibus, in primis oxymelli, hyssopo, cinnamomo; et demum etiam alvi ductioni, quemadmodum in quotidiana continua pituitosa Veteres facere consueverant. Illud vero animadvertere debet, quod syncopales ejusmodi febres tam quotidianæ, quam tertianæ similes, plerumque sunt de genere intermittentium, et præcipue spectant ad *comitatas perniciosas* TORTII, eodemque modo cito, et feliciter curantur. Quod ad victus rationem pertinet, parciorem esse volebant, atque ex alimentis tenuioris substantiæ, et concoctu facilibus comparatam. Potui vero aut vinum, aut cerevisiam, aut hydromel concedebant.

QUOTIDIANÆ CONTINUÆ SYMPTOMATICÆ.

§. 339. Ad quotidianam continuam veterum, sive pituitosam, aut phlegmaticam transferendæ sunt continuæ symptomaticæ a vitiis glandularum conglobatarum, et conglomeratarum, a strumis, scrophulis, bubonibus, rhachitide, scorbuto, cachexia, lue venerea, aliæque ab ETTMULLERO lymphaticæ dictæ, aut a SYLVIO (*a*) in *lymphaticas glandulares*, *pancreaticas*, *et salivales* distinctæ, itemque omnes *lentæ*, sive *hecticæ symptomaticæ* (§§. 313. 316.) sive phthisicæ, ut passim nominantur. Harum autem curatio partim a morbi primarii, unde oriuntur, partim a generali quotidianæ pituitosæ curatione desumitur. Est quoddam quotidianæ genus ETTMULLERI (*b*), quod huc quoque pertinet. Id lue venerea laborantibus, ubi morbus ingravescit, aut ubi decoctis sudoriferis nimium, aut præpostere utuntur, supervenire consuevit. In lue enim venerea lympha viscidior, acriorque peccare videtur, eaque glandulæ salivales, aliæque partes, in primis circa guttur male plectuntur. Febris inde orta, etsi lymphatici generis, cum tamen ad phlogisticam diathesim vergat, exposcit sanguinis missionem, diluentia, temperantia, et demum mercurii prudentem usum.

(*a*) Prax. med. l. 1. cap. 29. §. VI.
(*b*) Oper. omn. T. 2. Colleg. Pract. p. 362.

FEBRIS CATARRHALIS (*).

§. 340. Illud quotidianæ continuæ febris genus, quocum catarrhales capitis, narium, faucium, pectorisve affectiones vel ab initio conjun-

guntur, aut quod easdem ut caussam, proxime subsequitur, *febris catarrhalis* passim apud clinicos scriptores nomen obtinuit. Nonnulli tamen, et præsertim Germanorum plerique huic denominationi notam addiderunt benignitatis, *catarrhalem benignam* eam appellantes, ne scilicet cum alia febre confunderetur, cui *catarrhalis malignæ*, seu *petechizantis* nomen ab iis tribuitur, etsi, ni fallor, improprie, cum hac appellatione febrem epidemicam, et malignam naturæ omnino diversæ, alteriusque generis, uti infra ostendam, complexi esse videantur. Alii, ut GORTERIUS, et FRACASSINIUS pro *catarrhali* maluerunt *lymphaticam febrem* dicere, quod a serosis, lymphaticisque congestionibus, defluxionibusque circa caput, fauces, aut pectus recens obortis videretur proficisci. Hoc tamen nomine aliam, ut patet, quotidianæ speciem designant, quam eodem designata fuit ab ETTMULLERO. Is febrem a lympha crassiori, et viscida genitam, sed sine coryza, sine gutturis, et faucium dolore, et sine tussi intellexit; illi vero febrem ex eadem caussa natam quidem, sed hisce omnibus catarrhalibus affectionibus comitatam. Sunt demum qui *rheumaticam* a rheumate denominarint; rheuma enim continenter cum ea complicatur (**).

Quænam catarrhalis benigna.

(*) SYNONYMA

Febris catarrhalis benigna JUNCKERI Tab. LXVII. HOFFMANN. de febr. sect. 1. cap. VI. LUDWIG. Inst. Clin. P. 1. cap. 1. subsect. 1. §. 110. Febris lymphatica GORTERII System. Prax. Med. l. 3. titul. 4. n. 231. Febris lymphatica FRACASSINII De febrib. sect. 3. De febrib. contin. lent. cap. 2. Amphimerina catarrhalis, spec. 1. SAUVAGES. Nosolog. *clas.* 2. *ord.* 2. *Gen. VI.* Febris rheumatica *quorumdam*. Catarrhus aliis.

(**) *Quamquam hæc febris ratione catarrhi morbis febrilibus adnumerari posset, placuit tamen cum*

plerisque scriptoribus inter febres eam recensere; quia non satis perspectum videtur semper, catarrhus ne princeps morbus in ea sit, an vero potius, quoniam cum catarrho nexu ita perpetuo, arctoque febris conjungitur, ipse pro caussa febris proxima statui debeat, febris vero pro morbo primario; ut inflammatio pleuritidis, ut polypus palpitationis &c. Fateor tamen ultro, interdum catarrhum, rheuma, tussim sine febri esse; tuncque minime ad febres spectare. Quandoque etiam febri conjungi, & modo hunc effectum, modo morbum principem esse. Quacumque tamen ratione accidat, cum febri jungitur, cur non in febrium numero collocetur?

DIAGNOSIS.

§. 341. Tempore æquinoctiorum, præsertim autumnalis, ingentiumque aeris, et tempestatis mutationum, repentinarumque vicissitudinum plerumque exoritur febris catarrhalis, multosque aggreditur. Invadit potissimum sub vesperam frequenti potius, et repetita horripilatione, quam frigore, et horrore, aut levi tantummodo extremorum refrigeratione, et quandoque etiam, ubi levior morbus futurus est, sine ullo sive frigoris, sive horripilationis indicio. Mitis ut plurimum est, et postquam aliquot horis increvit, solet circa mediam noctem se se remittere. Remissio autem non solum ad matutinum tempus, verum etiam ad totam fere diem producitur, donec iterum vesperi ordinata periodo resurgat, et recrudescat. Præcedit, vel continuo subsequitur coryza, sive gravedo, catarrhus, sternutatio, lacrimarum profluvium, oculorum rubor, faucium phlogosis, et dolor, molesta laryngis titillatio, raucedo, tussis satis importuna, sicca plerumque aut pauca, tenuia, salivalia excernens, raro mucosa, et crassa, toto morbi decursu excrucians, somnumque abrumpens, pectoris gravitas, dyspnœa, dolor

Symptomata.

dorsi, tum artuum omnium, tensionis, aut punctionis sensum inferens. Cum his sæpe conjungitur cephalalgia, aut capitis gravitas, et debilitas, universi corporis lassitudo, appetitus quandoque adauctus, quandoque, quod frequens est imminutus, gustus depravatus, aut deficiens, et, sitis.

Interdum incipit ab horrore, et frigore, atque aliis symptomatis.

§. 342. Interdum evenit, testante JUNCKERO, cui suffragatur experientia, ut nedum ab horripilatione febris exordiatur, redeatque, primis nempe diebus, verum etiam ab horrido frigore, quo dimidiam, vel integram horam concutitur corpus, succedente calore primum miti, deinde acriori cum aliqua circa præcordia anxietate, aut etiam ad vomendum incitatione. Calor vero iste tunc ita protrahitur, ut non, nisi altero mane defervescat; idque præsertim plethoricis usuvenit, prima videlicet febris accessione. Pulsus pro vario morbi tempore, et gradu, variaque ægri temperie, atque habitu varius esse consuevit, sed celer semper, et frequens. Progrediente morbo sudores erumpunt, præsertim in remissionibus, copiosi, et fœtidi; pituita crassa, et mucus e naribus emungitur; e faucibus, bronchiis, et pulmonibus magna concoctæ materiæ albæ, et glutinosæ, interdum flavæ, et puri similis vis extussitur; aut diarrhœa insuper cum urina simul sedimentum deponente supervenit; quibus febris feliciter solvitur. Hinc facile hujusce febris elicitur diagnosis, veraque ejus natura. Non enim, ut monet experientissimus JUNCKERUS, rationi consonum est, *febrem catarrhalem ibi arguere velle, ubi neque tussis, neque gravedo, neque raucedo, neque peripneumonia, neque erysipelaceum quidpiam se se manifestat.* Qua animadversione rectissime corripiuntur illi, qui nomine *catarrhalis fe-*

Pulsus qualis?

Sudor.

Sputum.

Catarrhus signum proprium.

bris abusi sunt, eoque aliud omnino, alienumque morbi genus sæpe comprehenditur. Nam quæ vulgo dicitur *febris catarrhalis maligna*, aut *petechizans*, nullam ex notis supra relatis habet, unde nomen accipiat, *catarrhalisque* nuncupetur.

Quomodo differat a quotidiana continua veterum.

§. 343. JUNCKERO aliisque nonnullis hujusmodi febris visa est una, eademque cum *quotidiana continua veterum*, de qua paullo ante (§. 329.) separatim egimus. Verum ab illa, SAUVAGESIO etiam judice, differt *catharrhalis* artuum, et dorsi dolore, coryza, faucium phlogosis, raucedine, tussi, dyspnœa, vagis, longisque horripilationibus aliisque peculiaribus notis (§. 341.), et præcipue diuturnitate qua ægrotantes fatigat. Neque confundi debet febris hæc catarrhalis cum rheumaticis illis faucium et pectoris congestionibus, quæ non raro aliis febribus sive continuis, sive intermittentibus, in statu, aut declinatione morbi, non infrequenter superveniunt, aut cum iis ratione tempestatis, aut constitutionis epidemicæ vel ab initio complicantur. Nam in iis catarrhalis affectio epigenomena est, atque *accidentalis*, non essentialiter, ut in catarrhali febri, connexa, atque inseparabilis. Discrimen quoque non leve esse ait HOFFMANNUS inter febrem hanc catarrhalem, de qua loquimur, atque illam, quæ Rheumatismi comes est, quæque a Rheumatismo ipso dimanat. In catarrhali siquidem interiores narium, faucium, laryngis, tracheæ, bronchiorumque membranæ laborant; atque ex his aliquid critice effertur. At in rheumatismo soli musculi, eorumque involucra, aut tendines, et ossium ligamenta occupantur, neque quidquam inde prodit, quod sensibilis, criticæque evacuationis nomen mereatur. Levi etiam negotio idem Auctor putat distingui hujusmodi febrem ab illis narium, fau-

Discrimen inter febrem catarrhalem, et alias affectiones similes et rheumatismum.

Ut differat a quotidiana intermittenti spuria? ciumque affectionibus, quas lues venerea, aut scorbutus, aut simplex catarrhus efficit. In his enim nulla plerumque febris tenet. Paullo autem difficilius catarrhalis febris internoscitur ab ea quotidianæ intermittentis specie, cui ob accessiones vespertinas, longioresque circuitus spuria (§. 135.) nomen est, in primis si catarrhalibus affectibus originem debeat, aut ab his (§. 141.) stipata sit. Attamen in quotidiana hujusmodi manifestior ut plurimum horror accessiones exasperat, aut antecedit, et vera integritas, licet brevis, eas intercipit, qua in re omne discrimen contineri docet LUDWIGIUS (*a*).

(*a*) Instit. Clinic. subsect. 3. §. 99.

Caussæ. §. 344. Caussa ejus proxima videtur esse serum, et lympha copia, aut lentore, aut acrimonia, aut omnibus hisce vitiis peccans, in vasis ambitum corporis perreptantibus, in primis cutaneis congesta, hærens, irritans; aut ad vasa, glandulas, folliculos, cryptasve mucosas membranarum nares, palatum, fauces, laryngem, bronchia, similesque partes, quin imo œsophagum, ventriculum, atque intestina investientium copiosius adfluens, easdem replens, distendens, inflammans, sive, ut brevissime dicam, caussa proxima in levi, et serosa harum partium aut omnium, aut aliquarum phlogosi sita videtur. Proegumenæ vero caussæ, quæ ad morbum corpus quodammodo præparant, præcipue sunt temperamentum sanguineo-phlegmaticum, habitus mollis et laxus, aut cacochymicus, acritates variæ, ulcerum, scabiei, crustæ lacteæ, achorum, aliarumque excretionum suppressio. Proegumenis supervenientes procatarcticæ mutua conjunctione caussam proximam efficiunt, uti sunt subitæ corporis, et præsertim capitis, collique refrigeratio-

nes, cum aeri frigido, aut humido vere, aut autumno imprudentius objicimur; potus frigidus calente corpore haustus; subita perspirationis imminutio; maxime tempestatum variationes, et demum acre epidemicum inspiratum, aut aliter corpore receptum (*). His enim non modo lympha crassior, acriorque redditur; mucosi humores coguntur; excretorii ductus arctantur, verum etiam sanguis, reliquique humores, constrictis, et majori vi resistentibus exterioribus partibus ad interiores nondum a frigore affectas, proindeque laxiores, et minus renitentes uberius propelluntur, et confluunt, ut ibi congestiones, et leves inflammationes pariant.

(*) *Id epidemicum miasma ex eo maxime elucet, quod sæpe catarrhalibus affectibus epidemice regnantibus, communi hoc morbo corripiuntur etiam illi, qui jamdiu in cubili aliis ex caussis se continent, & sibi a frigore, aerisque injuriis religiosissime cavent. Id centies observavimus.*

PROGNOSIS.

§. 345. Incerto dierum numero febris hæc finiri consuevit. Ubi levior ejus caussa, et gradus est, uno, duobus, tribus, vel quatuor diebus absolvitur. Tum ad *ephemeras plurium dierum*, sed perperam, quia nequaquam continens est, a plerisque refertur. Vere proxime elapso hujusce anni 1780. epidemica ita fuit, ut hic Mediolani, itemque Taurini, aliisque in regionibus vix ullus eam effugerit. Invadebat sine frigore, cum lassitudine totius corporis, coryza, tussi, magno calore, et tribus successivis diebus circa vesperam suas accessiones repetebat, sensim minores, et mox oborto copioso in remissionibus sudore, urinis crassis emissis, sputisque puriformibus et conco-

Perperam ad ephemeras refertur.

ctis facile, et cito excreatis, tertia ut plurimum, aut quarta, quod longissimum fuit, accessione penitus desinebat, sola tussi ad aliquot dies superstite. Frequentius tamen, ubi validior caussa eam efficit, et legitima, puraque est, qualem supra descripsi, ad septimum, ad nonum, aut decimum quartum diem extenditur. Per se benigna, communi sententia, esse creditur, et recte curata periculi expers habetur; nam sæpe vel primis diebus reserata cutis excretione solvitur per sudores, vel post aliquot dies per copiosam materiæ viscidæ expuitionem, aut largum muci, et pituitæ e naribus stillicidium, aut crebras alvi dejectiones, aut magnam urinæ crassæ, et subsidentis copiam, vel per omnes hasce simul evacuationes judicatur.

§. 346. Interdum tamen, cum vehementiori ex caussa nascitur, et sanguis diathesi inflammatoria magis inficitur, ut in quibusdam epidemicis constitutionibus sæpe accidit, facile in anginam, aut peripneumoniam, aut pleuritidem transit, nisi mature, et provide venæsectio, et regimen antiflogisticum subveniat. Talis fuit illa *febris catarrhalis*, quæ *anno* 1658. *medio vere Londini epidemice* grassata est (*a*), aut alia quæ anno 1675. nemini fere pepercit, et sub tussis epidemicæ nomine a SYDENHAMIO (*b*) descripta est; itemque ea, quæ anno 1709. Romæ in constitutione quadam epidemica quam Rheumaticam LANCISIUS (*c*) appellat, desæviit. In hac coryzæ, et rheumata cum modica tussis ab initio infestabant, pari ferme ratione, qua idem mali genus seculo XVI. et XVII., ut referunt CAGNATUS (*d*), et DONUS (*e*), sævierat. Deinde accedebant huic febri pectoris dolores, angina, pleuritis, aut vera peripneumonia, præsertim in iis,

qui neglecta prima morbi et tussis invasione intemperanter vivebant (*).

(*a*) Willis. De febrib. cap. XVII. p.85.
(*b*) Observ. medic. circa morb. acut. hist. & curat. Sect. II. cap. V. p. mihi 150. 152.
(*c*) De nativ. deque adventit. Romani Cœli Qualitatib. cui accedit Historia Epidemiæ Rheumat. quæ per hiemem anni MDCCIX. vagata est. Rom. 1711.
(*d*) De salubrit. Roman. aeris p. 22.
(*e*) De restit. salub. agr. Rom. p. 16.
(*) *En Lancisianæ descriptionis Synopsim. Totius corporis lassitudo primum, tum febris cum rigore, mox vagus in pectore infra, supraque dolor, assidua tussi, & quidem sicca comitante, invadebat: Pulsus durus, urinæ flammeæ, atque interdum turbidæ observabantur; nec mora sanguinis sputum, & respirandi difficultas superveniebant. Tum genæ sæpe rubebant, ac flavus toti corpori color, uti in aurigine laborantibus inducebatur. Mirum est, notatuque dignum, carceres, locaque ab aquilonaribus ventis dissita, ac remota ejusmodi morbum minime sensisse. Mulieres minus, quam viri, item minus opulentiores, ac nobiles, quam egeni eidem obnoxii fuerunt, & si quidam in eum incidissent, leviorem certe morbum, nimirum coryzam, raucedinem, & externum pectoris dolorem, levesque rheumaticarum febrium accessiones experti sunt. Plerique a morbo convaluerunt aut sudore, aut narium hæmorrhagia, aut alvi fluxu, aut uberiore urina, aut omnibus hisce simul concurrentibus evacuationibus cum sputi item concocti, ut plurimum, rejectione. Non raro tamen sine sputorum coctione dolores pectoris, febresque decedebant. Dissecta defunctorum cadavera ostendebant præcordia rubentia usque ad diaphragma, & nigricantia sanguine coacto, inque magnis cordis vasis polyposo. Aquilonares venti, & tempestas perfrigida diu durans visa est potius hujusce morbi caussa. Hist. Rom. epid. cap. 2. p. 196.*

§. 347. In phthisim etiam pulmonarem non raro malum migrat, tum in primis cum tussis diuturnior evadat, aut sæpius hæc febris recur- *Interdum in phthisim transit.*

rat, eosque corripiat, qui jam aliqua pulmonum labe laborant, aut vitiosa pectoris structura deformantur. In universum *quo magis*, ut inquit JUNCKERUS, *ab indole sua leviore recedit*, et *cum vehementia tam frigoris, quam æstus insultat, eo justior est metus alicujus labis circa viscera hærentis*. Item quo major sanguinis, aut seri impuri copia ægrotantes gravat, eo deterior, longiorque morbus esse solet, quemadmodum obvenit scorbuticis, aut miasmate miliari delitescente affectis; quum in his insolita, et perniciosiora symptomata oboriantur, vitæque non leve periculum afferant. Ceterum hypochondriacos vehementius affligit, quoniam in his graviora sibi adjungit symptomata, uti præcordiorum anxietates, difficiliorem respirationem, inquietudinem, et flatulentos imi ventris dolores. Neque minori gradu torquentur fœminæ, quæ hystericæ passioni, aut mensium suppressioni obnoxiæ sunt.

CURATIO.

Indicationes. §. 348. Cura omnis impendenda est, ut æqualis sanguinis, et humorum omnium circuitus restituatur; ab interioribus ad exteriora alliciatur; congestiones resolvantur; acritas mitigetur; perspiratio omnis interna, et externa promoveatur; coctio, atque excretio materiæ morbificæ opportune contingat. Quare, ubi levior morbus est, ejusque caussa facile tolli, et difflari potest, totum opus soli naturæ, rectoque vitæ regimini committatur. Tum sola quies, et lectuli tepor, et largus tepensque potus, qui diluat, temperet, et leniter secretiones, excretionesve omnes, sputi præsertim, et sudoris adjuvet, cum tenuiori victus genere sufficient. At cum febris paullo intensior tenet, et graviora invehit symptomata,

Quando sufficiat diæta sola.

efficaciori artis auxilio opus est. Tunc primum sanguinis missio animadversionem meretur. Hanc plerique aut silentio prætereunt, aut manifeste rejiciunt, aut rarissime necessariam esse existimant. HOFFMANNUS, qui eam opportuno tempore, et regimine institutam in plethoricis frequentem catarrhalium affectuum reditum egregio præcavere affirmat, præsente tamen catarrhali febre omnino omittendam præcipit; quod experientia didicerit, diuturniorem inde catarrhum fieri. Pace autem tanti viri, aliorumque eamdem sententiam tuentium, sanguinis missionem non timeo hic quoque proponere, tamquam maxime utilem, accommodatamque non modo ad caussam proximam hujusce febris, quæ in phlogosi quadam partium affectarum sita videtur (§. 344.), atque ad quascunque congestiones prompte, efficaciterque discutiendas, verum etiam ad pravos affectus, qui ejusmodi rheumaticas affectiones subsequi interdum solent, tubercula nimirum, hæmophtysim, et phthisim, certo, et tuto avertendos. Id enim iteratis periculis in Italia a nobis compertum est; nec aliter in Gallia SAUVAGESIO visum; quam ob rem ipse febris catarrhalis curationem a sanguinis missione inchoandam suadet.

De sanguinis missione quid judicandum.

§. 349. Non tamen eam temere institui oportet, nec nimis liberaliter: sed omnia prius, quæ sæpius alibi monuimus, perpendenda a Medico sunt, sanguinis missionem indicantia. Si enim hæc deficiant, et contra serosus humor abundet, pars sanguinis rubra justo parcior fit, vasa et fibræ laxiores, cum pulsu parvo, debili, et molli, sanguinis missio non modo supervacua erit, verum etiam noxia, et tunc solum imminuta a tergo vi impellente congestiones serosæ pertinaciores fient, imo augebuntur, ut HOFFMANNUS ti-

Monita.

met. Si quid tamen venæsectionem petere videatur, dum reliqua dubiam, ancipitemque reddunt, ei cucurbitulæ tam siccæ, quam scarificatæ, hirudinesque tutissime subrogantur. In constitutione epidemica, de qua supra (§. 345.) memini, pulsus pleni, validi, interdum duri, facies rubra, accessiones aliquanto vehementiores continuo unam, vel alteram sanguinis missionem postulabant, qua omnes feliciter sanabantur. Idque eo magis necessarium est, si constitutio epidemica cum diathesi sanguinis phlogistica conjungatur, et facile sibi anginam, pleuritidem, aut peripneumoniam adsciscat (§. 341.). In ea, quam LANCISIUS descripsit, sanguinis missio ante quartum diem adhibita robustioribus profuit, etiamsi sanguinis sputum præcessisset; quod profecto cruditatis, non resolutionis, aut coctionis signum erat. Imbecilliores vero, et præsertim post septimum, si jam sputum concoqui cœpisset, aliæque utiles evacuationes simul adessent, non parum læsit. Sæpe larga sanguinis detractio non suffecit; alias vero exigua dumtaxat morbum devicit; imo interdum sola lateris scarificatio curam perfecit (*). Utilem quoque sanguinis missionem expertus est SYDENHAMIUS, ubi hujusmodi symptomata inflammatoria superveniebant; sed neque ita largam, neque ita repetitam volebat, ut in pleuritide, et peripneumonia primaria fieri debet. Animadvertit enim, in symptomaticis hisce pleuritidibus, aut anginis, aut peripneumoniis, quoties febris, cui superveniunt, ex se sanguinis missionem non exigit, unam vel alteram tantummodo sufficere, plures noxias esse. Interim regimen refrigerans, atque antiphlogisticum imperabat, et præcipue suadebat, ut quotidie ægri per aliquod spatium lectulum desererent. Illo enim tempore in Anglia mos invalue-

rat, ut calefacientibus remediis et nimio lecti calore hisce in morbis abuterentur.

(*) *Præterea* LANCISIUS *non omittebat fomenta extrinsecus, quæ molliunt, intrinsecus ea, quæ diluunt, laxant, & resolvunt, atque etiam cantharidum applicationem. Testatur hæc omnia plurimum emolumenti attulisse. Fatetur etiam clysteres, & blanda alvum laxantia sua utilitate non caruisse.*

§. 350. Purgantia medicamenta raro conveniunt. Attamen, cum primæ viæ cacochylia obsidentur, aut muco viscido, quod sæpe incidit, scatent, lenientibus tantum expiandæ sunt, cassia videlicet, Manna, Tartaro, salibus neutris amaris, passulis, aut prunis præparatis, oleo amygdalino, aut seminum lini, aliisque pro circumstantiarum ratione. Neque id a principio solum, verum etiam in progressu opportune fieri potest, si serosi, impurique humoris copia excedat, difficiliusque a faucibus, atque a pulmonibus avocetur. Clysteres singulis, aut alternis diebus tutissime injiciuntur, tam ad alvum apertam servandam, quod necessarium ducitur, quam ad revellendum, refrigerandumque. Hoc uno auxilio SYDENHAMIUS maxime confidebat, cum acres, phlogisticasque particulas sanguine secernere atque educere sensim vellet. Acre enim perspirabile, et phlogisticum principium retentum, commodissime ad intestina transfertur, atque illinc evacuatur. Dum hæc aguntur, reliquum curationis persolvunt diluentia affatim, et tepide hausta. In his præstant, quæ simul acrimoniam demulcent, uti decocta hordei, radicum altheæ, et glycyrrhizæ; diluta florum papaveris erratici, violarum, verbasci; emulsa ex amygdalis, aut seminibus frigidis, quibus etiam vis quædam anodyna inest. Flores item bellidis, et sambuci hic

De purgatione aliquid.

Clysteres

Diluentia.

commendantur. Illi resolventes in primis, hi diaphoretica facultate pollere creduntur.

Antiphlogistica. §. 351. Febris æstum, quando ardentior est, sanguinisque lentorem, si, ut sæpe evenit, cum ea complicetur, præter sanguinis missionem temperant, solvuntque oxymel simplex; Terra foliata Tartari, ejusque liquor; Roob baccarum sambuci; serum Lactis purum, aut ex cichoreo, taraxaco, scabiosa decoctum; hydromel, aliaque hujus generis. Validius lentam viscidamque lympham incidunt, dummodo moderatior febris motus, et solidarum partium quidam veluti tepor permittat, decocta radicum Bardanæ, Pimpinellæ albæ, Enulæ campanæ, Vincitoxici, Polygalæ Virginianæ, aut nostratis, ligni sassafras, herbarum Hyssopi, Veronicæ, Cherefolii; oxymel Scilliticum; Syrupus de Erysimo Lobellii, aut de Peto; flores sulphuris; Kermes minerale, reliqua. Quibus illud etiam efficitur, ut pulmonum infarctus, sputis copiosioribus promotis, resolvantur.

Incidentia.

Quæ tussim leniunt. §. 352. Tussis quandoque adeo molesta est, ut leniri potissimum debeat. Eam igitur mitigant sperma ceti albissimum, minime rancidum; oleum amygdalarum dulcium, aut seminum lini recentissime sine ignis ope expressum, butyrum; cremor lactis; hydrogala; emulsa ex seminibus pinguibus, et farinosis; *mucilagines* seminum altheæ, malvæ, psyllii; et præ ceteris ea, quæ somnum inducunt, uti diacodium, syrupus de Meconio SYDENHAMII, pilulæ de styrace SYLVII, de cynoglossa, laudanum nepenthes QUERCETANI, atque opium ipsum. Sed caute, et non, nisi urgente necessitate, depletis vasis, purgatoque ventre, et minuta pituitosa colluvie, qua pulmones

obruebantur, ad eorum usum deveniendum. Sudori proliciendo, qui in hujusmodi febre maxime proficit, opportunissima sunt, si iis, quæ memoravimus, non responderit, decocta, et diluta plantarum amaricantium uti cardui benedicti, chamædryos absynthii alpini, chamæmeli, calide epota; fricationes totius corporis; cucurbitulæ siccæ; balnea pedum; quæ postrema etiam a capite, et faucibus utilissime revellunt. Revellunt quoque epispastica ex cantharidibus et simul præstantissime resolvunt, attenuantque, cervici, aut brachiis admota, in primis si temperamentum, habitus corporis, excretiones cutaneæ suppressæ, partinax tussis id auxilii genus exposcant.

Quæ sudori movendo apta.

Revellentia.

§. 353. Reliquis quoque symptomatibus est succurrendum. Fauces, si dolor acer eas vexet, lacte tepido, aut decocto hordei, florumque sambuci leniter colluantur. Interdum dolori aphthæ accedunt, quæ penicillo in spiritum salis, vel vitrioli, addita mellis ex rosis exigua parte, intincto abstergantur, cicurenturque. Diarrhœa si superveniat, non comprenenda est. Profusior tamen compesci quidem potest; tardior, et pigrior rhabarbari pulvere, aut ejus tinctura leniter incitari. Nares obstructæ aqua tepenti, aut ejus vapore attracto foveantur, ut vasa laxentur, congestio resolvatur, et mucus inde facilius emungi queat. Si stimulo opus sit, quod discussa membranæ pituitariæ phlogosi contingere quandoque potest, mel aquæ, vel saccharum, vel manna, vel succus betæ rubræ adjicere licebit. Nonnulli mannæ purioris frustula teretia, et oblonga oleo amygdalino illita in nares immittunt, quo humor felicius extillet.

Symptomatis quæ succurrant.

§. 354. Ceterum omnia, quæ nimium commo-

Cautiones.

vent, aut calefaciunt, aut contra quæ nimis refrigerant, aut aciditate coagulant, et perspirationem cohibent, diligenter vitentur. Hypnotica ipsa caute usurpentur, ut supra (§. 352.) monitum est, præsertim, si caput imbecillum, et grave, si ætas senilis, et alvus adstricta sit. Oleosa porro, et nimis laxantia, uti bechica pleraque, parca, et cauta manu dentur, ne appetitum, digestionemque dejiciendo, aut pulmonum compagem nimis laxando, cachexiam, et phthisim demum accersant. Post febrem depulsam, aut ea ad finem vergente, si primæ viæ videantur viscido muco obsitæ, aut catarrhalis humor ad fauces, pectusque confluere diutius pergat, tum lene eccoproticum ex Manna, aut Rhabarbaro efficiet, ut illæ repurgentur; hic aliorsum avocetur. Si demum bronchia, et pulmo atoniam contraxerint, nimiaque laxitate laborent, roborari, firmarique poterunt cortice chinæ chinæ, aut cascarillæ, balsamicis resinis, *conserva* rosarum, rubrarum, aliisque quæ tonica, et traumatica dicuntur.

§. 355. Verum sæpe incidit, ut hujusmodi febris ex levi quacumque caussa revertatur, obnoxiosque nimium sibi quosdam reddat. His curatio etiam erophylactica necessaria est. Itaque qui in eam proniores sunt, vitare debent eas omnes caussas, quibus catarrhales affectiones induci supra tradidimus; tempore verno, atque autumnali, antequam in morbum incidant, si plethorici fuerint, sanguinem sibi detrahendum curare, sobrie alimentis uti; corpus vestibus mature munire, seroque eas dimittere; perspirationem sedulo curare; exercitatione, frictionibusque validis habitum corporis bonum, et firmum comparare; quo respiciunt etiam balnea tepida et deinde frigida ex aqua fluviatili, aut marina æstivo tempore

Cura prophylactica.

adhibenda. Præterea illis, qui humidiore, laxioreque temperie donantur, vere, autumnoque decoctis ex sarsaparilla, radice chinæ, ligno sassafras, lentisco cum passulis ad XXX aut ad XL. dies uti convenit, victumque exsiccantem adhibere. Contra vero lactis serum, jura ranarum, et viperarum, ptisanæ ex hordeo, aut avena proderunt iis, qui tenui corporis habitu sunt, quique acritatibus scatent. Profuit etiam non paucis fonticulus *nuchæ*, aut brachio inustus, quo a catarrhis pertinacioribus et recidivis liberati narrantur. His igitur fit, ut morbi reditus mirifice præpediatur.

§. 356. Hactenus de febre catarrhali tam sporadica, quam epidemica, benigna, nec non de complicata cum diathesi sanguinis inflammatoria. Complicari etiam potest in primis epidemica cum saburra primarum viarum, et tunc *gastricam*, de qua paullo post dicam, æmulatur; item cum latente miliari miasmate, aut morbilloso, aut petechiali; sed dubium remanet, utrum tunc potius symptomatica sit, quam primaria. Nec malignitatis expers interdum est, in primis cum epidemice grassatur; vel saltem maligna quandoque evadit, quemadmodum LANCISIUS sub finem epidemiæ rheumaticæ modo memoratæ accidisse testatur. SAUVAGESIUS distinguit febrem catarrhalem a *rheumate pectoris* febrili, idest a levi, et lymphatica bronchiorum phlogosi cum febre; sed ni fallor, si quid discriminis intercedit, id totum in gradu, et loco esse videtur. Catarrhos etiam varii generis idem auctor a febri hac segregatos voluit, videlicet *catarrhum benignum* (Spec. 1.), *catarrhum ferinum*, sive vulgo *Quinte* et *coquelouche* (*) sive tussim ferinam (Spec. 2.), *catarrhum epidemicum*, vulgo *Grippe*, aut *Folet-*

Variæ complicationes.

An maligna interdum?

Animadversiones.

te (Spec. 3.) (**), cum plerumque febris eos non comitetur, vel si comitetur, symptomatica tunc haberi potest. Ceterum si hujusmodi morbi cum febri jam ab initio jungantur, eamque comitem habeant, non video, cur ad catarrhalem febrim reduci non possint. Hujusce generis videntur fuisse *morbus epidemicus* anno 1557. Nemausinos agros, et totam civitatem devastans, *coqueloucke* vulgo dictus (*a*), aut alius prædicto non absimilis, anno 1580. Arelate, Avenione, vicinisque locis grassatus (*b*), itemque *febrilis* illa *lenta* et *maligna comitata morbo gutturis epidemico*, Alcmariæ mense octobri anno 1557. a Foresto (*c*) observata, aut alia similis, quæ epidemice anno 1580. mensibus *Junio*, et *Julio* Delphis stragem edidit (*d*), nec non quæ cum angina ulcerosa, ptyalismo, et petechiis Condomi apud Vascones anno 1750. vagata legitur (*e*), aliæque ab Huxhamio (*f*), et non paucis aliis commemoratæ; in quibus tussis cum faucium asperitate, aut inflammatione ferventi, aut ulcerosa, febri continua, dolore capitis vehementi, pervigilio, lumbagine, coryza, pectoris sæpe infarctu, aut phrenitide multos quarto die, alios septimo, ad summum decimo quarto enecabat. Plerumque sanguinis missio ingruente morbo, cito celebrata, bechica, lenis purgatio, aut spontanea alvi solutio, aut demum sudor fœtidus prorumpens, aut arte excitatus remedio fuit. Qui plura scire cupit, citatos auctores consulat, necesse est.

(*) *Italis Tosse* canina, *aut* asinina, *aut* convulsiva.
(**) *Vulgo Romæ olim* mal del castrone.
(*a*) Observ. comm. obs. 9. apud Riverium.
(*b*) Ibid. observ. 10.
(*c*) Observ. & curat. l. VI. obs. 1.
(*d*) Ibid. observ. 3.
(*e*) Sauvages. Nosol. cl. 2. ord. 2. gen. VI. spec. 13.
(*f*) Ibid.

FEBRIS LACTEA PUERPERARUM (*).

§. 357. Fœminis recens enixis interdum secundo a partu die, sæpius tertio, quandoque etiam quarto Febris quædam supervenit, cui *Lactea* nomen est, quia, si non a lacte ad mammas confluente, quod controversum est, oritur; saltem tempore, quo lacte mammæ turgere incipiunt, accedit. Ephemeris, aut synochis simplicibus annumerari a Nosologis solet, sed, ut ego arbitror, ineptissime, cum continua remittens sit, quotidianæque continuæ morem, quando ultra viginti quatuor horas trahitur, observet, novisque accessionibus usque ad finem, quem intra paucos dies consequitur, exasperari consueverit. Plerumque hisce se symptomatibus exserit: nox præcedens insomnis, et irrequieta transigitur, aut si somnus obrepit turbulentis imaginibus interrumpitur. Mane pulsus est aliquanto frequentior, quam ex consuetudine. Accedit non raro capitis dolor, et frigus, interdum levis tantum horripilatio totum spinæ dorsi tractum decurrens, et quavis corporis in cubili conversione ad scapulas, imo ad totum fere corporis ambitum se diffundens, subindeque revertens. Vesperi deinde calor auctus subsequitur et pulsus validior, et frequentior; dum interea mammæ incipiunt dolere, tendi, intumescere, et aliquid seri effundere. Dorsum, et scapulæ dolore tensivo afficiuntur, lacque ab axillis quasi ad mammas derivari sentitur; respiratio sic quodammodo gravior, et laboriosior; lochia, nisi jam prius parcius fluere cœperant, tum manifeste imminuuntur, et quandoque albescunt, aut saltem multo minus rubent; sæpe areola nigricat, papillæ prominent, et leviter rigent; glandulæ circum circa turgent, et dolent; simulque brachia ob

Historia morbi.

vicinarum partium distensionem difficilius moveri possunt, et demum mammæ tumoribus quibusdam inæqualibus, tactui manifestis, dolentibusque occupantur. Nocte febris proserpit, et somnum irrequietum reddit, donec matutino tempore adventante omnia mitescant, et pulsus fiant multo pacatiores, et aliqua quies cum leni madore cutis consequatur.

(*) Synonyma.

Febris lactis vulgo a Mulieribus nominata Riverii, Prax. Med. lib. XV. cap. 24. Febris Lactea improprie dicta Levreti, Oevr. T. 1. Art. des Acchouchemens p. 151. Ephemera Lactea puerperarum Sauvagesii, spec. 5. Gen. 1. Class. 2. Febris Lactea Auctorum.

§. 358. Remissio hæc aliquot horas quidem perdurat, quin tamen ad veram integritatem perveniat. Pomeridianis horis cum levi horripilatione iterum febris exacerbatur. Pulsus initio ut plurimum parvus, contractus, et celer percipitur; deinde paullatim insurgit elatior, crebrior, et per intervalla subinde varius. Tunc sæpe caput acutius dolet, somnus difficulter capitur, artuum lassitudo excruciat, et, si lochia sistantur, aut parce admodum fluant, etiam rubet facies, calet, spiritus ægre ducitur, et febris cum pulsu duro, et vehementi invalescit. Tandem nocte media paullatim omnia mitiora evadunt, ut mane postero iterum febris cum omnibus symptomatibus ad pristinam remissionem revertatur. Si quiescant puerperæ: copioso potu, blando, diluente, atque aperienti, et tenuissimo victu utantur, sæpe intra duos, vel tres dies hujusmodi accessiones, et turbæ desinunt, uberiore lactis proventu, et multo sudore, fœtido, subacidum odorem spirante per totum corpus æqualiter diffuso. Interdum usque

ad quartum, vel quintum diem, nempe ad nonum a partu, protrahitur febris, mitioribus semper accessionibus sensim redditis et demum ex toto insensibiliter evanescentibus. Quando brevissima omnium est, intra viginti, aut triginta horas ephemeræ instar absolvitur, imo in fœminis quibusdam optimæ temperiei, et constitutionis adeo levis quandoque existit, ut præter noctem unam minus tranquillam, vix aliam molestiam subeant, præcipue si infanti ubera porrigant; ut passim id videmus evenire, viditque in sua uxore, aliisque multis Cl. SVVIETENIUS (*a*).

(*a*) In Boerhaav. §. 1329.

§. 359. Ex Physiologicis constat, uterum a fœtu edito paullatim contrahi, indeque *humores redundantes*, inque *uteri vasis contentos*, aut chylum, ut alii docent, ipsum, sive lacteoserosum liquorem, qui ad uterum ferebatur, ad mammas per venas repelli: quo insignioribus earum vasis, et glandulis repente repletis, distractisque præter morem nerveis fibrillis, dolorem, febremque moveri, magna veri specie tradidit FRIDERICUS (*a*) HOFFMANNUS. Verum hujusmodi caussa non tanti facienda visa est Cl. SVVIETENIO (*b*), ut in ea penitus ipse conquiesceret. Quam ob rem, cum febrim hujusmodi eo potissimum tempore exoriri videret, quo vulneribus supervenire solet, et avulsionem placentæ non sine aliqua interioris uteri superficiei laceratione concipere posset, levi ideo interioris uteri caveæ phlogosi, præter lactis ad mammas concursum, febris hujusce ortum tribuit, necessariam istiusmodi levem inflammationem arbitratus ad separandas destruendasque blanda suppuratione chorii reliquias adhuc ibi adhærentes, quod in primis ostenditur a puriformi, imo purulenta lochiorum natura, quæ ad aliquot Caussa.

porro dies colore, et peculiari fœtore manifestatur. SAUVAGESIUS vero, cui satis esse videtur, febrim hanc post contractum uterum nasci nosse, ad caussam finalem, ob quam a Natura excitatur, indagandam se potius convertit, opusque providentissimæ naturæ eam existimat, ut nimirum sanguine sic fortius validiusque moto, atque adacto mammarum vasa dilatentur, et chylo illuc appellenti, atque in lac permutando viam liberam aperiant (*c*).

(*a*) Med. Ration. System. T. 1. l. 1. sect. 2. cap. XV. §. I. (*b*) L. c. (*c*) L. c.

De hisce sententiis, quid sentiendum.

§. 360. Quorum singulorum auctoritas cum plurimum apud me valeat, utra opinio præferenda sit, non facile definiverim. Ausim tamen animadvertere, illud Hoffmannianæ sententiæ, quo minus universim vera habeatur, adversari, quod febris interdum ante veniat, atque aliquantum protrahatur, quam mammæ humorum copia turgescant, dilatationemque dolorificam, cui febris tribui possit, patiantur. Præterea, si unica et perpetua ejus caussa in majori humorum copia ad mammas concurrente, et dolorificam dilatationem inserente sita, et locata esset; profecto verisimile videretur, huic febri Primiparas tantum obnoxias esse, utpote angustiora et firmiora vasa habentes, non vero illas, quæ pluries enixæ sunt, aut quæ proli charissimæ jam ubera præbuerunt, cum in his vel ob jam alias toleratam lactis secretionem, vel lactationem vasa ampliata fuisse dicenda sint. His accedit, quod mulieribus quibusdam ultimis gestationis mensibus mammæ ita lacte intumescunt, ut ab utero post editum fœtum contracto ejus secretio, atque a dolorifica earum dilatatione febris derivari nequeat. In his

enim vasa jam patula, et lacteo latice plena se sistunt; nec tamen ideo semper febris lacteæ immunes servantur.

§. 361. SAUVAGESIO vero, caussam, ut vocant, finalem hujusce febris constituenti quis assentiatur? Siquidem certis observationibus compertum, exploratumque est, lac interdum tam ante partum, ut prænotavimus, quam post partum in mammis secretum deprehendi, quin ejusdem secretionem ulla febris anteiverit, auctoque sanguinis motu vasa lactifera ad lactis proventum præparaverit. Deinde si lactis secretio vasorum dilatationi per febrim peractæ debeatur, cur non etiam virginibus febre correptis mammæ lacte replentur? Quis demum sanæ mentis sibi persuadeat, Naturam consilii adeo inopem fuisse, ut non alia ratione, quam ista, nec commoda, nec discriminis experte, lactis in puerperis secretionem moliri eidem licuerit? Alienissimum sane id a vero videtur, cum in brutis animalibus lac sine febre comparetur, et reliquæ animati corporis secretiones, etiam tardiores, puta seminis, sine hujusmodi absurdo opificio peragantur. Sauvagesius refellitur.

§. 362. Quod ad SVVIETENII attinet opinionem, is, dum febrim hanc a levissima interioris uteri superficiei inflammatione deducit, planum quoque facit, et explicatu facillimum, cur puerperæ interdum ea careant, tunc nimirum, cum placentæ avulsio ita lenis fuerit, ut nullam utero vim intulerit, vel cum placenta sponte, et tota ita exciderit, ut nihil reliquum, ne *Hunterianæ* quidem aliquid, uteri cavo adhæserit. Quando vero contrarium evenit, ut vel vis aliqua in avellenda placenta adhibita sit, vel aliquid membranæ chorii utero adhæserit, non modo febris, Expenditur opinio Svvietenii.

quam lacteam dicunt, supervenit, verum etiam eam comitantur dolor, tensio, tumor aliquis regionem uteri occupans, atque eodem prorsus tempore circa pudendum, vel in urina emittenda calor quidam, ardorque, etsi non magna percipitur. At ubi neutrum acciderit, nec ulla ejusmodi incommoda uteri regionem infestent; contra vero mammæ doleant, tendantur, et tumeant, si tamen febris accesserit, ut non raro fit, poteritne hæc memoratæ uteri inflammatiunculæ adscribi? Non quidem; cum SVVIETENIUS ipse hujusmodi caussam non ita perpetuam habet, et solam, ut alteram, lactis nempe copiam mammas distendentem, omnino excludendam velit. Major potius difficultas in eo sita videtur, quod interdum nulla uteri culpa, nullus molestiæ in mammis sensus antecedat, aut comitetur, et nihilo tamen minus febris lactea puerperas corripiat. Quid tum? An ab humorum uberiori ad mammas confluxu, an a chorii reliquiis utero adhærentibus eam natam tunc dixeris?

Non una hujusce febris caussa.

§. 363. Quas ob res vehementer suspicor, non unam febris hujusce originem, naturamque esse, sed aliam atque aliam; quamquam vulgo *lactea*, quasi a lactis secretione proflueret, perperam, atque improprie nuncupetur. Et primum quidem probabile admodum est, ut plurimum hanc febrem a sola uteri contractione, quæ modo citius, modo serius contingit, pendere. Contracto enim utero, atque adeo parcius, aut dilutius fluentibus lochiis, quod modo altero a partu die, modo tertio, modo quarto accidit, ita sanguinis circuitus permutatur, ut hac de caussa solum cordis arteriarumque motus concitetur, febrisque, brevi tamen cessatura, restituto nimirum æquabili humorum omnium circuitu, oriatur. Quod si

aliquid impuri humoris ab utero, aliisque imi ventris visceribus post fœtum editum nec pressis amplius, nec distentis in sanguinem, lymphamque remeet, qui mora, et stagnatione graviditatis tempore vitiari aliquomodo potuit; tum febris inde nata longius trahetur, iterabitque accessiones suas, donec omnis impuritas sudore, urina, aut alvi fluxu expulsa fuerit, quod intra tres, quatuor, aut quinque dies fieri consuevit. Nulla contra febris accendetur, si contractio uteri adeo lenis sequatur, ut nullam sensibilem in sanguinis circuitu perturbationem efficiat, aut si ab utero, reliquisque partibus nullus sanguini, aut lymphæ vitiatus humor affundatur, qui per febrim expurgari debeat. Quo casu nec lochiorum fluxus præter naturæ ordinem minuetur, nec lactis secretio quidquam incommodi præter levem mammarum distentionem procreabit. Lochia porro decolorari, aut imminui accedente febrili motu, atque iterum, eo cessante, rubicundiora, et copiosiora restitui, maxime rationi consonum est, nec quisquam mirabitur.

§. 364. Non tamen inficior, interdum tantam sanguinis, humorumque vim ad mammas confluere, ut immodice tumeant, caleant, doleant, et quodammodo inflammentur. Verum tum febris, quæ ex hujusmodi caussa excitabitur, non præcedet, ut modo descripta, sed subsequetur mammarum tumorem, lactisque secretionem. Hæc proprie lactea dici poterit, utpote quæ a lactis nimia copia, et congestione dimanat, et symptomatica est, nec ulla eget crisi per sudorem, aut diuresim, sed sola tantum humorum imminutione, et revulsione, aut lactis suctione solvetur. Tantoque molestior, pertinacior, et diuturnior erit, quo magis pars aliqua in tumorem excre- *Quæ proprie lactea dici possit.*

scat, aut lacte coacto indurabitur. Hoc genus mali febrim symptomaticam moventis commune quoque est Nutricibus; quod, quando brevi discutitur, vulgo Bononiæ *mal del pelo* dicitur; si vero gravius vexat, facile in mammarum abscessum desinit.

Quando ab uteri levi phlogosi oritur.

§. 365. Differre vero ab his speciebus (§§. 363. 364.) videtur ea febris, quam levis interioris uteri caveæ ex sententia SWIETENII inflammatio parit (§. 359.). Hæc enim, quando incidit, quoniam puerperas huic quoque obnoxias (§. 362) esse posuimus, uteri dolorem, tumorem, calorem, dysuriam, aliaque symptomata, de quibus supra retulimus, paullatim consequitur, et modo citius, modo tardius corripit, desinitque pro vario phlogoseos gradu, atque intensionis duratione, et pro vario tempore, quo inflammatio ipsa, cujus febris isthæc symptoma est, aggreditur. In hac præterea lochia decolorantur, et successive fœtent, purisque naturam assumunt, et si gravius malum est, inter initia non modo imminuuntur, sed etiam fere omnino deficiunt. Non enim perpetuum est, lochia, febri accedente, minui, aut deficere, aut decolorari, aut fœtere. At si, quacunque ex caussa, uti ex frigore admisso, terrore, animi pathemate, odoramentis, placentæ frustulis retentis, sanguineis concretionibus, aliisque similibus lochia restitent, cohibeantur, repellanturve, aliud sane febris vehementioris genus oriatur, necesse est, ab hisce omnino (§§. 362. 363. 364.) cum origine, et natura, tum symptomatum gravitate, et periculo, tum effectuum varietate, atque exitu diversissimum. Vera enim inflammatio uteri tunc morbum facit, vel caput, vel pectus, vel aliæ nobiliores partes per metastasim pessime occupantur, ut inde plurima,

Quando ab uteri inflammatione.

funestissimaque mala puerperas in summum vitæ discrimen adducant.

PROGNOSIS, et CURATIO.

§. 366. Generatim febris lactea, si indicato tempore incipiat, et levior sit, biduo, aut triduo finitur, aut si aliquanto longior persistat, quarto, aut quinto die, leni, ut dictum est (§. 358.), sudore, urina multa, aut crassa, interdum etiam liquidiore alvo, aut lochiorum fluxu, quæ non nihil substiterant, copiosiore restituto. Passimque periculi expers habetur. Verum accurate indaganda est ejus origo, et natura, antequam quidquam de prognosi, aut curatione pronuncietur. Si igitur ejusmodi videatur, qualem (§. 363.) descripsimus, vix Medici opera indiget, dummodo mitis sit, et cito remittat, lochia leniter fluant plethora absit, nec quodpiam aliud symptoma gravius præsto sit. Tunc enim satis est puerperam quiescere, a luce vividiore, sermonibus, aut confabulationibus arceri, capite elevato decumbere, corpus a frigore defendi, potu tepido, aperienti, inodoro, grato, humores diluere, blandæque diaphoresi operam dare, victu tenuissimo ex jure pulli, simplici, aut cum pane decocto, ad justa intervalla prudenter tributo uti. et clystere molliente, sine stimulis, oleo olivarum, ubi opportunum visum erit, addito, singulis aut alternis diebus alvum laxare, aut jam laxam abstergere, donec integritas redeat. Raro sanguinis missione opus est. Si tamen lochia æquo parcius fluant, aut, quod magis urget, sistantur; plethora vasa turgeant, facies rubeat, caput doleat, et pulsationibus feriatur, aut spiritus difficulter ducatur, febris vehementius exardeat, cum pulsu pleno, forti,

Prima species quomodo curanda?

et duro, aut suppresso, aut uteri regio compressa aliquem doloris sensum edat, tunc sanguinem incisa in pede vena mitti protinus oportet, ne ex levi alias morbo in pejorem, gravioremque fiat transitus; idque interdum, ni remittant Symptomata, prudenter repeti.

Secunda species vere lactea dicenda.

§. 367. Si vero ex signis (§. 364.) comperiatur, febrim vere *lacteam*, nempe a copia humorum, aut lactis ad mammas congesti esse, non alia curatio adhiberi debet, quam quæ mammarum inflammationi. Resolutio itaque omni cura tentanda est, primum abstinentia, quiete, dato jure pulli tenui, singulis quatuor horis repetendo, aut bis in die panatella liquidiori, quæ non multum lactis proventum augeat, potu aquoso, leniter diuretico, cui subinde interponatur pulvis oculorum cancrorum cum nitro commixtus, ut temperet, acidamque acrimoniam absorbeat; deinde etiam, si lochia parcius fluant, febris protrahatur, pulsus vehemens, et durus, et plenus sit, et reliqua Symptomata, quæ inflammationis indicium præbent, una concurrant, aut capitis dolor, aut spirandi difficultas aliquod auxilium petant, ad sanguinis missionem ex pede deveniendum est, pro circumstantiarum ratione etiam iterandam; nec omittenda enemata, quæ molliant, et leniter alvum laxent. Extrinsecus porro dolentibus mammis, tensis, et nimium calentibus lintea imponi debent ex decocto malvæ expressa, et identidem renovata, super datis semper linteis duplicatis siccis, et tepentibus, ne fomenta justo citius frigescant, frigoreque noceant. His sæpe fit, ut laxatis viis lac e papillis ubertim extillet, quod maxime levat. Si rubor quasi erysipelatodes summam cutim teneat, non alienum est aliquid aceti simplicis, cujus odor ferri

Ejus curatio.

innoxie solet, decocto malvæ adjicere, ut magis resolvens, et temperans evadat. Sed a resolventibus protinus temperare oportet, ac dolor, et mammæ relaxantur; nam cauto opus est, ne lactis subita ad interiora metastasis fiat, a qua plurima mala timeri possunt.

§. 368. Alii fomentorum humidorum loco præcipiunt, mammas operiri linteolis siccis, calidisque, atque hæc, cum primum lacte maduerint, continuo renovari, ne frigescant; idque fieri volunt cautione adhibita, ne frigus admittatur, et noceat. Calorem autem hujusmodi sæpe antecellere quibuscunque aliis remediis, ut petroselino, appio, menthæ, Chærephyllo, farinæ fabarum, aut secalis, melli, vini fæcibus, butyro recenti in spiritu vini soluto, emplastris diachylon, aut spermatis ceti, aliisque, quæ admoveri solent, auctor est LIEUTAUDIUS (*a*). Verum etiam calor iste, nisi temperatissimus sit, noxa non vacat. Interdum enim in caussa fuit, cur repente ut a frigore, sic a nimio calore contractis fibris vasorum lac repercussum, cerebrum, pulmones, aliasque interiores partes impeteret, apoplexias, pleuritides, peripneumonias, inflammationes, abscessusque inferens, funesta videlicet mala, quæ a lacte nomen habent. At præstantius non novimus auxilium tam ad mammas tuto molliendas, quam ad avertenda lactis metastasim, lactatione. Bis igitur quotidie mammis alumnus admoveatur, aut si per ejus infirmiorem ætatem non liceat, curandum saltem est, ut lac per aliquam mulierem, aut per catellum, aut per syphonem accommodatum exsugatur, donec infans, febre in primis discussa, libere id ipse facere possit. Fomenta sicca.

(*a*) Précis de Médecin. l. III. p. 649.

Lac non dantibus quid conferat.

§. 369. Illis vero, quæ lac infantibus dare nolunt, ut pleræque hodie sunt, inclinata jam febre prodest quam maxime *arcanum duplicatum*, a scrupulis binis ad drachmas duas in quatuor partes divisum, et justis intervallis in singulos dies datum ex hausto diluti tepidi capillorum veneris. Hoc enim sale, teste LEURETO qui primus ejus usum hoc in casu proposuit, atque experientia suffragante, non solum lochia leniter promoventur, quod maxime interest, verum etiam urinarum, alvique excretio sollicitatur; quo potissimum fit, ut lactis exuberans copia per hasce vias utilissime foras emittatur (*a*). Continuari autem hujusmodi remedium debet, donec nihil lactis in mammis appareat, totumque e corpore eductum videatur. Non reticendum hic est, quorumdam in more positum esse, nona circiter die, qua febris lactea desisse consuevit, alvum leni medicamento subducere, si prius non satis responderit; idque eo consilio præstant, ut lactis reliquias deturbent, a quibus alioquin retentis vehementer sibi timent. Verum non universim, nec sine deliberatione in puerperis ad alvi ductionem properandum est, præsertim lochiis rite, abundeque fluentibus. Hæc enim a præpropera purgatione, aut temere instituta, facile supprimuntur, et periculosas metastases faciunt. Alvo igitur pigra; lochiis imminutis, aut deficientibus; lacte sæpius ad mammas redeunte; appetitu dejecto; oris sapore depravato; somno a falsis imaginibus perturbato, poterit tuto alvus laxari sale aliquo medio, uti Anglicano, aut Mutinensi, aut Polychresto, aut eodem ipso Arcano duplicato ad quatuor, aut sex drachmas in magna aquæ calidæ copia soluto.

Arcanum duplicatum.

Purgatio.

(*a*) L. c. §. 948.

§. 370. Hæc quod ad febris Lacteæ curationem. Verum scire etiam convenit, qua ratione ea anteverti, aut minui possit. Itaque duodecim circiter a partu horis, postquam puerpera somno refecta est, si lac præbere velit, recens natum uberibus admovere debet; nam suctio matura, et subinde repetita facit primum, ut lactis secretio facilius in mammis succedat, deinde lacte educto cavet, ne mammæ ultra modum turgeant, inflammenturque. Quæ vero nutrici infantem tradunt, aut ita mammas habent turgidas, ut ab eo depleri nequeant, mulieris egent opera, aut alio artificio, ut supra dictum est, quo lactis copia minuatur. Copia item arcetur victu parciori, et parum alibili, et lac serosius, liquidiusque, ut citius aut sugi possit, aut effluat, redditur potu aqueo, et facile transeunti. At his periculosior casus est, si lac mora acescens, aut vitiatum repente e mammis recedat, sic ut omnino flaccescant, et gravibus aliæ partes symptomatibus (§. 368.) cum febre vehementi occupentur. Tunc illico sanguinem ex pede potissimum mitti expedit; alvum laxare; lochia, et urinas leniter ciere; ut lac oberrans ad excretionem ducatur; imo si fortius malum urget, cantharidibus vesicas excitare, novumque materiæ exitum aperire.

Quomodo præcaveri possit febris lactea.

Quid agendum in lactis metastasi.

§. 371. Si signa demum levis uteri phlogoseos, qualis ea est, de qua Swietenius disseruit (§§. 359. 365.) prævalere videatur, præter eam curationem, quam supra (§. 366.) commendavimus, poterunt etiam usui esse fomenta emollientia, uteri regioni imposita, et oleosa intrinsecus dari, ut facilius, quæ utero inhærent, secedant, et prodeant. Quod si lochia suppressa majoris inflammationis metum (§. 365.) incutiant, revocari quantocius

Tertia species.

ea debent. Nemo est, qui tunc venæsectionem non approbet. De loco tamen, unde mitti præstet, aliqua quæstio moveri solet. Plerique vero conveniunt, si lochia omnino, et repente suppressa sint, caputque aut pectus impetant, aut in uteri vasis retenta tumorem inflammatorium efficiant; ex venis brachii latioribus mittendum liberaliter esse, ut validior ab affectis, prægravatisque visceribus revulsio fiat; contra si tantum imminuta, ex pede, ut iterum revocentur, et debita copia fluant. Putant enim secta in pede vena, ad uterum copiosius sanguinem allici, atque, ut ajunt, derivari; quamquam, ut ego arbitror, secta etiam pedis vena ab utero revellere videatur. Venæ enim pedis cum iliacis externis respondeant, necesse est, ut, his depletis, minor ad iliacas internas, quæ utero sanguinem afferunt, dato tempore fiat influxus; in quo revulsio consistit. Quod si nec lochia post venæsectiones iteratas redeat, nec congestio sanguinis circa uterum digeratur, summum præsidium est in hirudinibus vulvæ labiis interioribus applicitis, atque in mitissimis, emollientibusque liquoribus in uterum tepide per syphonem crebro injiciendis. Inter hos oleum amygdalarum dulcium recentissime sine ignis ope expressum præstantissimum est. Fere eadem curatio convenit in uteri ipsius phlegmone, quam placenta retenta, aut laboriosior partus, aut vis externa adhibita intulerit.

Sanguis unde nam mitti debeat.

V. S. in pede revellit ab utero.

Nutricum febris lacteæ curatio.

§. 372. Quæ demum tumoribus mammarum, qui nutricibus extra puerperium superveniunt (§. 364.), opportunior curatio adhibenda sit, Chirurgiæ scriptores uberrime docent. Præcipue vero ex iis, quæ alibi de inflammatione universim tradita sunt, peti possunt. Illud tantummodo superest, quod moneam, lente omnino post

depulsam febrem lacteam ad pleniorem victum esse redeundum, et corpus a frigore, aere, aliisque noxis probe defendendum.

FEBRIS GASTRICA ACUTA (*).

§. 373. Hujus quoque loci est illud febrium genus, quod, etsi varie ab auctoribus denominetur pro differenti sede, qua ejus fomes insidere creditur, aut diversa ipsius fomitis natura, et pravitate; rectius tamen cum BALLONIO (*a*) *Gastricæ* nomine nuncupandum videtur, dummodo *acuta febris*, non *lenta* hac voce (*) intelligatur. Quocunque autem nomine scriptores eam appellarint, febrem videntur significare voluisse, quæ originis sedem in imo ventre habeat, et a cacochylia, sive a pravis, corruptis, putridisque materiebus, succisque primas vias infestantibus, et sensim in sanguinem irrepentibus (1) gignatur, quaque alvi dejectionibus cum spontaneis, tum arte promotis levetur et solvatur. Quid hoc nomine intelligatur.

(*) SYNONYMA.

Febris a putredine orta ALEXANDRI TRALLIANI, lib. XII. cap. 12. Febris putrida Monspelliensium, FIZESII Tract. de febrib. LE ROY second. Mémoir. sur les Fievr. p. 243. Febris putrida quorumdam *Recentiorum*. Febris mesenterica BAGLIVII, Prax. Medic. lib. 1. De feb. malig. & mesenteric. §. 3. & 4. Febris acuta mesenterica BURCHARDI, Diss. de Febr. acut. Mesent. Febris acuta stomachica, & intestinalis HEISTERI, Compend. medic. Pract. cap. V. Febris stercoralis QUESNÆI, Des Fievr. T. 2. p. 367. Febris intestinalis, & mesenterica a cacochymia atrabilaria RIEDELII, De Febr. Intestin. §. XV. Febris putrida, aut biliosa TISSOTII, Avis au Peuple Premier. Part. chap. XVI. pag. 263.

(a) Epidem. l. 2. p. 117. 120. (*) *Quæ enim* Mesentericæ *vocantur passim, atque a* FERNELIO *nomen habent, non sunt hujus generis; nam ad lentas,*

& symptomaticas pertinent, de quibus, ubi de Hectica, jam mentio facta est.

(1) *Viæ, quæ aditum in sanguinem præbent, non sunt tantum vasa lactea, verum etiam vasa absorbentia, quæ ut minus irritabilia promptius, faciliusque recipiunt quemcumque humorem, licet acrem, & irritantem.*

Quid cacochylia nobis sit.

§. 374. Cacochyliæ autem nomine venit quidquid in ventriculo, intestinis, hepate, pancreate, aliisque imi ventris visceribus a naturali statu alienum nidulatur, corrumpitur, aut alio quovis modo noxium est; sive id primario ibi hæreat, et stagnet, sive a totius corporis habitu, aut aliunde illuc confluxerit, et coacervatum ibi sit. Cujusmodi sunt cruditates, et quæcumque alimentorum degenerationes in ventriculo collectæ; excrementa in intestinis cunctantia, atque ad insigniorem corruptionem evecta; bilis in ductilibus suis, et cystide fellea uberius congesta, et putrescens, aut in duodenum, ventriculumque effusa, aut illapsa et diu nimis ibidem remorans; gastricus, pancreaticus, aut entericus succus similiter vitiatus; sanguinis, reliquorumque humorum recrementa aut retenta, aut retro pulsa atque ad intestina traducta; vermium varia genera; prava; noxia, putrida, venenata potus, cibi, medicamenti forma ingesta; miasmata absorpta, deglutita, et ventriculo, intestinisque inhærentia; uno verbo ea omnia ex his, quæ purgatione educi possunt, atque educta morbum imminuunt, aut penitus tollunt.

Cur gastrica sectius appellatur.

§. 375. Quia vero cacochylia ista primarum viarum aut putrida, aut ad putrescendum valde prona generatim hodie habetur; ideo Monspelienses, Tissotius, aliique (*) febrem inde genitam *putridam* nominarunt; verum fortasse non

satis apposite, nec accurate; nam fomes iste febrilis variis modis nocere potest, variisque vitiis præditus esse, quin *putridus* existat; et nomen *putridæ* pluribus aliis febribus (**) non modo a Veteribus, sed etiam a Recentioribus inditum est, sic ut rectius *gastrica* hujusmodi febris appellanda videatur. Putridæ enim vere dicendæ illæ videntur, in quibus vis putrefaciens sanguinem ipsum dissolvit, et putredo ipsa sanguini inest, paullatimque in eo proserpit. Quæcumque igitur febris, ut alibi indicavimus, sive continens, sive remittens, sive intermittens, aut composita fuerit, cum putrida sanguinis dissolutione conjungitur, putrida dici potest, nec peculiare quoddam febris genus ea constituit. In vere putridis autem putredo ita propagatur ut, quamvis corrupti humoris portio subinde secedat, excernaturque, febris tamen non ideo decrescit, vel minuitur, sed nihilominus pergit adhuc exurere, et deflagrare. Contra res se habet in febre *gastrica*, sive ex cacochylia primarum viarum orta; nam colluvie hac per purgationem subducta pleraque symptomata decedunt, et febris ipsa proportionate mitescit. Quod si ob fomitis partem cum sanguine communicatam, cumque eo effervescentem, febris non penitus evanescit; ipsa tamen extenuatur, prout saburra extunditur, detrahiturque. Quo sane discrimine *gastrica febris* a reliquis vere putridis vulgo dictis apprime distinguitur.

(*) *Passim Monspellii, referente* LE ROY, (l.c.n.p.) *omnes febres rediguntur ad duo summa genera; ad* putridas *nempe, &* malignas. Putridæ, *quæ in primis viis fomitem, ut supra notavimus, habent, acutis quidem accensentur, & symptomatibus gravibus stipantur, non tamen admodum periculosis. Quibus contra symptomata superveniunt periculosa & terrentia, eæ malignæ habentur.*

(**) Putridæ *a Galenicis vocabantur, ut ostensum supra fuit, omnes febres, exceptis ephemeris, & hecticis; & præsertim* Synochi. *Hodie* pestilentes, veræ petechiales, carcerariæ, contagiosæ, nosocomicæ, *& pleraque* malignæ *passim* putridæ *dicuntur, ut apud* HUXHAMIUM, PRINGLIUM, STORCKIUM, QUARINIUM, *aliosque quam plurimos videre est. In hunc locum opportunissime cadit id, quod adversus veterum sententiam scriptum reliquit* ALEXANDER TRALLIANUS. *Is* (lib. 12. cap. 2.) *postquam ex eorum sententia multa de febribus ex putredine oriundis protulit, hæc habet:* Nonnulli vero medicorum nullam prorsus in venis putredinem fieri, sed magis in ventre existimarunt. Ejus autem rei fidem faciunt tum ex vermibus, quæ in eo generantur, tum ex recrementis subductis, quæ & malum odorem, & ad putredinem nihilominus inclinationem repræsentent. Indicant hoc quoque vomitus, inquiunt, qui crebro tam perfecte febres exciderunt, ut æger non amplius malam accessionem sit expertus. Jam alia rursus a febri liberatos ex una, & sola sorbitione, vel injectione conspexisse, verum non ex his modo, sed aliis quoque multis accurate videre licet, quod venter etiam febrium ex putredine ortarum causa existat, forsan autem aliarum quoque fons, & origo ipse proprie existit.

Remittens semper est.

§. 376. Quotidianæ continuæ ut plurimum servat typum et morem Gastrica febris. Non negamus tamen, interdum eam varias periodi subire vices, nempe Tritaeophyarum, aut compositarum, aut erraticarum simillimam. Sed semper vere remittens est, et cacochyliæ primarum viarum notas habet; in quo ejus character omnino consistit. A QUESNÆO acriticis, sive excrementitiis, ut ipse loquitur, febribus adnumeratur; quia neque coctionis, neque legitimæ criseos capax est, utpote quæ sola impuræ colluviei subductione curatur. Id ipsum jam ante QUESNÆUM docuerat BAGLIVIUS (*a*), inutilem in hac febre dierum criticorum considerationem ratus, cum coctionis,

criscosque legibus minime eam respondere vidisset.

(*a*) Prax. Med. l. c. §. IV.

§. 377. Eam antecedunt caussæ, quæ ciborum coctionem lædunt, perturbant, et depravant; quæ perspirationem cohibent, et ad intestina convertunt, quæ bilem uberiorem, aut acriorem reddunt, fibrarum robur minuunt, motum humorum in imo ventre retardant, secretiones, excretionesque viscerum abdominalium supprimunt, cruditates, impuritatesque ventriculo, aut intestinis suppeditant, uti austrinæ constitutiones, pluviæ immodicæ, aquarum inundationes, crebræ frigoris et caloris vicissitudines, vegetabilium recentium, vini, aceti, et cerealium seminum inopia, panis mucidus, aut vermibus scatens, aut aliter suspectus, fructuum immaturorum, aut facile putrescentium, et carnium, aut lacticiniorum, aut crudorum alimentorum abusus, vita deses, aut curis, vigiliis, studiisve nimium distenta, mœror, pathemata diuturna, et præ ceteris æstas præfervida, ver humidum, et pluviosum subsequens, atque alia hujusmodi. Addunt etiam nonnulli atmosphæram putridis halitibus refertam, atque effluvia locorum palustrium: quamquam ex his febres nedum gastricæ, verum etiam nervosæ, et quæcumque aliæ malignæ, epidemicæ, contagiosæ, imo morbi ipsi exanthematici gigni soleant. Caussa antecedente.

§. 378. Quibus vero jam imminet morbus, hi aliquot ante diebus valde languent; capite, lumbis, et genibus dolent, aut pondus, et gravitatem toto corpore sentiunt; interdum vehementi cephalalgia vexantur; pravo oris sapore, matutinis præsertim horis afficiuntur; cibum fastidiunt, Signa imminentis morbi.

ac aversantur: et noctes inquietas, insomnesque sine ullo alio plerumque symptomate transigunt. Signa jam incipientis. Deinde incipiunt per vices horrere, et incalescere, donec tandem calore sicco, atque acri exardeant. Tunc pulsum, qui horroris tempore erat parvus, et celer, se incipit efferre, et quandoque fit vehemens, non tamen durus, uti in synocho utraque esse consuevit, nisi febris hæc, quod non raro evenit, in plethoricum hominem, aut diathesi sanguinis inflammatoria præditum inciderit. Capitis præterea dolor plerumque ingravescit; vomitus aut vomendi cupido accedit, sitis affligit; urina parcior redditur, atque os mani-
Progressus. festius amarescit. Totam ferme noctem hæc perdurant; mane vero adventante omnia aliquantum remittunt; mitescit calor, pulsus etsi perpetuo sit celer, et frequens, et primis etiam diebus inæqualis, aut obscurus; non nihil tamen suæ magnitudinis, et virium deperdit, ægro interea debili, et languido remanente (*a*).

(*a*) Tissot Avis au Peuple Prem. Part. chap. XVI.

Reliqua morbi signa. §. 379. Præter communem sub vesperas febris intensiorem gradum, nonnullis etiam interdiu aut noctu aliæ quædam, atque inordinatæ, primis potissimum diebus, obveniunt quasi accessiones, sive incrementi species, quæ ægrum exagitant. Dentes, lingua, fauces viscida, et tenaci pellicula, modo albida, modo fusca, et nigricante, modo flava, et lutea obteguntur. Quibusdam alvus compressa est: plerisque tamen liquescit, et fluit: sed pauca, liquida, vix levantia descendunt cum crebra dejiciendi necessitate. Dejectiones autem fœtidissimum spirant odorem, nec dissimilis ex ore halitus emanat. Urina cum natura, habitu, et colore, tum copia varia est. Initio plerumqne tenuis, naturalisque videtur,

sive id a spasticis affectionibus, sive a sanguine nondum cacochyliæ ingressu infecto, sed puro, deducere velis: procedente vero morbo crassa, turbida, subjugalis emittitur, et multiplex sedimentum, postquam refrixerit, deponit; talisque ad morbi usque finem sæpissime cernitur. Aliis cutis arida, et aspera est; aliis humida, mollis, et vapore perfusa, sed sine ullo symptomatum, et febris ipsius decremento. Hypocondria, quorum diligens observatio in omnibus acutis perutilis est, plerumque elevantur; turgent, tenduntur, et dolent. Imo Epigastrium in aliquibus, præsertim iis, quibus circa hepar bilis putrescit, et coacervatur, adeo tenditur, et tumet, ut præ dolore ægri manus attactum nec permittant, nec ferant (*a*).

(*a*) MERTENS observ. medic. P. 1. cap. 2.

§. 380. Quamlibet alvi dejectionem ut plurimum prænuntiant anxietates quædam, suspiria, molestæ ventris perturbationes, interiores spasmi, borborygmi, flatuum strepitus, aliaque hujusmodi. Pavor dormientes crebro, et repente excitare consuevit; imo vigilantibus quandoque adeo infestus est, ut ex levi quavis caussa sæpe contremiscant, et trepident. Quod plane symptoma BURCHARDUS certissimum cacochyliæ in primis viis existentis indicium esse asseverat. Pulsum etiam non parum lucis præbere, usus comprobavit. Solet enim, ubi intestina, et ventriculus sordibus scatent, et irritantur, parvus, contractus, inæqualis, atque interdum intermittens esse. Non rarum tamen est, multa ex his desiderari, dubiosque hærere medicos, num primæ viæ excrementis obsideantur. In hac rerum ambiguitate, ut præcipit QUESNÆUS, oportet alvum clystere immisso pertentare. Prompta enim, aut

Pavor in somno, quid significet.

Pulsus qualis.

Quesnæi observatio.

tarda, facilis, aut difficilis excrementorum dejectio, quæ clysterem subsequetur, eorum color, odor, habitusque alienus, aut naturalis, pravum in intestinis fomitem reperiri, vel abesse indicabunt. Sed debet clyster ex iis constare, quæ nec colorem, nec odorem excrementorum immutare, aut confundere possint. Aptissima ad id præ ceteris senna est ex aqua leviter decocta, aut sal catharticus amarus, aut Cremor Tartari, aut quicumque alius sal aqua calenti solutus.

Signa minus propria, pejorem morbum denotantia.

§. 381. His igitur notis (§§. 376. ad 380.) hæc febris potissimum prodit, HEISTERO judice, et teste quando benignior est, et purior. Concedit tamen idem exercitatissimus Auctor, eam non raro sibi alia assumere symptomata, quæ non tam febrem ipsam, quam pejorem ejus naturam, gradum, malignitatem, majusve ægrotantis discrimen indicare queant. Nam ubi malum aut soli naturæ committitur, aut inepta curatione exasperatur, aut sua pravitate remediorum eludit præsidium, quod sæpissime in epidemicis quibusdam constitutionibus, in quibus exitiosiores caussæ eam gignunt, incidere observatur; tunc accessiones vehementius invalescunt, tardius, vel minus remittunt, crebrius redeunt, duplicantur, triplicantur, aut inordinatæ, atque erraticæ fiunt. Hinc in scenam prodeunt summæ præcordiorum anxietates, epigastrii, aut lateris unius secundum hypochondria dolor acutissimus, pleuritidem simulans; virium defectiones; lipothymiæ; ardor interiorum partium, exteriorum frigus, aut tepor; singultus; tremores manuum, tendinum subsultus; mentis emotiones; ventris, atque hypochondriorum, quorum pernecessaria Medico est frequens contrectatio, meteorismus; motusque spastici, quibus faciei musculi convelluntur.

§. 382. Ad hæc aut sponte, aut ex calefaciente, ut vocant, regimine, aut alexipharmacorum, sudoriferorumque abusu, aut negle&a alvi ductione, atque ideo invecta in sanguinem morbida saburra maculæ rubræ, aut lividæ, aut obscuræ pulicum aut culicum morsibus similes in summam cutim erumpunt, præsertim circa collum, dorsum, et pectus, et tum *petechialis* vel *purpurata* febris vulgo appellatur, quamquam a *petechiali vera* sive a *morbo petechiarum*, in quo *petechiæ* primarium morbum continent, ut alibi videbimus, multum discrepare videatur. Interdum etiam *exanthemata* tam rubra, quam alba, grana milii referentia, modo *peticulis* intermixta cum molesto pruritu prodeunt, et *morbum miliarem*, de quo alibi agemus, æmulantur: quæ tamen hic, ut secundaria, et epigomena haberi debent. Et tunc *miliaris febris* sæpe nomen obtinet. Ubi vero malignitatis signa præsto sunt, et peticularem febrem simulat, quin tamen peticulæ erumpant, *maligna* et *petechizans* a nonnullis dicitur, item *morbillosa*, et *catharrhalis*, cum morbilli cum ea, aut catarrhales affectus complicantur. Hujusmodi profecto fuit *Febris catarrhalis putrida* anni 1768. a CAROLO MERTENSIO descripta, et pari doctrina et felicitate curata (*a*). Nec absunt interdum materiæ morbificæ ad alias partes transmigrationes. Ad aures translata, surditatem; ad glandulas, parotides, similesque tumores inflammationes, atque abscessus; ad fauces, anginam; ad pectus, pleuritidem, et peripneumoniam; ad cerebrum, vigilias, delirium, phrenitidem, aut soporosos affectus inducit. Quamquam multa ex his sæpe eveniunt per solam nervorum, aut vasorum, aut membranarum, ut nonnullis etiam placet, consentientium vim, quemadmodum ex eo demonstrari videtur, quod interdum alvo sive

Peticulæ.

Miliaria.

sponte, sive medicamento soluta penitus evanescunt.

(*a*) Observat. med. de Febrib. putrid. & pest. P. 1. cap. 1.

Signa gravissimi morbi.

§. 383. Quo casu (§§. 381. et 382.) tandem evenit, ut, mente sive delira, sive profundo somno oppressa, ipsa excrementa alvi, et cum his sæpe lumbrici egeruntur, insciis plerumque, aut non animadvertentibus ægris; qui supini omnino jacent, ad crura sensim delabuntur, et cuncta miserrime respuunt auxilia. Nec raro muscas venantur, festucas colligunt, garriunt, obmurmurant. Inter hæc pulsus fiunt exiles, celeres, inæquales, obscuri, intermittentes, nec facile eorum numerari ictus possunt. Sudor frigidus undique manat; pectoris cavum oppletur; stertor succedit, et demum mors feralium symptomatum agmen claudit.

Quando benigna est et legitima.

§. 384. Quando vero benignus, purus, legitimus, nec ulla cum malignitate conjunctus morbus est (§§. 378. 379. 380.) nec arte, aut neglectu pervertitur, aliquandiu in eodem primo illo stadio, quod supra expositum est, persistit, quin ingravescat, aut minuatur. Postea mitior fit; symptomata omnia pacantur; accessiones minori profecto vi recrudescunt; citiusque, et manifestius se se remittunt, capitis dolor tolerabilior est; alvus non ita crebro, sed facilius excrementa dimittit, quæ ut concocta magis, et copiosiora descendunt, sic evidentius, certiusque relevant ægrotantes. Urinæ pariter uberius profluunt; somnus incipit facilior, et placidior esse, laborem non faciens, vires, animumque restaurans; lingua naturalem colorem, atque humiditatem acquirit; gustus emendatur; aliqua redit cibi cupiditas, et

paullatim, cute molliori, et vaporosa ubique reddita, omnium functionum pristina integritas restituitur.

§. 385. Ergo prima hujusce febris differentia est, ut vidimus, in *benignam*, et *malignam*. Posteriorem ostendunt virium lapsus, symptomata graviora, exanthemata, nervorum affectus, spasmi, delirium. Horum absentia priorem. Pro diversa vero gastricæ cacochyliæ natura, et ratione, variæ etiam differentiæ eliciuntur. Hinc *pituitosa*, sive *glutinosa* SARCONII et SELLII (*a*), *biliosa* TISSOTII (*b*), et *verminosa* J. B. MOREALIS (*c*), aliorumque proficiscuntur; prout nimirum vel pituita, et mucus, vel bilis, vel vermes primarium febris fomitem continere creduntur. *Pituitosam* indicari dicunt lingua glutinosa, alba, quasi lardo obducta; saliva viscida fauces atque os replente; urina tenui, limpida, aut turbida; sapore oris fatuo; appetitu deficiente; victu antecedenti ex crudis, farinaceis, glutinosis; temperamento pituitoso, et melancholico. *Biliosam* sapore amaro, lingua flava, vel certe non mucosa, vomitu, aut diarrhœa biliosa; temperamento cholerico, flavo cutis colore, urinis subictericis, aut lateritiis. *Verminosam* lumbricorum signis alibi a nobis traditis; sed præsertim eorumdem frequenti excretione. Verum etsi singularum notæ, quibus discerni eas posse putant, enumeratæ modo sint, non tamen existimaverim iis esse multum tribuendum, cum sæpe omnes illæ caussæ una concurrant; nec pathognomonicæ ita sint, ut earum ope certa semper cujusvis differentiæ diagnosis haberi queat.

Dividitur igitur in benignam, et malignam.

Aliæ differentiæ, earumque signa.

(*a*) Piretol. p. 242.
(*b*) Avis au peuple chapit. XVI. p. 263.
(*c*) Delle febbri maligne contag. prodotte da vermi. Modena an. 1759.

Gastrica inflammatoria. §. 386. Nec rarum est, *gastricam* febrem cum diathesi inflammatoria sanguinis, quin imo cum peculiari quarumdam partium inflammatione complicari. Hinc *gastrica inflammatoria* apud nonnullos tunc audit, et plerumque ab initio continens est, quamquam deinde, sublata inflammatoria diathesi, mox remittentis speciem assumat. Gastrica biliosa. et putrida. Interdum etiam in ea nedum cacochylia gastrica, verum etiam sanguinis nimia tenuitas, aut putrida dissolutio conjungitur. Quando id accidit, *gastricam*, aut *biliosam putridam* aliqui eam vocant. Talis videtur fuisse *febris biliosa Lausanensis* TISSOTII (*a*), *maligna verminosa* MOREALIS (*b*). *Febris continua putrida cum vermibus* VAN DEN BOSCHII (*c*), *putrida biliosa anni* 1769. MERTENSII (*d*), *Febris biliosa castrensis, et locorum palustrium* PRINGLII (*e*) et pleræque *gastricæ epidemicæ*, et *malignæ* ab auctoribus descriptæ. Atque hæ sunt præcipuæ differentiæ, quæ in febrem gastricam cadunt. Num vero pro tot gastricarum generibus habendæ sint, quæ innumeras fere species comprehendant, ut SELLIUS posuit, vehementer dubitamus. Neque id naturæ valde consentaneum, nec clinicis satis commodum videtur.

(*a*) Dissertat. de febrib. bilios. seu Histor. epidemiæ biliosæ Lausanensis an. 1754. (*b*) L. c.

(*c*) Histor. constit. epidem. verminosæ quæ annis 1760. 1761. 1762. & initio 1763. &c. cap. 5. sect. §. 25.

(*d*) L. c. P. 1. cap. 2. pag. 50.

(*e*) Osservaz. sopra le malattie d'Armata P. III. cap. IV. §. 1. 2. 3.

PROGNOSIS.

Prognosis varia. §. 387. Generatim hæc febris certos, statosque non habet sive salutis, sive exitii terminos. Nam

aliæ leves sunt, et benigniores, aliæ gravissimæ, aut malignæ, prout nimirum paucioribus, aut pluribus perniciosis symptomatibus, et quidem fibrosum, nervosumque genus plus, minus afficientibus insolescunt, et terrent. Ex solis enim spasticis affectionibus, quæ in hac febre excitantur, non raro lethales peripneumoniæ, pleuritides, anginæ, cardialgiæ, colici, aut iliaci dolores, cephalalgiæ acutissimæ, tusses vehementes, summa virium dejectio, lethargus, phrenitis consequuntur, quemadmodum supra indicatum est: sicque complura mala implicatissima oriuntur, quæ varios periculi, et perniciei gradus constituunt. Majus quoque periculum est, quando cum aliis morbis complicatur, nempe cum morbillis, cum variolis, exanthematis miliaribus, cum synochis putribus, aut imputribus, præsertim ardentibus, cum particularibus inflammationibus, aliisque acutis morbis.

§. 388. Attamen quando levior est, plerumque paucos intra dies finitur. Contra, si gravior, nonnisi exactis sex hebdomadis, imo etiam longiore tempore. Tanta vero diuturnitas morbi non a sola morbificæ materiæ copia, et pravitate, sed plerumque etiam a præpostera curandi ratione proficisci solet; nam communius ejus curriculum intra quatuordecim, aut intra triginta dies, quando longius procurrit, circumscribitur. At quoties vehementissimis urget symptomatibus, inepteque curatur, sæpe accidit, ut ægros jugulet nona die, interdum decima octava, aut vigesima. Quandoque etiam post varias spei, et timoris vicissitudines ad quadragesimam, qua demum solvitur, ut modo innui, protrahi visa est. Ideoque etiam funestissima omnia videntur, ne statim exitium inevitabile prædicatur, quia non ra- Curatio.

ro, cognita, expulsaque per vomitum, aut alvi dejectionem materiali caussa, cito, atque inexpectato dissipantur.

Alvi fluxus quid indicet. §. 389. Alvi fluxus, qui ut plurimum supervenit, aut comes est, si arte, aut casu supprimatur, tum ægrotantium res in pejus ruunt, translata ad interiora, nobilioraque alia viscera gastrica, corruptaque cacochylia. Quod STAHLIUS ipse, et reliqui ejus asseclæ, ubi de febre *catarrhali maligna Germanorum*, sive *epidemica*, et *petechizante*, quam reapse ad gastricas spectare infra demonstrabimus, speciatim loquuntur, luculenter testatum faciunt. At dejectiones tenues, liquidæ nimis, aquosæ, aut sinceræ non vacant periculo. Contra bonum omen portendunt excrementa paullo spissiora, pulticulæ similia, et fœculentiora, minusque fœtentia. Gastrica maligna, aut epidemica, biliosa, putrida, aut cum aliis morbis complicata perniciosior, difficiliorque esse consuevit. Respiratio quo liberior, faciliorque, aut æqualior; quo minor anxietas, aut irrequies est, eo major salutis spes. Pulsus exiles parvi, inæquales; facies livida, tetra, pallida; summus virium lapsus; mentis aberrationes, in primis si eas nec capitis dolor, nec vigiliæ immodicæ antecesserint; frigus extremorum, cum olidissimis, aut fuscis, nigrisve dejectionibus, intestinorum gangrænam, aut sphacelum imminere, proximamque mortem significant. In gangrænam quoque facile abeunt viscerum inflammationes, quæ huic febri superveniunt, nec mirum in tanta humorum putredine, aut ad putrescendum proclivitate. Sanguinis item corrupti, atri, splendentis profluvium, nisi ab hæmorrhoidibus fundatur, plerumque lethiferum est. Reliqua bonum, aut malum eventum indicantia satis, ni fallimur, ex

Dejectiones crudæ.

Gastricarum varia natura.

Signa bona et mala.

iis, quæ in hujusce febris historia protulimus, erui possunt. Postremo id solum adjicimus, crudum morbum adhuc esse, dum symptomata intenduntur, aut pertinaciter sæviunt; ad coctionem procedere, iis inclinatis, aut decedentibus; nam vera coctio nulla, ut ex BAGLIVIO, et QUESNÆO monuimus, in hac febre fieri consuevit. Nulla coctio expectanda.

CURATIO.

390. Morbi natura, atque ipsa Ratio postulat, ut quam citissime omnis e primis viis saburra expellatur, inflammationis si quis timor est, aut metastaseos provide avertatur, spasticæ solidarum partium affectiones tollantur; et putredini, aut sanguinis putridæ dissolutioni, quoad fieri potest, eatur obviam. Ante omnia vero perpendendum rite est, num protinus ab initio sanguinem mitti expediat. Plerique enim non mittendum esse, docent. Sed ego, quænam in hac controversia attendenda sint; quo modo cognosci possit, ubi sanguinis missio conveniat, paucis complectar. Nam si ætas florida, si temperamentum sanguineum, si bonus corporis habitus, si plethora, si pulsus magnus, vehemens, aut durus, si dolor capitis atrox, si pectoris oppressio respirationem lædens, atque alia symptomata immitia concurrant, si ea, quæ calefaciunt, diathesimque phlogisticam sanguini inducunt, præcesserint. si aliqua pars inflammationis metu tentetur (§§. 381. 382.), aut gastrica febris cum diathesi inflammatoria, uti in *gastrico-inflammatoria* (§. 386.) accidit, confestim, ac inter initia, sanguis e vena mitti debet, et si semel satis non fuerint, iterato id etiam fieri poterit. Inter symptomata, quæ id auxilii exposcunt, recensendus quoque est venter tumens, dolens, tensus, et clau-

Indicationes.

An sanguis mittendus?

sus. Alias sanguinis missio supervacua esse consuevit, imo noxia, tum in primis, cum febris jam aliquantum processerit, vel cum putrida sanguinis dissolutione complicetur, ut in *gastrico-putrida* (§. 386.) sive *bilioso-putrida*, præsertim *epidemica*, aut *maligna* evenit. Quo in casu, si quid tamen eam indicet, tutius sanguis cucurbitulis scarificatis, aut hirudinibus temporibus, naribus, aut hæmorrhoidibus admotis mittitur; idque convenientissimum prope est in ipso morbi etiam progressu.

Purgatio duplex. Indicantia emesim.

§. 391. Ceterum, quod pernecessarium est, primarum viarum sordes mature excutiendæ sunt, idque vel vomitione, vel ducta alvo præstandum. Vomitione, si materies circa ventriculum turgeat; quod innotescit potissimum ex lingua lurida, et sordida, ore amaro, anima fœtida, nausea, vomitu bilioso, vel pituitoso, sensu molestiæ, aut ponderis circa præcordia, anxietate, cephalalgia sympathica, aurium susurru, oculorum caligine, aut vertigine, neque interea febris impetus, aut inflammati ventriculi, intestinorumque suspicio, aut sputum sanguinis, aut aliud quidpiam obstet. Obstare etiam solet enterocele, nisi cingulo rite applicito intestinorum vehemens prolapsus avertatur. Graviditas quoque impedimento est; sed non tanto, ut quandoque in robustis, difficulterque abortientibus, si necessitas urgeat, lenissime vomitus cieri non possit. Alvi vero ductione, si vomitus cieri nequeat, aut gastrica colluvies intestina potius teneat; quod indicant genuum gravitas, lumborum dolor, epigastrii, aut ventris tumor sine inflammatione, borborygmi, flatus, tormina, alvi egestiones fœtidæ, liquidæ, mordicantes, et biliosæ.

Indicantia alvi ductionem.

Quibus auxiliis vomitus, aut alvi dejectio quærenda.

§. 392. Vomitus autem cieri potest vel aqua tepida, oleo remixta, affatimque epota, vel oxymelle scillitico, vel ipecacuanha, vel in robustioribus tartaro emetico, in magna aquæ tepentis copia soluto, et divisim ad intervalla, donec vomitus subsequatur, propinato. Nec semel tantum, ubi multa gastrica cacochylia est, sufficit vomitum prolicere, sed interdum id iterari, prout res exigit, opus est. Educta per breviorem viam cacochylia, proponit TISSOTIUS Tamarindorum leve decoctum, vel aliquot Cremoris Tartari drachmas singulis, vel alternis diebus sumendas; quibus et blande alvus ducatur, et calor contemperetur, et putredini alkalinæque degenerationi occurratur. MOREALIUS ingens se consecutum esse scribit emolumentum ex mixtura quadam, quæ habet aquam scordii, theriacalem, totius citri, et rhabarbari tantillum, aut ejusdem syrupum, cochleatim toto morbi decursu identidem data, et sine ea argentum vivum, quod summum vermium et febrium inde ortarum antidotum celebrat, adhibitum frustra fuisse, palam fatetur; adeo et ipse necessariam comperit alvi ductionem, quam datum illud medicamentum per epicrasim præstabat.

Heisteri methodus.

§. 393. Sed nemo fortasse alvi ductionem in hujusmodi febre pluris fecit, quam HEISTERIUS. Is præterlapso etiam morbi principio in omnibus gastricis febribus, imo in *malignis* quibusque *exanthematicis*, et *petechizantibus* (§§. 382. 389.) cujusque ætatis homines, itemque pueros, et puerperas adorientibus, experientia WAGNERI Medici Lubecensis non ignobilis, et sua confisus, magnis effert laudibus peculiarem quamdam medendi rationem, quæ non solum ad eas curandas, verum etiam ad eas ex malignis in benignas con-

vertendas plurimum valere dicitur. Nempe sumit Ipecacuanham a scrupulo uno ad drachmam semis cum arcano duplicato probe contritam, et diluit eam aquæ cardui benedicti unciis tribus, vel quatuor. De hac mixtura quavis semihora, vel singulis horis cochleare unum vel alterum dandum esse jubet, interposita identidem potione aliquâ temperante, et diapnoica, donec emetica remedii vis exeratur. Si intra duodecim circiter horas vertigo, lipothymia, faucium dolor, aliaque malignitatem indicantia symptomata non se se remiserint, neque pulsus, et respiratio liberiores fiant (respiratio enim anxia, inæqualis, crebra, difficilis, suspiriosa pro signo ferme proprio febrium mali moris habetur); eamdem mixturam repetere oportet, quousque morbus in melius vergere incipiat, neque ab exhibendis aliquot ipecacuanhæ granis desistendum est, nisi cum prava malignitatis indicia penitus evanuerint; quod intra biduum quandoque contingit. Namque vi etiam alexipharmaca pollere ea creditur.

Quando audacter purgandum, quando timide, et caute.

§. 394. Quod si materia in intestinis turgeat (§. 391.) nec locus sit epicraticæ purgationi, sed illico deturbari debeat, opportunissime dari solent Manna, cassia, sal Anglicus, Polychrestus, subamarus Mutinensis, Porrectanus, Rhabarbarum, syrupus florum persici, Electuarium lenitivum, Pulpa Tamarindorum, Diatartarum Petri Castelli, et quidem ea quantitate, qua intestinalis saburræ potior saltem pars satis valide dejiciatur. At in alvo ducenda semper temperamentum aliquod adhibendum est, ne nimius alvi fluxus excitetur, qui ægrum prosternat, quod præcipue timeri potest in febre *gastrico-putrida* aliisque congeneribus (§. 386.) ubi ad dissolutionem summa proclivitas est, aut ne intestina crebra, aut nimia

catharticorum irritatione inflammentur, quod in *gastrico-inflammatoria* (§. *eod.*) non infrequens est. Quorumdam etiam consilium est, materiam, antequam ejus evacuatio tentetur, iis, quæ digerunt, incidunt, et attenuant, fluidiorem reddendam esse, atque ad exeundum paratiorem. Id, si aliquando, tum sane expedit, cum tenax, inersque mucus ventriculo, atque intestinis adhærescit, ut in *gastrica-pituitosa*, sive *glutinosa* (§. 385.) sæpe fit, aut bilis spissitudinem piceam adepta choledochum, cystimque felleam oppleat, sicuti in *gastrica-biliosa* (ibid.) interdum evenire, verisimile est. Sed plerumque non diu cunctandum est, ne retentæ putridæ sordes gravissimum brevi, periculosioremque morbum efficiant, cui sive arcendo, sive fugando cum sanguinis missio, tum purgatio, sera nimis, impar deinde evadat; aut magis magisque liquatæ in vias sanguinis magno ægrotantium discrimine transferantur.

§. 395. Interdum tanta *sensibilitate*, atque *irritabilitate* donantur ægroti, ut metui possit, ne emetica, aut purgantia morbum potius exasperent. Tunc aptissimum est expiandis primis viis oleum olivarum optimæ notæ, aut seminum lini, aut amygdalarum dulcium sine ignis ope recens expressum, ad quatuor, quinque, vel sex uncias uno haustu. Id enim duplici plerumque evacuatione; nimirum per superiora, et inferiora, ægris opitulatur, acres humores obtundit, viscidos, tenacesque resolvit, spasticas contractiones laxat, et lenit, aliaque bona præstat. Non me quidem latet, a plerisque hodie ob abusum fortasse, qui olim fieri promiscue solebat, odio illud haberi, reprobarique tamquam noxium, quia facile rancescit, et phlogisto scatet, atque adeo

Oleosa quando utilia.

febris fomitem augere posse videtur. Verum animadvertant velim, quale oleum, quantumque a me proponatur. Si enim optimæ notæ sit, et quam recentissimum, eaque copia detur, qua citissime stomachum, atque intestina pertranseat, omnis noxa, quæ ab ejus rancore timetur, profecto vitabitur. Sin vero, nullo ejus habito delectu, rancido proximum fuerit, et cochleatim, aut unciatim propinetur; perspicuum plane est, diu in ventriculo restitans, mora, et loci calore rancidum, prout natura rancori propius est, facile futurum esse.

Oleum defunditur. §. 396. Sed largiamur, quocumque modo datum sit, semper, ut objiciunt, illud rancescere. Rancescet autem, vel dum ventriculo, intestinisque continetur, vel postquam in sanguinem penetraverit. Si primum, quod fieri interdum posse concedimus, contingat; vim certe acquirit, qua irritatis, constrictisque vasorum lacteorum osculis repellatur, neque ea ingredi possit. Sed inquies, in venas inhalantes, quæ aut irritabilitate carent, aut certe exigua donantur, ideoque irritatione non contrahuntur, patentior, expeditiorque ei via erit. Ne vero id possibile credam, facit primum ipsius olei crassities, et tenacitas, qua in eas penetrare prohibetur, deinde acris, quam contraxit, ranciditas. Hac enim dum oleum a venis absorberi deberet, fibris tum ventriculi, tum intestinorum irritatis sic peristalticus eorum motus intenditur, et sollicitatur, ut non modo excrementa, verum etiam cum iis oleum ipsum prompte, facileque egerantur. Quod si alterum malueris, vix est, cur aliquid timeas; nam oleum, antequam cum sanguine communicetur, ventriculi actione ita permutatum, et subactum puto, ut olei forma, et natura quodammodo amissa in

chylum convertatur, atque adeo alienissimum fiat a ranciditate, et corruptione, unde tam multa mala timentur. Si quis tamen rancorem (*) olei formidet, arcebitur facile adjecto succo citri, aut limonum, aut oxymelle. Sic enim phlogiston, quod extricatum ranciditatem oleo impertit, coercetur, et cogitur. Acida enim phlogisto promptе junguntur, illudque quodammodo irretiunt. Quod si oleum sive ob ranciditatis metum, sive ob alias caussas locum non inveniat, nec alia medicamenta ob irritandi facultatem dari possint, tunc clysteres tutissime injiciuntur, et repeti crebro debent, dummodo ex mitiorum classe desumantur.

(*) Sunt autem quædam oleorum genera, quæ difficillime, & tardissime rancescunt. Illud olivarum oleum, quod frigendis cibis adhiberi solet, ejusmodi est, ut etiam ignis vim passum, acrimoniam non contrahat, & blandum remaneat. Nuperrime oleum Ricini prædicari video, ut minime noxium, ab Anglis. Non ergo ita facile rancescit oleum quodvis, ut quidam volunt.

§. 397. Dum hæc peraguntur, ut gastrica cacochylia expellatur; non prætermittenda ea sunt, quæ biliosæ, aut alkalinæ acritudini, aut putredini opponuntur. Acida in primis tamen vegetabilia, quam fossilia ad hoc maxime valent, quæ id insuper boni efficiunt, ut febris nimius fervor, impetusque, si vehementius excandescat, compescatur. Phlogiston enim cohibent, calorem refrænant, cordis, arteriarumque irritabilitatem imminuunt. Aquæ igitur, quam affatim bibi oportet, instillatur succus aliquis acidus ex iis, quos vegetabilia suppeditant, uti acetum vini, succus limonum, mali citrei, aut aurantii, syrupi ex his parati, itemque berberum, rubi idæi, aliorumque similium. Ubi major æstus est, ma- Acidorum utilitas.

jorque ad putredinem, liquationemque propensio, aut sanguis ipse jam jam computrescere videatur, ut in *gastrica putrida* (§. 386.) contingit, vegetabilibus acida fossilia utilius substituuntur. Tissotius spiritum sulphuris *per campanam* reliquis anteponit, mixturamque ex ejus parte una, et syrupi violarum partibus sex confectam extollit, de qua cochlear unum potui adjiciendum, repetendumque id singulis horis præcipit. Animadvertere tamen oportet fossilium acidos spiritus, et præcipue vitriolicum, et sulphureum volatilem sensibilitati nervorum, et fibrarum cordis, arteriarumque irritabilitati noxios esse; quare si facultates animales, vitalesque nimium langueant, uti a putrescentibus humoribus, aut a putrida cacochylia sæpissime languent, tunc acidis hujusmodi valentioribus, nonnisi caute, uti licet, aut cum iis conjungi, commiscerique debent, quæ vires omnes erigunt, excitantque, qualia sunt radix serpentariæ virginianæ, contrayervæ, cortex peruvianus, atque alia hujusmodi. Tutius adhibentur ea, quæ per vini spiritum a chymicis edulcata fuerint. Inter quæ *Elixir Vitrioli* (*) *aromaticum* excellit.

(*) *Fit miscendo Tincturæ aromaticæ libram unam cum spiritu vitrioli fortis uncias quatuor.* Tinctura *autem* aromatica *est hæc.*

℞. Cinnam. drach. vj. semin. cardamom. min. drac. iij. Piper. lon. Zinziber. an. drachm. ij. spir. vini tenuiori. lib. ij. Digere sine calore, & cola.

Aer fixus. §. 398. Multa hodie prædicantur de *aeris fixi* antiseptica, quo aqua tam bibenda, quam per clysteres in alvum subter danda methodo Pristleyana imbui potest. Sed quidquid ei inest facultatis, id omne ab acido vitriolico, quocum *aer fixus* certe combinatur, deducendum jam fere

Camphora. omnes fatentur. Camphora præstantissimum *an-*

tisepticum præbet, tam ore, quam ano excepta, et præterea spasmos lenit, nec tamen irritabilitati cordis Hallerianæ officit, imo hanc languentem erigit, et recreat (*a*); nerveæ vero sensibilitati, si langueat, non admodum amica est (*b*), imo eam magis deprimit. Tunc potissimum convenit Arnica montana LINNÆI (*c*), qua vis nervea stimulo egens egregie excitatur, et reviviscit. Hanc etiam tam diluti, et decocti, quam extracti, aut pulveris forma adhibitam nuperrime Cl. COLLINIUS (*d*) adversus omne putredinis genus magnis extulit laudibus. Arnica.

(*a*) *Vid.* SEBASTIANI SEVERII Theses de Camphora, ejusque viribus, quas VI. Kal. Quintil. An. 1776. *In Archigymnasio Ticinensi sub meo præsidio propugnavit. Item Cl.* COLLINII *libellus* de Camphora, *Vindobonæ editus an.* 1773 *sive P.* 3. observationum circa Morbos acutos, & chronicos factarum.

(*b*) SEVERII Thes. l. c. Thes. XVI. XVII. XVIII. XXI. XXIII. BASSIANUS CARMINATI De animalium ex mephitibus, & noxiis halitibus interitu &c. lib. 3. cap. 3. p. 177. ad 191. ed. Laud. Pompeja 1777.

(*c*) *Vid.* HENRIC. JOSEPH COLLIN. Florum Arnicæ vires &c. *Vienn.* 1773. sive observationum &c. Pars quarta, & P. V. (*d*) Ibid.

§. 399. Cum vero sive a putridis, septicisque inquinamentis, sive evacuationum frequentia, et copia vires vitales quandoque dejiciantur, his subveniendum est cardiacis, atque analepticis. Vinum rubrum, cui incocta sint cinnamomum, macis, nux myristica, aut canariense, aut cyprinum, aut malvaticum, aut syracusanum, aqua contemperatum tunc usui esse solet. At ubi etiam austero, et subastringenti, quo fibræ firmentur, humores quodammodo contineantur, opus est; præferuntur Rhenanum, Austriacum, Mosellanum, quibus roborans, et antiseptica insignior vis inest, exigua vero calefaciens, aut inebrians. Analeptica, et cardiaca. Vinum quale.

Nostrates uti possunt vinis acidulis, austerisque Montium Briantinorum, aut Tyrolensium, aut celebri Æmiliæ vino, cui *sangiovese* nomen est aut etiam etrusco, quod a Monte Politiano denominatur, etsi aliquantum fumosis. Pauperibus utile erit vinum ex acinis Mali Punici expressum, riteque fermentatum, quod in Pharmacopoliis prostare semper deberet. Jura quoque panis paullo spissiora, quibus aut vini, aut succi e malo citreo aliquid adjectum sit, vires instaurant mirifice, et corpus enutriunt, nec facile putrefiunt. Neque hic prætereunda est illa nectaris, ambrosiæque species, ex *cacao* confecta, quæ in deliciis pene omnium est hodie, utpote analepticum, cardiacumque præstantissimum præsidium.

Ciocco-lata.

Opium.

§. 400. Neque interdum aliena sunt penitus medicamenta, quæ opium habent; quando nimirum turbationes ab emeticis inductæ compescendæ sunt, aut nimius alvi fluxus coercendus, aut mitigandus, aut dolores ventris leniendi, aut pervigilio prospiciendum. Nervorum enim sensibilitatem imminuunt, quietem conciliant, spasmos sedant, evacuationes nimias refrænant, dum interim vim cordis irritabilem, cardiacorum instar, opportune data certo certius excitant, quod HALLERUS, aliique post eum indubiis (*a*) periclitationibus demonstrarunt, frustra atque immerito negantibus aliis. In his præcipue commendantur ad hunc finem Laudanum liquidum SYDENHAMII, Theriaca ANDROMACHI, Electuarium Diascordii FRACASTORII, Philonium Romanum, atque his similia. Somnum vero blande advocant, si opio locus haud sit, papaveris capita, liquor anodynus mineralis HOFFMANNI, et *sal sedativum* HOMBERGII, de quo tamen dubitant non pauci. Alvo etiam liquidæ sistendæ, ubi putrida dissolutio humorum,

eam immodice fluxum reddit, plurimum confert acidum chalcanthi, sive vitrioli, de quo supra, potui instillatum ad gratam aciditatem.

(*a*) CARMINAT. l. c.

§. 401. Quod si his (§§. 390. ad 400.) non proficientibus, febris trahatur, nec mitescat, dolorque capitis persistat, aut ab aliis symptomatibus, uti sopore, uti delirio cerebrum affici significetur, ea, quæ vesicam, atque ulcus inducunt, suris imponenda sunt, diuque ex iis pus movendum, aut epispastica, et phœnigmi, et præcipue ex sinapi et fermento panis composita plantis pedum admovenda, aut pedes, ubi cum dolore agrypnia jungitur, in calidam demittendi. At, si neque his obediat morbus, sanguis e partibus capiti, aut cerebro propioribus detrahi potest, quod multimodis, ut alias dictum est, exequimur. Animadvertendum vero est, cantharidas, quibus ad vesicas excitandas ut plurimum utuntur Medici, in febre *gastrico-putrida*, in qua nempe putridus fomes sanguinem infecit, liquavitque, plus sæpe nocere, quam proficere. Id experti testantur BORELLUS (*a*), RICHA (*b*), TISSOTIUS (*c*), aliique bene multi. Quare tunc potius phœnigmis, aut sinapismis utendum suadent, quos utiliores repererunt. Vesicantia.

(*a*) Epist. ad Malphig. p. 28.
(*b*) Constit. Epid. Taurin. ann. 1720. §. 32.
(*c*) Febr. Bilios. Lausann. p. 44. 45.

§. 402. Nec Lumbricorum, si eos adesse suspicemur, quod usuvenit in *gastrica verminosa* (§. 385.,) oblivisci licet. Acida e fossilibus præsertim igne elicita, quæ supra jam alio consilio proposuimus, Lumbricis, sive vermibus etiam enecandis idonea maxime sunt, expellendis vero Vermines.

eccoprotica, quæ in ipso curationis initio laudavimus. Sed præterea flores Tanaceti, semina Absynthii santonici, radix Valerianæ sylvestris, corallina, myrrha, aloe, cornu cervinum ustum, petroleum, camphora, àliaque hujus ordinis adhibenda sunt, nam quæ de argento vivo narrantur, fidem nequaquam merentur, uti hodie multi perhibent, egoque adhuc juvenis præ ceteris peculiari opusculo (*a*) ostendi. Neque certior fortasse est ipsius radicis Filicis a Veteribus decantata facultas. Quod vero ad Argentum vivum attinet, si quis tamen eo, aut ejus compositionibus uti velit, is caveat oportet ab acidorum in primis valentiorum usu, ne, si simul propinentur, remedium illud in venenum erodens vertatur.

Anthelmintica.

(*a*) De Anthelminthica Argenti vivi facultate. Faventiæ ann. 1753.

Abdominis tumor.

§. 403. Nihil vero frequentius est in hac febre, quam abdomen intumescere (§§. 379. 381.) et tendi, in primis circa epigastrium, atque hypochondria. Quando id in initio, aut augmento incidit, doletque aliqua pars, vel contrectata renititur, dolorisque sensum exhibet, tunc spasmo contracta alicubi intestina aerem, aut sordes, quibus urgentur, retinent, vel inflammationis in aliquo viscere latitantis timor est. Huic malo occurrere oportet fomentis, cataplasmatis, aut linimentis, quæ molliunt, et leviter discutiunt, enematibusque ejusdem generis; nec alienum est, si inflammationis notæ manifestius se prodant, pulsusque magnitudo, durities, aut vibratio, aut calor interior, pulsatio, et reliqua consentiant, sanguinem e brachio mittere, aut si satis detractum sanguinis jam sit, nec vires profundi eum permittant, e venis hæmorrhoidalibus hirudinum

Quando inflammationis signum.

ope, quod tutius, utiliusque est in hypochondriacis, aut habitu cachecticis. Quod si venter sub morbi finem tendatur et tympani instar resonet, nec pressus doleat, sic, ut aere contento distendi intestina resoluta, atque atonia correpta videantur; non quæ molliunt extrinsecus imponi debent, sed quæ roborant, et reprimunt; et simul intrinsecus dari, quæ putredinem, ex qua aer evolvitur, quæ aeris vim *elasticam* minuunt, quæque intestinorum fibris robur adjiciunt. Talia sunt extrinsecus fomenta ex plantis aromaticis vino incoctis, emplastra de mica panis, de baccis Lauri, de meliloto; intrinsecus Spiritus nitri dulcis; tinctura myrrhæ, succini, castorei; extractum Chinæ chinæ, florum chamæmeli, arnicæ, agerati; et quæ aromatica vi utcunque donantur.

Quando ab atonia.

§. 404. Expurgata demum gastrica colluvie, et febre mitescente, aut ad intermittentium naturam appropinquante temperandum est ab iis, quæ alvum laxant, et, si æger satis purgatus videatur, cortice peruviano reliquum febris tollendum. At, si nondum penitus cacochylia educta sit, tunc cortici aliquid Rhabarbari, aut salis cathartici addi potest, ut simul alvus respondeat, dum febrim, quæ superest, sistere paramus. Nam frequentissimum est, gastricam febrim in intermittentem mutari, aut proxime ad eam accedere, sicque curari debere. Cognosces autem hujusmodi antidoto locum esse, si febris remissiones, aut intermissiones sudor blandus, atque æqualis toto corpore antecedat, atque urina eas excipiat rubra, parca, subjugalis, aut lateritia; in accessionum vero initiis sit tenuis, aut aquea, aut aliqua extremorum refrigeratio contingat.

Quando cortici locus est.

Victus ratio. §. 405. Victus ratio tenuissima sit, ubi febris summum attigit vigorem. Aliqui ab omni tunc alimento abstinendum esse præcipiunt. At non ab omnibus tantum jejunium sustineri potest, morbo scilicet detentis, in quo multa quotidie e corpore excernuntur, viresque non parum detrimenti capiunt. Carnes, et jurulenta omnia generatim, ut ad putrescendum prona, vituperantur. Jura tamen e pullis tenerioribus, aut e carne vitulina, aut vervecina, aut e ranis, non admodum meraciora, quibus acetosa, cerasa acida, pruna, aliique fructus subacidi incocti sint, concedi poterunt, item serum lactis ope vini canariensis, aut succi mali citrei, aut cremore tartari comparatum; cremor avenæ dilutior; decocta panis aliquanto spissiora opportune dari solent, cautione tamen adhibita, ut parcius, et rarius his nutriantur ægri febre vehementius urgente; liberalius non nihil, et brevioribus intervallis, eadem remissa, atque inclinata. Optimum quoque alimentum præbent pruna ipsa, cerasa, poma, pyra in aqua, aut vino cocta, et sacchari tantillo edulcata; quæ subinde sumpta vires eximie sine noxa reficiunt, dummodo liquidior alvus eorum usum non vetet. Ova, etsi recentia a nuperioribus scriptoribus penitus exulare jubentur, tamquam expeditissima ad putrescendum; verum, ni fallor, plus æquo vituperantur. Recentissima enim, et sorbilia (*) prudenter, et rarius adhibita numquam aliquid mali attulisse vidi.

(*) *Ova cruda facile quidem corrumpuntur; cocta vero non ita facile; coctione enim ita mutantur, ut firmius cohæreant, difficiliusque ad putrescendum inclinent. Fortasse aliquid exhalant igni objecta, quo putrida eorum dissolutio promovetur. Ceterum nobiscum consentit Cl.* Fouquetus (sur la petite verole T. 1. pag. 154.), *qui exaggeratum quiddam censet illud, quod de noxiis ovorum qualitatibus scriptum*

est. Quid enim, inquit, pejus dici potest de ovis jam putrefactis? Galenus *commendat ova tremula in victu febricitantium.* Mercatus, Heurnius, Nicol. Piso, *& alii complures probant hujusmodi alimentum in febribus malignis; nec ab illis dissentit cel.* Boucherus, *utpote qui in prima febrium malignarum periodo concedit jus vituli, pulli, & ova. Demum idem Auctor (l. c.) revera vitellos ovorum, cum sint naturæ* saponaceæ *&* emulsivæ, *optimos esse, & uti emulsa amygdalarum, imo multo etiam certius demulcere.*

406. Potui toto morbi curriculo aqua, et quidem frigida opportuna est. Jucundior, præstantiorque fiet si aceto, aut mali medici, aut citrei, quod jam propositum supra est, succo condiatur, et pauco saccharo edulcetur. Ejus loco aptissima quoque est ptisana ex radice graminis, foliis acetosæ, atque hordeo, aut aqua fontana purissima. In his enim ægrotantium desiderium, et stomachi vires explorari debent. Neque aeris, et munditiei in tanta corruptarum fæcum excretione ratio negligenda est. Itaque cubiculi aer temperatus sit, ad frigidum potius inclinans, atque aceti vapore identidem imbuatur. Sed, quod maxime interest, renovari is sæpe debet, ne effluviis humanis, et putridis refertus venenatam vim, ut notum est, acquirat, et pessime ægrotantibus noceat. Indusia quoque, lintea, stragula, lectus, prout res postulat, subinde mutentur, ut a corpore omne putridum, corruptumque miasma amoveatur. Nec alvi excrementa in conclavi, in quo æger degit, diu detineantur, sed cito efferri debent, ne tetris halitibus aerem inficiant. Mirum enim est, quantum aeris puritas in morbis acutis, putridisque ægrotantes recreet, febremque coerceat.

Potus.

FEBRIS HUNGARICA (*).

§. 407. Ad *gastricas malignas* (§§. 381. 382.) et *gastricoputridas* (§. 386.) præsertim epidemicas, tam natura, quam typi ratione referenda est *Febris Hungarica*, quæ anno 1566. primum observata, seu potius descripta, et memoriæ posterorum a Medicis diligentius tradita fuit. Ut sudor Anglicus a regione, in qua observari cœptus est, sic ab Hungaria, atque a militum castris, in quibus spatiata est hujusmodi febris, *hungarica*, et *castrensis* dicitur. Verum extra Hungariam etiam, atque extra militum castra interdum occurrit. Memini in regione temperatissima, atque alioquin sanissima, nempe in Æmilia, et speciatim in urbe Cæsena anno 1767. me eam vidisse epidemice sævientem cum iisdem propemodum symptomatibus, quibus in Hungaria stipata legitur. Sæpe cum dysenteria conjungitur, et tum, cum id incidit, apud aliquot Auctores nomen *Febris malignæ dysentericæ*, aut simpliciter *Dysenteriæ malignæ* accepit.

(*) SYNONYMA.

Lues Pannoniæ, seu febris Ungarica Theriodes, vulgo cerebri vermis SCHENCKII, Observat. Medicin. lib. VI. observ. 1. Morbus Ungaricus, & Lues Ungarica, ac Pannonica, aut Morbus militaris, vel castrensis SENNERTI, De Febr. l. IV. c. XIV. Febris Hungarica, seu Castrensis JUNCKERI, Conspect. Med. T. 1. tab. 74. Amphimerina Hungarica SAUVAGESII, Nosol. Meth. Cl. 2. gen. IV. spec. 9. Febris Hungarica castrensis JUNCK. tabul. 74. & plurium Auctorum CULLENII, Gen. Morb. Gen. V. cl. 1. ord. 1.

Descriptio. §. 408. Est autem febris *acuta*, *maligna*, *epidemica*, militibus in castris degentibus plerumque

infensa, et, quia in sanos facile per venenata miasmata transfunditur, *contagiosa*, quotidianæ continuæ typum ut plurimum servans, mensibus Junio, Quinctili, et Augusto præ oeteris erumpere, et debacchari solita. Circa vesperas corripit, præsertim sanguineos, et plethoricos, horripilatione potius, aut frigore, quam rigore, paullo post ingenti calore, et noctu invalescit, et deinde matutino tempore aliquantum remittit. Continuo ægri queruntur vehementem capitis dolorem, æstum, et sitim fere intolerabilem, magnam virium dejectionem, tensionem, atque ardoris peculiaris ad scrobiculum cordis sensum adeo molestum, ut locus tactum vix ferre possit. Lingua iis est perpetuo sicca, punicea, interdum tumida, aut fissa. Fauces sæpe inflammantur, dolent, tument, ut in angina. Circa tertium, aut quartum diem, rarius septimum, accedit delirium, rubor faciem universam occupans, oculorum fulgor, et venarum capitis tumor. Hisce symptomatibus *ardentis* naturam præfefert, ostenditque. Non raro superveniunt narium hæmorrhagiæ, hæmoptysis, perpetuæ vigiliæ, nausea, vomitus, quandoque dysenteria, peticulæ, parotides, veternus, paralyses, atque hemiplegiæ. Alvus modo fluit, modo adstricta est. Pulsus validior, majorque inter initia, quam in reliquis malignis morbis, esse consuevit. Frequentissime interiores partes inflammationibus tentantur, quæ, cum a bile acerrima, aut venefico, putridoque miasmate excitentur, facile in gangrænam, sphacelumque degenerant. Quamplurimis, imo fere omnibus aures obsurdescunt. Non paucis soluta alvus saluti est. Decimo quarto, aut, quod summum est, vigesimo die morbus finitur.

§. 409 Hæc vero multum variantur pro tempe-

Symptomata fere propria. ramenti, ætatis, sexus, regionis, proegumenarum caussarum, aliarumque rerum antecedentium, aut circumstantium ratione, ut in plerisque morbis, et potissimum epidemicis, et complicatis contingit. Perpetua autem, et fere propria, quibus hæc febris a reliquis distinguitur, sunt atrox, et continuus capitis dolor, lingua sicca, tumida, arida, et prunæ similis; acer scrobiculi cordis cruciatus, facies rubore suffusa, et pulsus aliquanto validior, et plenior, quam in aliis malignis, perniciosisque malis. Multa habet communia cum morbo *petechiarum*, sive cum *Febri petechiali vera*, cujus alibi sermo erit. Sed ab eo differt pulsu vehementiori, graduque graviori, et *peticularum* quandoque defectu. Nam in febre hungarica peticulæ accessoriæ sunt, et sæpe deficiunt; et, si quando superveniunt, non primis mox diebus prodeunt, sed plerumque in morbi progressu, augmentoque; contra, ac fieri solet in morbo vero *petechiarum*. Præterea in petechiarum morbo vix reperies tensionem illam dolorificam, tactumque refugientem, quam in epigastrio hac febre laborantium offendi, paullo antea dictum est; nisi cum biliosa, et gastrica saburra complicetur.

An differat a morbo petechiali?

Caussæ. §. 410. Aer impurus, humidusque, frigus nocturnum diurno calori succedens, aquæ stagnantes, aut corruptæ, earum effluvia, et potus, prava quæcunque victus ratio, alimenta insalubria, æstiva tempestas, immodici labores, vigiliæ protractæ, tædium, pavor, ira, aliæque animi affectiones aut diuturnæ, aut compressæ, putrida miasmata caussas antecedentes complectuntur. Ad quas si respexeris, simulque symptomata, quæ febrim comitantur, evacuationesque alvinas, aut vomitus, quibus ea sæpe solvitur, consideraveris;

non valde a vero tibi alienum videbitur, febrem hanc ad gastricas maligniores, magisque complicatas pertinere, quemadmodum SELLIUS (*a*), PRINGLIUS (*b*), TISSOTIUS (*c*), aliique non dubitarunt. Et reapse partim a cacochylia gastrica, et præcipue biliosa, partim a putrida sanguinis diathesi deducenda videtur. Posterior labes sæpe a priori proficiscitur, quia nimirum gastrica, biliosaque colluvies cum sanguine communicatur, ejusque crasim labefactat. Interdum vero aut eædem caussæ, quæ cacochyliam inducunt, sanguini etiam labem inurunt, aut contagiosum, putridumque miasma bilem, sanguinemque illico inficit, et liquat, nervosumque genus irritat, et subvertit.

(*a*) Rudiment. Pyretolog. method. p. 230
(*b*) Osservaz. sopra le malatt. d'Armata Part. 3. cap. 4. §. IV. p. 137. 138.
(*c*) De Febr. bilios. art. gen. & causs. p. 11. & 12.

PROGNOSIS.

§. 411. Omnia, quæ de prognosticis signis acutarum, malignarumque febrium, tam universim, quam speciatim hactenus protulimus, huic quoque febri communia sunt. Generatim morbus periculosissimus est, et quo maligniora, et pertinaciora symptomata, et quo vires debiliores existunt, eo majus periculum adesse portendunt. Ceterum quædam peculiariter consideranda sunt, a quibus discriminis timor, aut salutis spes indicatur. Dolor capitis vehemens, continuatus, nullis pene concedens auxiliis cum delirio, aut vigilia conjunctus, aut delirium sejunctim urgens, proximæ phrenitidis metum incutiunt. Dolor quoque, atque ardor circa epigastrium, scrobiculumque cordis, si diu trahatur, nec mitescat, inflammationem ventriculi, aut hepatis, aut diaphragmatis Signa prava.

imminere significat. Nec minus pertimescendus vomitus est creber, contumax, et variegatus, quam ventris fluxus putridus, aquosus, vires prosternens, nigricans cadaver olens, aut dysentericus. Alvus laxior, et fluidior, vires erigens, symptomata mitigans, biliosos humores deturbans per se bene ominatur. Adstricta vero minus tuta est. Angina, et præcipue aphthæ fauces depascentes periculosiores habentur, quam ipsæ parotides. Peticulæ plerumque sanguinis putridam, perniciosamque dissolutionem consequuntur, et raro criticæ sunt. Hæmorrhagiæ pariter narium immodicæ eandem pessimam caussam agnoscunt. Moderatæ vero, sed facile, et satis largæ, diebusque criticis supervenientes sæpe caput levant, morbumque ad judicationem prosperiorem perducunt. Quæ autem guttatim contingunt, nec satis sanguinis emittunt, plerumque exitium prænuntiant. Surditas denique, si in augmento, aut statu morbi accesserit, sæpe faustum finem prædicit.

Surditas quando minus timenda.

CURATIO.

S. Missio.

§. 412. Vehemens capitis dolor, calor ardens, pulsus validus, et magnus, sitis ingens, ardor interior ut inflammationis suspicionem movent, sic missionem quoque sanguinis requirere videntur. Experientia item comprobatum est, nihil efficacius, nihil promptius, nihil accommodatius cum ad hæc symptomata mitiganda, tum ad phrenitidem, aliaque funestiora effecta avertenda reperiri sanguinis larga, et cita missione. Itaque statim ab initio, primo videlicet, aut secundo ab invasione morbi die sanguis mitti debet, sed larga, et liberali manu pro ætatis, temperamenti, habitus corporis, et virium ratione. Statim, inquam, ab initio, antequam nempe putredo in-

valescat, crasim sanguinis destruat, vitalesque facultates prosternat. Nihil enim nerveæ sensibilitati, muscularique irritabilitati infensius est putrido, corruptove humore, aut miasmate. Larga autem, et liberali manu, ut cito phlogosi cuicunque præsenti occurratur, et satis sit ad imminentem, futuramque phrenitidem, aut anginam præcavendam (*). At si pulsus parvi, et languidi fuerint, putridum, malignumque contagium febrim excitarit, aut jam putredo invaluerit, id auxilii vel noxium reputatur, vel cautius adhibendum sane est. Minori tum discrimine, si necesse sit, sanguis per cucurbitulas suiri, vel dorso applicitas, vel per hirudines temporibus, aut ano admotas educitur.

(*) *Non pauci ex nuperioribus, in hujusmodi febribus, affinibusque morbis duo stadia agnoscunt, alterum, ut vocant* inflammatorium, *quod antecedit, alterum* putridum, *quod subsequitur, veluti a priore descendens. Solentque pro axiomate certissimo habere, inflammatorium stadium plerumque desinere in putridum, quia vident febres gastricas, aut gastrico-putridas, aut alias his affines inter initia aliquid inflammatorii præseferre; paucis vero diebus exactis, putredinis notas manifestiores esse. Qua in re quantum a vero discedant, non ego certe is sum, qui modo excutiam. Puto tamen jam ab initio gastricas, putridasve fuisse, sed cum diathesi inflammatoria persæpe complicatas, hac vero sublata non converti in putridas, verum quales jam erant, manifestiores fieri, & ultra tales procedere. Veræ enim, et puræ inflammatoriæ ferme nunquam a phlogistico statu ad putridum, si rite curentur, deflectere visæ sunt.*

§. 413. Deinde lenis per superiora, atque inferiora (§. 391. ad 396.) purgatio necessaria est; sicuti et nitrum, et subacida, quæ bilem contemperent, et demum blanda medicamenta, quæ diaphoresim proliciant. Hæc autem postrema Purgatio.

Alexipharmaca. etiam inter initia, maxime proficiunt, si morbus sine gastrica cacochylia natus sit, ortumque suum contagio debeat. In his præstant potissimum ea, quæ alexipharmaca, atque antiseptica habentur, uti Camphora, Theriaca, Spiritus Mindereri, sal volatile cornu cervi, succo mali medici saturatum, atque alia ejusmodi §§. 397. 398. *et seq.*) alias commemorata. Delirio vero imminente, nec dolore capitis inclinato, venæ frontis, aut raninarum sectio juvat, EITMULLERO, et P. SALIO auctoribus. Fortasse etiam arteria temporalis incidi utiliter poterit; e qua sanguinem prosilire sine virium vitalium detrimento, verosimillimum est. Cucurbita item occipiti profunde scarificata adhiberi potest, qua multum a cerebro ipso revelli ex anatome compertissimum est. Epispastica quoque pone aures, aut, si sopor occupet, toti capillatæ capitis parti, prius derasæ adhibentur summo cum emolumento, si exercitatissime Clinicis fides habeatur. Reliqua ex febrium gastricarum curatione superius (§. 309.) proposita peti debent. (*)

S. Missio unde?

(*) *An hic locum meretur* Febris flava Americanorum? *Si hujus symptomata conferantur cum symptomatibus* febris hungaricæ, *magnam invenies inter utramque affinitatem. Caussæ etiam in utraque non valde differunt. Discrimen tamen aliquod in eo situm est, quod febris flava endemica in Indiis occidentalibus habeatur, quod advenas in primis corripiat, quod citissime e medio tollat, quod putridior, & perniciosior videatur, & quod ictericum colorem inferat, uti peculiare, ac proprium symptoma, a quo nomen sumit.* SAUVAGESIUS *eam retulit ad febres continentes, &* typhum *appellavit* icterodem. *Remittens tamen aliis esse creditur, & in* Medicina Practica Londinensi (*pag.* 34.) *reapse ad hanc febrium classem relata est, nec fortasse injuria id factum, cum interdum in intermittentem transire visa sit. Quoniam vero de ejus natura nondum satis con-*

stat, nec valde convenit inter auctores, ad quod genus febrium reducenda sit, nec eam unquam viderim ipse, satius duco eam quodammodo præterire, quam temere de ipsa aliquid dicere. Non prætermittam tamen ejus Synonyma *hic adjicere, quæ dum indico, loca etiam, atque auctores significantur, unde cuilibet liceat ampliorem febris hujus descriptionem & notitiam deducere.* Febris flava Americæ LININGII Diar. Med. Vanderm. T. VIII. mens. Maji 1758. pag. 408. Febris Indiæ occidentalis maligna flava JACOBI MAKITTRICK Diss. edimb. 1766. et vol. 1. Syllog. select. opus. BALDINGERI p. 87. Febris maligna biliosa Americæ (flava) JOANNIS MOULTRIE. Disser. edimb. 1749. et in l. c. BALDINGERI pag. 163. Febris Indiarum occidentalium, Hispanis vomito pretto, Gallis Maladie de Siam, aut Fievre de Matelot, Medec. Pratiq. de Londr. edit. de Paris 1778. sect. 3. chap. 3. p. 34. *Ad gastricas malignas, & putridas spectare probabilius videntur* Amphimerina paludosa SAUVAGESII (Spec. 18.), & amphimerina biliosa ejusdem (Spec. 20); *quamquam, quia facile in intermittentes desinunt, fortasse ad* complicatas, & compositas *transferri etiam possent.*

FEBRIS CATARRHALIS MALIGNA GERMANORUM (*).

§. 414. Ut *Hungarica* febris, sic *catarrhalis maligna*, seu *petechizans Germanorum* ad gastricas febres, quæ quotidianæ continuæ, alternis interdum diebus magis recrudescentis typum teneant, verum redigenda videtur, quam ad catarrhales (§.340.) a quibus perperam nomen ei inditum est. Non equidem inficior, malignitatem in veras febres catarrhales cadere interdum posse, quod jam alibi (§. 356.), ut certum, assumpsimus; contendo tamen ex conlatis inter se descriptionibus, quas reliquerunt Cl. viri STAHLIUS, HOFFMANNUS, JUNCKERUS, ELLERUS, aliique, hanc febrem, etsi *malignam catarrhalem* ab eis nomi-

natam, a vera catarrhali sic differre, ut quæ maxime. Nisi enim omnia me fallunt, ea est febris quædam continua remittens, plerumque epidemica, et mali moris, hungaricæ modo descriptæ persimilis, quam non dubito cum HEISTERO gastricis *malignis*, aut *gastrico-putridis* adnumerare. Excussis enim utrarumque signis, effectibus, et caussis, tantam invenio inter eas affinitatem, ut a gastrica cacochylia, putridaque sanguinis infectione hæc ipsa, de qua agimus, pendere omnino videatur. Præterea Cl. viri testantur, eam plerumque blanda, et continuata alvi solutione terminari, quod gastricarum febrium veluti proprium est.

(*) SYNONYMA.

Febris petechizans STAHLII opuscul. chymic. physic. med. mens. Jun. pag. 660. Febris epidemica petechizans EJUSDEM l. c. p. 608. Quotidiana continua phlegmatica præcipue a plegmate salso veterum. IDEM l. cit. p. 621. Febris epidemica exanthematica catarrhalis, sive petechizans HOFFMANNI Med. Ration. syst. T. 4. Sect. I. cap. X. Febris catarrhalis maligna petechizans JUNCKERI l. c. Tabul. 72. Febris catarrhalis maligna LUDWIGII Instit. Medicin. Clinic. P. 1. c. 1. subsect. 2. §. 120. Febris catarrhalis maligna cum, vel sine exanthematibus apparens ELLERI observ. de cognosc. & curand. morbis, Sect. VI. pag. 89. ed. Ven. Febris catarrhalis maligna NEIFELD. Rat. medend. Par. 1. Subsect. VI. pag. 101. Febris petechialis spuria BIANCHINII, sive catarrhalis maligna, aut quotidiana continua serosa aliis. EJUSDEM, Lett. Medic. Pratic. intorno all' indole delle febri maligne Lett. IV. p. 129.

Opiniones variæ. §. 415. Pro diversa vero caussarum antecedentium natura, et vi, pro varia aeris, anni temporum, regionis, hominumque constitutione, varia, et multiplicia etiam symptomata assumit, ut

jure LUDWIGIUS crediderit, modo *biliosæ*, modo *stomachicæ*, modo *putridæ*, aut etiam *petechialis* nomen eidem convenire posse. Nihil vero minus, quam ad catarrhales pertinet. Nam etsi plerumque quotidianarum catarrhalium instar sub vesperam exacerbatur, interdum tamen alternas habet accessiones vehementiores in tertianæ duplicis continuæ modum. Neque catarrhalibus affectibus, BRENDELIO teste, suffraganteque SAUVAGESIO (*a*), semper stipatur, ut inde nominari possit, sed interdum solum, et tunc speciatim, cum autumnale, aut hibernum tempus eam jam pridem vagantem excipit. Qua de caussa factum arbitror, ut non ignobiles medici ab affectibus catarrhalibus super additis, etsi non perpetuo præsentibus in errorem adducti sint, et quasi in his natura ejus consisteret, catarrhalem primum, deinde *malignam*, et epidemicam ex pravis malignarum symptomatibus, quæ in ea deprehenderunt, facile reputaverint. Nam præter virium subitam dejectionem, pulsumque ut plurimum parvum, et debilem, *peticulæ* non raro in ea prodeunt, et symptomata graviora exanthematicis morbis communia non deficiunt. At quoniam *peticulæ* in ea, etsi quodammodo suis indiciis præmonstratæ, plerumque tamen non erumpunt, ut *petechialis* dici queat, novo, barbaroque vocabulo usi *petechizantem* eam nuncuparunt.

(*a*) L. c. cl. 2. ord. 2. gen. VI. spec. 13.

§. 416. Ad LUDWIGII (§. 415.) sententiam vir sane expertissimus, et morborum acutissimus scrutator ELLERUS propius accessit. Etenim ipse malignæ, atque epidemicæ febris genus quoddam hanc esse putat; eique omnia attribuit symptomata, quæ aliis malignis febribus propria sunt. Imo exanthemata cujusque generis se in ea of-

fendisse, nempe miliaria tam rubra, quam alba, vesicularia pellucida, æque ac *peticulas*, ultro confitetur. Non ergo uni tantum exanthematum generi subjectam credit sic, ut *petechizans* appellari debeat; sed contra genus esse febris, quo reliquæ pene omnes malignarum species contineantur. Ut ut res se habeat; non enim istorum opiniones hic expendere animus mihi est; in eo certe convenimus, febrem hanc a catarrhali plurimum distare; quod etiam Cl. BIANCHINIUS nuper Patavii Medicinæ Practicæ Professor (*a*) apprime cognovit. Non igitur temere factum videbitur, si eam e speciebus catarrhalium expungimus, credimusque, si ad aliquod genus peculiare spectet, *ad gastricas malignas*, *aut gastrico-putridas* et quidem *epidemicas*, *contagiosasque*, ut jam animadvertimus, spectare.

(*a*) L. c.

Signa, et caussæ. §. 417. Signa, et caussæ sunt eædem, quæ in malignis, in primis gastricis jam adnotavimus; sed potissimum affinia illis, quæ in *Hungarica* frequentiora esse narravimus. Quasi propria reputantur anginosæ affectiones, aphthæ faucibus infensæ, artuum, et dorsi dolor, agrypnia, delirium, nervorum tremores, animi, et corporis dejectio, vertigines, spiritus difficultas, lipothymiæ, nausea, vomitus, alvi fluxus, et similia. Cl. SAUVAGESIUS tanti facit anginosas in hujusmodi febre affectiones, ut anginas epidemicas, malignas, ulcerosas, putridas a FORESTO, RIVERIO, aliisque descriptas pro synonymis hujusce febris habere non dubitaverit. Prout vero gastrica colluvies, aut malignum miasma epidemicum aut contagiosum, sanguinem quodammodo corrumpens in hujusmodi malo prævalet, duplex etiam medendi ratio esse debet. Priori in casu ea omnino

Curatio.

convenientissima est, quam febribus gastricis adhibendam supra docuimus; in posteriori post moderatam cautamque sanguinis missionem, et blandam vomitionem antiseptica, diaphoresimque leniter promoventia omnem curationis apicem attingunt. In utroque autem genere simplicissima, blandissimaque medendi ratio pernecessaria est, reliquisque activioribus præstat. Nam docuit experientia, sæpe plus cunctando, quam multa agendo in hujusmodi febribus medicos profecisse.

AMPHIMERINÆ *quædam aliæ* SAUVAGESIO.

§. 418. Superest, ut quotidianis continuis supra expositis multas alias adjungerem species, quas ad hoc febris genus relatas video a Cl. SAUVAGESIO. At ex viginti speciebus, quæ ab eo constitutæ sunt, non paucæ a veris quotidianis continuis de remittentium classe dissident, atque aut ad intermittentes, aut ad compositas spectare videntur; aut, etiam si ad *amphemerinas*, sive potius, ut vocantur a Veteribus (*), et a PLINIO *cathemerinas* spectarent, facile ad species, quas ipse protuli, redigi possunt, tamquam earum differentiæ, aut varietates. Nam enimvero *Amphimerina Epiala* (*a*), *Amphimerina syncopalis* (*b*), *amphimerina cardiaca* (*c*), *Amphimerina humorosa* (*d*), *Amphimerina phricodes* (*e*), *Amphimerina singultuosa* (*f*), et demum *amphimerina spasmodica* (*g*), et *amphimerina phrenetica* (*h*) perperam in remittentium classem invectæ sunt. Cum natura sua intermittentes existant, vel ab intermittentibus proficiscantur, pleræque ad *perniciosas comitatas*, aut *subcontinuas* TORTII pertinent. Sic *Amphimerina hemitritæus* (*i*), itemque *Amphimerina pseudohemitritæus* (*k*), vel compositis, et complicatis, vel *tritæophyis duplicibus*

Sauvagesii species examinantur.

rectius adnumerandæ sunt. Quod attinet ad *amphimerinam paludosam* (*l*) et *amphimerinam biliosam* (*m*), hæ profecto ambæ naturam redolent *febris gastricæ putridæ*, et *malignæ*, de qua fusius supra. Ad gastricam quoque referrem *amphimerinam peripneumonicam* (*n*), sed cum inflammatoria diathesi complicatam. Peripneumonia enim, quæ in ea observabatur, erat symptoma febris gastricæ typum quotidianæ duplicis continuæ præseferentis. De quotidianis continuis igitur, sive amphimerinis satis; sequitur, ut Tertianam continuam explicemus.

(*) *Vid.* GALEN. *in prim. epid.* HIPPOCRATIS *comment.* 3. *ubi inquit quotidianas, quæ non intermittunt,* καθημερινὰς *vocari, quæ vero ad integritatem desinunt,* ἀμφημερινοὺς *contra ac a* SAUVAGESIO *accipitur hujusmodi vox. Possunt binæ tamen hæ voces prout libuerit in eumdem sensum usurpari.*

(*a*) Spec. 2. *quæ videtur e genere perniciosarum* TORTII.

(*b*) Spec. 3. *Est tertiana duplex perniciosa comitata ejusdem.* (*c*) Spec. 4. (*d*) Spec. 5.

(*e*) Spec. 6. *est* algida TORTII. *Quæ tamen valde differt ab illa* MARCELLI DONATI, *quacum confunditur a* SAUVAGESIO *in hoc loco; nam quam ex* Hist. mirabil. l. 5. cap. 4. MARC. DONATI *excitat* SAUVAGESIUS, *symptomatica erat a vulneribus capitis lethalibus orta, ab* algida TORTII *omnino distincta.*

(*f*) Spec. 12. *Hic pro synonymo ponitur a* SAUVAGESIO Febris continua, & maligna RIVERII *Centur.* 1. *observ.* 47. *& Cent.* 3. *observ.* 78. *De prima ex descriptione non liquet, utrum quotidiana continua esset, an intermittens. Sed si continua vere fuit, gastrica certe complicata cum diathesi inflammatoria mihi videtur. Altera porro non amphimerina continua, sed tertiana intermittens* cholerica TORTII, *id est* perniciosa comitata *fuit.*

(g) Spec. 15. *Describitur in Diario* VARDERMONDII ad ann. 1757. p. 97. *curabitur cortice peruviano. Ergo ad intermittentes perniciosas ablegands.*

(*h*) Spec. 17. *Hic excitat* MERCATUM de Tertia-

na. MERCATUS *autem tribuit tertianæ perniciosæ phrenitidem in cap.* Prima tertianæ perniciosæ differentia D. *Sed tertiana tunc intermittens est, utcumque fuerit simplex, aut duplex.*

(i) Spec. 7. *Spectat ad compositas, sive complicatas.*

(k) Spec. 8. *Hac quoque ad compositas spectat, vel ad* tritœophyas *duplices, quia eam confundit* SAUVAGESIUS *cum* tertiana duplici continua WERLHOFII; *non ergo amphimerina.*

(l) Spec. 18. (m) Spec. 20. (n) Spec. 14.

TERTIANA CONTINUA (*) ET CAUSUS (**).

§. 419. Ut quotidiana continua diebus singulis, sic *Tertiana continua* alternis exacerbatur, eodemque ordine se se remittit, numquam tamen ad intermissionem perveniens. In hac accessione neque horror antecedit, neque rigor, neque notabile frigus, exceptis prima, vel altera, quæ plerumque a frigore, aut horrore exordiuntur. Nec in remissionibus erumpit sudor, nisi rarissime; et, si quando is erumpit, levis profecto est, inæqualis, difficilis, et plerumque vix levans, crudo nimirum existente adhuc morbo; vel intempestive, et in accessionum augmento, quod frequentius evenit, sine levamine exprimitur. Quibus sane proprietatibus a tertiana intermittente discriminatur.

Proprietas tertianæ continuæ.

(*) SYNONYMA.

Tritœophya SAUVAGESII, Nosolog. class. 2. ord. 2. gen. VII. Tertiana, interposita remissione tantum, sive tertiana remittens CULLENII, Gen. morb. cl. 1. ord. 1. gen. I. II. Tritæus LINNÆI, Gen. morb. II. critici III. *exacerbant.* gen. XXI. Tritœophyes febris GORTERII. Praxis medic. system. lib. 3. titul. 4. 200. Tertiana continua *plerorumque.*

(**) SYNONYMA.

Ardens periodica RIVERII, de febrib. putr. cap. 1. Causos HIPPOCRATIS, *Epid. III. sect.* 3. (*) Causus,

sive febris ardens GALENI, comment. III. in Epidem. Hipp. l. 3.

(*) *Supra* (§. 55. not. *) *opinionem* CL. LE ROY *retuli, qua ipse contendit,* HIPPOCRATEM *in* histor. 1. sect. 3. lib. 3. Epidem. *nomine* Causi *usum esse non ad peculiarem quamdam febrem denotandam, sed ad quamcumque acutissimam, mortiferamque exprimendam. Verum si ad ea, quæ* HIPPOCRATES *habet in descriptione tertiæ constitutionis ejusdem libri, animum advertisset, fortasse sententiam mutasset. Ibi enim scriptum est:* Erat autem constitutio febrium ardentium hoc modo. Ab initio soporosi, anxii, horridi, febris acuta, non valde siticulosi, non deliri. De naribus parum stillavit. Exacerbationes plerisque diebus paribus. Circa exacerbationes oblivio, exsolutio, vocis privatio. Extremitates manuum, ac pedum semper his frigidiores præsertim circa exacerbationes: & rursus tarde, ac non bene recalescebant, rursumque & intelligebant, & loquebantur &c.

Tertiana continua duplex.

§. 420. Interdum hujusmodi accessiones non alternis, sed singulis diebus redeunt, uno tamen die graviores, altero mitiores, sic ut tam hora, qua invadunt, quam intensione, qua decurrunt, alterne sibi similes, si non omnino æquales, existant. At quæ graviores sunt, non semper imparibus diebus, ut vulgo putatur, fiunt; nam paribus etiam hoc evenit, maleque audit tum apud HIPPOCRATEM. Hinc ab iteratis quotidie sic circuitibus *Tertiana continua duplex* tunc nominatur. Utræque, tum simplex nimirum, tum duplex, appellantur a quibusdam peculiari vocabulo *Tritæophyæ* (*a*), quanquam hoc nomen magis convenire videtur illis tertianis continuis, quæ cum frigore, aut horrore in quavis accessione exacerbantur (*b*), non secus ac intermittentes febres, et in primis illæ, quas supra (§§. 71. 102. 128.) *subintrantes* appellari diximus, cum quibus sane magnam Tritæophyæ ratione periodi,

Tritæophyæ quænam?

et horroris, aut rigoris, aut frigoris habent affinitatem, etsi origine, essentia, et periculo maxime discrepent.

(a) SAUVAGES. Nosol. cl. 2. ord. 2. Gen. VII.
(b) RAYM. JO. FORTIS de Febrib. pag. 91. *qui ideo distinguit* Tritœophyes *a* tertianis continuis, *quia illæ accessiones suas repetunt cum horrore, hæ vero sine horrore. Horrores autem istiusmodi duplicem habere videntur originem, nempe vel ab inflammatoria diathesi, quacum interdum complicantur, vel a cacochylia putrida primarum viarum, quod frequentius accidit.*

§. 421. Quocunque eas nomine appellare placeat, continuarum remittentium more ipsæ incedunt, et tales jam ab initio, et natura sua existunt, nec ab intermittentibus ad continuitatem provectis, ut *subintrantes*, aut *subcontinuæ*, originem ducunt. In accessionum initiis pulsus aliquantulum subeunt; increbrescunt; urinæ tenues, et plerumque aqueæ sunt; in incrementis saturantur, cum pulsu elatiore, frequenti, valido, magno, qui inclinante accessione, quod ut plurimum matutino tempore incidit, pacatius micat, et subsidit, nullo tamen, ut dictum est, aut exiguo sudore manante, nullaque urina prodeunte, quæ lateritium sedimentum dimittat, quale in plerisque intermittentibus non desideratur. Remissiones vero quasi medium tenent inter illas, quas habent *subintrantes*, aut *subcontinuæ*, et minimas, minusve manifestas, quas *continentes*. Ut plurimum eas comitantur calor acer, oris sapor amarus, inter initia interdum vomitus bilis, deinde in incremento, et statu diarrhœa biliosa, sitis, vigiliæ, aliaque acutarum febrium phænomena. Passim ab acritate quadam biliosa sanguinis, aut a bile ipsa depravata, quæ humores omnes infecerit, oriri creduntur. Hinc plerisque

Quo differant a subintrantibus.

Symptomata.

Cur biliosæ etiam dicantur.

Tritœophyæ, sive Tertianæ continuæ *biliosæ* vocari etiam solent. Rationi autem consonum est, acrimoniam in iis *alkalescentem*, et calidam inprimis dominari, ex qua solida vehementer irritentur, et fluida citissime gluten, quo cohærent, amittant. Eo fortasse excedens ignei elementi vis, aut apud simile principium dissolvens referri debet.

Quando causus, sive ardens dicatur.

§. 422. Quando vero *tertianæ continuæ* calor urens, et sitis inextinguibilis accedunt (*), tunc *Causus*, sive *febris periodica* speciatim est. In hac præterea lingua sicca, aspera, nigra; urinæ rubræ, et flammeæ; dolor capitis; agrypnia; delirium; anxietas; respiratio difficilis, densa, magna; halitus oris calidus adesse consueverunt; et fere perpetuum est, febrim alternis tantum diebus, ut tertianam continuam simplicem, exacerbari. Ac potissimum infestat adolescentes cholericos, robustos, valde exercitatos, tempore præsertim æstivo, iter facientes, nec a solis radiis caventes, aut immodicis laboribus, aut cuicunque diætetico regimini calefacienti deditos. In *Causo* tam incipiente, quam ad augmenti, et status tempora perducto adstrictam alvum, aut certe non liquidam, nec fluxam esse docet Sauvagesius, atque hoc ipso a *tertiana biliosa* (§.421.) discerni; inclinante vero solvi, et laxari, idque tum critice fieri; quoniam hæc Causi species coctionis capax est, et, coctione tantum peracta, criticis evacuationibus terminatur. In ea vero *Causi* specie, quam descripsit Hippocrates (*a*), erant *alvi turbatæ plurimis horum, dejectionibus crudis, multis tenuibus*. Quare non perpetuum est, alvum in *Causo* adstrictum esse, vel saltem non desunt, qui cum Raym. Jo. Fortis (*b*) animadvertunt, ardentem hujusmodi febrem in *col-*

liquativam, ut ipse vocat, facillime transire, idque cognosci ex supervenientibus die quarta crudis, liquidis, sinceris, spumosis, fœtidis, pinguibus, biliosisque dejectionibus, nihil conferentibus, nec judicantibus; circa vero septimam urinis copiosioribus, in quibus liquata pinguedo supernatat, et demum ex subita totius corporis macie.

(*) GALENUS (loc. cit.) *duo hæc signa Causi propria & ipse putat*, sitim irrequietam, & caliditatem perurentem sentientibus ægris.
(a) L. cit. (b) De Febrib. pag. 519.

§. 423. Verum non una est *Causi* hujusce origo. Accidit quandoque, ut *Causus* ex bile in cysti fellea stagnante, et corrupta, aut in duodenum effusa, aut ex aliis inquinamentis primarum viarum enascatur. Tunc putrida bilis, aut saburra gastrica non solum sanguinem ipsum inquinat, et corrumpit, sed etiam alvum movet, et solvit. Hinc febris oritur ardentissima cum alvi fluxu fœtentissimo, et vario. Dejiciuntur autem tunc nigra, viridia, flava, subrubra, partim liquida, partim solidiuscula, et tenaciora. Quod ubi evenit, febris ista QUESNÆO dicitur *ardens excrementitia*, aut *stercoralis*, atque *acritica*, utpote coctionem non requirens; nobis vero *gastrica*, aut *biliosa*.

Causus, sive ardens gastrica.

Ardens stercoralis.

§. 424. Demum est alia Causi species, cui diarrhœa quoque accedit, non a bile tantummodo, aut gastricis sordibus progenita, neque a putrida sanguinis dissolutione, sed ab inflammatione alicujus visceris illis conjuncta, aut intestinorum motum proritante, aut humorum copiam illuc alliciente. Hanc observarunt VALESIUS (*a*), et BALLONIUS (*b*) summæ auctoritatis

Causus ab inflammatione in abdomine.

viri, et clinico exercitio merito commendatissimi; a quibus edocemur, tunc intestina, aut mesenterium, aut hepar, aut ventriculum phlegmone, ut erysipelate occupari, hocque patefieri ex duritie, aut tumore, aut tensione, dolore, caloreque insigni ejus sedis, in qua viscus laborans locatum est. Quod si in hujusmodi malo interiora exardescunt, et quasi uruntur, et exteriora, saltem Lipyriæ. extrema frigent, *Lypiriæ* nomen *Causus* assumit.

(a) III. Epid. 1. (b) Consil. 31. l. 2.

Prognosis tertianæ continuæ.

§. 425. Quæ de prognosi, et curatione harum febrium passim extant apud Scriptores, non modo varia, sed etiam, nisi diversis quæque speciebus rite accommodentur, pugnantia inter se videri possent. De tertiana continua intelligantur sequentes HIPPOCRATIS sententiæ: *Febres quæcunque non intermittentes tertia die vehementiores fiunt, magis periculosæ* (a). *Febres quæ proxime ad tertianarum naturam accedunt cum incontinenti jactatione, malignæ* (b) *sunt. In febre biliosa ante septimum diem cum rigore morbus regius accedens eam solvit, sine rigore vero si fiat intempestive, perniciosus* (c).

(a) Aph. 43. sect. IV. & 62. sect. VIII. Coac. 116.
(b) Coac. 33. (c) HIPPOCR. de victu acut. n. 54.

Causus sive febris ardens legitima, et notha.

§. 426. Quod ad *Causos*, sive *febres ardentes* attinet, hæ si *legitimæ*, et *puræ* fuerint, non diu durant; nam vehementia earum symptomata diu ferri non possunt. Plerumque die septimo terminantur; interdum nono, undecimo, aut decimo quarto. Quæ ultra hosce terminos protrahuntur, *nothæ* vocantur. Omnes autem periculosæ sunt, inquit SENNERTUS, eoque magis, quo major a statu naturali recessus; et contra. Si senex ardenti febre corripiatur, id lethale esse

Prognostica Causi.

monet GALENUS (*a*), cui nostra quoque suffragatur experientia. In febre ardenti si lingua arida existente æger de siti non conquerat, periculum id significat; nam eum vel delirio teneri, vel sentiendi facultatem extingui, indicium est. Urinæ etiam nigræ male ominantur, sicuti et tenues, et crudæ. Vomitus, et alvi fluxus in febre ardente post coctionem in die critico superveniens, inter salutaria signa ponendus est; contra inter funesta, et mortifera, si ante coctionem contigerit (*b*). *In febribus ardentibus*, ut habet ex HIPPOCRATE (*c*) BAGLIVIUS, *si accedat morbus regius et singultus quinto die, lethale*. Ceterum fausti, felicisque exitus signa complexus est SENNERTUS hisce verbis: *Bonum autem est, si æger morbum facile ferat; symptomata non sint vehementia; si facile spiret; si nullam partem internam dolere sentiat; si dormiat; si somno juvetur; si corpus æqualiter calidum sit, et molle; si lingua non sit adeo arida; si urina bona. Quod si jam signis coctionis apparentibus cum virium robore, in die critico larga e naribus hæmorrhagia accidat, procul dubio æger evadet* (*d*). Solvuntur etiam febres ardentes hujusce generis sudoribus, atque abscessibus exteriorum partium, sed frequentius, ut jam notatum supra est, vomitu, alvi fluxu, aut hæmorrhagia. Causi vero altera species, quam gastricam diximus, si cito ejus fomes auferatur, multo minus periculi habet, quamquam ob inflammationis metum periculo non caret. Quæ demum ab inflammatione interiori oritur febris ardens, quia facile, ut plerumque erysipelatosa, in gangrænam desinit, vehementer teneri debet, præsertim, si *Lypiriæ* jam gradum attigerit.

(*a*) In Hippocr. Aphor. 14. sect. 1.
(*b*) SWIETEN. in Boerhaav. §. 741.
(*c*) Prax. med. l. 1. cap. de Ictero flavo ex HIPPOCRAT. de Jud. n. 8. (*d*) De febr. l. 2. cap. 12. pag. 61.

CURATIO.

Tertianæ continuæ, quando conveniat sanguinis missio et purgatio.

§. 427. In tertiana continua (§. 419. ad §. 444.) si vehemens, ut plerumque est, atque acuta fuerit, magnumque calorem habeat comitem, vena cubiti statim ab initio, aut ad summum in ejus incremento secanda est, et satis abunde pro virium ratione sanguis detrahendus. Serius vero non tuto mittitur (a), quia morbo longius producto sæpe cruor ad liquescendum propendet, imo interdum ob acquisitam *alkalescentiam* jam colliquescit. Si simul cacochyliæ exuberantis signa se prodiderint, purgatione tunc opus est; purgandum autem nonnulli jubent post phlebotomiam, et equidem jure, si nimia plethora vasa turgeant. Medicamenta vero sint subacida, et refrigerantia, quibus purgatio præstetur. At, materia non exuberante, non purgandum plane est, nisi coctione peracta. Coctionem adjuvant temperantia, diluentia, et subacida. Quando vero Natura coctæ materiæ evacuationem per se non molitur, excitandam esse data affatim potui aqua frigida præcipit Galenus, quem plerique alii sequuntur.

Coctio expectanda.

(a) Swieten. in Boerh. §. 743.

Gelidæ potus in Causo I.

§. 428. Frigida, imo nivata, sive gelida aqua multo magis convenit primæ *Causi* speciei (§.422.) si ætas juvenilis, tempestas et regio calida, temperamentum cholericum sit, et vires constent; neque inflammatio ulla phlegmonodes, aut insignior viscerum obstructio se se opponat. Tempus vero dandæ aquæ frigidæ aptius perhibetur morbi status, quanquam in augmento etiam, si res urgeat, propinari possit. Tantum porro aquæ dandum esse jubent, quantum ab ægro paullatim bibi potest. Prudenter se gerunt qui quavis semihora

Frigidæ dandæ methodus.

sex, vel octo ejus uncias porrigunt, et sic, excluso omni alio alimento, per aliquot dies sola aqua ægros sustinent, donec morbus judicationem subeat. Interea sudorem quam maxime vitare student, stragulis etiam, si opus est, caute detractis, atque aere frigidiusculo admisso; quamquam non video, cur semper sudoris via morbo fugienti cum bonæ criseos signis occludi debeat. Paullatim autem huic potui assuefaciendi ægri sunt; nam aliqui vix ferre eum possunt ob spasticas interiorum partium constrictiones, in quas incurrunt; aquæque frigus sensim, et gradatim caute augendum. At in regionibus calidioribus, uti in Regno Neapolitano, in Sicilia, in Hispania, alibique audentius se ad hoc remedii genus convertunt, eoque in plerisque morbis passim utuntur, nec admodum ad veterum præcepta de frigidæ propinandæ ratione attendunt. *Aqueam diætam* hanc dicunt.

§. 429. In altera vero *Causi* specie (§. 423.), quoniam metui potest, ne partes, in quibus bilis depravata, aut excrementorum copia residet, inflammatione, et quidem periculosiore ob putridam caussam, corripiantur, oportet primum venam incidere, deinde alvum ducere, aut vomitum ciere; hocque alternatim facere, ne mora, aut cunctatione morbus invalescat, et perniciosior fiat. Serum lactis cum cremore tartari, ea nempe quantitate, quæ accommodata ægro videatur, copiose haustum, aut decoctum tamarindorum ceteris præferendum est. Laxat, temperat, *alkalescentiæ* resistit, abstergit, atque evacuat. Fomenta ventri imposita laxantium adjuvant effectum. Clysteres crebro in anum injecti ex eodem sero, addito *electuario lenitivo*, aut sale cathartico amaro caussæ materialis subductionem sine noxæ metu sollicitant. Tartarus emeticus aqua dilutus,

Curatio Causi II.

Purgatio.

Emesis.

et partitis haustibus post phlebotomiam die remissionis propinatus sursum, et deorsum morbi fomitem leniter exturbat, tutiorque est ipsis catharticis, imo etiam præstantior, cum putredo insignior, aut epidemica constitutio, aut miasma malignum, aut gravissima symptomata citam breviori via bilis, aut saburræ gastricæ expulsionem exposcat.

Curatio Causi III. §. 430. Cum vero inflammatio jam aliqua viscera abdominis occupans, febrem ardentem efficit, ut in tertia *Causi* specie (§. 424.) evenit, suspecta tum ea omnia sunt, quæ alvum aliquanto acrius, et validius ducunt. Eorum loco iteratis sanguinis missionibus, semicupiis, et fotibus mollientibus interponantur enemata blandissime alvum laxantia. Serum lactis quoque, itemque oleum seminum lini recens expressum, aut olivarum dulcissimum, aut seminum Ricini americani, aut quodcunque aliud non ita facile rancescens hic commendantur, quo putrida quæcunque colluvies citissime, et lenissime educatur, ne retenta inflammationem malignam sua pravitate ad gangrænam facilem, et pronam reddat. Reliqua, quæ huic curandæ opportuna esse possunt, ex *commentario de inflammatione*, prout res postulabit, huc quoque transferantur. In singulis demum hisce tertianæ continuæ speciebus (§. 419. ad §. 424.) victus ratio talis esse debet, qualis ceteris in morbis acutis, videlicet tenuis, humectans, refrigerans; aer vero, in quo ægri decumbunt, ad frigidum, et humidum inclinans. Sapienter enim, et vere admonet Cl. SWIETENIUS, sanguinis missionem, clysteres, et reliqua artis molimina vix compescere æstum, motumque febris nimis concitatum, nisi aeris quoque refrigerium (*a*) accesserit.

Diæta.

Aer ad frigidum inclinans.

(*a*) In Boerhaav. §. 610.

§. 431. Antequam vero de tertianis continuis, et tritœophyis sermonem absolvam, advertere oportet, eas, sive simplices, sive duplices fuerint, pro ætatis, et temperamenti ratione, aut anni temporum diversitate multifariam variare. Hinc aliæ sanguineæ magis, aliæ pituitosæ, aut biliosæ videntur, et pro earum differenti natura non parum etiam symptomata discrepant. Autumnali tempore quæ aggrediuntur, graviores, diuturniores, periculosioresque esse solent. Interdum ab initio cum cacochylia gastrica, et putrida complicantur, aut inflammatoriam naturam præseferunt, et cephalitidis, aut phrenitidis metum incutiunt. Frequentius vero ob perspirationem ex frigore, aut humido aere cohibitam cum coryza, catarrho, tussi, aut doloribus rheumaticis junguntur, simulantque catarrhalem, aut rheumaticam febrem. Imo tunc non rarum est, exanthemata miliaria post decimam quartam diem, quandoque etiam post vigesimam eisdem supervenire, sive hæc a complicato miliari veneno pendeant, sive a lymphæ depravatione, aut impuritate, aut corruptione inducantur. Interdum hæc critice erumpunt, interdum symptomatice. Criticas pustulas miliares in Tritœophya autumnali, die vigesima septima tantum, post varias symptomatum, et febris vicissitudines prodire vidi, et sic judicationem afferre: alias die decima septima sine ullo levamine, aut cum malignorum symptomatum accessione. Quando hujusmodi complicationes fiunt, semper aliquid insoliti, et a consueta febris indole alieni in earum processu deprehenditur.

Variant pro anni et ægrotantium ratione.

Autumnales.

Miliaria.

§. 432. Autumno proxime elapso in tertianis duplicibus continuis, quæ tunc frequentes occurrabant ex pluviosa, frigida, et variabili aeris constitutione, pluries magnam sanguinis nigri-

Sanguis ano demissus.

cantis, modo fluidi, modo concreti copiam circa secundæ hebdomadis finem, aut paullo serius, iterato ex ano excretam vidimus, quæ ab hæmorrhoidibus internis tantum prodiisse videbatur. Nemini critica fuit. In omnibus sola quiete, potu spiritu vitrioli acidulato, et enematum omissione refrenata est. Quibus caput doluit ab initio, deinde stillæ sanguinis ex naribus prodierunt, sed non largiter manavit, pituitaria membrana prætumida remanente, dolentibus acriter faucibus sine insigniori earum rubore, aut tumore, phrenitici ad finem tertiæ, aut quartæ hebdomadis obierunt.

Sanguinis stillæ e naribus.

Æstivæ.

§. 433. Æstate magis ad ardentes, biliosas, putridas, et colliquantes accedunt. Sed tum post aliquot dies, nempe modo post septem, modo post quatuordecim, aut viginti, sæpe in veras intermittentes desinunt, vel ita in remissionibus extenuantur, ut intermittentibus persimiles evadant, sive hoc contingat ex imminuta quodammodo materiali caussa, sive ex subacta diathesi inflammatoria, cum qua complicabantur. Id autem potissimum evenit, cum intermittentes febres dominantur. Quando vere intermittentium naturam induunt, facile dato cortice peruviano fugantur. Sed paullo implicatior res est, ubi tantummodo remissionibus suis intermittentes æmulantur. Tunc enim, etsi plurimum remittant et horrore aliquo, aut frigore saltem extremorum, quod frequens est in veris tritœophyis, accessiones suas exordiantur, non semper tamen hujusmodi remedio vincuntur. Ne vero frustra, aut temere hoc ingeratur, prius disquirendum est, an remissiones sudor æqualiter diffusus, et omnia symptomata sedans subsequatur; urinæ interea, aut postea emissæ turbentur, aut lateritii aliquid deponant, aut saturatiore colore rubescant, quam

Quandoque fiunt intermittentes.

Quid faciendum, ubi intermittentibus proximæ evadunt?

in ipso accessionum initio, et incremento, et demum an accessiones ipsæ ordinate, et periodice redeant, et frigore, aut horrore, aut oscitatione, aliisque symptomatibus intermittentium propriis ægros exerceant? Si hæc accidant, spes est, cortice peruviano eas fugatum iri. Cum vero nec frigore exacerbantur etsi summopere remittant, nec in remissionibus urinæ crassescunt, nec lateritiæ fiunt, multo difficilius judicatu est, num hujusmodi pharmaco cessuræ sint. Sæpe enim observatum est, in hujusmodi casu eas cortici peruviano restitisse. Tunc autem, si accessiones statis quibusdam horis ordinate revertantur, et manifesta, et quasi repentina lassitudine, et dorsi, crurum, capitisque dolore, siti, anxietate, inquietudine ægrotantem discrucient, ita ut intermittentium morem, et consuetudinem imitentur; et deinde post aliquot horas omnia mitigentur, ut æger, quemadmodum in ipsa intermissione, relevetur, sudore etiam aliquo manante, aut cute insigniter humescente, dubitari haud potest, quin intermittentium naturam sequatur, et china china remedio futura sit. Quod multo certius quidem erit, si remissiones in vespertinas, aut nocturnas horas cadant, quibus contra, ut plurimum veræ continuæ remittentes, et præsertim *cathemerinæ*, et *tritæophyæ* omnes, non mitigari, sed ingravescere consueverunt. Autumnales, etsi tum intermittentes non deesse soleant, non ita facile in intermittentes transeunt, facile cortici cedunt, quia fortasse aut densior humorum diathesis, aut expirationis parcitas impedimento est.

Quando chinæchinæ cedant?

§. 434. Probe igitur memoria tenendum est, singulas harum febrium (§§. 419. ad 425.) specie non modo memoratis ex caussis, aut pravi-

Febrium harum varietates.

tate caussarum ; aut complicatione aliorum morborum , aut aeris constitutione , verum etiam , prout sporadicæ , epidemicæ, endemicæ, benignæ, aut malignæ , aut a contagione existant , non parum symptomata sua variare, discrimenque aliquod in ipsa medendi ratione creare , variosque exitus habere : quæ omnia prudentis, et periti , et exercitati medici est rite cognoscere , ne aut in judicio de febris natura , atque eventu ferendo , aut in administrandis artis auxiliis quidquam delinquat.

Animadversiones in Sauvagesii species.

§. 435. Postremo scire debent Tirones , uno hoc febris genere a SAUVAGESIO comprehensas fuisse decem distinctas peculiares species , quarum tamen quatuor ad febres intermittentes rectius transferendæ mihi videntur . Nam *Tritæophya syncopalis* (a) , *Tritæophya elodes* (b) , *Tritæophya carotica* (c) , *Tritæophia deceptiva* (d) spectant ad intermittentes; tres priores ad *comitatas*, videlicet *perniciosas* TORTII , quarta ad *subcontinuam* ejusdem . *Tritæophyam* autem *lacteam* (e) , si descriptionem ETTMULLERI , ex quo desumpta est , consulere non pigeat , facile constabit , non esse , nisi symptoma inflammationis a lacte in mammis coacto genitæ . Jure vero ad hoc genus retulit *Tritæophyam Uratislaviensem* HAHNI (f), quæ reapse ardentibus, et lipyriis periodicis malignis , atque epidemicis adnumeranda est . Ad *tritæophyas* pariter *malignas* , *putridas* , *epidemicasque* , ut alias silentio prætertam , pertinere videtur etiam illa , quam anno 1768. grassantem vidit CAJETANUS TORRACA (g) Urbis Veteris non ignobilis medicus .

(a) Spec. 1. (b) Spec. 4. (c) Spec. 6.
(d) Spec. 9. (e) Spec. 7. (f) Spec. 3.
(g) Dell' epidem. costituz. di Civitavecchia *nell' anno MDCCLXVIII. Rom.* 1768.

FEBRES REMITTENTES, QUÆ MODO QUOTIDIANÆ, MODO TERTIANÆ TYPUM SERVANT.

§. 436. Hactenus eas Remittentes, quæ aut quotidianæ, aut tertianæ typum constanter obtinent, persecuti sumus; restat modo, ut illæ pertractentur, quarum typus non ita certus est, neque ita constans, uti in superioribus. Sunt enim earum nonnullæ, quæ alterutrius ordinem tenent, atque adeo neque quotidianæ, neque tertianæ dici possunt, sed modo unius, modo alterius more procedunt. Harum igitur quædam genera, quæ notatu digniora mihi videntur, explicare suscipiam, ut hoc febrium veluti chaos in minutiores partes diductum, luculentius, distinctiusque spectetur.

FEBRIS REMITTENS LENTA MALIGNA (*), NERVOSA DICTA.

§. 437. Continuitate, et accessionum circuitu se remittentem ostendit hæc febris; sed modo alternis, modo singulis diebus, modo etiam erraticarum more exacerbari. A reliquis tertianis continuis, sive *tritæophyis*, aut quotidianis, sive *amphæmerinis* abludit, quod lentissimo passu progreditur, et vix aliquam, aut certe exiguam in pulsibus celeritatem, et frequentiam movet. Hinc *remittens*, et *lenta* jure nominatur, itemque ob speciem lenitatis, et abditam quodammodo indolem, viriumque languorem *maligna*. Cumque ea cerebri, nervorumque functiones præ primis lædi videantur, actionesque omnes langueant, a quibusdam etiam *lenta nervosa* dicta est, ab altera

Character febris.

ejusdem nominis (§. 270.), quæ continens est, et supra a nobis descripta fuit, merito discernenda.

(*) Synonyma.

Febris nervosa remittens Sauvagesii, Nosolog. l. 2. *gen. VII. spec. X.* Febris nervosa, sive a spiritibus Quincyi, *Essay of fevers p.* 370. Febris tritæophya typhodes Mangeti, Sauvages. Nosol. l. 2.

Historia morbi. §. 438. Quam primum incipit morbus, arteriarum micatus sunt parvi, breves, vix frequentes, imo interdum tardi, aut rari; æger pallet, languet, atque in soporem, aut coma, plerumque vigil propendet; vix ultra modum, sæpe minus, quam par est, calet, et nulla plerumque siti, aut certe valde exigua afficitur. Primis diebus ut plurimum quædam intervalla temporis intercedunt, in quibus ægri per aliquot horas ita relevantur, et melius habent, ut morbus non remittere modo, sed etiam intermittere videatur. At paullo post horrore, aut rigore aliquo redeunte iterum febris cum expositis symptomatibus recrudescit, mentiturque accessionibus suis periodicis, ut supra dictum est, intermittentium quasi morem, et typum. Post aliquot hujusmodi vicissitudines tandem qui sic laborat, lectulo affigitur, stupidus fit; nec discrimen, in quo versatur, nec quæcunque eidem stant circum, ullo prope modo novit, aut curat; in obvia quæque manibus sine caussa inquirit, ea palpat, contrectatque; balbutit, et obmurmurat, aut contra stupet, obmutescit, et semivivi imaginem exhibet. Subinde spasticis quibusdam circa ventriculum, et pectus affectionibus torquetur, excitatur, imo etiam contussi sicca, aut tremoribus, aut subsultibus concutitur. Si his non succumbat, diuque malum trahatur, facies effigiem cadaveris plane præ se gerit. Morbo finem versus procedente, quandoque

papulæ, sive peticulæ ad cutim prorumpunt, quæ vel floridæ, et rubræ, quod tutius est, vel lividæ, quod deterius, apparent; diarrhœa item supervenit; nigra, et fœtida egerunt; neque ab his urinæ valde dissident; sensus obnubilantur; oculi vix a luce percelluntur; auditus obtunditur, bono plerumque omine. Surditatem vero puris sæpe ex auribus fluxus subsequitur. In quibusdam per lysim tantum lentissima post duos nempe, vel tres menses febris evanescit; sed qui ita convalescunt, adeo hebetes remanent, ut vim mentis, sensuumque aciem recuperare nequeant, nisi post longissimum temporis intervallum.

§. 439. Caussarum loco occasionalium solent præcedere nimiæ evacuationes, quibus corpus infirmatur, annonæ caritas, alimentorum inopia, magna cum mentis, tum corporis contentio, venus immoderata, senium, constitutio aeris humida, et torpida, epidemicum miasma, et quandoque contagium. Ex quibus equidem colligo, corpus universum primum summopere languere, deinde febre exorta, vim nerveam et muscularem penitus obtorpescere, quemadmodum ex ejus symptomatibus (§. 438.) perspicuum est. Quoniam vero non semper id a venenatis halitibus, aut maligno, nervisque infenso miasmate profluit, probabile hinc est, interdum non solum partes solidas omnes præter modum laxari, verum etiam aquosam, lentam, viscidamque colluviem cerebrum, et nervos obruere, sensibilitatem minuere, et veluti cohibere, ut sensuum stupor, mentis aberratio, virium dejectio, pulsuum raritas, aut languor consequantur. Quod si ejusmodi colluviei vellicandi potentiam adjunxeris, nempe pungendi, et irritandi vim aliquam, non modo febrim, sed etiam horrores, spasmos, tremores, et reliqua

Causæ.

Ætiologia.

symptomata inde profecta intelliges. Et quoniam nunc magis, nunc minus nervosum systema obrui, et vellicari simul, probabile est; consequitur etiam, ut interdum omnia symptomata ingravescant, interdum minuantur, sicque per certos quosdam circuitus malum progrediatur, ea tamen tarditate et inertia, quæ lentori et tenacitati humoris morbidi, et solidorum atoniæ, et torpori respondeat. Hinc etiam liquere arbitror, cur in cadaveribus defunctorum sæpe laxata cerebri compages, aut hydrocephalum internum, et medullæ spinalis hydrops, aut encephali suppurationes, abscessusque reperiantur. In tanto igitur vitalis circuitus languore, cum viscidus, et lentus humor tardissime resolvi, et digeri debeat, et congestiones, collectionesque in minimis, laxisque encephali vasis, aut spatiis interjectis difficillime discuti possint, aut id, quod nervis insidet, nocetque, ægerrime inde dimoveri queat; nemo mirabitur, quam ob rem morbus adeo diuturnus existat, atque insensibili etiam resolutione quandoque finiatur.

Quæ in cadaveribus reperiuntur.

Cur longus morbus, et quandoque insensibiliter terminetur?

Symptomatum variatio pro varia circumstantiarum ratione.

§. 440. Pro varia item temperamenti, ætatis, habitus corporis, sanguinis, aliorumque humorum ratione, et pro caussarum complicatione diversa, et pro majori, vel minori ad liquescendum, aut putrescendum humorum propensione, arduum non est intellectu, quando alvi fluxus, quando peticulæ, quando urinæ fœtidæ, et confusæ, aut alia evacuationum genera supervenire possint, aut expectari debeant. Hinc etiam expeditissimum est cognitu, eamdem hic quoque curationem requiri, quam supra (§. 283.) opportunam esse asseruimus, cum de febre lenta nervosa continenti verba facta fuere; videlicet sanguinis missionem largam, aut catharsim plerumque huic febri no-

Curatio.

cituram; et contra ea omnia quæ vim nerveam excitant, et vires vitæ erigunt, uti cardiaca, analeptica, stimulantia, volatilia, jura viperarum, ambra grysea, vesicantia, victusque ratio paullo largior egregiam opem præstitura.

§. 441. Hoc febris genus tam *sporadicum*, quam *epidemicum* occurrit, nec rarum est clinicis attentioribus observatu. Supra (§. 438.) indicatum est, quandoque morbo longius protracto, aut altius provecto, id est humoribus corruptionum subeuntibus, peticulas etiam ad cutim propelli. Nunc haud reticendum est, peticularum loco interdum exanthemata miliaria circa undecimam, aut decimam quartam, aut serius huc illuc prodire; quin imo quibusdam in constitutionibus cum levi cerebri inflammatione febrem hujusmodi conjungi, sic ut aliquantum tam symptomatum, quam curationis ratione a modo descripta differre videatur. Tunc dolor capitis gravior est, temporales arteriæ vehementius subsiliunt, oculi rubent, et lucem aversantur, vigiliæ maxime urgent, et, si aliqua in somnum propensio adest, somnus verus non est, magisque comati vigili hæc dormiendi cupiditas accedit. In hoc casu sanguinis missio inter initia utilior est, et præcipue cucurbitulis scarificatis instituta, et repetita, omniaque revulsionum genera. Huc fortasse referenda est *Amphimerina miliaris* SAUVAGESII (*a*), sive *febris maligna cum obscura cerebri inflammatione*, quam autumno anni 1757. grassari vidit Cl. MARTELLUS DE GRANDVILLERS (*b*).

Quandoque superveniunt miliaria.

Interdum cum levi cephalitide copulatur.

Quid tum magis conveniat?

(*a*) Spec. XI.
(*b*) Journal de M. VANDERMOND. T. VIII. p. 275.

FEBRIS REMITTENS SOPOROSA SENUM (*).

§. 442. Senectus ipsa est morbus, ut vetus

Differt a soporosis Tortii et Werlhosii.

habet adagium. Plurima enim salutis incommoda senilis ætatis fere propria sunt, inter quæ non ultima calamitas e multis, quibus senes subjiciuntur, mihi videtur quædam febris continua remittens, sive *exacerbans*, qua ii, præsertim decrepiti, aut decrepitis proximi prehendi solent, et plerumque opprimuntur. *Soporosa* ei nomen est, quia aut cum gravi mentis stupore, altoque somno invadit, aut in quavis accessione ut plurimum conjungitur, a *Lethargica* TORTI (§. 169.) aut *soporosa* WERLHOFII, quæ intermittens est, et ad *perniciosas comitatas* spectat, omnino natura differens, ac proinde seorsum pertractanda. Qui de ea diligentius, veraciusque doctissimo, expertissimoque viro LE ROY scripserit, adhuc inveni neminem. Itaque, quoniam medicinam facienti mihi pluries ipsa se obtulit iisdem propemodum notis, quibus ab illo ad vivum depingitur, pergratum tironibus me facturum spero, si de hoc parum noto febris genere, et a plerisque scriptoribus prætermisso acturus non modo illius observationes persequar, verum etiam meas qualescunque opportune iisdem adjiciam.

(*) SYNONYMA.

Febris maligna cum sopore exacerbans, sive febris maligna (1) Senum LE ROY, Melang. de Physiq. & Médecin. Prem. Mem. sur les fievr. aigues p. 171.

(1) *Jam alibi animadversum a nobis est, malignarum nomen a Cl.* LE ROY *tributum fuisse omnibus febribus acutis periculosioribus, & mortiferis, quas alii* malignas *proprie dici negant*. Second. Memoir. sur les fievr. aigues pag. 232. & p. 266. *Hoc igitur sensu, non alio hic maligna dicitur*.

§. 443. Accessiones habet hæc febris satis manifestas, quæ modo tertianæ continuæ duplicis instar, modo quotidianæ more procedunt; plerum-

que tamen, quando quotidiana hora invasionis æmulantur, una alternatim altera gravior est. Quare *Tritæophya duplex soporosa senum* dici posset. Ut plurimum vero, sicuti sæpe experientia didici, hujusmodi accessiones, quæ graviores sunt, in dies pares incidunt, quamquam non raro observaverim, post decimam quartam diem, mutato ordine dies impares, in quibus mitiores accessiones fiebant, commutatos in deteriores, et demum sine ullo ordine, etsi quotidie febris exacerbari pergeret, quasi erraticas, vagas, irregularesque factas. Præcedit communiter refrigeratio tactui sensibilis extremarum partium, in primis nasi, manuum, et pedum, plus minus longa, at non horrifica, nisi cum aliis morbis, aut interioribus antiquis vitiis complicetur, certissimum febris subsecuturæ indicium. Interdum refrigeratio ista circa postremos morbi dies ita protrahitur, ut decem, duodecim, aut quindecim horas perduret, antequam calor se exserat, et pulsus se explicet, et vehementior, ampliorque fiat. Quod ubi accidit, præsertim si præter pedes femora etiam perfrigerata sint, expectanda est pessima accessio, quæ sæpe de medio ægrum tollit. Certius vero exitium imminet, cum longiori frigori singultus se se adjunxerit. Descriptio.

§. 444. Sed duo præcipua, et plane propria, sive pathognomonica signa hujusce febris suppeditat caput, et pulsus, prout sub accessione ipsa, et ea inclinata se habent. Et primum, quod ad caput spectat, hoc ut plurimum in prima febris accessione sopore quasi apoplectico obstupescit, et opprimitur; sed hac superata, aut inclinante somnus excutitur, mens redit, sensus reviviscunt, et nulla pars corporis paralysi affecta reperitur. Ægre hæc prima febris accessio a levi Sopor, sive primum signum.

apoplexiæ insultu internoscitur; donec proxima eumdem afferens soporosum affectum, mox omnem ambiguitatem tollat. Id autem, ut dixi, rarius evenit. Frequentius enim febris sine notabili stupore, et somno accedit ab initio; deinde vero secundæ, aut tertiæ accessioni tantummodo supervenit sopor; qui tamen non in quavis febris accessione est ejusdem gradus. Plerumque paullatim singulis accessionibus ita ingravescit, ut in penultima, aut postrema tandem fiat vere apoplecticus. In primis tunc accessionibus levior est; nam æger expergiscitur vocatus, aut excussus, sed in somnum cito relabitur, simul ac sibi relinquitur, nec irritatur. Interdum delirium sopori jungitur, interdum abest. Quidam dum veterno premuntur, balbutiunt etiam, uti linguæ paralysi correpti. Nec quandoque desunt in ipsis accessionibus tendinum subsultus, motusque convulsivi.

Duo signa pathognomonica.

§. 445. At non omnis somnus, qui febribus supervenit, æque periculosus est. Nam si æger facile excitatur, oculos aperit, et nitidos ostendit, si eos, ut solet, circumagit, si naturaliter intuetur, si sui conscius recte respondet ad ea, de quibus interrogatur, somnus hujusmodi plerumque vel nihil, vel parum mali portendit. Sin contra difficulter e somno excitatur, et expergefactus oculis stupidis, incertis, obliquis, aut obversis hæreat, si hi rubeant, turgeant, et quodammodo protuberent, aut languidi, turbidi, aut flaccidi (quamquam interdum sanis similes sub hujusmodi somno viderim) appareant; si mens aberret, tum sopor ad lethargicum vergit, et funesta quæque comminatur. Postremi generis est ille, qui accessiones hujusce febris comitatur.

Signa somni febrilis boni, et mali.

§. 446. De primo signo, quod caput præbet, satis: nunc de altero, quod pulsus. Is in febris remissionibus deprehenditur æqualis, elatus, non valde frequens, præsertim primis diebus; in accessionum vero vigore multo frequentior, itemque parvus, inæqualis, debilis, et quandoque ita obscurus, ut demum, morbo ad exitiosum finem tendente, vix manu percipi possit. Mirum tamen est, cutim, dum talis pulsus est, sæpe quasi exardere, ægrosque, dum exterius frigent, plerumque de molestissimo interiori calore conqueri solere. Hæ sunt præcipuæ, et veluti propriæ pulsuum in hac febre affectiones. Dissimulare autem nequeo, pulsum in aliquibus vigente etiam accessione fortem, et plenum, quod, ut rarissimum, etiam concedit Cl. LE ROY, inveniri; in aliis vero quandoque intermittentem, atque instabilem. Itaque Medicus, ut fiat certior de propriis hujusce febris symptomatibus, debet ægrum sæpius invisere, sed maxime eo tempore, quo accessio incipit, etiamsi id in noctem caderet. Sic enim infida morbi variatio non ejus effugiet diligentiam.

Alterum signum ex pulsu.

§. 447. Jam monui, soporem pedetentim in accessionibus plerumque augeri ab initio ad finem; accessionesque ipsas ordinate, et distincte invalescere, et remittere. Sed scire quoque licet, eas paullatim ita produci, ut demum vix quidquam amplius remittant, se se quasi commiscentes, aut exigua, et brevissima tantummodo habentes intervalla, in quibus symptomata minuantur. Quamquam res utplurimum sic se habeat; interdum tamen evenit, ut quidam ægroti semper in remissionibus ad finem usque, ne ea quidem dempta, quæ antecedit postremam, et lethalem diem, sic recreari, levarique videan-

Varietates in accessionibus.

tur, ut adstantes vix sibi persuadeant, illos in proximo vitæ periculo revera versari, dum tamen ægri ipsi ex intima animi præsensione rectius divinant id, quod eos maneat, et se paratos ad subeundum extremam sortem prædicant, imo sponte, ultroque efflagitant, ut sacris religionis auxiliis præmunire se possint.

Fallaces remissionum vices.

§. 448. Quandoque febriles accessiones circa septimam, vel octavam diem ita mitescunt, ut remissionis intervallum ab una ad alteram accessionem horas usque viginti quatuor, vel triginta sex extendatur, atque adeo ex duplici simplex *Tritæophya* evadat. Tunc cavere oportet, ne præmature nimis felicem morbi finem polliceamur, præsertim si non præcesserit, neu præsto sit ulla evacuatio, aut eruptio critica, cui tanta morbi remissio tribui queat. Nam sæpe observatum est, post longiorem illam quietem febrem vehementius recrudescere, et incautos illudere. Lingua plerumque humida est, et naturali similis ad finem usque, exceptis iis ægrotis, qui somno obruti spiritum hiante ore ducunt; nam in his exarescit, et aspera ex hac caussa fit; quamquam tamen eam quandoque ex febris etiam ardore resiccari viderim, cum non raro postquam febris deferbuisset, licet adhuc ore hiarent, humida, et mollis permaneret.

Lingua interdum sicca.

Symptomata rariora.

§. 449. Neque insolens esse, ait Cl. Le Roy, morbo ad finem tendente, alterutram parotidem, aut utramque intumescere, et proximam sæpe mortem prænuntiare, aut periculas symptomaticas prodire, quæ pariter exitium imminere significent. At in iis, quos hac febre laborantes videre mihi contingit, nihil horum unquam comperi, sic ut minime ejus propria ista credam,

et, si quando incidant, tum cum ea malignitatem aliquam, aut putridam colluviem complicari. Huncque esse casum putaverim, in quo alvi excrementa liquescunt, et crebro dejiciuntur, peculiaremque fœtorem exhalant; et tales halitus e corpore ægrotantis emanare dicuntur, ut in aere iis repleto diu morari non liceat, quin caput dolore corripiatur, cito tamen desituro, si, qui eo affectus est, in aerem purum, et liberum se transferat, ibique aliquantulum consistat.

PROGNOSIS.

§. 450. Periculosa valde est hujusmodi febris, et plerumque lethalis. Numquam contagione communicari visa est, aut epidemice vagari. Solet sporadice hunc, vel illum senem ex aliqua evidenti, et procatarctica caussa, etiam leviori, invadere, præsertim autumnali tempore, aut hiemis initio, cum nimirum transpiratio cutanea frigore, aut aeris humiditate minuta sit. Qui ea laborant, interdum septima, octava, aut nona die, sæpius undecima, aut decima tertia moriuntur. Cl. LE ROY neminem novit ultra hunc terminum vitam protraxisse ex illis, quorum morbus morte finitus est. Non inficiatur tamen, quando malum citam mortem non affert, hominem ita male affectum relinqui, ut diutius quidem misere vivat, sed demum succumbat. Plerumque ita evenire, ut affirmat vir doctissimus, equidem fateor. Attamen septuagenarium hac febre cum biliosa primarum viarum cacochylia, et antiquo vesicæ ulcere complicata laborantem curavi, qui post multas, mirasque vicissitudines, quas sustinuit, vigesima nona demum die occubuerit. Lenta porro interdum morte morbum finiri, non pridem comprobatum recordor in magno quodam

Ortus ejus.

Terminus.

Interdum lenta evadit.

Principe octogenario majori, qui primas gravissimas, et prope lethales febris hujus accessiones eluctatus, tandem in febrem lentam quotidie exacerbantem incidit, et marasmo tandem confectus, et assidue delirus centesima a morbi initio die exspiravit. Ceterum tendinum subsultus, tremores, convulsiones, respiratio difficilis, aut magna, et tarda, pulsuum intermissio quam maxime periculum augent, atque exitium accelerant. Singultus vero si accesserit; quod rarum non est; jam prope instare extremum diem, denuntiat.

FEBRIS HEMIPLEGIACA.

§. 451. Soporosæ febris veluti species haberi potest illa, quæ, quia eidem hemiplegia supervenit, proprie *hemiplegiaca* appellanda videtur.

Quæ sic appellanda.

Hæ homines aggreditur non admodum senio graves, ut superior; sed tamen senio proximos, qui nimirum annum quadragesimum quintum jam prætergressi sint. Ceterum magna inter utramque est affinitas; nam in utraque ægri, dum sopore premuntur, balbutiunt; accessiones omnino eumdem manifestum typum, ordinemque tenent, in quibus plus minus somnus obrepit; pulsus simili prope modo tam in accessionibus, quam in remissionibus se habent. In priore illa lingua quasi paralysi, in hac latus resolvitur: quæ omnia affinitatem, similitudinemque affectionis ostendunt. At non idem in utraque periculum est. *Soporosa* plerosque occidit; non item *hemiplegiaca*, quia in hac pauciores pereunt, multique servantur. Si tamen in hujus accessionibus pulsus fiat parvus, debilis, inæqualis; æque lethifera esse potest, ac *soporosa*; nam nervi etiam cardiaci resolvi quodammodo videntur. Item si paralysis organa deglutiendi attingat; si tendines

Affinitas.

Hemiplegiaca minus periculosa.

resiliant; si caput, oculi, aut labia convellantur simul, tantum periculi continet, ut omnis spes adimatur ægri servandi. Sed præ ceteris ad respirationem attendere oportet; quo enim plus a naturali ipsa deflectit, (deflectere autem plurimum solet pari vago, et intercostali affectis) eo propius exitium metuendum est.

§. 452. Posset febris ista quibusdam videri una eademque cum lethargica TORTII, aut soporosa aliorum, utpote quæ senibus pariter infensissima esse consuevit, et sæpe hemiplegiam, aut apoplexiam, aut paralysim sibi (§. 169.) adsciscit. Verum ab hujusmodi *perniciosis comitatis* distinguitur, 1. quia continua perhibetur; 2. quia sporadica est, dum comitatæ plerumque epidemicæ, aut endemicæ observantur; 3. quia in hemiplegiaca et soporosa accessiones a refrigeratione, et quidem longa inchoant; in illis contra ab horrore, aut a simplici pernicioso symptomate sine frigore, aut horrore, vel certe brevissimo et vix sensibili; 4. quia in illis præcipiti, et celeri passu ad mortem fit transitus; in nostra vero tardiori, lentiorique gressu; 5. quia urinarum alia omnino ratio est. In *comitatis* sunt parcæ, subjugales, lateritiæ, subsidentes; in *soporosa*, aut *hemiplegiaca* continua crudæ, copiosæ sine sedimento, aut cum enæoremate divulso, et levi; 6. quia illæ cortice peruviano certe depelluntur; hæc vero nequaquam.

Quid in cerebro defunctorum inventum?

§. 453. Cl. LE ROY, dum caussas mali, ejusque symptomatum, et mortis ipsius indagatur, et veri simillimum putat, a peculiari cerebri affectione illa omnia permanare, queritur anatomicarum disquisitionum defectum, quo fit, ut decerni non possit, quænam revera sit ejusmodi

Quomodo differat a soporosis comitatis.

cerebri affectio, in qua morbus iste contineatur. Ipse tamen narrat, in homine, qui *hemiplegiacus* ex hac febre mortuus erat, inventum esse abscessum, qui in altero cerebri hemisphærio reconde-
Sect. 1. batur. Quid in Principe illo, de quo paullo ante mentionem (§.450) feci, sectio cadaveris, quam instituit diligentissime amicissimus, et medica
Sect. 2. scientia præstantissimus Jo. Paullus Spezzanius, detexerit, non melius patebit, quam si sectionis ipsius descriptionem, mecum ab eodem communicatam hic transcripsero. Altero ab obitu die cadaver sectioni traditum est. In exteriore corporis ambitu quædam maculæ lividæ, latiores aliæ, quæ hypogastrium occupabant, aliæ minores, quæ talos, et extremos pedum pollices tingebant, et notabile ulcus cum gangræna jamdiu obortum, a summo osse sacro ad nates protensum oculis dissectoris se se obtulerunt. Reserato *abdomine* ventriculus, intestina, jecur, pancreas, omentum, mesenterium, renes, vesica urinaria omnino juxta naturæ modum inveniebantur, si exceperis aliquas non insolitas variationes, quas incessus, et flexus intestinorum, omentique positus exhibuerunt. Lien vero apparuit, mole multo minor, quam solet, fortasse ex compressione, quam jamdiu patiebatur ab ingenti quadam hydatide, quæ ex superiore renis sinistri parte enata sursum attollebatur hypochondrii cavum, quod solis lieni, et ventriculo continendo dicatum est, magna ex parte occupans. Aqua, quæ hydatidi inerat, trium librarum et amplius quantitatem æquabat, leviter flavescens, ceterum limpida. In *thorace* cor repertum magnum, et firmum, cui adnexa vasa æque sana, et bene conformata respondebant, cuique in vivente, et sano arteriarum micatus validi, magni, æquales semper responderant. Concretio quædam polypodes in sinistro ejus ventriculo existe-

bat, in aortam usque producta, quam in postremo vitæ articulo genitam, probabile est. Posterior pulmonum pars colore magis fusco, quam anterior, erat, et sanguine etiam turgebat magis, ut ex positu in dorsum morientibus evenire consuevit. In utraque thoracis cavea, sed in sinistra plus, aliquid seri effusi, et valde sanguineo colore tincti deprehensum est; quod pariter laboriosæ respirationi ad vitæ finem factæ adscribendum videtur. *Caput* demum, in quo morbi caussa quærenda potissimum erat, hæc exhibuit. Dura meninx prope naturalis visa est; venæ omnes piæ matris ab ultimis usque surculis ad truncos, quibus in sinus longitudinales, et transversales hiant, præter naturam dilatatæ sanguine tenuiore, et diluto valde turgebant; quo vitio fortasse jamdiu laborabant, quia serenissimus Princeps ab adolescentia adstrictiori collari assueverat, quo sanguinis e capite per venas jugulares reditus plurimum retardabatur. In venis, uti quoque in sinibus, exiguæ, et tenues quædam polyposæ concretiones inerant. Interstitia, quæ inter venam, et venam interjacent, opplebantur materia quadam albida, condensata, et quasi concreta, unde ipsa pia meninx crassescebat. Intra duram, et piam, et intra piam meningem, et cerebrum stagnabat insolita seri copia, quo etiam ferme pleni erant ventriculi cerebri. Plexus choroidei pallebant, et multas parvas hydatides huc illuc innatas ostentabant. Corticalis cerebri portio perbelle anfractibus suis distincta, videbatur aliquantum contracta; medullaris vero, et reliquæ partes intra calvariam locatæ nullum vitii genus præ se ferebant.

§. 454. Extat apud MORGAGNIUM sectio Cadaveris Nob. viri ALOYSII RATTÆ, ætate provecti, qui a longo jam tempore hypochondriaco malo, et

vertigini obnoxius, Novembri an. 1705. in *affectionem comatosam* cum febre, ut auctor existimat, *pessimi moris* conjunctam incidit, qua
Sect. 3. intra biduum circiter confectus est. Cum autem VALSALVA in historia morbi, nam inter ejus observationes eam reperit MORGAGNIUS, *præcipuum* præter deliria *symptoma*, *maximam somnolentiam* commemoret, videtur probabile, febrem ejusmodi non multum a *soporosa senum* abfuisse. In ventre, et thorace *sana omnia inventa sunt; et quamvis odor quasi ejusmodi*, *ac in verminosis solet*, *existeret*, *qui aliis lacrymas*, *aliis sternutationem moveret; nusquam tamen apparuerunt vermes. Cranio exsecto in cerebri anfractibus aqua* gelatinosa *in ventriculis quoque*, *et qua oblongata medulla in spinæ tubum descendit*, *aqua fuit*, *sed pauca utrobique* (*a*). Quæ sequitur observatio, propius ad morbum, de quo agimus, spectare videtur; nam qui eo correptus est, *ad annum accedebat sexagesimum; febre acuta laborans in Nosocomium ultimo dumtaxat morbi tempore illatus, hebes jacebat, et vix interrogantibus respondere poterat. Stragula sæpius abjiciebat, quasi ingenti ureretur calore, qui, si tangeres, vix tepidus, imo ad extrema corporis frigidus percipiebatur. Pulsus interdum omnino latebat, interdum prodibat; sed durus, parvus, intermittens. Respiratio tamen erat naturalis. Per hæc novissimis transactis diebus prope quartum decimum est mortuus.* Quorum multa ad amussim cum iis symptomatibus, quæ supra (§. 446.) relata sunt, conve-
Sect. 4. niunt. *Ventre*, *et Thorace apertis*, *ventriculus*, *et intestina levi rubore suffusa inveniuntur*, *quasi inciperent inflammari: in cordis autem ventriculis sanguis crassior*, *sed tamen fluidus*. *Cranio recluso*, *dum crassa meninx inciditur*, *et dum cerebrum eximitur*, *limpidum*, *sed non multum*, *prodit serum*. *Sub tenui quoque meninge*, *quæ leve inflam-*

mationis præbebat indicium, sulci, qui inter cerebri anfractus descendunt, eodem manabant sero. Denique in lateralibus ventriculis aliquantum seri, colore sanguineo infecti, repertum est (*b*).

(*a*) Epist. anatom. medic. de sed. & caus. morbor. Epist. 6. n. 2. (*b*) Ibid. n. 8.

§. 455. Ex quibus anatomicis sectionibus, quamquam non multis, consequitur magna probabilitatis specie, iisdem propemodum vitiis in hac quoque febre cerebrum affici, quæ in aliis soporosis affectionibus detecta sunt a Prosectoribus (*a*), quæque plerumque consistunt vel in apostematibus cerebri, vel in lymphæ *gelatinosæ* inter duram, et piam meningem collectione, vel in sero sive limpido, sive crasso, turbido, imo etiam sanguineo circa cerebrum stagnante, aut in ejus ventriculos effuso, vel demum in nimia vasorum sanguineorum, quibus Pia mater, et cerebrum ipsum abundat, dilatatione, atque infarctu (*b*); ex his vero frequentiorem esse vasorum dilatationem, colluviemque serosam, et viscidam cerebrum, ejusque ventriculos inundantem: quæ omnia in senibus, parum perspirantibus, pituitosis, crudisque humoribus plerumque scatentibus; et canalium in primis cerebralium indurationibus, aut atoniæ, contrario prorsus vitio obnoxii, ac proinde congestionibus, collectionibusque humorum accommodatissimis paullatim fieri incipiunt, et sensim ita increscunt, ut demum, accedente aliqua procatarctica caussa febri movendæ idonea, in hujusmodi terrificum, lethalemque morbum incidant. Non hic disputabo, quot modis, quibusque serosa ista colluvies in cerebro congeratur, cum partim id in pathologia generali explicatum arbitror, partim opportunius explicabitur, ubi de Apoplexia, et congeneribus affectionibus,

Caussarum explicatio.

præsertim soporosis, peculiariter agemus. Nec quæram modo, an ab hujusmodi caussa semper febris accendatur, num vero interdum aliunde orta, cum ipsa tantummodo copuletur, aut eam gignat, aut augeat; nam longioris res esset indaginis. Illud solum mihi videtur veri simile, quod serosa colluvies stuporem quidem, et somnum præstare possit, non vero febrim, nisi acrimonia quædam seroso humori insit, aut cum eo aliqua meningum, et cerebri phlogosis conjungatur; unde medullares ejusdem fibræ, appensique nervi sic irritentur, ut spasmo inducto, primum extremarum partium perfrigeratio sequatur, deinde etiam motus cordis, et arteriarum augeatur, humoresque omnes concitentur, atque effervescant. Ab eadem cerebri vellicatione perspicuum est, delirium, subsultus tendinum, et convulsiones pronasci debere, et, si quando irritationi compressio prævaleat, partes, puta linguam, fauces, brachiorum, et crurum alterutrum, quæ loco in cerebro compresso magis respondent, resolvi non secus, ac in paralysi, et hemiplegia. Quoniam vero aucto humorum per febrim motu serosa colluvies paullatim in circuitum rapitur, et cerebrum tum a pressione, tum ab irritatione levatur, mentem ad se redire, soporem discuti, et febrim sensim defervescere, probabile est, donec, renovata intra quoddam certum temporis intervallum congestione, accessio modo citius, modo tardius, modo fortius, modo mitius, prout ejus quantitas, aut irritandi vis variat, cum iisdem prope symptomatibus instauretur.

(*a*) Bonet. Sepulcr. T. I. sect. III. itemque Morgagn. Epist. anatom. medic. Epist. VI. tota.
(*b*) Morgagn. *ib.*

§. 456. Sæpe etiam accidit, ut cum hujusmo-

di caussa (§. 455.) diathesis sanguinis inflammatoria, præsertim ab initio, complicetur, aut phlogosis erysipelatodes interiorum viscerum, unde sitis, ardor, singultus, anxietas, extremorum perfrigeratio, ut in veris Lipyriis, una concurrat. Pro caussarum igitur varietate, concursu, aut aliorum morborum complicatione non parum febris ipsius magnitudo, vis, et periculum, nec non symptomata differant, necesse est. Idcirco in septuagenario, quem supra (§. 450.) decessisse undetrigesima die narravi, primis diebus, cum e frigore accessionis cujusque emergeret, pulsus erat vehemens, durus, vibratus, sanguisque e vena eductus tenax, firmus, et crusta inflammatoria obductus. Progressu vero morbi, et in primis post decimam quartam diem frigus exteriorum partium fere perpetuum evasit, dum interim de summo interiore æstu, et inexplebili siti ægrotus querebatur; demumque pulsus ita exilis, parvus, inæqualis factus est, ut interdum, sicut in asphycticis, pene deficeret, sensibus nihilominus integris, quamquam aliquantum languidioribus, permanentibus. His perniciosissimis symptomatibus accessit primum liquida, fœtida, colliquans diarrhœa, et tandem tympaniticus abdominis tumor. Sed huic ægro præter soporem illum accessionum febrilium comitem abscessus erat, qui vesicam urinariam occupabat, et magnam puris fœtentissimi copiam a multo jam tempore sine insigni molestia cum urina, quæ sponte, ut in incontinentia, extillabat, effundere solebat. Vesicam vero in primis affectam fuisse, indicabat ejus prægrandis tumor, in hypogastrio situs, manuique facile subjectus. Hinc fortasse singultus, quo postremis vitæ diebus æger summopere conflictabatur.

Variæ complicationes, unde etiam symptomata variantur.

Curatio. §. 457. Non aliam hic curandi rationem proponere ausim, quam illam, de qua in cura febris generali (§. 42.) mentio facta est. Plerumque enim quæcunque artis præsidia effectu carent. Si quæ tamen aliquid boni unquam præstiterunt, id profecto a sanguinis missione, a cucurbitulis scarificatis, et potissimum a cantharidibus *nuchæ*, brachiis, aut cruribus, imo ipsi capiti applicitis, ulceribusque inde natis, diu manantibus profectum esse novimus. Uno verbo omnia, quæ a capite revellunt, vim nerveam excitant, vitales vires erigunt, serosi humoris copiam minuuntur, educuntque ceteris præstantiora usus comprobavit. Cl. Le Roy corticem peruvianum in tenuem pulverem redactum, et larga manu datum interdum prospere cessisse affirmat. At cortex peruvianus in hac *continua febre soporosa senum* inefficax omnino est, imo plerumque febrem ipsam exasperat, uti pluries expertus sum. Fortasse, quando profuit, febris intermittens *perniciosa* erat, soporoso affectu comitata, qualem alibi commemoravimus, cum qua facile hæc, de qua disserimus, confundi potest.

FEBRIS PUERPERALIS NEOTERICORUM (*).

Puerperæ a communibus morbis non liberæ.

§. 458. Nihil vetat, quo minus puerperæ aliis quibuscumque morbis, et febribus, ut reliquæ mulieres, facile pateant. Idcirco rarum non est, eas peripneumonia, pleuritide, angina, apoplexia, catarrho, rheumatismo, febribus continuis, aut intermittentibus, cum benignis, tum malignis, variolis, morbillis, purpura miliari, aliisque malis, et quidem ex caussis communibus, et fortuitis prehendi, ita ut nullus ferme morbus existat, in quem ipsæ aliquando non incidant. Quid enim communibus hominum ærumnis

eas subtrahat? At præterea non vacant propriis quibusdam, et peculiaribus morbis, qui a partu ipso proxime consequuntur. Supra jam, ubi *de febre lactea puerperarum* (§. 357.) disputatum est, varias non modo ejus differentias explicui, verum etiam singulas quasdam febres secundarias, sive symptomaticas, quæ a lacte in mammis uberius congesto, aut coacto, vel ab uteri inflammatione, vel a subita, et inexpectata lactis, aut lochiorum metastasi (§. 365. et 368.) excitantur, breviter, ut tum erat opus, indicavi. Hic vero dicendum superest de quadam febri (quoniam modo quotidie, modo alterne exacerbatur) acuta, plerisque maligna, aut putrida habita, qua speciatim corripi puerperæ dicuntur, et magnum inde periculum subire. Hanc, quoniam propria puerperarum existimatur, complures Neotericorum *puerperalem* (**) vocant, quasi novum febris genus, et veteribus penitus ignotum esset, et peculiari nomine careret, nec ad ullam febrem ante cognitam reduci posset.

Febres earum propriæ.

(*) SYNONYMA.

Febris puerperalis EDUARDI STROTHERII, critic. febr. or a critical essay on fevers chap. IX. p. 212. The puerperal fever. Lond. 1718. NATHANIEL. HULMI, A Treathise on the puerperal Fever &c. & JOH. LEACKE, Pratical observ. on the chil-bed Fevers &c. Febris Puerperarum CAROLI WHITE, Avis aux Femm. enceint. & en couches sect. 3. art. 2. p. 184. Febris lochialis vulgo in Anglia dicta, sed perperam EJUSDEM ibid. Febris lactea maligna Puerperarum LE ROY, Premier Memoir. sur les fievr. aigues p. 198. Febris putrida puerperis superveniens ex bilioso humorum apparatu, vel ex diætæ erroribus RIVERII, Prax. med. lib. XV. c. 24. Febris putrida puerperarum BAYM. Jo. FORTIS, De febrib. & morb. mulier. p. 484. Febris putrida, seu potius maligna puerperarum WILLISII, De febribus, cap. XVI, pag. 76. Febris uterina a partu tam humora-

lis, quam nervosa RAULINII, Traité des malad. des Femmes en couche sect. III. chap. X. p. 219. Febris miliaris complicata, sive putrida Maligna GASTELLIERII, Traité de la Fievr. miliaire des Femm. en couche p. 6.

(**) *Primus, qui de ea scripserit, atque hujusmodi denominatione usus sit, ab* HULMIO *fuisse dicitur* EDUARDUS STROTHER, *Londini anno* 1718. *edito opere, cui titulus* Criticon Febrium *&c.*

Antiquitus cognita febris puerperalis.

§. 459. Novam vero non esse hujusmodi febrem, nec veteribus prætervisam, facile eruitur ex antiquissimorum scriptorum monumentis, ut rectissime animadvertunt SWIETENIUS (*a*) WHITEUS (*b*) aliique etiam inter eos ipsos, qui nova illa denominatione utuntur, et peculiariter de ea edisserunt. Sed nullibi luculentius apparet, hanc ipsissimam febrem notam antiquitus fuisse, atque accuratissime descriptam, quam in primo, et tertio epidemiorum HIPPOCRATIS (*c*), ubi octo historiæ puerperarum ea laborantium referuntur, ita similes illis, quas nuperi scriptores ediderunt, ut ovo ovum similius non sit. Nonnullas quasi illinc exscriptas diceres. Laudandi tamen præstantissimi hujusmodi Auctores sunt, quod novis, iteratisque investigationibus illustrare eam conati sint, quanquam non satis constare videatur, num pro Scriptorum numero, et labore par utilitatis ratio consequuta sit. Nam de hujusce morbi natura, caussis, et curatione tantam invenio inter eos dissensionem, tantam opinionum varietatem, ut cui tirones fidem habeant, quem sequantur, quem, ut ducem, sibi proponant, decerni minime possit. Quam ob rem, antequam ad ejus descriptionem gradum faciam, in qua pariter non exigua est apud auctores dissimilitudo, operæ pretium me facturum existimo, si primoribus saltem labiis præcipuas attingam opiniones, quæ de na-

tura, atque origine *febris puerperalis* non sine magna interdum animorum contentione evulgatæ hactenus fuere; simulque ad examen, quantum in me est, revocem argumenta, quibus istæ innituntur, ut planior, tutiorque fiat aditus ad veram ejus Pathologiam, et Therapeuticen; quod in primis nostri instituti ratio postulat.

(*a*) *In Boerhaav.* §. 1329. (*b*) *L. c.*
(*c*) Lib. 1. epid. sect. III. Ægrot. IV. V. XI. Lib. III. sect. II. Ægrot. X. XI. XII. sect. III. Ægrot. II. XIV.

Galli eam a lacte retento derivant

§. 460. Apud plerosque Gallos hodie, post PUZOSII, et LEVRETII, aliorumque edita scripta, jam invaluit, a Lacte intra sanguinem retento non solum varios, et gravissimos morbos, uti apoplexiam, peripneumoniam, et abscessus quosdam, ideo *lacteos* vocatos, verum etiam febrem istam, de qua verba facimus, potissimum proficisci in puerperis. Inter eos præ ceteris eminet Cl. LE ROY, qui, natura ita, inquit, provisum est, ut a partu insignis quædam in corpore animali mutatio accidat, qua lac, quod ad uterum nutriendi fœtus caussa ferebatur, illico ad mammas convertatur, ut ibi secretum ab infante in lucem edito exsugi possit. Si naturæ errore, aut caussa aliqua alia intercedente fiat, ut necessarium, et salubre hujusmodi opus turbetur, et lactis ista secretio in mammis deficiat, nec a lochiorum copia suppleatur; tunc mala, quæ paullo ante memoravimus, ex lacte sanguini permixto, nec ab eodem secedente oriantur, necesse (*a*) est.

(*a*) Premier. Memoir. sur les fievr. aigues, p. 202 & seqq.

Argumenta cur ita sentiant.

§. 461. Hanc febrium perniciosarum, quæ puerperis superveniunt, caussam omnium verissimam, frequentissimamque contra veterum sententiam,

qui eas lochiis plerumque retentis tribuisse dicuntur, esse ipse censet, 1. ex eo quod fœminæ, quæ lac non porrigunt natis, proniores in hujusmodi febres existant; aut, si nihil incommodi bona fortuna patiuntur, maciei deinceps, hystericis affectionibus, vertigini, tussive permolestæ obnoxiæ reddantur, dum ab his lactantes, sive nutrices immunes, et liberæ esse solent; 2. quod lac congestum, aut coactum in mammis sæpe caussa sit tumorum, inflammationum, et abscessuum, quibus eædem vexantur; 3. quod lac in sanguine fluitans, ad aliquam tandem partem, nunc interiorem nunc exteriorem delatum, non raro ibi consistat, collectumque tumores varios, tam lymphaticos, quam inflammatorios efficiat; 4. quod secta, et reserata cadavera plane demonstrent, hujusmodi abscessus, qui plerumque circa uterum, ejusque ligamenta, aut circa musculos iliacos, et psoas, aut in celluloso peritonæi textu, aliisque partibus utero propioribus reperiuntur (*a*), jure *lacteos* nuncupari, cum ipsemet vir clarissimus in fœminæ ventre, quæ ex febre puerperali perierat, serum copiosum invenerit, cui innatabant flocculi lacti coagulato persimiles; 5. quod lochia magnam partem constent ex succis quibusdam lacteis, qui, si illa supprimantur, retenti sanguinem ipsum contaminent, inficiantque. Nam negat ipse, febrem hanc a lochiis cohibitis, retentisque originem habere, quia eorum suppressio non antecedit, sed plerumque subsequitur; 6. quod exercitatissimi clinicorum, ubi lac in puerperis copiosius ad mammas affluere, et secerni vident, sibi quam maxime gratulentur, et rem in tuto positam esse credant: ex adverso vehementer timeant, et male ominentur, si, lacte non apparente, flaccescentibusque mammis, febris aliquanto gravior accedat.

(*a*) PUZOS second. Mem. sur les Depots laiteux. *Item* vid. LEVRET, L'art des accouchem. p. 146. 147. 150. & seqq. CHOMEL, Acad. des scienc. l'an. 1728. Mem. p. 581. & seq. *& deinum* Acad. des scienc. l'an. 1746. Mem. p. 160.

§. 462. His, similibusque argumentis confidunt qui a lacte in sanguine retento cum Cl. LE ROY, aliisque Gallis hujusmodi febrem agnoscunt. Tanta autem est hac de re persuasio vulgi, ut quidquid adversi puerperis obveniat, id non dicam a medicis, et chirurgis, sed ab imperitissimis aliis omnibus continuo huic caussæ adscribatur. Quorum tamen sententiæ, doctrinæque ne rationalis medicus acquiescere possit, multa profecto impediunt, obstantque. Nam 1. neque lac, neque lacteus humor, neque chylus vere est, qui ad uterum defertur nutriendo fœtui, sed sanguis, atque ex eo tenuiores secreti liquores ad ejus nutrimentum impenduntur, ut Physiologi celebriores, minusque hypothesibus addicti universim hodie (*a*) docent. Neque *vasa lactifera*, aut *lymphatico-lactea*, quæ in muliebri utero se vidisse nonnulli jactarunt, aut confinxerunt (*b*), in humano genere ita ostensa sunt, ut de iis summopere adhuc ambigere (*c*) non liceat. 2. Quamquam id, quod de lactantibus dicunt, generatim experientia comprobetur, videlicet has melius habere, et fortasse febribus acutis obnoxias minus esse, quam non lactantes; de quo nunc disputare non vacat; tamen haud infrequens est, lactantes quoque febre puerperali interdum corripi, et periclitari, quod non semel nobis videre contigit; imo lac quandoque copiosum, præsente hac febre, in mammis secerni, eoque mammas ad postremum usque morbi stadium manifestissime (*d*) turgere; quod hercle (*) argumento est, lactationem puerperis, quia na-

turæ instituto consentaneam, utilem multis de caussis esse posse, sed non ex eo, quod lactis retentionem, et refluxum præcaveat. 3. Mala quibus non lactantes deinceps, videlicet procul a partu, affici, et cruciari dicuntur, eas nec semper infestant, nec ab illis nutrices omnino præservantur; cum hac frequentius macie, vertigine, hysterica passione, virium languore, tabe, ut propriis lactationis symptomatibus, (*e*) vexentur, quam non lactantes, nisi robusto, bonoque corporis habitu polleant.

(*a*) FRIDER. BERN. ALBINUS de Natura hominis §§. 1504. 1505. HALLER Physiolog. lib. XXIX. §§. 1504. 1505. HALLER Physiolog. l. XXIX. §§. 33. 34. 35. 36. CALDAN. Instit. Physiol. §§. 508. 524. 525.

(*b*) VIEUSSEN. post VERHEYEN. II. p. 43. FALCONET, DEIDIER, FIZES, HORN. *aliique, & præsertim* ASTRUCIUS (malad. des Femm.). *Sed* ii quidem, *inquit* HALLERUS (l. cit. §. 30.) fabricam ruminantium animalium ad hominem traduxerunt.

(*c*) HALLER Physiolog. lib. XXVIII. sect. 2. §. 46, & 48. *ubi sic scriptum reliquit:* Eo (*nempe ad vasa lymphatica uteri*) refero vasa lactea uteri olim dicta, *de quibus retulerat jam* lib. XXVII. *At multo confidentius hæc ipsamet vasa negantur a Clariss.* AZZOGUIDIO *non solum in* Instit. medic. vol. I. §. 154, *verum etiam in* Observat. ad uteri constructionem *pertinentibus, Bonon. an.* 1775. *editis, ubi* (pag. 36. & seq.) *cl. vir non modo* MORGAGNII *auctoritatem, quæ magni momenti est, &* ANNÆ MANZOLINÆ *in anatomicis disquisitionibus exercitatissimæ fidem, &* PETRI MOSCATI *celeberrimi anatomes Professoris, atque* incredibilis in observando dexteritatis *observationes, sed etiam suas diligentissime institutas, atque iteratas adducit.*

(*d*) LEACKE *l. c.*

(*) *In Collectaneis medicis societatis Medicorum Hamburgensium a* GISEKIO *germanice editis* (*pag.* 156. *ad* 160.) *hoc ipsum confirmatum legitur. Nam ibi cl. Auctor profitetur, mala, quæ lacti aberranti tribui solent, uti febris, tumores circa uterum, &*

crura &c. interdum evenisse iis etiam puerperis, quæ lactabunt, quæque lactis copia non superflua gaudebant, & quibus simul lochia rite manabant. Vid. Pauli Dieteric. Giseke *M. D.* Abandhungen und Beobachtungen aus der Arzneygelahreith, &c. *aut* Comment. Lipsiens. volum. XXII. pag. 131.

(*e*) Morton Phtihsiolog. lib. 1. cap. VI.

§. 463. Animadvertendum 4. est, interdum parciorem lactis secretionem, et proventum in mammis fieri, imo etiam penitus deficere, nec lochia interim solito copiosiora esse, quin tamen aliquid mali puerperæ subeant, et multo minus febri puerperali corripiantur. 5. E contrario hanc sæpe accendi visam esse, antequam lac e mammis decedat, et post eam exortam diu adhuc lacte turgere mammas quandoque solitas, neque semper eam vitari ab illis, quæ ubera suis infantibus mature, et libenter sugenda præbeant, ut exemplis infra proferendis evincetur. 6. Compertissimum quidem esse, lac quandoque in mammis mora, et stagnatione, et calore ita vitiari, et corrumpi, ut noxam corpori inferre possit, si nimirum diu in iis stagnet, aut concrescat: quo tamen casu quidquid in sanguinem remeat, plerumque, nisi nimia copia, et repentino, subitoque impetu repellatur, ut supra jam monitum est, id facile aut alvi fluxu, aut sudore, aut urina, aut alia aliqua via, aut pluribus simul sine magno valetudinis incommodo a natura expelli, quod magni plane viri (*a*) ultro concedunt; illud vero, quod in mammis jam coivit, nec resolvi amplius potest, tumores plus minus duros, aut abscessus procreare, curatu non admodum arduos, fereque periculi expertes. 7. Quoniam probabile est, quotidie aliquid lactis e mammis per vasa lymphatica sine ulla sanitatis noxa in sanguinem infundi, ut Cl. Meclelii (*b*) injectiones

Continuatio confutationis.

suadere videntur, nullo modo concipi mente posse, quare liquor adeo blandus, adeo dulcis, temperatusque, adeo naturæ amicus in puerperis, sive retentus, sive resorptus, febrem mali moris, inflammationes, tumores, abscessus, dolores tam interiorum, quam exteriorum partium excitare debeat, nisi antea insignem labem contraxerit, aut alia quædam caussa intercesserit, uti subita refrigeratio puerperæ, aut grave aliud diætæ erratum, cui hujusmodi mala rectius, veriusque attribui possint.

(*a*) Swieten. in Boerhaav. §. 1329. *ubi testes appellat celeberrimos auctores, uti* Peu (pratique *des accouchem. p.* 214.), Levretum *ipsum* (L'Art des accouchemens *p.* 135.) *&c. qui id experientia convicti fatentur.*

(*b*) Nov. experim. & observat. de finib. venar. & vasor. lymphatic. Berolin. ann. 1772. p. 56. & 57. *ubi* latissimus campus, *inquit Cl. Auctor*, hic pateret in errores hinc oriundos in Medicina animadvertendi, qui in practicis libris sæpe occurrunt. Sæpius mihi in praxi visum est ab aniculis, & medicastris absque fundamento lactis in sanguinem regressum, tamquam caussam morborum fere omnium secundum illorum sententiam accusari, qui puerperas post puerperium infestant, quos inflammatoriæ febris post partum ortæ, aut refrigerationis, aut erroris in diæta effectus, ac sequelas esse peritus in arte facile cognoscit &c. *Similia habet* Leacke *l. c.*

Continuatur refutatio.

§. 464. Quæram 8., si lac in sanguinis vias repulsum, quando adhuc blandum, et minime acre est, nec ullum ex mora cepit vitium, teterrima illa mala efficeret, cur iisdem Nutrices, ubi alumnos dimittunt, atque a mammis lac abigunt, non pari ratione objiciuntur? Plurimas equidem vidi, nullam vero earum, quæ ex hac caussa in gravem morbum inciderit. 9. Ut ad sectiones cadaverum, ad quas a lactis accusatori-

bus provocor, me convertam, materia illa lacti similis, quam circa intestina, aliaque viscera, aut in cavo abdominis effusam inveniri dicunt, nihil sane aliud esse videtur, quam pus ex omento suppurato delapsum; liquor vero ille, serum lactis referens, quo abdominis cavum interdum scatere viderunt, vel pus tenue fuit ab intestinis inflammatis expressum, vel lympha concrescibilis illinc effusa, et corrupta. Nec novum est, materiam lacti similem sæpissime prosectoribus obviam fieri in abscessibus tam internis, quam externis, ubi nulla lactis suspicio, aut culpa adduci poterat (*). 10. Quod attinet ad tumores varii generis, atque abscessus, qui circa uterum, ejusque ligamenta, aut intra musculos iliacos, et psoas, aut ad inguina, femora, aut alias partes puerperis obveniunt, hos æquiori jure, ut de lochiorum retentione, aut metastasi nihil dicam, vel ex utero gravido, tumente, et proximas quasque partes urgente, vel ex vi, quam eædem partes in iteratis partus nisibus passæ sunt, vel ex circuitu humorum impedito, vel ex lympha tenaci, acrique in tela cellulari alicubi accumulata, et stagnante, vel ex materia purulenta intra vasa genita, et vi vitæ demum alicubi deposita, cujus frequentissima extant apud scriptores exempla, deducendi videntur, quam ex lacte, sive retento, ut ajunt, sive repulso.

(*) *Cl.* Swietenius (in Boerhaav. §. 75.) *refert exemplum ex* Histor. Acad. Paris. an. 1729. pag. 17. 18. *tumoris in abdomine nobilis Juvenis inventi, qui continebat septem libras cum dimidia materiæ albæ, partim lacti, partim caseo similis*. Lieutaudius (Hist. Anat. med. Tom. 1. p. 257. 258.) *ex* act. Parisiensibus *producit historiam* humoris lactei *magna copia in abdomine puellæ septennis inventi cum* mesenterio scirroso, vel materia quadam albicante, &

quasi cretacea infarcto; *itemque ex* Lossio *sectionem pueri* ascite *laborantis, cujus abdomen* latice quodam mere lacteo repletum *deprehendebatur. In muliere consistentis ætatis* (*apud* Morgagnium *Epist.* anat. medic. 45. n. 16.) *ex peripneumonia intra quinque dies mortua sinistrum thoracis cavum replebatur sero*, quod a pure admisto albicare libentius dixisses, si ulla puris hic fuissent indicia. *Eodem albido humore turgebat quoque pericardium*, ut a primo non pericardium, sed apertum magnum quendam abscessum videre crederes. Superficies vero omnis pericardii interior, exterior autem cordis, & auricularum, & magnorum vasorum obducebatur materia quadam ex albo cinerea, nihil magis quam calcem, parieti modo inductam referente; *nec tamen cor, aut pericardium, ea detersa, erosum, aut suppuratum apparuit. Mulier autem hæc nec puerpera erat, nec partui ulli proxima, quantum ex historia conjici potest. Similis materia cor obducens, observata etiam a* Guarinonio, *memoratur ibidem, sed fusius* Epistol. 20. num. 37. *Ego quoque pluries in cadaveribus tam morbis acutis, quam chronicis denatorum, & quidem virilis sexus, pericardium humore lacti simili plenum, cor vero materie quadam caseosa circumdatum, & fœdatum deprehendi, qua abstersa, nulla alia labes, nisi levior inflammatio, cernebatur. Cl.* Percivalius (Essays medical and experimental ond the following subjects &c. p. 232.) *narrat, bis paracentesim institutam esse in puella octenni, ascite, & anasarca laborante, & qualibet vice insignem copiam humoris lacti cum aqua remixto similis extractam esse. Tres abscessus, post variolas superatas infanti octimestri oborti sunt, unus circa cubiti articulum, alter ad malleolum internum, & externum, tertius sub clavicula dextera, & musculo pectorali. His incisis,* (Ludwig. Advers. med. practic. vol. 2. part. 1. pag. 183. & seq.) *materia purulenta tenuis, & saniosa cum lactis coagulo, sive grumo caseoso effluxit. Nec in solis corporis caveis, atque abscessibus materia lacti similis pluries, verum etiam in ipsomet sanguine non semel reperta est. Legitur in historia academiæ scientiarum Parisiensis ann.*1752. *sectam esse venam brachii viro recte valenti, sed*

valde plethorico, & multo plus humoris lacti simillimi, quam sanguinis prodiisse. Idemque pluries vidit MURYUS *in iis, qui assidue equis vehuntur. Neque hæc singularia, sed obvia passim reperiuntur apud observationum medicarum scriptores.*

§. 465. Superest demum, ut duo postrema illa argumenta, quæ supra quinto, et sexto loco (§. 461.) allata sunt, aliquantulum excutiantur. Itaque quod de lochiis magnam partem lacteis asseritur, id sane ejusmodi est, ut omnino per se corruat, si quæ contra vasa lactea uteri, aut lacteum humorem ad uterum confluentem disputavimus, memoria teneantur. Deinde animadvertere oportet, colore albidum, quo interdum lochia (*) prædita sunt, lacteam eorum naturam non satis ostendere. Albicant enim, vel quod vasa, unde rubens sanguis effluebat, jam contrahi incipiunt, et serosum tantummodo, lymphaticumque humorem transmittunt, vel quod purulenta materia decolorantur, ut ex fœtore, quem tum exhalant, aperte liquet. Quod si porro lochia interdum non supprimuntur, nisi febre jam provecta, aut ad finem tendente, mirum id quidem nequaquam est. Nam non omnem febrem, quæ puerperas corripit, ex lochiis suppressis, aut cohibitis, et retentis oriri necesse est, cum multiplices profecto caussæ suppetant, unde ea derivari possit. Mirum potius esse debet, fluentibus lochiis albis, id est, ut adversariis videntur, lacteis, febrem sæpe nedum cessare, verum etiam illico excitari, uterum tumere, et tendi, ex retenta nimirum rubra sanguinis parte, nec satis evacuata; quod a me non semel observatum est: dum contra, lacteo humore exeunte, ex eorum sententia, puerperis recte natura consuleret. Quam ob rem, quando justo citius in plethoricis, sanguineisque puerperis lochia pallere, aut albicare

Examinantur postrema duo argumenta adversariorum.

video, quamvis ubertim fluant, suspectus profecto mihi eorum color est, et non raro aliquid mali imminentis portendit; nisi cito, et provide medicus opem ferat. Quod attinet porro ad lactis uberiorem secretionem; nulla me subit admiratio, si ea ut naturæ ordinem, et institutum sequitur, omniumque functionum integritatem plerumque significat, sic quoque caussam medicis exhibet, cur sibi gaudeant, et puerperæ gratulentur: contra vero si inopia lactis, aut defectus, quoniam turbatæ, atque aberrantis œconomiæ animalis indicium est, eos terrere debeat, et mala, quæ imminent, præsagiat. Verum utrumque de fluxu lochiorum dici defectus periculum, metumque non levem multo certius affert.

(*) *Mulieres, & non pauci ex medicis simul ac vident lochia pallida, aut albida fieri, mox dicunt, lac ad uterum converti, atque ex eo prodire; nulla temporis, quo id evenit, habita ratione. Sed ut plurimum pallere incipiunt, imo etiam albicare, febre lactea, ut vocant, accedente, aut lacte in mammis secerni cœpto, aut mammis jam lacte turgentibus. Non ergo tunc ejusmodi decoloratio lochiorum lacti ad uterum converso tribui potest. Imo frequentius, & citius albicant in lactantibus, in quibus certe, cum lac ab infante nato exsugatur, ipsum deferri ad uterum, haud verisimile est. Nam si ex lacte lochiis admixto albidus iste color oriretur, albicaret profecto multo magis in non lactantibus post lactis e mammis refluxum, & non in iis, quæ lac præbent; aut in iis ad summum, in quibus nulla lactis secretio in mammis apparuit; quamquam in his posterioribus dubitandum adhuc esset, num ex mixtione lactis lochia tum vere decolorarentur; quia neque lac, ut dictum jam est, sub forma lactis in sanguine inest, nec uteri fabrica ad illud secernendum in humano genere a natura conficta est. Eget enim glandulosa mammarum structura, ut secernatur, pareturque. Non secretum, neque paratum, ubinam existere po-*

terit, quonam ex loco manabit? At instant nonnulli, ut lac vere sanguini inesse, & cum lochiis ab utero effundi probent, sudores puerperarum, et lochia ipsa acidum quemdam odorem spirare, qualem lac acescens emittit. *Quod incertum sane, & dubium argumentum est; nam quamquam odor istiusmodi revera sudoribus, & lochiis insideret, nec aliunde, nempe ab aliqua lactis portione, quæ in linteola circumposita ex mammis stillaverit, & mora acuerit, emanaret: tamen necessario non sequeretur, ut a lacte sive retento, sive refluente repetendus esset.* Non *enim solum lac in nobis est, quod acescat. Acescit etiam gelatinosa, ut vocant, pars sanguinis, quæ ideo magnam habet cum lacte affinitatem* (Senac. del cuore T. 3. l. 3. cap. 4. pag. 105. 106.). *Jura carnis diu servata acidum saporem acquirunt, odoremque similem exhalant. Gelu inde paratum, dum corrumpitur, eidem vitio obnoxium est. Jus, & gelatina vituli sibi relicta acorem concipiunt* (Memoir. de l' Acad. de chirurg. Tom. 3. Part. 2. pag. 70. edit. in 12. SENAC Essays de Physiq. pag. 98. LORRY des alimens Tom. 1. p. 353.) *Adeps etiam, oleumque nostri corporis acescit. Cor ipsum, quia adipe circa basim sæpe scatet, diutius servatum, acidum odorem interdum spiravit* (Id. ibid. Tom. 2. p. 111.). *Imo ex carne bubula putrescente spiritum subacidum elicuit* NAVIERIUS, *referente* HALLERO (Physiol. lib. V. sect. 2. §. 32.); *qui etiam testatur, in humoribus juniorum animalium manifestum acorem reperiri, in adipe adhuc evidentiorem* (ibid.). *Hinc animalia prius acescunt, quam putrescant* (WALLERIUS chem. p. 237.). *In pure acidam indolem deprehendit* QUESNÆUS (Oecon. anim. T. 1. p. 269. 195. 247.), *quamquam id fere ab adipe repetit* HALLERUS *l. cit. Acet puerorum halitus, & sudor* (PECHLIN. *observ.* p. 332.). *Odor acidus percipitur in sudore febrium quarumdam malignarum* (MORGAGN. de sed. & causs. T. 2. p. 262. JOURNAL de medecin. ann. 1763. mens. August. FORDYC. p. 24. 62.); *item in purpura* (ROSEN. symptom. purpur. chronic. scorbutic. pag. 16. & LUDWIG. Patholog. pag. 64. 122.); *in febre miliari* (HAMILTON de Prax. regul. & febr. miliar.). *Acidum sudorem & quidem criticum in febre qua-*

dam anomala observavit GRAINGERUS (De febr. Batav. pag. 33.) *& in fœmina, cui ossa emollita erant,* NAVIERIUS (sur l'emollissem. des os p. 63.) *& in pari casu vaporem acidum ex abdomine erumpentem notavit* ZEILERUS (De struct. glandul. præt. nat.). *Similis ergo odor acidum spirans reperitur etiam in aliis morbis, ubi nulla lactis suspicio esse potest; cur non item in puerperis? cur non in lochiis, quæ multum seri, & lymphæ continent, ad corruptionem pronissimis?*

Noxæ veræ a lacte. §. 466. Quæ quidem omnia sic accipiantur velim, ut Gallorum de hac re opiniones, doctrinasque nimium, ut mihi videntur, protensas, et latius, quam par est, effusas quodammodo justos intra limites contineant, non vero lac prorsus ab omni noxæ suspicione vindicare debeant. Acescens enim mora, aut corruptum, aut alia quacunque ratione acre redditum, aut repente, et magna copia repulsum, non innocuum esse, supra (§. 463.) posuimus; cum sic sanguini affusum, aut ad cerebrum, pulmones, aliaque viscera translatum, aut alibi in celluloso textu depositum, congestumque non modo febrim, verum etiam deteriora mala, quorum jam (§. 368.) meminimus, procreare possit. Nec dum a Gallis quantum licet, recedimus, ita movemur auctoritate Anglorum recentium, ut cum his lochia imminuta, aut suppressa, aut quocunque modo retenta e numero caussarum, quæ febrem puerperalem invehunt, excludi penitus velimus. Namque haud audiendi mihi videntur, dum quasi ex tripode delphica decernunt, nullum discrimen esse inter humorem, qui lochiorum nomine ab utero effunditur, et illum sanguinem, quem vasa disrupta, aut dilacerata, aut aliter saucia cujuslibet partis evomunt, atque adeo utrumque æque blandum, insontemque haberi volunt. Neque facile eisdem

Anglorum de Lochiis judicium.

(*a*) fides habenda est, quando nihil mali ex imminuta, aut retardata, aut cohibita hujusmodi uteri evacuatione se unquam vidisse declarant (*). Sola enim sanguinis, licet boni copia, quæ, prout contrahitur uterus, exprimi paullatim, atque effundi debet, retenta collectione, et quandoque inflammationes, et febrem non levem parere sæpe (**) visa est. Si vero sanguis, qui in uteri vasis copiosior jam est, aut ad ea, utero vacuo facto, uberius ferri cœpit, subito repellatur, et repentina metastasi, rapidoque motu in debilioremque aliquam partem, puta cerebrum, aut pulmonem, impetum faciat, nonne expectandum continuo est gravissimum aliquod malum (***) ex iis, quæ inæqualis sanguinis distributio, inæqualisque ejusdem motus, et vis efficere consueverunt? Id nonne frequentissimum et manifestissimum est in hemorrhagiis reliquis, et præsertim in catameniis ipsis, illico, et repente compressis? Quæ non tum pectoris oppressiones, anxietates, suffocationes, quæ non capitis perturbationes, cephalalgiæ, vertigines, aliæve terrificæ affectiones subsequuntur? Aratur.

(*a*) Leacke in primis l. c.

(*) *Prodiit anno* 1768. *Lugduni Batavorum Clariss.* Gerhardi Fauvarq. *Dissertatio absolutissima* De Lochiorum metastasi. *Hæc recusa invenitur in Syllog.* Baldingeri vol. 2. pag. 278. *Doctissimus Auctor, etsi metastasim lactis prorsus non neget, multa tamen, imo omnia mala, quæ alii lacti tantum referunt accepta, lochiis etiam aberrantibus sæpissime tribuenda censet. Cum vero utriusque generis metastases summopere affines sint, signa etiam tradit, quibus altera ab altera distingui possit. Turbæ, inquit (§. 5.), quæ primis a partu diebus observantur, lochiis, quæ vero post* febrem lactariam *nascuntur, lacti suam originem debent. Deinde addit, in metastasi lactis mammas flaccescere, in lochiorum aberratione turgere posse, citatque assentientem Cl.*

SWIETENIUM (comm. in Boerhaav. T. 4. p. 610. & 612.)

(**) *Similia timet etiam a copia boni sanguinis in uteri vasis retenti idem* FAUVARQ. l. c. §. IV.

(***) *Eadem quoque docet* FAUVARQ. l. c. §. eod.

Lochia quomodo nocere possint.

§. 467. At interdum lochia ita a boni sanguinis indole desciscunt, ut cum eo, qui in hæmorrhagiis e vasis erumpit, comparari, ut temere volunt, minime queant. Supra (§. 365.) ostensum est, aliquando ea purulenta aut puriformia esse. Tunc certe resorpta, aut retenta innocua fore, nemo dixerit. Quandoque etiam in uteri, aut vaginæ cavea restitantia, et loci calore fota, aut aeris accessu contaminata ita alterantur, (*) ut, ni vere putrefiant, ad putrescendum certe paratissima evadant. Hinc tetram mephitim exhalant, acidum, vel fœtidum nidorem emittunt, atque acrimonia, quam acquisiverunt, non solum partes, per quas depluunt, quodammodo inflammant, et mordent, verum linteola etiam ipsa, quibus excipiuntur, brevi exedunt, consumuntque. Istane tuto retineri, aut cum sanguine circumeunte communicari, et circumagi poterunt? Adde, ab universo corporis habitu non raro ad uterum pravos, alienosque succos post partum confluere, ut providentissimo naturæ consilio, conatuque excernantur. Si casu, aut malo fato sint, ut expiatio ejusmodi impediatur; quis non viderit, quanta, et qualia puerperis mala impendeant?

(*) *Mihi omnino adstipulatur laudatus* FAUVARCQUUS, *dum* (§. 2.) *sic inquit: „ Quamquam sanguinem ex vasis in matricis cavitatem influentem sanum esse adseram, idem tamen de sanguine de genitalium rima exteriori prodeunte semper adfirmare nollem. Notum enim est & calorem, & humiditatem horum locorum, & stagnationem in iisdem facillimo nego-*

tio, & brevissimo tempore corruptionem inducere; hanc igitur ob caussam sanguis de genitalibus prodit omnino corruptus, non quod qua talis in uterum effundatur, sed quoniam hanc labem in his demum locis contraxerit. Accedit, quod particulæ relictæ placentæ, amnii, chorii, atque omentosæ substantiæ, quæ chorium cum utero ubique nectit, corrumpantur, corruptæ cadant, & sanguinem transeuntem varia ratione inquinent". Idque præsertim evenire subdit in regionibus calidioribus, ubi Judæi olim *habitarunt*.

§. 468. Quibus vero neque lac cum recentioribus, neque lochiorum repulsio, et metastasis cum veteribus quibusdam caussa febris puerperalis videntur; hi ad uteri potius inflammationem, quæ in puerperis non infrequens est, animum convertunt, atque hanc originem ejusmodi febribus veluti probabiliorem assignant. At HULMIUS, et LEACKIUS uteri inflammati symptomata ita a febre puerperali aliena reputant, ut ingens inter utramque discrimen esse, fidentissime statuant. In demortuis præterea ex hac febre puerperis uterum omnino naturaliter constitutum atque illæsum; omentum contra, et tenuia intestina inflammata, et gangræna affecta, itemque abdominis cavum humoribus putridis, et corruptis, nec non spiritu fœtentissimo plenum repererunt. Quo factum est, ut non uteri, sed omenti, intestinorumque inflammationi hanc puerperalem febrem ambo tribuendam judicaverint. Quamquam vero eam inflammationis esse sobolem velint, non tamen omnem putredinem primarum viarum, aut etiam ipsius sanguinis, saltem secundariam, et accessoriam ab ea excludunt. Verum quod attinet ad hujusce febris symptomata; adeo varia, et diversa ab auctoribus referuntur, ut non facile, quæ ipsius propria, quæ aliena (*) sint, quis definiverit. Itaque si descriptiones omnes per-

Num uteri inflammatio quandoque caussa ejus sit.

Omenti et intestinorum inflammatio accusatur ut caussa hujus febris.

sequamur, quas de hac febre puerperali tradiderunt observatores, quasdam certo inveniemus, in quibus uteri inflammati symptomata non defuisse, fateri cogimur. Quod si etiam sectiones cadaverum earum, quæ ex hac febre perierunt, consulantur, id multo evidentius apparebit, nec ullum dubium supererit, quin interdum nullum inter hysteritidem, et febrem puerperalem discrimen extiterit. Cl. enimvero LE ROY in ea ipsa fœmina ex hac febre extincta, in cujus abdomine notabilem seri quantitatem cum flocculis albis lacti coagulato similibus (§. 461.) invenit, uterum etiam, partesque vicinas inflammatis fuisse, confitetur. Binas quoque sectiones mulierum, quas febris puerperalis rapuerat, extant apud POUTEAU (*a*); quarum uterus interiorem membranam nigram, et mollem habebat, rubore quodam livido, et vere gangrænoso subtus existente. GASTELLERIUS etiam duas mulieres febre puerperali, et quidem exanthematica abreptas secuit (*b*), in quibus uterus luculentissimas inflammationis notas exhibuit. Quibus si addideris eas, quæ passim in *Miscellaneis Naturæ Curiosorum* (*c*), observationes, uterum sæpe inflammari in hujusmodi morbo, nemo negabit. Sed pro mille aliis illa esse poterit, quam typis mandavit J. P. XAVERIUS FAUKEN (*d*). Is enim narrat, annum 1770. puerperis fere omnibus exitiosum fuisse Vindobonæ, sed præcipue illis, quæ in nosocomio *Divi Marci* decumbebant. His mox post partum uterus erat durus, et tumidus cum doloris sensu, lochiis suppressis, alvi fluxu, æstu, siti, cute humida, capitisque dolore. Tertio, aut quarto die universum abdomen, speciatim versus diaphragmatis regionem intumescebat, tendebatur, et dolebat, flaccidis interim mammis, et lacte vacuis. Die sexto, et septimo hæc ita increscebant

bant, ut velut suffocatæ necarentur. Sectio anatomica in earum abdomine detegebat pseudo-membranam ex materia quadam caseo, et lacti simili conflatam, qua omnia viscera obducebantur. Totum ejus cavum sero veluti lactis scatebat; neque id deerat interdum in ipsomet thorace. Non unum viscus sed aliud, atque aliud inflammatione obsessum reperiebatur. In nonnullis vero uterus sic affectus occurrebat, ut sphacelo correptus videretur. Simillimam huic epidemicam constitutionem puerperis exitiosissimam, quæ hieme anni 1746. grassata est, ex commentariis Regiæ scientiarum Academiæ ejusdem anni commemorat Cl. SVVIETENIUS hisce verbis: *Aquæ, dum parturiebant, effluebant, et postea uterus siccus, durus, dolens tumebat, nec lochia solito fluebant modo. A ventris fluxu morbus incipiebat, dolor ventris sequebatur, in primis circa locum, quem occupant ligamenta uteri lata, tensum erat abdomen, caput dolebat, et quandoque aderat tussis. Tertio, vel quarto post partum die, mammæ, quæ tunc turgere solent, flaccescebant, et quinto, vel septimo die puerperæ moriebantur. Pauperes solus invadebat hic morbus, præcipue si in nosocomio peperissent. Februario mense adeo periculosus erat morbus, ut ex viginti vix una evaderet. In cadaveribus inveniebatur coagulum lactis* (Gallorum sermone hinc utitur) *externæ intestinorum superficiei adhærens, et serum lacteum in cavo abdominis effusum; simile serum in quibusdam reperiebatur in pectoris cavo, et dum pulmones secabantur, eructabant similem lympham lacteam, sed putridam. Ventriculus, intestina, uterus, rite examinata, videbantur inflammationem passa fuisse, et grumi sanguinis ex dissectis canalibus uterinis exibant: in multis etiam ovariorum suppuratio videbatur adfuisse* (e). Quæ omnia tum ratione symptomatum, quam observatorum in ca-

davere adeo conveniunt cum descriptionibus Hulmii, Le Roy, et Leackii, ut nihil similius esse possit, excepta uteri labe, quam hi nunquam in suis puerperis repererunt.

(*) *Cl.* Whitæus *(p. 210.) vehementer & ipse miratur, vix duos auctores esse, qui eadem ratione hanc febrim descripserint. Credit tamen cujusque descriptiones fideliter ex ipsa observatione desumptas fuisse, prout nimirum morbus se se eorum oculis obtulerit: quod probe animadvertas velim, ne quæ deinceps dicturus sum, absurda, aut commentitia tibi videantur.*

(*a*) Melang. de chirurg. p. 182.

(*b*) De la fievr. miliar. des fem. en couche p. 108.

(*c*) Miscell. N. C. Dec. 1. Ann. 2. obs. 85. Ann 4. observ. 195. Dec. 2. Ann. 4. observ. 94. Dec. 3. ann. 1. ob. 22. ann. 5. obs. 123. Whiteus *ipse* (l. c. p. 206.) *non negat, in hac febri uterum interdum inflammatione & gangræna tentari.*

(*d*) Das in Wien im Jahre 1771. &c. vid. Comm. Lipsien. vol. XIX. p. 289.

(*e*) Comment. in Boerhaav. §. 1329. pag. 450.

Inflammatio omenti, et intestinorum an caussa hujus febris?

§. 469. Quantum porro fidendum sit cadaverum sectionibus ab Hulmio, et Leackio ad proximam harum febrium caussam detegendam institutis, ex eo facile constabit, quod ex XI. puerperis, quarum historiam conscripsit Cl. Whiteus, nulli sanguis missus sit, et nihilo secius ferme omnes evaserint. Quod nequaquam contigisset, si quæ ab illis superioribus in omento, atque intestinis inventa inflammatio dicitur, principem revera morbi caussam, sive continentem, ut vocant, et conjunctam præstitisset. Quo vero id magis eluceat, legenda ea sunt, quæ in novam Hulmii doctrinam doctissime animadvertit idem Whiteus (*a*), ostendens, effectum pro caussa ab eo temere acceptum fuisse. Namque enimvero ejusmodi inflammatio si primaria, et non

secundaria exstitisset, nullo modo, sine prompta et larga sanguinis missione, vitari, aut discuti unquam potuisset. Sed sua quoque est WHITEo peculiaris opinio, qua a reliquis pene omnibus dissentit. Puerperas enim nec ex lacte, nec ex lochiis retentis, nec ex ulla viscerum inflammatione in puerperalem febrem incidere, sed ex eo tantum putat, quod sanguis earum putridis effluviis inficiatur. Effluvia autem hæc partim ex lochiis in vagina, aut circa pudenda retentis, et facile putrescentibus, partim ex bile acri, et corrupta, aut putridis intestinorum sordibus elevari, a venis inhalantibus, aut membranarum interstitiis resorberi, et cum reliquis humoribus communicari; eoque facilius, promptiusque sanguinem hinc computrescere, quo major aeris, cubiculi, lecti, potusque calor est, aut largior calefacientium medicamentorum, et ciborum abusus, minusque aeris temperandi, et renovandi studium, aut minor mundum corpus servandi diligentia (*h*). Ideoque, quamquam communiter in demortuis inveniantur intestina inflammata, et glutine quodam exterius obducta, et conferruminata, sero cuidam purulento immersa, magis ad putridam, quam ad inflammatoriam naturam hujusmodi febrem accedere. Intestina vero, omentum, aliasque partes, quæ in puerperarum cadaveribus corruptæ reperiri solent, facilius, citiusque contaminari, quia utero, lochiis, excrementisque propiores existunt. Quod ut credibilius reddat, non modo pluribus utitur ipse argumentis e physica, et physiologia ductis, verum etiam confirmare illud non desinit narratione quarumdam felicium curationum, quas solo regimine refrigerante, medicamentisque acescentibus, atque antisepticis præstitit. In Anglia utique, ubi victu animali, vinosis liquoribus et regimine calefa- Ratione Whitei infirmatur.

ciente frequentius abuti fortasse solent puerperæ, nec satis munditiei corporis studiosæ videntur, et plerumque angustioribus, parumque aere perflatis cubiculis includuntur, in primis plebejæ, et non opulentæ, sæpe ea ex hac caussa febribus acutis, et putridis corripi, verisimillimum est. At, quia non ubique, nec universim ejusmodi vitæ regimen obtinet, idcirco absurdum plane esset credere, puerperas isto dumtaxat febris genere peculiariter, et ubique conflictari. Vidi equidem ipse non semel fœminas contraria omnino ratione viventes, gravibus hisce febribus obnoxias, alioque curationis genere, quam quod WHITEUS proponit, egentes, ut sanarentur.

(a) L. c. Post-script. p. 377. & seq.
(b) L. c. sect. 3. art. 2. p. 209. & seq.

Alia afferuntur contra eumdem.

§. 470. Præterea etsi magnam in hisce caussis, quas WHITEUS adduxit, nocendi potestatem insidere ultro concedam, non ita tamen celeriter ab iis corpus affici posse videtur, ut primo mox die, aut altero a partu, quod sæpe evenire cum HULMIO, LEACKIO, aliisque WHITEUS ipse haud negat, febrem mali moris excitent, nisi dyscrasia jam aliqua humores ante peccaverit, aut corpus gastrica saburra, aut biliosa colluvie scateat, aut aliunde cacochymicum sit, aut aliter male affectum. Id profecto suo jam tempore cognovisse videtur RIVERIUS medendi scientia, et usu multis recentioribus, licet theoreticis disciplinis elegantius instructis, et perpolitis anteferendus. Is enim post enumeratas caussas, ex quibus puerperis febres putridæ (*) superveniunt, et comprehensa in illis lochiorum suppressione, aut imminutione, sic inquit: *Si vero rite fluentibus lochiis febris oriatur, illa vel ex bilioso humorum apparatu, vel ex diætæ erroribus provenit.*

Riverius quid senserit de caussis hujus febris.

Pravi humores ex partus laboribus, ac doloribus agitati calorem, et putredinem facile concipiunt, febremque excitant (*a*). Quod vero attinet ad diætæ errores, quoniam et de his mentionem opportune facit, e re erit hic ipsissima ejus verba referre: *Diætæ errores variis modis contingere possunt. Ac primum in victu, in quo puerperæ plurimum peccare solent, pluribus, et copiosis ferculis se se ingurgitantes, quæ sufficienter concoqui non possunt, et in corpore putredinem contrahunt. Alter error committitur, dum puerperæ frigido aeri* (Hoc probe notent nimii frigidi regiminis laudatores) *se se imprudenter exponunt, præcipue urgente febre ex lacte, quæ per sudores, et diaphoresim solvi consuevit. A frigore autem ambiente incaute admisso diaphoresis impeditur: unde fit, ut febris illa, quæ per se salutaris erat, et paucis diebus cessatura, in putridam, et periculosam mutetur*. Imo interdum febris hæc in ipso pariendi tempore, aut etiam prius uno, vel altero die puerperas invadit, quod ex historiis Hippocratis ipsius, ut ceteros prætercam, constat; unde facile deducitur neque a lacte, neque a lochiis, neque a perverso puerperarum regimine semper ejusmodi malum derivare.

(*) *Putridæ febres eo sensu hic accipiantur, quo a Galenicis acceptas supra tradidimus.*

(*a*) Prax. medic. lib. XV. cap. 24. §. 6.

§. 471. At præter humorum antecedentem dyscrasiam, et putridum, aut biliosum in primis viis apparatum, aut subitam diaphoreseos, aut lochiorum repulsionem, *aliam* vir probatissimus *caussam satis frequentem febris puerperarum* commemorat, portionem videlicet aliquam secundinarum, utero adhærentem, aut sanguinis grumum, aut *aliud quid* præter naturam post partum in uteri cavo relictum, et putrescens, *unde lochia* Aliæ caussæ.

virescentia, *male olentia*, et *cadaverosa* profluere solent. Ex his quippe non modo uterus computrescit, verum totum etiam corpus putridis ichoribus, halitibusque venenatis inficitur, ut putridissimæ inde febres oriantur. Duoque exempla in utriusque caussæ confirmationem ex HARVEI *tractatu de partu* in medium profert perquam sibi accommodata. Nec unus RIVERIUS talia docet. Similia, et prope eadem a WILLISIO (*a*) traduntur, et probantur. Nam harum febrium caussas enumerans, primo assumit *pravam sanguinis diathesim* tempore graviditatis acquisitam; secundo *malas uteri affectiones* a partu relictas. Illa nisi copioso, et continuato lochiorum fluxu tollatur, sanguinem dicit ad effervescendum, putrescendumque ex levi occasione promptissimum reddi, imo nervorum succum, quasi veneno, pessime depravari. His vero, et *lochia sisti et totius sanguinis depurationem impediri*, et *fœtidos* illinc ichores cum sanguine communicari, eumque *graviter infici*, quin imo *motus convulsivos circa uterum incertos*, *indeque aliis partibus continuatos in sanguine et succis inordinationes concitare*, *quæ sæpe in febris aut productionem*, *aut exacerbationem conspirant*. Nec præterit alias duas *occasiones in arbitrio patientium sitas*, *et facile evitabiles*, *quæ hujusmodi febrem excitare solent*, *malam* nimirum *victus rationem*, et *frigoris susceptionem*. A victu enim pleniore, et jurulento, quo immaturius utuntur, *statim in visceribus indigestio*, *et magnæ molestiæ*, *atque in sanguine ob succum nutritium debito opimiorem turgescentiæ*, inquit, *febriles* oriuntur. Frigore vero suscepto, cum *intra diem unum*, *aut alterum*, *aut citius*, *quam oportuit*, *vestibus induuntur*, *lectoque exsurgunt*, non solum *transpiratio cohibetur*, *sed non raro lochia derepente sistuntur*, *aere ad uterinas par-*

Willisius ad Riverium accedit.

tes penetrante. Quorum utrumvis *febrilem effervescentiam excitare* poterit.

(*a*) De febrib. cap. XVI. pag. 77.

§. 472. Ex quarum opinionum varietate quisque satis intelliget, probabiliter non unam febris puerperalis caussam, sed fortasse aliam, atque aliam constituendam esse, et proinde non unum ejusdem genus, sed plura videri, quibus nomen istud conveniat, aut a scriptoribus inditum sit; et quamquam quæ postremo loco ex RIVERIO, et WILLISIO prolata sunt, magnam veri similitudinem præ se ferant, in re tamen adeo controversa, et disputationibus adhuc subjecta prudentis esse judicium cohibere, nec quidquam decernere, donec ea, quæ a ratione dictantur, experientia ipsa comprobaverit. Quare, ut quænam caussæ potissimum hic locum habeant, et quænam hinc veræ morbi differentiæ deducendæ sint (quod plurimum scire interest) tutissime patescat; nihil opportunius, nihil aptius, nihil convenientius existimo, quam aliquas febrium, quas puerperales vocant, historias examini submittere, ut quid ex iis probabili ratiocinio ad quæstiones dirimendas elici potest, a posteriori, quod ajunt, planissimum fiat. Itaque eas primum quodammodo percurram, quas WILLISIUS ipse nobis reliquit, deinde nonnullas alias summatim attingam, quoad ad me spectare videbitur, quædam consectaria, veluti sponte inde fluentia, breviter colligens. Septem ille puerperas, febre laborantes, diligenter descripsit, quarum quatuor vi morbi extinctæ sunt, binæ vero servatæ. Septimam omittam, quia cum variolas tantum passa sit, proprie ad hujusmodi disquisitionem non pertinet. PRIMA earum pluribus ex caussis in febrem incidit: nam et difficulter enixa est, et SECUNDA statim die car-

Willisii observationes.

Historia I.

nes liberalius comedit, et TERTIA e lectulo surrexit per horas quatuor. Nocte insequente male habuit, quo tempore lac ad mammas confluxit, sed illico disparuit ab applicato emplastro, cui nomen diachylon est. QUARTA die mane febricitabat cum cacochyliæ signis circa ventriculum. QUINTA major febris, et eadem circa ventriculum incommoda. Lochia imminuta, atque albicantia. *Lactis fluorem* dicunt. Caput vesperi impeti cœpit. Hypochondria, et epigastrium tendunt. SEXTA accessit linguæ paralysis. SEPTIMA pectoris oppressio, et sensuum abolitio. OCTAVA mors ex metastasi, ut videtur, ad cerebrum facta. Ex brevi hac morbi descriptione eruitur, febris multiplicem originem fuisse, nempe saburram primarum viarum, lac repente repulsum, et lochia imminuta. Febris ergo primum *gastrica* extitit, quam deinde lac repulsum, et lochia retenta funestiorem reddiderunt. Febris secundo loco descripta caussam proegumenam habuit pravum humorum apparatum ex victu insalubri, et vita deside præcedente (*). TERTIA die tantummodo accessit; cui mox diarrhœa supervenit. Ad hanc sistendam die SEXTA adhibita fuere remedia adstringentia, quæ alvum uterique purgamenta imprudenter, et præpostere cohibuerunt. Hinc febris intenditur cum magnis, et crebris pectoris oppressionibus, atque hysterico gutturis veluti præfocati sensu. SEPTIMA graviora omnia, licet alvus iterum laxaretur, et lochia, parca tamen, redirent. Demum accesserunt tinnitus aurium, sensus quidam capitis præter modum turgentis, subsultus tendinum, subitæ totius corporis concussiones convulsivæ, et NONA die mors. Metastasis ad præcordia primum, deinde ad caput. Erat febris *gastrico-putrida*, quam diarrhϾ, et lochiorum suppressio lethalem fecit. Tertia observatio

Historia 2.

est febris cujusdam, quæ sine ullo morbido apparatu vespere diei QUARTÆ, cum in prandio *ex carne pulli plus debito* puerpera comedisset, eam invasit cum vomitu, et lochiorum cessatione. Die QUINTA soluta est alvus, et lochia copiose iterum fluere cœperunt, sic ut paucos intra dies ægra perfecte convaluerit. En exemplum febris gastricæ puræ, et benignæ ex intempestivo carnium esu. Quartæ vero ægrotæ historia est hujusmodi. A die partus usque ad septimam puerpera carnibus semper usa est, et quotidie e lecto surrexit; SEPTIMA autem die febri corripitur. Hinc lochia imminuta. Nocte DECIMÆ delirium; lochiorum suppressio; convulsiones. Obiit die proxima post alvum sponte laxatam. Cibi copia, frigus susceptum, atque hinc transpiratio cohibita caussam febri dedere; quæ a principio exigua fuit cum pulsu parvo, malignarum instar. Lochiorum accedens suppressio exitium attulit. Num hæc *gastrico-lochialis* vocanda esset? Quinta in febrim incidit ex lochiis, et diarrhœa per adstringentia temere usurpata cohibitis: sed utraque evacuatione revocata febris brevi desiit. Fuit ergo *gastrico-lochialis benigna*. Verum paullo fusius exponenda est sextæ ægrotantis historia. Puerpera die e partu ALTERA cum se in pedes supra lectum erexisset, frigus ad pudenda admisit. Hinc lochia continuo substitere ita, ut vix aliquid serosi humoris ex utero stillare pergeret. TERTIA accessit febris, et dolor pleuriticus cum sputo cruento. Quarta cuncta veræ pleuritidis symptomata. Tunc sanguinis unciæ sex e brachio detractæ cum levamine, quod decem horas continuasse dicitur. At nocte recruduit dolor pleuriticus. Mane QUINTÆ iterum sanguis ad uncias quatuor e brachio missus. Dolor imminutus, et facilior respiratio. Remediis prolectus sudor est. Dormivit. Sed post

Historia 3.

Historia 4.

Historia 5.

Historia 6.

somnum pulsus invenitur frequentior, et languidior. Supervenere subsultus tendinum cum delirio. Die QUINTA mors, viginti quatuor horis ab iterata phlebotomia. Dubium quodammodo videtur, num pleuritis gangræna terminata mortem sola attulerit, an vero etiam metastasis ad cerebrum aliqua eidem se adjunxerit. Illud omnino certum est, morbum fuisse pleuritidem ex lochiis repressis, atque aberrantibus, et, propter humoris pravitatem, aut nimium retardatam sanguinis missionem, cito in gangrænam transisse.

(*) *Febrem puerperalem ex morbido humorum apparatu, tempore graviditatis acquisito natam describit etiam* RAYM. JO. FORTIS (l. cit.) *& docte, ut solet, commentatur. Narratio sic habet: „ Mulier gravida trigesimum annum agens, hepatis calidioris, gracilis habitus, & potius cacochymica, toto gestationis tempore fructibus, & aliis pravi succi eduliis usa, tandem nono mense peperit filiam, &, purgationibus secundum rationem sequutis, nihilominus tertia die, acuta febre correpta est cum hypochondriorum, & capitis doloribus, vigiliis, siti molesta. Cum vero obstetrix existimaret febrem hanc fuisse lactis, cum tamen septima præterierit dies a partu, qua febris cum horroribus invaluit, adeo ut nocte elapsa deliraverit mulier, post diminutam lochiorum expurgationem, mutata opinione, credidit, febrem aliunde provenire posse. Et ideo &c. " In epicrisi vero ait:* putrida itaque censenda est, nec ex lochiorum retentione, verum potius a morboso apparatu, ab humoribus cacochymicis, crudis, & utroque modo biliosis, a sanguine alienis, in venoso genere corruptis &c. *Ex apparatu etiam morboso præcedente videtur in febrim incidisse illa apud Hippocratem Epicratis uxor, quæ, cum instaret partus, duobus diebus ante partum rigore vehementer correpta fuit, tertio peperit filiam feliciter cum ceteris omnibus secundum rationem: secundo vero a partu die febris vehemens cum oris ventriculi dolore, & muliebrium exacerbata est &c.* Epid. 1. sect. 3. Ægr. V. *Nec fortasse aliam originem habuit febris, quæ pre-*

hendit Dromeadæ conjugem secunda die, postquam filiam enixa esset, & alia omnia secundum rationem evenissent. Epid. lib. 1. sect. 3. Ægr. XI.

§. 473. Ab observationibus WILLISII transeo ad eas, quas WHITEUS enarravit ad calcem sui opusculi. Extant ibi quidem complures, sed ex iis novem solum vere pertinent ad febrem puerperalem; nam prima, decima, duodecima, et reliquæ sequentes circa alios morbos versantur. His igitur, uti a nostro instituto alienis, prætermissis, incipiam mox a secunda, eamque in compendium redigam, sic tamen, ut quæ origini, et naturæ morbi significandæ valent, minime omittantur; id quod etiam in ceteris deinceps recensendis ad amussim præstabo. *Observ. II.* Mulieri cuidam post facilem, naturalemque partum, et post adhibitum regimen nimis calidum sine ulla aeris, in quo decumbebat, renovatione, et post obortos inde assiduos sudores, supervenit diarrhœa cum torminibus ventris, et signis acidæ cruditatis circa ventriculum: idque contigit die a partu QUINTA. Eadem die febris, lochia copiosa, sed admodum fœtentia, et lingua alba. Febris, diarrhœa, et tormina diu protrahuntur. Fœtor ingens undique erumpit. Regimine refrigerante, aere cubiculi sæpius renovato, ipecacuanha, et demum cortice peruviano curata est. Caussa autem fuit cacochylia primarum viarum cum putrida sanguinis dissolutione. Febris inde genita cur non dicenda erit *gastrico-colliquans*, sive *gastrico-putrida*? *Observ. III.* Cubiculum nimis occlusum, et calens. Lochia fœtida. Die QUINTA dolores vehementes in imo ventre. Abdominis tumor, inflatio, tensio, aucta sensibilitas; frequens dejiciendi desiderium; tenesmus permolestus, egestiones paucæ; pulsus creber; lingua alba; demum cibi fastidium, vomitus, atque

Observat. Whitei.

Observat. 1.

Observat. 2.

alvi profluvium. SEXTA primum lochia sistuntur. Tum etiam lac in mammis minuitur. OCTAVA lac, et lochia redeunt, et febris desinit. Caussa eadem cum priore, et idem morbi genus. *Observatio IV.* Frigus in partu susceptum. Die SECUNDA circa vesperam febris, et tormina ventris. TERTIA horror, calor, atque alvi excrementa compacta. QUINTA horror vehementior; alvi fluxus cum torminibus; dejectiones acres, calidæ, exurentes. SEXTA alvi excretio copiosior; lochia pallent, et mammæ detumescunt; non tamen lac omnino evanuit. SEPTIMA idem alvi profluvium. Febris minor. OCTAVA dejectiones rariores, parcioresque. Hinc lac uberius in mammis. NONA morbi finis. Patet, febrem ex perspiratione cohibita, et prava primarum viarum biliosa colluvie ortam esse. Itaque *gastrica pura*. *Observ. V.* exhibet historiam febris miliaris, sive morbi ex miasmate miliari cum cacochylia gastrica complicati, qui non puerperam, sed utero gerentem juvenculam sexto gestationis mense corripuit, unde abortum passa est. *Observ. VI.* ostendit quantum possit regimen refrigerans, abstinentia ab omni victu animali, et fructuum acescentium usus. His enim adjumentis *febris biliosa ardens*, quæ prope imminebat, valide propulsata est. *Observat. VII.* PRIMA a partu die circa vesperam horror, qui POSTERA etiam die redivit. TERTIA ingens vomitus, et diarrhœa cum dolore capitis, lumborum, ilium, et ea infimæ partis abdominis tensione, ut præ dolore non pateretur se tangi. QUARTA accessit sitis, calorque. Pulsus erat celer, lingua alba, lac paucum, lochia suppressa. SEXTA solo regimine refrigerante, aeris puri, et recentis accessu, et vitato carnium jure febris cum omnibus symptomatibus decessit. Sic in ipso ferme ortu repressa est febris, quam gastrica, et

Obser-vat. 3.

Obser-vat. 4.

Obser-vat. 5.

Obser-vat. 6.

putris saburra excitaverat. *Observat. VIII.* Magna hæmorrhagia uteri ob placentam retentam. Quinque post horis ea manu chirurgi extracta est: hinc hæmorrhagia illico cessavit. TERTIA primum horror; calor deinde; denique sudor. SEPTIMA accessio similis eodem ordine. NONA vomitus creber; nausea; sitis; cibi fastidium; pulsus parvus, celerrimus; lingua ad latera albicans, in medio fusca, et sicca. Ægra lactabat. Abdomen ita dolebat, ut tactum non ferret. Lochia satis copiose fluebant, sed putrida, et fœtentia. A partu ad hanc usque diem ex alvo nihil prodierat. Continuus lectuli calor, et fervidi potus usus non modo eam adstrictiorem reddiderat, verum etiam excrementa ad putrescendum expeditiora, eoque magis, quod in palustri loco, atque obsoleta domuncula fœmina hæc ruri degebat. Curata est emeticis, et alvum laxantibus. Nulla hic lactis metastasis accusari potuit; nam ubera infanti porrigebantur. Neque lochiorum retentio, quia fluebant satis copiose. Igitur potius fæcum intestinalium copia, et putrida cacochylia. An aliquid etiam corrupti in utero? Longior placentæ in eo mora, et subsequens lochiorum fœtor suspicionem non levem movet. Neque ab hac dissimilis est *Observatio IX.* in qua eadem curatio morbum devicit. *Observatio X.* Ex retenta per tres dies in utero placenta, ibique corrupta, febris putridissima cum pustulis miliaribus orta est, quæ die VIGESIMA SECUNDA a partu mulierem rapuit.

Observat. 7.

Observat. 8.

Observat. 9.

§. 474. Hæ quidem observationes proposito satis esse possent, nisi febri puerperali sæpe, licet per epigenesim, miliaria exanthemata adjungerentur, ita ut tum febris ista *miliaris puerperarum* appellari soleat. Itaque non me pigebit septem

Gastellerii Observationes.

alias historias, quam nuperrime Gastellierius edidit, superioribus adjicere, quo melius varia hujusce morbi origo, et natura expendatur. *Observatio* 1. Mane quædam mulier peperit feliciter. Vespere terrore repentino lochia suppressa. Hinc horror totius corporis, suffocatio, pectoris angustia. Nocte garrulitas; sermo intercisus; dolor capitis, et lumborum; respiratio laboriosa; oculi rubri, scintillantes; pulsus durus, plenus, frequens; carotidum micatus validiores; cutis ardens, et latis maculis rubris notata; sitis inexplebilis. Quæ omnia partim terrori, partim calefacientibus, et vini potui, quibus ad discutiendum horrorem usa est, accepta referri debebant. His accessit delirium ferox, et paullo post exanthemata etiam miliaria. Repetita sanguinis missio opem tulit, sic ut die *nona*, lochiis copiose fluentibus, et mente omnino restituta, tres horas extra lectum sine languore manere potuerit. Dubitari non potest, quin lochiis suppressis, et sanguini vehementius, et copiosius ad caput irruenti tribuendum fuerit id febris genus, cui fortasse *phrenitidis lochialis* nomen non male conveniret.

Ægra 1.

§. 475. *Observ. II.* Post partum undique facilem, et naturalem, lochia admodum parce fluxerunt. Hinc non satis bene habuit puerpera usque ad diem XIV. (*); imo sine evidenti alia caussa nocte hujusce diei correpta est acutissimis doloribus imi ventris, quos comitabantur vomitus crebri, et vehementissimi. Mane postero alta voce conqueritur, atque ejulare cogitur. Pulsus erat parvus, tardus, et valde contractus; extrema frigida; urina suppressa; venter subtumidus, non tamen tactu indolescens; magna spirandi difficultas, et demum vesiculis miliaribus,

Ægra 2.

quæ jam ab aliquot diebus eruperant, totum corpus conspersum. Nihil lactis in mammis a partu ad hanc usque diem apparuit, nec ulla febris, quam *lacteam* dicunt, præcesserat. Sanguinis missione bis in pede instituta, potu diluente, subacido, balneo tepido totius corporis diu, et pluries adhibito, tartaro deinde emetico, quo multum purgata est, et demum lochiis revocatis, et abunde fluentibus brevi convaluit. *Colicam nephriticam* auctor eam vocavit. Probabilius tamen videtur, morbi caussam fuisse lochiorum parcitatem, atque aberrationem, saburramque intestinalem.

(*) HIPPOCRATES in 1. epid. sect. 3. ægrot. IV. *historiam puerperæ, quæ decima quarta die febri prehensa est, laconice, ut solet, sed accuratissime refert. Quam, cum similitudinem habeat quamdam cum modo exposita, non erit inutile totam transcribere:* In Thaso Philini uxorem, quæ filiam pepererat, quum purgatio secundum naturam facta esset, & alias leviter degeret, DECIMAQUARTA a partu die febris vehemens corripuit cum rigore. Ab initio vero cor *(id est scrobiculus cordis)* dolebat, & circa præcordium dextrum; muliebrium partium dolores: purgatio cessavit. Ubi vero glandem subdidisset, hæc quidem leviora facta sunt. Capitis autem, colli, & lumborum dolores permanebant. Somni non aderant. Extremitates frigidæ. Siticulosa erat; alvus combusta, pauca egerebat. Urinæ tenues, ab initio decolores. SEXTA DIE ad noctem multum deliravit, & rursus resipiscebat. SEPTIMA siticulosa, recessus biliosi, abunde colorati. OCTAVA superriguit: febris acuta: convulsiones multæ cum dolore; multum delirabat. Glande subdita exurgebat, multaque cum fluxione biliosa prodibant. Somni non aderant. NONA convulsiones. DECIMA parum resipisceat. UNDECIMA dormivit; omnium recordata est. Statim autem rursus deliravit. Urinam autem reddebat cum convulsionibus, acervatam; multam; illis autem parum admonentibus, crassam albam, qualis est ex his, quæ subsiderunt, ubi multo tempore sitæ,

fuerint conturbatæ; non subsidebat, calor, et crassitudo talis, qualis est in urinis jumentorum. Talia mingebat, quæ et ego vidi. Circa DECIMAM QUARTAM diem palpitationes per totum corpus; sermones multi; parum resipiscebat: verum statim rursus delirabat. Circa DECIMAM SEPTIMAM voce destituebatur. VIGESIMA mortua est. *Cl.* MERCURIALIS *in commentario ad hanc historiam putat, purgationem statim a partu secundum naturam quidem factam fuisse, sed subsequentibus diebus justo parciorem, sic ut non suffecerit. Ex ea itaque deficiente mulierem demum in febrim incidisse, quæ caussam haberet inflammationem uteri, atque hepatis, a lochiis retentis, & aberrantibus profectam. Hemitritææ ei nomen dedit. Verum non defuit biliosorum humorum apparatus, ex quo febris ista magnam partem derivari posset.*

Ægra 3. §. 476. *Observatio III.* Toto graviditatis tempore valetudo adversa, prava victus ratio, febricula diuturna. Post partum lochia primum copiosa, deinde parca, et lenta (*). Lac vix ullum, etsi ubera ab infante sugerentur. Plerumque extra lectum puerpera exstitit, sic ut lecti, aut cubiculi calor ei certe non nocuerit. Die DECIMA a partu aeri humido, licet brevi tempore, corpus exposuit. Mox nocte insequenti vehemens febris eam invasit. Hinc lochia, quæ adhuc stillabant, omnino supprimuntur. Die POSTERO omnia ingravescunt: pulsus parvus, durus, frequens, obscurus, compressus; cutis ardens, quamvis assiduo madore perfusa; parvis vesiculis crystallinis distincta; caput in latus revolutum; oculi squalidi; lingua arida; mammæ flaccidæ; respiratio anxia; subobscurum delirium; difficilis loquela; pectus oppressum; brachia huc illuc jactantur; et manus floccos conquirunt. Inter hæc abdomen molle erat, et doloris expers. Pectori, et capiti egregie succurrit sanguinis e pede emissio, qua pulsus etiam elatiores, majoresque fa-

cti sunt. Reliquam curationem perfecit purgatio, qua multa biliosa, et putrida educta fuerunt, et sudor largus, et lochiorum fluxus, qui brevi reversus est. Sic paucos intra dies sanitatem omnibus numeris absolutam consecuta est, si lactis proventum excipias, qui nullo modo restitui potuit. Corpus pravis humoribus jamdiu scatebat (*); neque lochiorum copia, aut alvi fluxu, aut sudoribus post partum satis expurgatum est. Accessit ex aere humido, et frigido insensibilis perspirationis interceptio, qua febris illico mota est. Nec est, ut opinor, cur aliæ caussæ dubiæ, aut incertæ arguantur.

Febris a pravo humorum apparatu, et lochiis imminutis.

(*) *Apud* Hippocratem (*epid.* III. *sect.* 3. *ægr.* 2.) *extat historia puerperæ, quæ tempore gestationis* febriculosa *fuit*, *& post partum*, cum purgatio facta non esset, acuta, horrida febre tertia die *correpta est. Caussæ fere eædem fuerunt ac in modo exposita, sed graviores, & perniciosiores, ita ut non modo diu febribus* continuis, acutis, horridis *cum pessimis symptomatibus conflictata sit, verum etiam post varias in melius, & pejus mutationes octogesima tandem die obierit.*

§. 477. *Observ. IV.* Sexta a partu die ita res se habebant: pulsus plenus, durus, frequens, inæqualis, lingua aspera, et sicca; cutis madida cum pustulis ubique miliaribus albis; pectus non nihil impeditum; abdomen præter modum distentum, et summopere tactum præ dolore refugiens; urinæ paucæ, et rubræ; alvus adstricta, sitis ingens; horrores, et accessiones crebræ in primis post febris lacteæ invasionem. Lochia primis diebus parca, tunc penitus deficientia. Caput tamen liberum. Lactis exigua in mammis secretio. Ex his accitus medicus conjecit, morbum principem esse uteri inflammationem. Itaque sanguinem bis intra paucas horas ex brachio mittendum cura- Ægra 4.

vit, et potui serum lactis dedit. Hinc citissime abdomen detumuit, alvus laxata est, biliosis multis dejectis; lochia iterum abunde fluxerunt, et omnia ad pristinum secundæ valetudinis statum intra tres, vel quatuor dies redierunt. Non equidem hic disceptabo, uterusne solus, an etiam intestina inflammationis suspicione laborarent; nec utrum alvina excrementa aliquid tam lochiis retardandis, sistendisque, quam febri inferendæ contulerint, vel dumtaxat cum ea complicarentur. Sed id unum manifestum existimo, ex lochiis suppressis, et alvo adstricta febrem istam ortam esse.

Febris ab alvo adstricto, et lochiis suppressis.

Ægra 5.

§. 478. *Observ. V.* Lochia nimis cito imminuta. Lactea febris fuit admodum procellosa. Nox intra tertium, et quartum a partu diem insomnis cum summa anxietate, et delirio. QUARTA die mane omnia aliquantum remissa; vesperi vero exasperata vehementer. Magnæ tum querelæ de dolore capitis lancinanti, et acutissimo, oculi mobiles valde, et coruscantes; facilis sine caussa risus; lingua sicca, et nigra; sitis inexplebilis; pectus præfocatum; respiratio summopere impedita; mammæ vacuæ, et flaccidæ; nullus lochiorum fluxus, venter mollis; cutis humida cum pustulis miliaribus albis hic illic conspicuis; pulsus valde plenus, intermittens, et creberrimus; et subinde mentis aberrationes. Omissa est sanguinis missio, quæ maxime necessaria videbatur. Hinc omnia in præceps ruunt. Circa OCTAVAM diem fato cessit ex metastasi ad cerebrum.

Phrenitis ex Lochiorum metastasi.

Ægra 6.

§. 479. *Observ. VI.* Partus labores biduum continuati, nec nisi forcipe adjutus infans in lucem prodiit. Inter pariendi conatus febris accessit. Sex horis a partu lochia penitus cessant. Tempore fe-

bris lacteæ omnia ingravescunt. Caput dolet atrociter cum pulsu duro, frequenti, contracto; venter et lumbi vehementi dolore torquentur. Facies livet; respiratio anxietatibus præcordiorum sæpe intercipitur; calor cutis exurens est; abdomen tumet, tactus impatiens. Uteri moles præter modum aucta amplius occupat spatium, quam cum gravidus esset. Lassitudine languent membra. Nihil ex alvo egeritur. Examine instituto constitit, mulierem ab imperita obstetrice plurimum in partu passam, vinoque, ut lochia promoverentur, abusam fuisse. Regimine antiphlogistico, atque iteratis sanguinis missionibus primum ægræ subventum est, deinde saburra verminosa, quæ progrediente morbo se prodidit, opportune subducta, sicque exanthemata miliaria, quæ supervenerant, evanuere. Princeps morbus, ut auctoris verbis utar, utero insedit, qui in graviditate, et multo magis in partu vehementer distentus, et vexatus fuit. Hinc inflammatio eum occupavit, sed cum putrida tum primarum viarum, tum humorum omnium diathesi complicata. Retenta lochia, alvus adstricta, humorum corruptio caussas primarias suppeditarunt, quæ febrim anomalam, et diuturnam, quadragesima tantum die ex toto desinentem (*) excitaverunt.

Uteri inflammatio complicata cum cacochylia, et diathesi putrida.

(*) *Dignissimæ sunt, quæ hic inserantur binæ historiæ mulierum ex partu laborioso vehementissima, & lethifera febre correptarum, quarum altera est duodecima* lib. 3. epid. sect. 2. *apud Hippocratem, altera quarta decima ejusd. libri* sect. 3. *En primam:* Mulierem quæ decumbebat in Mendacium foro, primum tunc enixam dolorose masculum, febris corripuit. Statim ab initio siticulosa, anxia, cor dolebat, lingua arida, venter turbatus est tenuibus, paucis, non dormivit. Secunda die parum riguit, febris acuta, parum circa caput sudavit frigidum. Tertia

laboriose ab alvo cruda, tenuia, multa prodierunt. Quarta riguit. Omnia exacerbata sunt. Insomnis. Quinta laboriose tulit, sexta per eadem. Ab alvo vero prodierunt liquida multa. Septima riguit, febris acuta, sitis multa, jactatio. Circa vesperam frigidum sudorem per totum sudavit, frigiditas, extremitates frigidæ non amplius recalescebant, & rursus ad noctem riguit. Extremæ partes non recalescebant: non dormivit, parum mente mota est, & rursus brevi resipuit. Octava circa meridiem recalefacta est; siticulosa, soporosa, fastidiosa, ac nauseabunda. Vomuit biliosa, pauca, subflava. Noctem moleste tulit, non dormivit. Urinam minxit multam acervatam inscia. Nona remiserunt omnia, soporosa. Ad vesperam parum riguit. Vomuit pauca biliosa. Decima rigor, febris exacerbata est, nihil dormivit. Mane multam urinam subsidentiam habentem minxit, extremitates recalefactæ sunt. Undecima vomuit virosa, biliosa. Non ita longe postea superriguit, & rursus extremitates frigidæ. Ad vesperam sudor, rigor. Vomuit multum, noctem laboriose transegit. Duodecima vomuit multa, nigra, graveolentia; singultus multus, sitis laboriosa. Decimatertia nigra, graveolentia multa vomuit, rigor. Circa meridiem voce destituta. Decima quarta, sanguis per nares. Mortua est. Huic perpetuo alvus lubrica, horrida. Ætas circa annum decimum septimum. GALENUS *in hanc historiam nihil scitu dignum protulit; imo quid de caussis hujusce perniciosissimæ febris, ejusque natura, & nomine senserit, ne verbum quidem fecit. Videtur tamen eam ardentibus adaumerasse.* MERCURIALIS *vero in commentario conjecturis tantum utitur, & valde inclinat ad suspicandum, a lochiorum metastasi ad ventriculum, atque intestina esse repetendam; fluxumque ventris colliquantem procreasse, genere autem horrificam, &* hemititræam Galeni *fuisse. Utcunque sit, probabile est non modo ex retentis, aberrantibusque lochiis, verum etiam ex apparatu biliosorum humorum natam esse, atque ad Tritæophyas ardentes, malignas, colliquantes, putridas, in lipyriam desinentes quamproxime accessisse. Fortasse uterus etiam ex laborioso partu inflammationem passus est. Altera* HIPPO-

CRATIS *historia est hujusmodi:* In Cyzico mulieri filias enixæ gemellas, & quæ difficulter pepererat, & non admodum purgata fuerat, primum quidem contigit febris horrida, acuta; capitis & colli gravitas cum dolore; vigil ab initio: taciturna autem, & tristis, & non obsequens: urinæ tenues, & decolores: sitibunda: anxiosa multum: alvus erratico modo turbata: & rursus consistens: sexta ad noctem multa obloquebatur, nihil dormivit. Circa vero undecimam existens furore correpta est: & rursum ad mentem rediit: urinæ nigræ, tenues: & rursum deficientes, oleosæ, & alvus multis, tenuibus, turbulentis. Decimaquarta convulsiones multæ, extrema frigida: nihil amplius intelligebat, urinæ substiterunt. Decima sexta sine voce. Decima septima mortua est, phrenitis. GALENUS *&* MERCURIALIS *hanc historiam exponentes non solum purgamentorum defectum, uterique inflammationem ex laborioso partu, verum etiam pravorum humorum in caput metastasim causantur; unde phrenitica mulier occubuerit. Morbum vero Phrenitidem ipse* HIPPOCRATES *appellavit.*

§. 480. *Observ. VII.* Mœror diuturnus, et parva victus ratio antecessit per totum gestationis tempus. Hinc febricula duos menses molesta mulierem afflixit. Demum partus facilis. Lochiorum fluxus, et lactis secretio secundum naturam. Hæc rite, observato etiam recto vitæ regimine, ad octavam usque diem. Sed tum repente ex filii convulsi intuitu gravi animi pathemate correpta est. Mox lochia supprimuntur. Vesperi febris incessit cum capitis dolore, siti, et calore; quæ quotidie mane aliquantum remittebat, vespere vero intendebatur. Oris sapor depravatus, lingua lurida, mœror prægressus, et prava victus ratio, qua antea usa erat, indicabant cacochyliam primarum viarum. His supervenere pustulæ miliares, ex pravis tum gastricis, tum venosis humoribus procul dubio genitæ. Curata est catharticis, quibus bi- Ægra 7.

liosa, viscida, putridissima dejecta sunt cum cita febris, omniumque symptomatum cessatione. Fortasse his etiam factum est, ut lochiorum defectus suppleretur; nam lochia nullo modo revocari unquam potuerunt. Gastrica igitur saburra, et repentina lochiorum suppressio febrim excivit. Hinc mixta quodammodo febris *gastrico-lochialis* non inepte dici posset.

Febris gastrico-lochialis.

Caussæ manifestæ complures.

§. 481. Quas singulas observationes si quis sine præjudicata opinione consideraverit, atque ad caussas manifestas, ex quibus puerperæ tot febribus, malisque implicari solent, respexerit, cogetur, nisi insaniverit, confiteri, illarum præcipuas, frequentioresque non unas esse, sed alias, atque alias, nimirum modo lochia retenta, suppressa, corrupta, aberrantia, modo placentam, aut secundinarum reliquias in utero relictas, et putrescentes, modo pravum humorum antecedentem apparatum, modo cacochyliam putridam, aut biliosam, aut cujusque alterius generis primis viis insidentem, aut copiam alvinarum fœcum diu retentam, modo sanguinis alkalescentiam, aut putridam liquationem, sive hæc sit a calefaciente regimine, sive a nimio lecti, et cubiculi calore, sive ab aere phlogisticato, et mephitico, sive quocunque putri miasmate infecto, modo partum laboriosum, uterique offensionem, modo etiam, sed rarius, subitam lactis e mammis retrocessionem, et metastasim, aut ejusdem jam corruptionem, aut aciditatem mora, et stagnatione adepti in sanguinem refluxum, aut plures ex hisce caussis simul junctas, et complicatas, quod frequentius est. Pro varietate vero caussarum, earumque noxia potestate, varia etiam febrium, et morborum genera necessario consequi, nimirum, ut supra comperimus, modo hysteritides, enteritides,

pleuritides, peripneumonias, phrenitides; modo febres *gastricas acutas*; modo *gastrico-putridas*, vel *gastrico lochiales*; vel etiam *lochiales* simplices, modo *tritæophyas biliosas ardentes*, aut *colliquantes*, sive *putridas*, atque ex his omnibus alias *benignas*, et *puras*; alias *malignas*, *perniciosas*, *complicatas*, hemitritæique naturam sæpe æmulantes. Præ ceteris vero crebrius occurrere *gastricas*, et *lochiales* simplices, aut ex his complicatas et coalescentes, ut *gastrico-lochiales*: et *gastrico-putridas*, vel *gastrico-inflammatorias*, nemo poterit inficiari.

Pro caussarum varietate differre febres puerperales.

§. 482. Hinc consequitur, summo in errore versari illos, qui vel lactis tantum retentionem, aut repulsionem, vel lochiorum aberrationem, vel uteri phlegmonen, vel putridam sanguinis diathesim, vel peculiarem aliam hujusmodi caussam in febri puerperali accusandam duxerunt; rectissime vero judicasse, qui cum RIVERIO, et WILLISIO modo unam, modo aliam, atque adeo multiplicem ejus originem statuerunt. Quo fit etiam, ut non solum prognosis, sed curatio ipsa pro caussarum natura, aut complicatione variare plane debeat: quod a nuperioribus nequaquam satis animadversum videtur. Hi enim, prout præconcepta opinione seducti sunt, vel prout epidemicam aliquam constitutionem, in qua puerperæ eodem ferme morbo passim, aut multo magis in Nosocomiis aerem miasmatibus impurum habentibus conflictatæ fuerunt, tantummodo observarunt, hoc, vel illud febrium genus puerperarum proprium esse, sibi persuaserunt, et suam quisque descriptionem, ut naturæ, et veritati magis consentaneam, reliquis prætulerunt; unde intelligitur, cur jure Cl. WHITEUS conquestus sit duos auctores inveniri, qui in febri puerperali discribenda consentiant,

Recte Riverius, et Willisius sentiunt.

Nuperiores decepti.

quamquam ipse concedat, unumquemque eorum id fideliter scripsisse, quod ipsis in medicinæ exercitio observare contigerit.

Morbus puerperis proprius.

§. 483. Quæ hactenus exposita a nobis sunt, et successive ex aliorum observationibus *a posteriori*, quod ajunt, modeste deducta, sufficerent plane tum ad caussas, et naturam hujusmodi febrium cognoscendas, tum ad earumdem curationem opportune instituendam, sic ut supervacaneum prope esset ulterius in his aut indagandis, aut tradendis tempus impendere. At quoniam nuperi quidam scriptores, uti HULMIUS, LEAKE, WHITEUS aliique puerperalem febrem pro peculiari morbo, puerperarum proprio, atque ab aliis omnibus morbis, quibus eæ obnoxiæ esse possunt, omnino diverso habent, non omittam, ut supra (§. 459.) pollicitus sum, illius descriptionem tradere, cujusmodi eam aut in Nosocomiis puerperarum, aut sparsim, sed epidemice puerperas insectantem (*a*) ipsi viderunt; ne quidquam hac super re clinices studiosis optandum supersit; daboque operam, ut quæ de ejus caussis, de prognosticis signis, et de curandi ratione comperta ab illis, et percepta sunt, in unum contracta præ oculis cuique obversentur.

(*a*) LEAKE, *qui suum Tractatum anno* 1772. *primum, deinde anno* 1774. *recusum edidit, febrem hanc in Nosocomio Londinensi* WESTMINSTER, *& per urbem etiam epidemice diffusam, in primis mense Januario ann.* 1769. *itemque anno* 1770. *&* 1771. *sævientem vidit. Plurimæ tum puerperæ, præsertim Majo anni* 1770. *perierunt. Ideo aeris noxiam constitutionem causatus est. Similem malignam constitutionem observarunt quoque* HULMIUS, *&* WHITEUS. JOHNSONIUS *quoque (Art. obstetric. p.* 253.*) cognovit, hanc febrem speciatim in Nosocomiis puerperarum desævire solitam, frequentioremque deprehendi, quia in*

iis aer miasmatis putridis, quæ ex ægrarum corporibus manant, diffunduntur, & lectulis, stragulis, parietibusque adhærescunt, plus minus contaminatus, infectusque esse consuevit.

DESCRIPTIO MORBI EX NEOTERICIS.

§. 484. Vespere secundæ, vel tertiæ a partu diei vehementer, et plerumque repente puerperæ horrescunt, diuque horror iste aut rigor eas tenet. Quandoque citius id incidit, quandoque serius, raro tamen quinta, aut sexta a partu die (*). Horrorem comitantur capitis dolor, anxietates, nauseæ, vomitus biliosus, et virium prostratio (*a*). Horror, WHITEO referiente (*b*), interdum revertitur more febrium intermittentium, sed erraticarum, et irregularium, donec brevi in continuam febris desinat remittentem, quotidianam, aut tertianam, sive simplicem, sive duplicem. In quibusdam, eodem teste, nullus horror præcedit febrem, sed ea paullatim aggreditur, et gradatim invalescit, mox sudoribus se prodens putridis, quos suspectos, perniciososque reddunt nauseæ, vomitus porracei, et alvi fluxus. Horrori autem calor ingens (**) succedit. In pulsu magnam varietatem sive roboris, sive celeritatis notavit LEAKIUS. Plerumque intra minutum numerantur a 90. ad 137. micatus. Sed WHITEUS monet, ab initio pulsum parum a naturali recedere, esseque tantum paullo pleniorem, et velociorem; progediente vero malo fieri celerem, et parvum, cum anxietate, et oppressione præcordiorum, suspiriis, dejecto animo, lassitudine, et magna debilitate (***). Die secunda a febris ingressu ægrota queritur de dolore vehementi circa epigastrium, qui ad costas spurias, atque umbilicum protenditur; quin imo interdum ad scapulas usque. Interea abdomen intumescit, et ele-

Febris hæc quando, et quomodo invadit.

Horror.

Calor.

Nausea, Vomitus, Diarrhœa.

Pulsus qualis?

Dolor Epigastrii.

Abdomen tumidum.

vatur. Si hæc abdominis tensio diarrhœæ cessanti, et desistenti supervenit, et simul regio epigastrica, et reliquæ partes dolent, venterque attollitur, signum lethale est. Tunc vultus feritatem nescio quam præsefert, artus tremunt, genæ rubent, labia cæruleo colore livescunt, pinnæ narium diductæ cernuntur. Quo in casu nullum ab arte juvamen. Lochia interim rite fluere a LEAKO dicuntur, quamquam id HULMIUS neget, et, si quando subsistant, non exinde maligniora symptomata insurgere, nec delirium, nec signa hysteritidis ulla apparere. Sæpe lochia non minui, etiam WHITEUS affirmat; interdum tamen concedit, parciora esse, et quidquid extillat, valde fœtere; fierique quandoque, ut omnino supprimantur (****). Lacte mammæ in iis, quibus adstitit LEAKIUS, turgebant ad mortem usque; contra, si WHITEO credendum est, in aliquibus eæ flaccescunt; lac minuitur, et sæpe, si malum trahitur, omnino evanescit; quamquam hoc non perpetuum esse, palam ipse profiteatur. Decolorari, sin minus minui, hujusmodi purgamenta visa sunt HULMIO, aliis contra negantibus. Ab eodem celebri viro ut pathognomonica signa habentur vehemens epigastrii cruciatus, febris cum ingenti horrore succedens, et frontis plerumque dolor; quæ symptomata mox a partu aggrediantur.

Aspectus ferox, tremor artuum, cæruleus color labiorum.

Lochia.

Lac in mammis.

Pathognomonica signa.

(*) *Interdum ante partum, aut in ipso partu febrim hanc incipere, interdum etiam decimaquarta tantum die accessisse, historiæ supra expositæ evincunt.*

(*a*) *Pleraque ex* LEAKII *descriptione deprompta scito.* (*b*) *L. c.*

(**) *Horrorem excipit calor, & postea sudor.* WILLISIUS.

(***) *Quando acutissimus morbus est, ad* ἀκμὴν *die tertio, aut quarto pervenit. Tunc calor intensior est, &* pulsus *vehemens, & citatus.* WILLIS. *Ingra-*

vescente morbo, & ad exitium tendente, fieri debilem, & inæqualem pulsum, *idem concedit*. Vires *fere semper subito prosternuntur*. Id.

(****) *Febre universo corpore expansa*, lochia, si *non prius fuerint suppressa, supprimuntur, aut parciora fiunt*. Id. *Lochia in puerperali febre plerumque sisti, tradit* RIVERIUS.

§. 485. Lingua illico, ut adnotat WHITEUS, alba est, et humida; sed brevi crusta contegitur mucosa, aut exsiccatur, indurescit, nigricat, aut etiam crusta, qua obducebatur, in fuscam commutatur. Similis fusca materies, quæ putridorum halituum erumpentium effectus creditur, dentibus etiam adhæret, eosque inquinat. Alimenta quæcunque, et quæcunque potiones utplurimum vomitu rejiciuntur, exceptis frigidis, atque acidulatis. Alvi dejectiones quandoque ita copiosæ sunt, frequente, et putridæ, ut fœtore totam domum inficiant, contagionemque in universam familiam diffundant. Alias ægrotæ torquentur assiduo, et molesto tenesmo, crebroque mingendi pruritu, quem comitantur ventris dolores, et permolestæ inflationes (*). Dolent interim caput, dorsum, pectus, latera, coxendices, ilia, nec abest tussis, et spiritus difficultas. Post quamlibet egestionem plerumque sibi videntur relevari; sed paullatim incipiunt excrementa, urinæque contra voluntatem demitti; accedunt sudores colliquativi, singultus, convulsiones, et tandem mors ipsa, modo citius, modo serius. Plerumque dies undecima exitium affert, quamquam non desint exempla aliquarum, quæ intra quatuor, et viginti horas vitam amiserint, aut ultra undecimam etiam diem produxerint. Urinæ generatim saturatissimæ (**) perhibentur, quandoque tamen pallent, aut turbantur, cum filamentis quibusdam innatantibus. Nec rarum est, in primis ubi

Lingua qualis.

Vomitus alimentorum.

Fœtor dejectionum.

Tenesmus et alia symptomata circa ventrem.

Dejectiones involuntariæ.

Quæ morotem antecedunt.

Urinæ.

Peticulæ, et Miliaria.

regimen, et medicamenta calefacientia adhibentur, aut sudoribus nimium promovendis indulgetur, peticulas erumpere (***), aut pustulas miliares albas, aut rubras, aut mixtas, quæ primum circa collum, et pectus apparent, deinde per totum corpus disseminantur, et novæ prioribus subinde succedunt, donec vires exhauriantur. Nihil enim hujusmodi eruptionibus ægrotantes levantur, cum symptomaticæ esse soleant. Reapse, addit WHITEUS, in hac febre nihil critici occurrit (*a*), nisi sit diarrhœa.

Nihil critici præter diarrhœam.

(*) *Circa ventrem miræ* inflationes & tensiones *excitantur, quæ passionem hystericam æmulantur.* WILLIS.

(**) Urina *crassa*, rubra. WILLIS.

(***) *Maculas in nonullis purpureas, aliaque malignitatem indicantia observavit quoque idem* WILLISIUS.

(*a*) WILLISIUS *id ante* WHITEUM *docuit; nam, inquit, dum calor intensior, sitis molesta, pulsus vehemens, & citatus, vigiliæ pertinaces, jactatio assidua, atque alia gravia symptomata urgent, & urina crassa & rubra est, nunquam ulla crisis accidit, sed paullo post metastasis ad caput fit, unde cerebri, & nervorum functiones læduntur, tendines subsiliunt, hysterismi invalescunt, quandoque phrenitis accedit, delirium, stupor, aphonia &c.*

Descriptio Cl. Le Roy.

§. 486. Ab horum (§. 483.) descriptione non dissentit Cl. LE ROY, qui brevissime omnia complectens, multum, inquit, hæc febris habet affinitatis cum aliis febribus symptomaticis puerperarum. Primis statim a partu diebus corripit; raro serius quarto, aut quinto. Mammæ molles, et flaccidæ, sed solitum servant. Mox plerumque symptomata periculosissima se exserunt; nec ullum tam malignum existit, quod aliquando eidem non superveniat. Frequentiora sunt pulsus debilis, inæqualis, interdum durus, et vehe-

mens, alvus liquida, lochia suppressa, abdomen tumidum resonans, delirium, stupor, sopor, tendinum subsultus, motus convulsivi capitis, oculorum, manuum, quandoque etiam epileptici, paralyses, et sæpissime signa inflammationis in visceribus imi ventris, aut alicujus congestionis in pectore. Nec desunt exanthemata (*) miliaria: quandoque, in quibusdam præsertim regionibus, aut tempestatibus, aut saltem sub morbi finem, quando in mortem terminatur, erumpunt circa collum, et pectus exiguæ phlyctænæ, caput aciculæ æquantes, sero limpido plenæ, quæ a minus attentis pro sudoris guttulis accipi possunt. Rapidissime suum cursum persolvit morbus, tantoque celerius, quo lethalior est.

(*) *Non ideo febris ista confundi debet cum* Novo morbo puerperarum *a* GODOFRIDO WELSCHIO *accuratissime descripto, qui Lipsiæ anno* 1655. *epidemicus fuit, puerperis exitiosissimus. Nam in eo exanthemata miliaria omnibus communia erant, & primarium morbum constituebant, diversum profecto ab exanthematis hisce symptomaticis, aut epigenomenis, quæ febri puerperali interdum superveniunt, aut admiscentur.*

§. 487. Quid sectiones cadaverum HULMIO, et LEAKIO ostenderint, supra (§. 468.) jam retuli. Cum vero ibi generatim de iis actum sit, liceat modo eas aliquanto diffusius exponere, ut de puerperali febre neotericorum, cujus hic peculiariter historia traditur, speciatim disserentem decet. Itaque HULMIUS uterum in hac febre illæsum invenit, sed inflammata intestina, et omentum, imo sæpe gangrænosa, et corrupta, atque in abdominis cavo pus, aut ichorem effusum ex suppurato, et disrupto omento. Omentum quoque LEAKIUS vidit vel penitus absumptum, et corruptum, vel in pus lacti corrupto persimi-

Extispicia. le conversum, vel partim inflammatum, partim suppuratum: intestina extrinsecus inflammationis notas habentia: in abdominis cavo purulentam materiam sero lactis affinem, atque aliam crassiorem admixtam, quæ lac coagulatum referebat.

Dubitatio Mezæ. Fereque eadem, aut non absimilia reperit THEOPHILUS DE MEZA (*a*), sed præcipue abdominis cavum pure plenum, et variam viscerum in eo contentorum corruptionem. Is vero addit, præter omentum, atque intestina, uterum quoque inflammatione tentatum inveniri. Non audet tamen definire, utrum inflammationes hujusmodi, atque abscessus pro caussa febris, aut pro ejus effectis haberi debeant. At audentius negat WHITEUS, vitia, quæ abdominis viscera offerunt, caussam harum febrium esse, nec dubitat, quin illa vere sint earumdem effecta. Quod satis comprobatum credit ex observationibus PRINGLII, CHICOYNEAVII, LINDII, et LECATI, ex quibus elucet, in cadaveribus eorum omnium, qui *febre putrida maligna* occubuerunt, intestina, omentumque corrupta extitisse, quamvis certe, ut patet, eo in casu nec inflammatio febrem efficeret, nec inflammatoriam diathesim ostentaret.

Whitei assertio.

(*a*) Compend. Med. Fasc. I. de Febr. cap. XXIV.

Caussa proxima, proegumena, et procatarctica juxta Hulmium.

§. 488. Nihilo tamen minus, ut jam innui, HULMIUS tanti facit memoratas cadaverum sectiones, ut sine ulla dubitatione *caussam proximam* febris puerperalis ponat in omenti, atque intestinorum inflammatione; *proegumena* vero in pressione, quam hæ partes ab utero gravido, et tumente patiuntur, unde sanguinis circuitus in iis non modo retardetur, sed etiam sistatur; in quo cum plerisque inflammationis naturam sitam existimat. Quærit demum *procatarcticam*, sive occasionalem ejus caussam in iterata omenti in-

testinorumque irritatione, et valido, reciprocoque affrictu, cui necessario subjiciuntur, dum uterus, musculi abdominales, et diaphragma inter partus dolores, parturiendique conatus multimodis vim, actionemque suam exercent. Neque ab HULMIO in eo, quod ad *caussam proximam* attinet, quidquam dissentit LEAKIUS; quoniam, ut jam diximus, eadem propemodum vitia in cadaveribus puerperarum deprehendit. Verum, ut prudentissime præter ea, quæ supra (§. 469.) Objectiones. contra hujusmodi opinionem protulimus, animadvertit WHITEUS, si res ita haberet, sequeretur etiam, ut multo frequentius tempore graviditatis omentum, atque intestina hujusmodi inflammationi obnoxia essent, et gravidæ mulieres potius in febrim hanc inciderent, quam enixæ, et post editum infantem, cum scilicet uterus vacuus, et detumescens non amplius memoratam pressionem facit, liberamque sanguinis per vicina viscera trajectionem permittit; vel primiparæ huic malo crebrius objicerentur, quam quæ pluries pepererunt; dum tamen experientia contrarium commonstrare posset. Nec porro, concessa Hulmiana pathologia, satis intelligitur, cur istud febris genus frequentius, funestiusque in nosocomiis obstetriciis, urbibusque populosioribus occurrat, quam in privatis, peculiaribusque domibus, aut in pagis, aut ruri; cum tamen nemo ignoret, morbos inflammatorios sæpius, et facilius vagari inter mulieres agrestes, et ruricolas, quæ duriori vitæ generi, vehementioribusque corporis exercitationibus deditæ sunt, quam inter illas, quæ in urbibus majoribus degentes otio, et desidia languere (*a*) solent. Demum si ab inflammatione omenti, atque intestinorum febris ista vere nasceretur, cur, quæso, sanguinis missio, quæ alioquin inflammationis præcipuum, et fere uni-

cum remedium est, in ea ab Hulmio, si non rejicitur, ægre tantummodo admittitur? cur ab aliis non necessaria reputatur? cur etiam a quibusdam, ut noxia reapse reperta, damnatur? Cur puerperæ, quibus in Nosocomio mammæ exulcerabantur, observante Leakio, multo mitiori febre laborarunt, minusque periclitatæ fuerunt, ita ut nulla earum alvi profluvium perpessa sit, aut vi morbi oppressa interierit? Cur in cadaveribus earum, quæ ex hac puerperali febre mortuæ sunt, omentum aliquando illæsum, intaminatumque apparuit, ut Leakius ipse, etsi id sibi, suæque sententiæ adversari videret, ingenue tamen, et sincere fassus est?

(a) L. c. in postscript.

Caussæ remotæ. §. 489. Reliqua, quæ a Whiteo, aliisve de caussa proxima, et vera morbi natura excogitata sunt, cum supra (§. 459. ad 482.) satis exposita nobis videantur, modo non repetam, ne crambe recocta stomachum moveam. Non reticebo tamen, unumquemque pro suæ opinionis ratione eas caussas enumerare, quas sibi magis favere crediderit. Sic Hulmius nimios labores tempore gestationis toleratos accusat, utpote, nisi male ego interpretor, diathesi inflammatoriæ gignendæ magis idoneos. Contra Whiteus ea cuncta recenset, quæ alkalescentiam, aut putridam corruptionem promovent; cujusmodi sunt aer impurus, alimenta ex animali genere, potus calidus, calefacientia quæque, assiduus in lecto decubitus, stragulorum multitudo, cubiculum angustum, atque occlusum, et calefactum nimis, regimen sudoriferum, et præ ceteris liquorum vinosorum, et rerum aromaticarum imprudens usus, quo frigus, aut horror abigatur. His enim notum est, sanguinis motum, et calorem augeri, sudores

prolici, et putredinem excitari, in qua intimam hujusce febris naturam consistere ipse retur. Hasque caussas graviores, et perniciosiores evadere existimat, si violenta accesserit placentæ extractio, si uterus immaturis conatibus aut præpropera in ejus orificium manus introductione, aut laborioso, et difficili partu vexatus fuerit, sic ut inflammatione tentetur; si lochia accumulentur, restitent, et computrescant, atque alia hujusmodi concurrerint, quæ putredinem promoveant.

PROGNOSIS.

§. 490. Quicunque tamen sit de istis dissensus, quo in varias abeunt sententias memorati scriptores; is non eos ita divisit, quo minus cum veteribus omnes judicent, gravissimum, et periculosissimum hunc morbum esse. Nam recte dictum a RIVERIO, experientiaque confirmatum fatentur, prognosim ejus haud differre a prognosi aliarum febrium acutarum, nisi quod puerperalis hæc ob virium a partu majorem debilitatem, et lochiorum interdum suppressionem, aliaque puerperarum incommoda multoque acutior, et perniciosior existat, majusque ut plurimum afferat periculum, quo citius a partu mulierem (*a*) corripuerit. Generatim ergo periculosissima est. Si tamen inter initia rectum diætæ regimen instituatur, lochia rite fluant, aut cito revocentur, et apta curatio adhibita sit, aliquando in salutem (*b*) finitur. Contra si febris jam processerit, atque ab initio neglecta fuerit, timendum plane exitium est, eoque certius, quo puerpera, dum toto corpore fervet, crebrius rigoribus quibusdam afficitur (*c*).

Non differt a prognosi aliarum febrium.

Periculosissima quando sit.

(*a*) HULM. l. c. LE ROY l. c.
(*b*) WILLIS. l. c. (*c*) Idem ib.

Signa pravi exitus.

§. 491. Speciatim malum exitum prædicunt dolor ventris acerbus; inflatio; spirandi difficultas; vigiliæ; lingua arida, aspera, et variegata; genarum lividus color; cruditas urinæ; vomitus virides, aut nigri; pulsus celerrimus, atque humilis, ut vix pulsationes numerari queant; dejectiones involuntariæ; sudores viscidi, et frigidi, præcipue circa extremitates (*a*). Villisius perniciosis hisce signis adjicit quoque inquietudines, subitas corporis concussiones, aut tendinum subsultus, aurium tinnitum tertia die supervenientem, capitis quandam, nescio quam plenitudinem, de qua ægræ queruntur, præcordiorum oppressiones, pectoris pondus, respirationem impeditiorem, brevem, altam, crebram, suspiriosam, orthopnoicam, anxiam, aitque, si pejores capitis, nervosique generis affectus cum pulsu debili, inæqualique insurgant, desperatam rem esse. Inter infausta, et funesta signa a Theodoro de Meza (*b*) refertur, os, dentesque in decursu sordescere, dysphagiam pati, peticulas, et miliaria non critica prodire, animo dejici, angi, mente aberrare, et spasmis convelli.

(*a*) Hulm. ibid. (*b*) L. c. cap. 24. §. 255.

Signa fausti exitus.

§. 492. Bene sperare jubent facilis in utrumque latus conversio; commodus, et tranquillus corporis positus; lingua humida, mollis, rubra; sudores universales pulsui lentiori facto succedentes; moderatus, et perennis lochiorum fluxus; urina turbida cum sedimento flavescente, aut leviter rubro. Sed præcipue pulsus animadversionem meretur. Is, si ex celerrimo, qui in minuto temporis centum, et viginti octo, aut centum et triginta micatus edebat, sensim fiat rarior, tardior, et moderatior, optimum indicium præbet: contra, si continuat æque vehemens esse, et fre-

quens, et mutabilis, periculum ingens ostendit. Imo licet alia symptomata videantur cessasse, si tamen pulsus persistat valde frequens, et celer, et non remittat febris proportionate, haud fidendum sane est; nam brevi ingravescere, atque exacerbari tunc omnia solent (*a*). Sin vero lochiorum fluxus, qui substiterat, revertatur, aut diarrhœa levans accedat, interdum spem aliquam facit (*b*). At diarrhœa ut salutaris et levans sit, pulsum debet tardiorem, rarioremque efficere: alias noxia, periculosa; et symptomatica est (*c*). Generatim quæ primis diebus, secundo nempe, aut tertio, aut quarto prorumpit, ut advertit RIVERIUS, lethalis esse consuevit; contra quæ post septimum, aut nonum lochiis deficientibus succedit, plerumque utilis. Bonum etiam est, ventris cruciatus imminui, abdomen detumescere, et molliri, sudores æqualiter calidos undique manare, respirationem liberiorem fieri, tendinum subsultus sedari, atque ægram mente constare, et placidius morbum sustinere.

(*a*) HULM. l. c. (*b*) WILLIS. l. c.
(*c*) HULMIUS ibid.

CURATIO.

§. 493. Quemadmodum de natura, et caussis febris puerperarum inter neotericos, ut ostendimus, variæ extant sententiæ; sic non facile convenit inter eos, qua potissimum ratione curari debeat. Non levis in primis est eorum de sanguinis missione altercatio. LEAKIUS, qui febrem hanc omenti, et intestinorum inflammationi tribuit, ut inflammatoriam tractandam esse docet, symptomata, si qua accesserint putridæ naturæ, a pure dumtaxat resorpto permanare ratus. Quapropter copiosas sanguinis missiones mature insti-

Sanguinis missio.

tutas commendat tam præservandi, quam curandi consilio, habita tamen pulsuum, et ægrotantis prudenti ratione. Contra WHITEUS, cui febris putridæ omnino indolis ista videtur, a phlebotomia religiosissime abstinet. Media autem via se continet HULMIUS, qui nullam perpetuam legem hic statui posse arbitratur. Nam etsi cum LEAKIO eam ab inflammatione omenti, atque intestinorum repetat, sanguinis tamen missionem non semper necessariam, aut opportunam ducit. Itaque symptomatum considerationem maxime inculcat, et pro eorum varietate ut in aliis morbis, sic etiam in isto deliberationem ineundam esse existimat. Hinc ad febris, et doloris magnitudinem, ad morbi stadium, ad sanguinis fluxum, qui partum antecessit, aut subsequutus est, atque ad alia respicit hujusmodi. Tunc autem sanguinis missionem non reprobat, cum pulsus plenus, vehemens, et vibratus, aut dolores ventris, epigastrii, laterumve acerbiores, et lancinantes eam exposcere videntur: sed inter initia tantum, et parciori manu vult sanguinem detrahi. Fortasse experientia eum docuit, in puerperis, quas curandas in nosocomiis, aut malignis quibusdam constitutionibus suscepit, non admodum salutarem fuisse phlebotomiam.

§. 494. Plerisque tamen saburra gastrica videtur primam indicationem exhibere; ideoque quam primum eam educi oportere, unanimi ferme consensu decernunt. Inchoant igitur ab enematibus, quæ molliunt, alvumque laxant. Si hæc non satis eam evocaverint, transeunt ad blanda eccoprotica, speciatim ad salem catharticum amarum, multa aqua dilutum, ad oleum seminum *Ricini americani fructu racemoso hispido* (*), ad tartarum emeticum, aut vinum antimoniale, quod ex

Purgatio.

croco antimonii, sive metallorum, et vino albo hispanico paratur. Expiatis primis viis, sicque sedatis abdominis doloribus, diaphoresi promovendæ animum applicant. Id autem medicamentis moliuntur, quæ nequaquam calefaciant, nec alvum adstringant. Quare omnibus aliis præferunt exiguas, et partitas doses ipecacuanhæ, aut tartari emetici, aut vini antimonii (**), addito tantillo opii, ut minus intestina ad egerendum proritent, magisque adjuvent perspirationem. WHITEO plurimum arridet spiritus Mindereri, qui egregie huic indicationi facit satis. Si vomitus excitetur, leniter eum promovere student potu largo et tepido ex diluto florum chamæmeli. His etiam interponere subinde non omittunt *mixturam salinam* RIVERII (***) tamquam antiphlogisticam, et diureticam, aut, ut aliis videtur, tamquam ad bilem viscidam incidendam, emendandamque maxime accommodatam, putredinique obsistentem. Sed plerique hodie mixturam hanc in *actu effervescentiæ* propinandam volunt, ut *aeris fixi* erumpentis vis, quæ antiseptica valde est, non desideretur. Valet etiam sic propinata ad vomitum ipsum, quando pertinacius vexat, refrenandum; hinc non immeritò *antiemetica* etiam appellatur. Præterea potum commendant, qui temperet, diluat et refrigeret (*a*); suadentque, ut puerpera fascias, quibus ventrem constringere solent, diligenter vitet; lac infanti præbeat; in cubiculo amplo, et temperato degat; aerem renovandum curet, sed caute, ne frigus repente susceptum noceat; munditiei quam maxime studeat; frequenter resideat, et cito, quoad fieri potest, e lecto surgat, ut lochia facilius descendant, nec mora putrescant.

Mixtura salina Riverii.

Regimen diæteticum.

(*) LEAKIUS *hujusmodi oleum adhibet in hunc modum* : ℞. Olei Ricini vitello ovi subacti unciam

unam, Magnesiæ albæ drachmas duas, Mann. Calabrin. drachmas tres, aquæ hyssopi uncias octo. M. dentur omni bihorio, aut trihorio duo, vel tria cochlearia. *Loco olei Ricini nos pari, ni fallor, emolumento uti possumus oleo ex amygdalis dulcibus, non rancidis sine ignis ope expresso, aut oleo seminum lini recenti, aut olivarum optimæ notæ.*

(**) Leakius in eum finem utitur sequenti formula: ℞. Tartari emetici granum unum cum dimidio, Magnesiæ albæ drachmam unam. M. f. pulvis dividendus in sex partes æquales; quarum una detur quovis horæ quadrante ex julapio, quod habet aquæ cinnamomi simplicis; menthæ, vel aquæ communis ana uncias quatuor, syrupi croci drachmas tres. *Quod si tartarus emeticus, etsi tam exigua dosi, nimis irritet, & alvum immodice solvat,* Julapio *addit ipse* tincturæ thebaicæ, *sive Laudani liquidi* guttulas quinque; *simulque suadet copiosum potum, quo sudor a tartaro excitatus provide sustineatur. Varium emeticorum usum, qui fieri potest utiliter in compluribus morbis, vide sis in* Dissertatione inaugurali medica de eximio Ipecacuanhæ, nec non aliorum quorundam emeticorum refracta dosi exhibitorum usu, quam in Academia Goettingensi defendit ann. 1779. Carolus Arnoldus Meyer Hannoveranus.

(***) Mixtura salina Riverii constat sale alkalino fixo absynthii, & succo citri, aut limonum ad saturationem addito, aqua aliqua dilutis. Eidem, ut blandior, temperatiorque evadat, adjicere solet Leakius *sperma ceti, & gummi arabicum. Post emesim ea utitur ad bilem crassam & viscidam, quam in cysti fellea cadaverum sectione deprehenderat, emendandam, leniterque subducendam.*

(a) Whiteus *laudat dilutum aliquod theiforme, aut decoctum tenue hordei, aut avenæ, aut tamarindorum, aut herbarum pectoralium, aut serum lactis, aut similem aliam potionem, sed vix egelidam, aut interdum etiam frigidam.*

Symptomatum curatio.

§. 495. Sic universim medentur morbo simplici. At si symptomata, cum quibus complicatur, graviter urgeant, peculiarem his quoque adhi-

bent curationem. Sæpe alvi fluxus, ut jam narravimus, cum hujusmodi febre occurrit. Hunc HELMIUS salutarem pronuntiat, non ideo sistendum. Imo si diluentibus copiose sumptis non satis abstergi, repurgarique intestina videantur, emeticis, et eccoproticis, ut supra propositum est, sordes excutere tentat; qua in re non dissentientem habet LEAKIUM, qui eadem omnino probat, ubi scilicet bilis copia exuberet, aut corruptionem subierit. Is tamen prudenter animadvertit, ab eorum usu, quoniam ventriculi, et intestinorum vis irritabilis, et sensibilitas aucta est, atque excedit, hasce partes jam irritatas nimium exasperari; turbas, et spasmos augeri, evacuationesque immodicas reddi. Quam ob rem si alvi profluvium justo copiosius evadat, ipse suasor est, ut clysteribus demulcentibus, et simul medicamentis leniter diaphoreticis reprimatur. At si vires hujusmodi evacuationibus dejiciantur, non dubitat ad ea, quæ opium habent, et adstringunt, etiam confugere, ut cito alvus compressa conquiescat. WHITEUS quoque, si intestina non satis repurgata videantur, diarrhœamque idcirco protrahant, auctor est, ut salibus neutris diu insistamus, aut his pro quavis dosi addamus semidrachmam pulveris radicis *columbo*. Laudat etiam exiguas rhabarbari doses ad justa intervalla datas. Sed si adsint irritationis tantum signa, tuto et utiliter, dummodo delirium desit, ad medicamenta, quæ opium habent, properare æquum est, præsertim si cuique opiati medicamenti dosi adjiciatur pauxillum Ipecacuanhæ. Ubi autem LEAKIUS de putrida timet humorum liquatione, quam, suppuratione in visceribus facta, demum ceteris malis superaddi ex resorpto pure existimat, mature eidem, quæcumque sit ejus caussa, obsistere nititur antisepticis, et præcipue cortice peruviano omnium efficacissimo.

In peripneumoniæ metu. §. 496. Non raro peripneumoniæ metus oboritur. Tunc cantharidum applicationem nonnulli cum HULMIO proponunt. At, quoniam earum vis suspecta quibusdam in puerperis videtur, *sinapismo* substituere satius indicat LEAKIUS. Quod si eo in casu pulsus langueat, et putrida humorum diathesis propius instet, cardiacorum usum non prætermittendum censet. Dolori pleuritico, aut cuicumque alii pectus occupanti sæpe semidrachmam pulveris *Polygalæ Virginianæ*, sive *Senekæ* ter vel quater in die datam opitulari vidit Cl. WHITEUS. Doloribus ventris a flatibus, et a spasmis ortis succurrunt enematibus opportunis, et mixtura quadam, cui aliquid assæ fœtidæ, et opii adjectum sit. Si vero abdominis cruciatus præscriptæ methodo non auscultent, fomenta, et cataplasma ventri admovent, imo etiam amplum ex cantharidibus emplastrum. Lochiorum suppressionem, quia febri supervenire solet, pro ejus effectu habent; et reapse, febre cessante, ea iterum profluunt. Sed supra patuit, non raro lochia suppressa caussam etiam esse. Sed inter symptomata, quæ puerperas ab initio vehementer exagitant, fere proprium hujusce febris est frigus, et horror, quandoque etiam rigor, ad horas aliquot eas affligens. Huic discutiendo nihil opportunius post sanguinis missionem LEAKIO videtur, quam potu calido sæpius uti, et vesicas aqua calente semiplenas axillis, et plantis pedum admovere. Interdum evenit, ut vomitus, et nausea neque emeticis, neque aliis medicamentis etiam iterato adhibitis sedentur. Jure tunc suspicari licet, bilem adhuc acrem, et corruptam in caussa esse, cur hæc symptomata perseverent. Quo in casu ter, aut quater in die scrupulum, aut semidrachmam radicis *columbo*, aut ejus extracti, aut aliquot cochlearia ejus diluti dari jubent, ut bilis vitio-

Vesicantia. Cardiaca. Dolores ventris. Lochia. Horror.

sa indoles emendetur. Verum si sola irritatio vomitum producat, paregoricis nihil præstantius esse perhibent. Morbo demum ad finem tendente non modo alvum apertam servandam præcipiunt, verum dandum potui dilutum florum chamæmeli cum elixirio vitrioli acido, et corticem peruvianum, ut corruptioni antiseptica sua vi obnitantur; dein corpus moderate exercendum ut viscera paullatim firmentur.

Sub morbi finem quæ conveniant.

§. 497. Monet demum WHITEUS, signa, quæ primis diebus inflammatoriam diathesim indicant, aut alicujus alicubi inflammationis suspicionem injiciunt, non diu perdurare, et mox commutari in ea, quæ veram putridam naturam ostendunt. Quam ob caussam difficillime ipse inducitur, ut sanguinis missionem admittat; quemadmodum ex historiis ægrarum supra recensitis apparet; in quibus nunquam sanguinem mittendum curavit, sed utilius duxit regimine refrigerante, potu acidulato, atque antiseptico, victuque vegetabili febrem, ejusque symptomata paullatim coercere. Morbus etiam ille, qui anno 1770. in Nosocomio sancti Marci Viennæ puerperis omnibus infensissimus fuit (§. 468.), ab initio pro inflammatorio habebatur, atque adeo sanguinis missionibus, at infelici semper eventu, oppugnabatur. Erat autem natura putridus, nataque ex eo inflammationes in gangrænam citissime desinebant. Inflammationes vero hujusmodi, manifesto malignæ, et putridæ sanguinis missionem nequaquam ferunt. Itaque morbo accuratius examinato, et recognito, suasu Cl. STORCKII omitti cœpta est sanguinis missio, et ejus loco dari camphora ad magnam dosim cum cortice peruviano, itemque in clysmatibus ad drachmam unam pro qualibet injectione cum drachmis dua-

Whitei monitum.

Inflammationi putridæ nocet sanguinis missio.

bus gummi arabici subacta, et deinde unciis octo aquæ soluta adbiberi. Hac methodo antiseptica plures, quam quadraginta servatæ dicuntur.

Conclusio. §. 498. Jam vero si omnia, quæ de *febre puerperali Neotericorum* fideliter exposuimus, æqua lance expendantur, si ad bilem crassam, et corruptam, quam in cysti fellea sectione demortuarum reperit LEAKIUS, si ad vomitus biliosos, virides, porraceos, ad nauseas, ad tormina, ad ventris inflationem, ad alvi fluxum, ad tenesmum, quibus puerperas hoc in morbo affligi tradunt, animus advertatur; et simul consideremus, quibus auxiliis potissimum sublevari, et cum sanitate in gratiam redire soleant, videlicet emeticis, eccoproticis, bilem emendantibus, acescentibus, et antiputridis cujusque generis: profecto concludendum erit, febrem hanc non novum, nec distinctum morbi genus esse, quod seorsum pertractari debeat, sed speciem quamdam *febris gastricæ acutæ* habendam esse, plus minus malignam, putridam, et complicatam; eamdemque curationem exposcere, quam reliquæ gastricæ febres in primis malignæ, et putridæ; de quibus fusius (§. 373.) actum est.

Febris gastrica maligna est.

Febris puerperalis multiplex. §. 499. Verum non hac una puerperæ laborant. Supra (§. 472. *et seqq.*) ostensum est, eas in febrem incidere modo ab uteri inflammatione, modo a lochiis suppressis, modo a lactis aberratione, et metastasi, modo a bilioso, aut pravo humorum apparatu, modo ab aere putridis miasmatis infecto, modo a perspiratione cohibita, modo a retentis, corruptisque in utero secundinis, modo a cacochylia gastrica, modo a pluribus hujusmodi caussis simul junctis; ac proinde varia, multipliciaque febrium genera esse (§. 481.)

quibus illæ persæpe corripiuntur. Qui ergo omnia, quæ *de febre lactea puerperarum* (§. 357.) et *de febre gastrica acuta* (§. 373.) et *de tertiana continua, et causo* (§. 419.) alibi tradita fuere, mente tenuerit; noverit etiam signa, quibus intelligat, quando ex una caussa, quando ex alia, quando uno genere febris, quando alio puerperæ ægrotent, et qualis curatio singulis adhiberi debeat. Curatio ideo varia.

QUARTANA CONTINUA, SIVE TETARTOPHYA.

§. 500. Hoc nomine illud febrium remittentium genus designatur, in quo accessiones similes, et sibi in omnibus notis respondentes quarto quovis die tantum fiunt, nulla intermediis diebus subsequente apyrexia. Differt a quartanis intermittentibus, quod sine frigore, horrore, aut rigore exacerbatur, atque invalescit, et citra sudorem se se remittit, nec unquam pervenit ad integritatem. Rara adeo hæc febris est, ut JOELI, medico septuagenario, numquam eam videre contigerit (*a*). Plerumque diuturna, et periculosa esse consuevit; imo sæpe, ut testatur SAUVAGESIUS (*b*), in mortem terminatur. Quandoque ex quartana intermittenti originem ducit. Ceterum ab iisdem caussis videtur derivanda, a quibus reliquæ continuæ remittentes gignuntur. Neque equidem dubito, quin eisdem omnino differentiis, quibus illæ, subjiciatur. Tetartophya ut differt a Quartana intermittenti.

(*a*) CULLEN. Gen. morb. ord. I. Febr. sect. I. gen. 2. N. ad quart. contin. ubi oper. JOELIS T. V. *allegatur*.
(*b*) Nosol. cl. ord. 2. gen. VIII.

TETARTOPHYA SIMPLEX SAUVAGESII (a).

Descriptio. §. 501. Quartam continuam *simplicem* vocat SAUVAGESIUS (a) eam, quæ *nullius visceris speciatim affecti signa præbet. Huic*, inquit, *calor obtusus est, sed acer, pulsus parvus, et tardus initio paroxismi, dein plenior, velocior, quam in quartana, expuitio frequens, temperamentum melancholicum; extenditur ad sex septimanas, nisi æstiva sit. Paroxysmi sunt typici citra frigus, et sudorem; curatur aperientibus, incidentibus, antiscorbuticis, præmissis generalibus*; nempe sanguinis missione, emesi aut alvi ductione, prout aut plethora, aut diathesi inflammatoria, aut gastrica cacochylia postulaverint. At in hujus quoque curatione multa eorum, quæ supra pluribus in locis pro rerum, et caussarum ratione commendavimus, locum habere poterunt; et præcipue, ubi de generali febrium omnium curatione egimus, aut intermittentium particularem therapeuticen persecuti sumus.

Curatio.

Species quædam a Sauvagesio constitutæ reprobantur. §. 502. Sed præter *tetartophyam simplicem* non paucas alias species idem SAUVAGESIUS commemorat, quæ tamen ab hoc febris genere omnino sejungendæ erant, uti ab eodem alienissimæ. Nam primum *tetartophya splenalgica* (a), qua dicitur FERNELIUS occubuisse, non fuit *quartana continua*, ut perperam putavit, sed acuta continua simpliciter, et, ni fallor, symptomatica, utpote quæ splenitidis suppuratæ comes erat, et die decima octava eum rapuit. A multis quidem annis FERNELIO lien intumuerat, et fortasse post quartanam intermittentem, qua jam pridem laboraverat, sed morbus, quo tandem decessit, nec *intermittens*, nec *continua* quartana extitit, ut

ex PLANTIO *in* FERNELII *vita* colligitur. Neque *tetartophya carotica*, quam ex WERLHOFIO quarto loco ibi (*b*) recenset, ad hoc genus febris pertinet, cum ea, cujus meminit WERLHOFIUS (*c*), *intermittens*, et plerumque *tertiana* fuerit. Sub eadem specie complexus etiam est idem SAUVAGESIUS febrem, quæ in *observatione trigesima nona libri tertii* a FORESTO refertur; sed quartana ibidem descripta nec carotica, nec comatosa est. Neque huc referri potest *tetartophya maligna* (*d*), quam ex MARCELLO DONATO (*e*), et HORSTIO (*f*) adducit, cum utramque quartanam intermittentem, non continuam, fuisse, apud eosdem videre est. Quæ vero quinto loco *tetartophya semitertiana*, sive *Hemitritæus major* SCHENCKII (*g*) ponitur, rectius ad febres complicatas, et proportionatas, quam ad quartanas continuas revocanda est.

(*a*) Spec. 2. (*b*) Spec. 4.
(*c*) Observ. de febr. p. 17. (*d*) Spec. 6.
(*e*) L. 3. cap. 14. & l. 7. cap. 6.
(*f*) L. 1. observ. XV. (*g*) Spec. 5.

TERTATOPHYA SOPOROSA.

§. 503. Æquiori jure *tetartophyæ* differentia haberi debet *quartana continua soporosa* CAROLI PISONIS (*a*), cujus descriptio hæc est: *Ex quartanariis autem memini Nobilem virum Joannem de Reins D. de Brenecourt ante tres hyemes sibi gratulantem, quod tempus rigoris, et acerbationis molestissimum cæteroqui, et gravissimum sine sensu transigeret: alto quippe sopore* Vir *splendidus, eoque duodecim horarum, et amplius tenebatur, sed indolentiam ab hac causa in malis rebus potius ponebam in febre, quæ ad apyrexiam non perveniret; et non temere; nam quinto circiter mense soporem illum cum æterna nocte commutavit.* Huic paullo post subnectit aliam observationem

haud dissimilem *quartanæ continuæ comatosæ*, quam *tetartophyam hepatalgicam*, quia cum hepatis phlegmone complicabatur, nominavit SAUVAGESIUS (*b*). En ejus historiam: *Postremo mihi subit in memoriam pene intermotuam febris quartanæ continuæ longe memorabilior cæteris historia, quæ in amplissimo Præside Michaele Bouveto ad hepatis phlegmonem ad annum vertentem exporrectam accessit, quartumque intra mensem ægrum confecit: principium enim cujusque exacerbationis se pulsu admodum parvo, simulque rato, ut quandoque plusculas horas penitus lateret, se se prodens comate supra modum gravi, nisi quando deliriis interturbaretur, et eo ut plurimum quindecim, et amplius horas continuo urgente fuit insigne* (*c*). Inter utrasque istas observationes binæ aliæ apud eumdem extant quartanæ soporosæ, quas silentio præterire (*d*) satius duco, quia non satis liquet, intermittentesne, an continuæ essent, quam dubia pro certis afferre.

(*a*) Select. observat. & consil. de prætervis. hactenus &c. observ. 166. p. 492.
(*b*) L. c. spec. 3. (*c*) L. c. observ. 169.
(*d*) Observ. 167. & 168.

Curatio. §. 504. Quæ curatio Quartanæ continuæ simplici opportuna sit, jam paullo ante (§. 501.) indicavimus. Jam vero aliquid dicere oportet de ea, quam peculiare aliquod Symptoma, quocum complicata sit, veluti sopor, aut coma, requirere videatur. Si temperamentum, ætas, habitus, et vires ferunt, primum sanguis mittatur, deinde saburra primarum viarum melanagogo aliquo medicamento deturbetur, aut si habitu cachectico, et pituitoso sit æger, hydragogo, sed mitiori, et temperato. Postea succi herbarum recentium, uti cichorei, taraxaci, agrimoniæ, fu-

mariæ, nasturtii aquatici; aut earum decocta, aut diluta propinentur, interpositis ad intervalla blandis eccoproticis, nec omissis vesicatoriis, cucurbitulis, sinapismis, aliisque revulsionum generibus, de quibus pluries jam mentionem fecimus. Soporem egregie etiam discutiunt volatilia, ut spiritus cornu cervi tam simplex, quam succinatus, tinctura castorei, spiritus salis ammoniaci caute adhibitus. Verum si his non cesserit malum; sopore perseverante, et periodice redeunte, et discedente; non aliter curanda est, quam si intermitteret, cortice nimirum peruviano, cujus vim, et efficacitatem præstat experiri, quam ægrotantem incerto naturæ conatui dumtaxat concredere.



DE FEBRIBUS CONTINUIS COMPOSITIS,

SIVE

PROPORTIONATIS.

§. 505. In generali febrium divisione de quarta quadam earum differentia (§. 62.) mentio facta est, quæ febres *compositas*, sive ut alii vocant, *proportionatas*, item *complexas*, aut *complicatas* comprehenderet. Absoluta igitur *intermittentium*, et *continuarum* omnium tam *continentium*, quam *remittentium* recensione, locus admonet, ut de *compositis* aliquid dicere non obliviscar. *Compositas* autem hic voco eas febres, quæ ex plurium generum diversorum mixtione coalescunt, et quodammodo componuntur. Harum vero multiplex, et varia compositio, sive complicatio esse potest, cujus præcipuas tantum differentias exponam; nam singulas, quæ mente confingi possunt, perquirere non modo longum esset, sed etiam supervacaneum, atque inutile. Prima igitur compositio est, quando febres intermittentes inter se commiscentur; veluti quando quotidiana intermittens cum tertiana, aut quartana, aut quintana, aut aliis hujusmodi intermittentibus implicatur (*); aut etiam quando plures quotidianæ, aut tertianæ, aut quartanæ una concurrunt, ut duplices, aut triplices, aut quadruplices fiant, quemadmodum alibi suo loco a nobis dictum est, cum de intermittentibus ex professo ageretur. Altera compositio se sistit, quando intermittentes cujusvis generis complicantur cum febribus quomodocumque continuis, sive hæ continentes

Triplex compositorum genus.

fuerint, sive remittentes (**). Tertiam demum faciunt febres continuæ uniformes, sive continentes cum continuis remittentibus conjunctæ, uti quando ephemera, aut synochus simplex, aut putris, aut aliud quodvis continentium genus (***) cum quotidiana, aut tertiana, aut quotidiana continua copulatur. Atque in his fere omnes febres, quas *compositas*, sive *proportionatas* appellamus, contineri videntur. Reliquæ vero, si quæ ab auctoribus referuntur, quoniam confictæ magis, aut subtilius excogitatæ sunt, ab ipsa natura, atque ab usu ipso rejiciuntur.

(*) *Quando accessiones hujusmodi intermittentium horis diversis fiunt, ut singulæ distingui possint,* complexæ, *sive compositæ a* GALENO *dicuntur. Si vero accessiones diversarum intermittentium in eamdem horam cadunt, sic ut unam ferme accessionem efficiant, quia non facile discerni possunt,* confusæ *ab eodem vocantur*. De Febr. diff. lib. 2. cap. VII.

(**) *Cl.* STORCKIUS *sæpe vidit quotidianam intermittentem, quæ cum febre petechiali, & miliari complicabatur. Id in primis contigit mense Septemb. anno* 1758. *Quotidiana citam corticis administratione postulabat, & sic fugata intermittenti mitior evadebat, procedebatque exanthematica febris*. Ann. medic. 1. mens. Septembr. 1758. *Idem in febribus vernalibus acutis observavit crebras horripilationes, quæ morbum turbabant, & cortice peruviano sedabantur. Hinc scripsit:* An tempore vernali diversæ febres intermittentes febribus acutis sæpe junguntur, atque eas turbant? Lib. citat. mens. Mart. *Ibidem* mense Aprili *narrat, febres acutas die decima quarta in intermittentem quotidianam, aut tertianam desinentes, a se visas. Probabile est, intermittentes cum Synocho putri compositas tunc fuisse, qua absoluta, intermittentes perspicuæ, & solitariæ postea prosequerentur.*

(***) GALENUS (De different. febr. l. 1. cap. 10.) *mulieris meminit, quæ* hectica marasmode *cum* quotidiana putrida *conjuncta laborabat. In* comment. *ad hunc locum* MONTIUS *docet, posse hecticam permi-*

sceri cum febre cholerica, cum phlegmatica; cum melancholica, & cum sanguinea, sive Synocho, quemadmodum hæ ipsæ permisceri inter se possunt, & revera interdum permiscentur. Ibidem GALENUS *tradit signa, quibus dignoscantur hujusmodi complicationes. Nec solum hectica cum putridis, verum cum ephemeris ipsis complicata interdum occurrere dicitur.* Ibid. l. c. p. 385.

SEMITERTIANA, SIVE HEMITRITÆUS.

Galeni hæmitritæus qualis? §. 506. Celebre apud Scriptores, et frequens est illud *compositarum* genus, quod Græci *Hemitritæum*, nostri *Semitertianam* vocant. Hoc nomine comprehenditur febris continua, quæ, etsi tertianæ intermittentis, aut remittentis naturam, et morem redoleat, ab utraque tamen differt, quod dimidiam tantum levaminis, et remissionis partem præ illis experiatur. Descriptiones vero ejus adeo variant, ut modo necesse sit singulis adjicere auctoris nomen, quo a reliquis opportune distinguantur. GALENUS (*a*) duas peculiares notas, sive proprietates vero *Hemitritæo* assignat, ut nimirum febris *continua* sit, et simul *horrifica*. Si careat alterutra conditione, negat, *semitertianam* dici posse. Non ergo ex ejus sententia duæ intermittentes, quotidiana nempe, et tertiana una complicatæ, semitertianam efficient, quia *continua* sit, oportet; neque ex duabus continuis confici, et constare poterit, quia tunc *horrifica* esse nequit. Sed jam ad varias hemitritæi species describendas progrediamur.

Variæ hemitritæi species. §. 507. Ut igitur hemitritæus suis non careat proprietatibus, componi debet ex tertiana, et quotidiana, altera continua, intermittente altera; et præcipue ex tertiana intermittente, et quotidiana continua; aut etiam ex quotidiana inter-

mittente, et tertiana continua, sic ut alternis, sive imparibus diebus binæ fiant accessiones, vel una eædem concurrant, et confundantur: paribus vero unica dumtaxat, sed sine ulla continuitatis intermissione. Prior *semitertiana* GALENI dici solet; posterior illa esse videtur, quæ a RIVERIO secundo loco describitur, quæque a TORTIO etiam in *semitertianarum* numerum cooptatur. A cl. viris SVVIETENIO, atque HAENIO binæ aliæ species hemitritæi memorantur; quarum una fit ex tertiana accessiones adeo protractas habente, ut nullam, aut sane exiguam relinquant integritatem. Hæc *Hemitritæus* CELSI esse dicitur. Qui CELSI auctoritatem sequuntur, ad hanc febrem referunt tam ardentem periodicam, quam tertianam duplicem ex productis accessionibus, sive circuitibus continuam factam; de quibus alibi rectius a nobis dictum est. Altera vero conflatur ex febre *continua acuta*, et *tertiana intermittenti* commixtis. Hanc admittere videtur SENNERTUS, quando non absurdum existimat eas quoque febres appellare *semitertianas*, quæ sua natura sunt tertianæ intermittentes, sed cum inflammatione alicujus visceris conjunctæ, a qua inflammatione febris continua symptomatica excitetur, sic ut ex utriusque mixtione quoddam *hemitritæi*, sive *semitertianæ* genus exsurgat. Nec desunt qui *semitertianam* eam quoque febrim esse dicant, quæ sæpius, aut pluries intra Nychthemerum horrore, et frigore exacerbatur, nullum accessionum ordinem servans: ex quo ab aliis etiam *horrifica* nuncupatur.

Celsi semitertiana.

§. 508. Quod spectat ad CELSI *semitertianam*, ejusque affines modo memoratas; ea vel ad tertianas *extensas*, et *spurias*, vel ad *subintrantes*, aut *subcontinuas* TORTII, vel ad *Tritæophyas* re-

Celsi hemitriteus non est hujus loci.

ferenda est, neque hic locum mereri videtur. Neque huc pertinet fortasse illa SENNERTI, quæ ex continua symptomatica ab inflammatione alicujus visceris, et ex intermittente coalescit; nam ad *comitatas perniciosas* TORTII revocanda plerumque est. Quæ vero horrore pluries in die redeunte exacerbantur, rectius ad *Symptomaticas*, inflammatorias, hystericas, scorbuticas, suppuratorias, ulcerosasque, vel ad *gastricas acutas*, putridas malignasque ablegantur, in quibus ab acribus humoribus, aut malignis, putridisque halitibus sensibiles, irritabilesque partes affectæ, et vellicatæ horrores illos spasticos exsuscitant. Reliquum igitur est, ut vere, et proprie *Hemitritæus* sit ex febris, quæ ex tertiana intermittente cum quotidiana continua, aut ex quotidiana intermittente cum tertiana continua componitur.

Hemitritæus legitimus et illegitimus.

Illegitimus duplex.

§. 509. Legitimum, et verum, sive exquisitum hemitritæum vocant, in quo tertianæ, et quotidianæ æqualis ratio est; nothum, sive illegitimum, in quo Symptomata tertianæ, aut quotidianæ manifestiora se produnt. Hinc hemitritæus illegitimus duplex est, prout vel tertiana quotidianam, vel quotidiana tertianam gravitate, et magnitudine exsuperat. Si tertiana prævaleat, tota febris horridior est, et quandoque rigorem sibi etiam adsciscit. Tum quoque magis æstuat, et fervet, biliosique aliquid aut vomitu, aut alvi fluxu, aut sudoribus excernit. Si quotidiana vero tertianam excedat et superet, frigus intensius extremas afficit partes; rariores, minoresque horrores pulsus non valde efferuntur; accessio lentius increscit, atque ad statum tardius pertingit, nec admodum magna siti, nec ingenti calore molesta esse solet. Alii *legitimum hemitritæum* dicunt esse acutum, et brevem; diuturnum et len-

tum alterum, sive *nothum*. Prior a SCHENCKIO *hemitritæus major*, posterior *minor* appellatur. Ad hoc febris genus revocanda est *Amphimerina hemitritæus* SAUVAGESII (*spec.* 7.), itemque *Amphimerina pseudohemitritæus* ejusdem (*spec.* 8.) nec non *Tetartophya semitertiana* SAUVAGESII (*spec.* 5.), utpote febres compositæ, et complicatæ, perperam Amphimerinis, et Tetartophyis adnumeratæ. Hemitritæus major, et minor.

§.510. Si quis velit etiam cum SWIETENIO, HAENICQUÆ *semiterianæ*, sive *hemitritæi* nomine appellare eam febrem, quæ ex continua continenti acuta, uti Synocho simplici, aut putri, et tertiana intermittenti copulatis consurgit, non sane quidquam repugnavero, dummodo ille cogitet, concedatque hanc suam semitertianam a vero hemitritæo GALENI non parum differre. Nam in vero hemitritæo non modo continuitas febris et horrifica natura attendenda est; verum etiam alternis diebus duplex accessio, unica vero intermediis, requirit. Diagnosis ex dictis facile patet. Quod ad prognosim attinet, omnis semitertiana periculosa est tam ratione continuitatis, et complicationis, quam ratione symptomatum, aut malignitatis, aut interiorum partium inflammationis, in quam sæpe ipsa terminatur. Curatio vero omnis petenda est ex iis, quæ de curatione febrium intermittentium, et continuarum remittentium alibi uberrime tradita, et præcepta fuerunt. Semitertianæ Swietenii. Diagnosis. Prognosis.

PROPORTIONATA EX SYNOCHO ET INTERMITTENTI.

§. 511. Non semel, cum de Quotidianis, et Tertianis continuis supra ageremus, a nobis animadversum fuit, sæpe earum nonnullas, etsi

a principio continuas, progressu deinde, et sensim in intermittentes commutari; idque interdum fieri, quod febris composita, sive proportionata esset, id est, ex continua, et ex intermittente junctis coalita. Priore enim desinente, aut soluta, quid mirum, si altera suos circuitus manifestius obeat, veramque se intermittentem ostendat? Hoc in primis sæpissime accidit, cum febres intermittentes, ut alia docuimus, epidemice pervagantur, vel saltem morbum prædominantem, et stationarium efficiunt. Nam tum omnes fere morbi aliquid similitudinis cum intermittentibus habent, vel quæcunque etiam aliæ febres sporadicæ, aut intercurrentes cum intermittentibus ipsis complicantur. Sed nunquam id frequentius Clinicis occurrit, quam in vernalibus, atque æstivis febribus, aut autumnalibus citius solito, nempe mense Iulio (a) ingruentibus; quod pluries variis in regionibus, diversisque temporibus egomet ipse observavi; nec puto quemquam ex clinicis esse posse, qui illud aliquando non observaverit.

Quando hæc frequentior?

(a) SWIETENIUS in Boerhav. §. 727.

Descriptio.

§. 512. Febris autem ista jam ab initio continua est, incipitque a levi frigore, aut horrore, deinde invalescit, et cum symptomatibus ferme iisdem, quibus stipatur synochus simplex, aut putris, progreditur, continentis plerumque in modum, nisi quod aut quotidie, aut alternis diebus aliquanto ingravescat vel vesperi, vel mane, et post aliquot horas mitescens, sudore aut madore exiguo oborto, ad solitum gradum, et tenorem, qui continentium proprius est, redeat. Sæpe tamen primis diebus nulla hujusmodi incrementi, aut decrementi indicia, satis manifesta, aut distincta exhibet, nec ullo unquam aut

frigore, aut horrore exacerbatur, sed vehemens et assidua tenet, donec exacto quatuor, vel septem ut plurimum dierum spatio, vel, quod summum est, undecim, vel quatuordecim dierum curriculo, paullatim continuitate illa uniformi deperdita, remittat primum periodice, deinde etiam desinat in quotidianam, aut tertianam intermittentem, quæ modo cum frigore aut horrore, modo prorsus sine his suas accessiones repetat, statisque horis sudore, aut urina sedimentosa, aut alvi fluxu, aut omnibus istis evacuationibus supervenientibus sensim solvatur, et decedat.

§. 513. Videtur ergo tum solum in intermittentem desinere, cum synochus sive simplex, sive putris, cum qua complicatur, sanguinis missionibus, alvi expletione, diæta, quiete, et diluentibus discussa fuerit. Quando vero nec frigus, nec horror accessiones antecedit, nec eas præmonstrat; illud saltem evenit, quod ingruente paroxismo sitire intensius æger soleat, de gravitate, et pondere circa epigastrium, et pectus conqueri, anxietatibus premi, dorsi, et artuum dolore quasi contundi, nausea, aut vomitu corripi, irrequietus esse, agrypnia cruciari; procedente vero ad augmentum febre, et his symptomatibus aliquantum remittentibus succedat atrox cephalalgia, urens calor, faciei rubor, atque interdum delirium; quæ tamen, inclinata accessione, ut dixi, evanescunt; laxatur cutis, mollescit, sudor erumpit, urinæ crassæ, aut croceæ prodeunt, mens resipiscit, et quies, aut somnus aliquis obrepit. Signa diagnostica, ubi frigus deest.

§. 514. Attenta horum consideratio, nota synochorum, et intermittentium febrium phœno-

Quomodo differat a subcontinuis, a subintrantibus et hæmitritæis.

mena, constitutio epidemica, anni tempus, aliaque hujusmodi pluries alibi explicata ad diagnosim facile ducunt. Distinguitur a *subcontinua* Tortii, quod ab initio nullo modo intermiserit, nec ab intermittente in continuam migraverit: a *subintrante* vero, quod ejus continuitas primis saltem diebus magis uniformis sit, neque ullo frigore, aut horrore, qui in subintrantibus deficere non solet, ingravescat. Iisdem propemodum de caussis differt etiam a vera *semitertiana*. Plerumque periculi expers est, si rite curetur; neglecta, aut male curata in inflammatoriam alicujus visceris, in ardentem, in malignam, perniciosamque degenerat.

CURATIO.

S. missio et purgatio.

§. 515. Ab initio sanguis mittatur, etiam iterato pro gradus, et symptomatum gravitate, atque ea omnia administrentur, quæ usui esse in Synocho simplici, et putri supra indicavimus. Si saburra biliosa, aut gastrica suis signis se prodat, hæc expurganda, simul ac febris impetus aliquantum resederit, medicamento eccoprotico, et refrigerante. Interdum etiam emetico locus esse potest, in primis biliosa colluvie primas vias infestante, aut tempestate anni, et regione, aut caussis remotis illud exigentibus. Quando jam ad intermissionem pervenerit; quid tum facto opus sit, non attinet dicere, postquam præcipue de intermittentium curatione tam generatim, quam speciatim multis verbis pertractaverim. Summum præsidium cuique erit peruvianus cortex, qui etiam, ubi febris nondum vere intermittens evaserit, sed continua remittens dumtaxat facta sit, ut *subintrantis*, aut *communicantis*, ut vocant, aut *coalternæ* speciem referat, quamquam sine

frigore, aut horrore exacerbetur, certissime eam debellare poterit; dummodo reliquas intermittentium notas, et proprietates acquisiverit.

§. 516. Interdum evenit, ut febris proportionata diutius trahatur, quin ad intermissionem pertingat, aut accessionibus irregularibus, atque anomalis continuitatem suam instauret, ita ut nullum ad typum adstringatur. Tunc regularem reddi, atque ad intermittentis manifestæ naturam reduci posse non desperant PRINGLIUS (*a*), et BUCHANIUS (*b*), ni sanguinis missio, aut alvi purgatio id jam præstiterit, datis pluries in die salibus mediis, aut emetico dato, iteratove. Ille hunc in finem bis in die mixturam RIVERII, quæ salis absynthii habeat scrupulum, succi limonum semunciam, et sacchari albi drachmam, propinandam jubet, aut ejus loco quarta, vel sexta quaque hora, haurienda cochlearia quatuor ex alia simili mixtura, quæ est ejusmodi. ℞. *Sal absynthii drachmam. Solv. in aqu. font. unciis decem; et instill. spirit. vitriol. q. s. ad saturat. deinde add. aquæ cinnam. spirituos. sesquiunciam, syrup. cortic. aurant. unciam.* Ac si, remittente accessione, sudores deficiant, aut parcius, quam opus est, erumpant, eos promovere annititur spiritus Mindereri uncia, in duas, aut tres partes tributa, et potui addita. Alter vero, videlicet BUCHANIUS, vomitum ciet quindecim, aut viginti Ipecacuanhæ granis aut tartaro emetico magna aquæ vi diluto, et parvis haustibus præbito, donec votis respondeat.

Quando non intermittit.

Quæ intermissionem accelerent.

(*a*) Malattie delle Armate P. 3. cap. 4.
(*b*) Medecin. Domestiq. T. 2. chap. XI. p. 215.

§. 517. Hujusce generis videntur fuisse febres illæ continuæ remittentes, quas cortice peruvia-

Quæ febres huc spectant.

no sanabiles literis prodidit MORTONUS (a); itemque illæ malignæ, et perniciosæ, quarum meminit LAPIUS, tamquam aeris, et ruris romani (b) propriarum, atque eidem remedio obtemperantium. Neque ab his valde differentem crediderim *febrim biliosam*, sive *remittentem* PRINGLII, de qua doctissime ipse scripsit (c), sicuti etiam illam alteram, quam *remittentem* vocavit BUCHANIUS (d), febrem scilicet multiplicis naturæ, et modo *regularem*, modo *irregularem*, sæpe *biliosæ*, aut *nervosæ*, aut *putridæ* speciem referentem, et facile in *inflammatoriam*, aut *malignam* mutabilem, si tamen hoc titulo cl. auctor multa, et varia febrium genera, ut suspicor, in unum non congesserit, simulque consarcinaverit. Possem equidem plures alias febres huc spectantes ex Scriptoribus commemorare, si res ipsa postularet, aut adducta exempla non sufficere viderentur. At, cum neutrum ex his appareat, tempus jam est, ut, illis præteritis, neglectisque, non modo compositarum febrium, sed ceterarum etiam universa tractatio hic finem faciat. Illud unum optandum remanet, ut studium, laboremque nostrum, quo omnia illa collegimus, excussimus, digessimus et disposuimus, par quoque fructus, isque utinam uberrimus, consequatur discipulorum. Utcunque tamen evenerit, ausui tamen, et consilii rationi non deerit sua laus. De Morbis demum exanthematicis febrilibus, qui proxime veniunt, dicam in volumine sequenti.

(a) De febr. exercit. 2.

(b) Ragionamento contro la volg. opinione di non poter venir a Roma nella state pag. 13. 45. 47. Roma 1749.

(c) L. c. (d) L. c.

Finis Tomi Secundi.

INSTITUTIONUM
MEDICINÆ PRACTICÆ

QUAS

AUDITORIBUS SUIS PRÆLEGEBAT

JO: BAPTISTA BURSERIUS

DE KANILFELD.



TOMUS TERTIUS.



VENETIIS

1817

EX TYPOGRAPHIA JOSEPHI MOLINARI.

DE
MORBIS EXANTHEMATICIS
FEBRILIBUS.

AD LECTOREM.

Habes, amice Lector, hoc in volumine *exanthematicos morbos febriles*, quos videlicet peculiare quoddam exanthematis genus plerumque febri conjunctum constituit, & designat, quousque ideo, quod nec febris eis assentialis, ut vocant, nec semper socia est, e febrium classe expungendos, seorsumque pertractandos esse censuimus. Quinam vero isti potissimum sint mihi, proximus capitum indiculus mox declarabit, prout nempe eos ex innumeris prope humani corporis affectibus secrevi, inque unum veluti agmen coactos, suo quemque loco, persecutus sum, atque explanandos suscepi. Tanta autem est inter ipsos convenientia, affinitatisque conjunctio, qua una colligantur, & consentiunt, ut statim cuique apertissimum fiat, non eos arbitratu nostro, nec pro libito, sed propria natura, insitaque similitudine inter se connecti, & quodammodo cohærere, ne *Peticulis* quidem ipsis, quas alioquin hinc rejicere nuperi quidam scriptores non dubitant, exceptis. In peticulari enim morbo eadem ferme omnia, quæ in miliari, ita concurrunt, ut quam simillimi plane sint, atque adeo aut neutrum, aut utrumque eorum huc spectare confitearis oporteat. Primum vero illud affirmari unquam nequit, cum nemo hodie vel leviter in medicina practica versatus, nisi is derideri, &, ut ita dicam, exsibilari velit,

negare amplius audeat, exanthema miliare primarium, sive essentiale vere exsistere. Ergo, quoniam eadem est utriusque morbi ratio, nec differunt nisi exanthematis forma, ac materia, sequitur, ut uterque inter exanthematicos morbos, de quibus hic agimus, jure sibi locum vindicet. Quæ res evidentius patebit, si primo capite, in quo generalia, & singulorum communia enumerantur, perlecto, reliqua capita cuncta, sicuti disposita sunt, ordinare, & sine præjudicata opinione percurrere, eaque animi æquitate, & intentione, qua decet, expendere te minime tædeat. Spero equidem, quo magis processeris, simulque omnia diligentius comparaveris, eo clarius tibi manifestum futurum esse, quam bene antecedentia a subsequentibus comprobentur, & quam apposite utraque adjutrices sibi mutuo manus porrigant. Novum prope opus, non dissimulo, auditoribus meis istud videbitur, cujus pauca tantum quasi semina in publicis prælectionibus spargere solebam, cum brevitas temporis, quo universa medicinæ practicæ moles comprehendenda erat, plura in lætam segetem effundere non sineret. Par igitur est, ut nunc de singulis hisce morbis ea ratione disseratur, qua in primo volumine febrium universam rationem exposuimus, idest copiose, & quantum licuit, accuratissime, undique, quæ ad propositum facerent, conquisitis, et judicio nostro qualicunque ubique in rebus dubiis, aut controversis interjecto, quale videlicet aut ratio, aut experientia nobis dictavit. Auctores, per quos aut profecimus, aut a quibus aliquid antea cognitum, vel traditum est, in primis cum experientiæ responderet, opportune, &

perhonorifice nominavimus, non quod inanem gloriolam ex eruditionis ostentatione, ut moris est, captare voluerimus; sed, ut quisque continuo intelligeret, quæcunque a nobis aut præcipiuntur, aut probantur, non nostra tantum sententia, ac fide inniti, verum ab aliis etiam præstantissimis viris jamdiu præcognita plerumque esse; aut si nova, quinam ea nuper testata fecerint, atque animadverterint. Turpe enim, & ingenuo, honestoque homine indignum putavimus eorum insistere vestigiis, qui, ut omnia scire, & observasse per se ipsi videantur, quidquid scribunt, e proprio quasi penu desumptum efferunt, nullius unquam a quo acceperint, mentionem facientes; propterea quod, si quantum aliis debent, grati testificentur, vix aliquid de suo sibi relinqui sentiant. Itaque neminem merito honore, contra quam vulgo fieri consuevit, privavimus, æquissimum rati, neque Recentiores sua laude in his, ut ait C. Celsus, quæ repererunt, vel recte secuti sunt, fraudare, & contra quæ apud Antiquiores posita inveniuntur reddere auctoribus suis fideliter, et sine invidia. Exemplis subinde res illustravimus tam nostris, quam alienis, nec prætermissæ interdum sunt observationes quorumdam prope singulares, & quandoque rarissimæ, indicatis semper earum scriptoribus, ut, quos penes fides sit, non ignorares. Nec, quia rarius quædam eveniunt, et a paucissimis notata sunt, prætereunda ea esse existimavimus. Quis enim omnia unus aut videre potuit, aut compeperisse sibi persuadeat in tanta naturalium rerum immensitate, et medicinæ amplitudine? Annotationibus vero, quas crebras, & interdum non breves ad cal-

cem quorumdam paragraphorum adjeci, ea comprehensa sunt, quæ aut veritates minus notas, aut leviter dumtaxat in textu indicatas confirmare, aut opinionum commenta diluere, aut quæstiones, controversiasque, quibus ars implicatur, enodare, ac definire apta visa sunt. Demum, ne quidquam commodo discentium deficeret, illud etiam curavimus, ut insigniores de quovis peculiari morbo tractatus, quos consulere ad ampliorem eruditionem possent, identidem, & passim commemorari non laterent. Pauca hæc erant, de quibus te monitum, antequam legeres, volebam.

Quod ab Auctore hactenus præfatum est de Volumine Secundo Editionis Mediolanensis, de III. ac IV. Venetæ Editionis nostræ dictum intellige. Unicum enim illud, studentium commodis inservientes, in duo divisimus.

CAPUT I.

DE MORBIS EXANTHEMATICIS FEBRILIBUS (*) GENERATIM.

§. 1. A verbo ἐξανθέω, nempe *effloresco*, aut *erumpo* ducta est vox ἐξάνθημα, quasi *efflorescentia*, aut *eruptio*. Proprie ad papulas, sive pustulas, quæ ad cutim erumpunt, et supra eam elevantur, aut eam inæqualem quodammodo reddunt, denotandas a medicis adhibetur. Minus vero proprie, et laxiore significatu a viris etiam summæ auctoritatis (*a*) extenditur ad eas cutis maculas, quæ colorem ejus dumtaxat permutant, deturpantque, et planæ omnino sunt, nec eam attollunt, nec asperam faciunt. Itaque, ne vitio, quæso, vertatur nobis, si utroque sensu, et latiore modo vocabulum istud sumimus, eoque comprehendimus quamcumque eruptionem, quæ in exteriore corporis, cutisque facie prosiliat, sive elata, et prominens sit, sive plana, et tactui insensibilis, sive exigua, et minuta, sive amplior, et voluminosa, sive rara, sive frequens, sive unica, sive multiplex, dummodo ejus generis fuerint, quæ, quoniam febrilem aliquam accessionem subsequuntur, aut febrem plus minus sociam habent, aut concitant, *febriles* dici possint, quæque olim a plerisque febrium numero includebantur.

* Exantheo Exanthema.

Quid exanthema?

Quo sensu a nobis accipiatur.

(*) Synonyma.

Febres eruptivæ Allenii, *synops. univ. medic.* §. 219. *ed. Venet.* 1762. *Febres exanthematicæ* Auctorum, & Neifeldii, *Rat. med.* §. 449. *subsect.* x, Schachtii, *Instit. med. practic. Cap.* xi. p. 47. *Exanthemata febrilia* Boerhaavii, & Swietenii, *Aphor. de cogn. & curand. morb.* §. 723. *Phlegmasiæ*

exanthematicæ SAUVAGESII, *Nosol. class.* 3. *ord.* 1. *Exanthemata* SAGARII, *cl. x. ord.* 1. & 2.

(a) FERN. L. *Pathol. l.* 1. *cap.* 8. & *l.* 4. *cap.* 18. & SWIETENE *in aphor. Boerhaav. ad* §. 723.

Distinctio in primaria, et secundaria.

§. 2. De his igitur dum ad dicendum aggredior, in memoriam revocanda primum est pernecessaria, et perutilis distinctio, qua exanthemata in *primaria*, sive, ut ajunt, *essentialia*, et in *secundaria*, sive *non essentialia* tribuuntur. At de *secundariis*, sive *non essentialibus*, utpote quæ ad febres, aliosque morbos, ut symptomata, aut epigenomena, aut accidentia, verius spectare alias diximus, satis, atque opportune a nobis alibi jam actum est: ad hunc vero locum *primaria*, sive *essentialia* non inepte, ni valde fallimur, servavimus, cujusmodi sunt *Variolæ*, *Morbilli*, *Purpura scarlatina*, *Exanthemata urticata*, interdum *Miliaria*, et *Peticulæ*, sæpissime *Erysipelas*, aliique id genus morbi. Quia vero exanthematicos hosce morbos febris, quod minime inficiamur, modo antecedit tantum, modo et comitatur, modo solummodo subsequitur, ut deinceps ostendam; idcirco *febriles* appellari eos utique decuit, non vero *febres*. Caussam autem, cur a febribus proprie dictis cum plerisque veterum, et recentium Nosologorum eos sejunxerimus, pluries indicavimus alibi, sed præcipue tum, cum *Febrium divisiones*, *et differentiæ* expositæ (*a*) sunt, apertius, pleniusque aperuimus. Atque illud in primis animadversum ibi fuit, interdum febrem nec antecedere, nec comitari, quod in Variolis benignissimis (*b*), in Erysipelate (*c*), in Exanthemate urticato, in Peticulis, in Miliaribus (*d*) non rarum est; et præterea, quando febris antecessit, plerumque evenire, ut ea, exanthemate ad cutim penitus protruso, desinat aut certe plurimum minuatur, dum interim exanthema, sive morbus prin-

ceps permanet, suumque curriculum nihilominus, prout ejus natura fert, prosequitur, donec eo, quo finiri consuevit, perveniat. Id maxime perspicuum est in Erysipelate simplici, et benigno, in Variolis discretis, et mitissimis, in quibus scilicet febri, quæ antecesserat, et deinde post eruptionem desierat, non revertitur, nisi nova eruptione futura, quæ jam facta est, ad suppurationem tendente.

(a) *Volum. I. §. LVI.* (b) *Cæs.* MARESCOT. *Tract. de variol. p.* 19. 20. Is, quem ætate jam gravem, sed facilem, humanum, & ab omni eruditione paratissimum adolescens audivi, quatuor casus, in quibus febris abfuit, unum ex MARCELLO DONATO, alterum ex PHILIPPO INGRASSIA, & binos ex propria experientia adducit. (c) MEZA *comp. med. practic. Fasc. I. cap. XVII.* (d) DUPRE' DE LISLE *Dissertat. sur la fievr. miliair. de femm. en couche* p. 7. & 18. qui testatur miliaria alba puerperarum sæpe sine febre erumpere, & ferme sine febre etiam miliaria rubra benigna. Quod & nos pluries vidimus. Sed de his suo loco plura.

§. 3. Accedit quod febris, quandocumque cum hisce morbis conjungitur, nullum certum ordinem, nullumque perpetuum typum observat, ut ad aliquod genus peculiare ea redigi plerumque possit; nam modo continuæ continentis, modo remittentis, modo anomalæ, et vagæ, modo intermittentis periodicæ speciem, et morem induit; hocque postremum frequentissime cernitur in Peticulis, et Exanthematibus Miliaribus, in quibus inter initia tertianam intermittentem mentiri persæpe visa est. Quas ob res proxime quidem post febrium recensionem, sed seorsum ab iis morbos hosce natura, incessu, et phænomenis non parum dissimiles pertractare æquius, satiusque censuimus.

Postrema ratio, qua seorsum pertractentur.

Febris naturæ instrumentum, quo a noxio se liberet principio.

§. 4. Videtur ergo in his febris esse motus quidam plus minus necessarius, quem excitat peculiare illud heterogeneum, quod, ut nervis, et cordi, arteriisque intolerabile, a cunctis secerni humoribus et extrorsum ad cutim protrudi debet, eoque motu natura utitur, quando naturalis sanguinis circuitus per se satis non valeat, ad quamdam veluti criticam excretionem moliendam, cujus tamen effectum moliminis certa, et constanti fere lege in ipsa tantum cute terminetur, quæcumque demum sit hujus singularis, constantisque phænomeni caussa. Quod si omne illud noxium, quod naturam irritabat, ea febrili commotione secretum, in cute universum consederit, nec malignæ admodum indolis sit, facile intelligitur, febrim desinere oportere. Contra si pars ejus tantummodo secesserit, et natura adhuc irritari pergat, aut venenata, et perniciosa heterogenei illius principii vis totum sanguinem infecerit, aut ejus plurimum sibi assimilarit, illud necessario consequitur, ut febris etiam post pustularum eruptionem assidua persistat, aut inordinate, et per circuitus redeat, remittatque, aut, prout virus evolvitur, extricatur, irritatque, accessiones suas subinde repetat intermittentium instar, et partitis vicibus illud expellat, nec ante decedat, quam tota humorum massa omnino repurgata fuerit; sicuti luculentius apparebit deinceps, ubi de singulis ejusmodi eruptionibus sermo habebitur.

Ratio febris explicatur.

Divisio altera in benigna, et maligna.

§. 5. Cum vero *malignum*, et *benignum* persæpe ad diversum morborum plerorumque ingenium, aut characterem significandum usurpari soleat, idque in exanthematicis quoque differentiam non levis momenti faciat, prætermitti haud potest altera exanthematum opportunissima divisio in

benigna, et *maligna*. Maligna ea videntur SAUVAGESIO (*a*), quæ sub exiguis primum pulsus, caloris, et urinæ mutationibus, quodammodo latenter decipiunt, deinde repente, et præter expectationem multo graviora sibi adsciscunt symptomata, quam quæ ex pulsuum magnitudine, ac vi metui ullo modo poterant. Sed hæc, ut libere dicam quod sentio, aliorum omnino morborum, qui maligni dicuntur, communia sunt. Distinguit porro idem doctissimus auctor a *malignis* ea, in quibus pulsus, et urina, et calor sanis similes deprehenduntur, ita ut ægri vix febricitare videantur, dum viribus tamen maxime languent. Hæc non *maligna*, sed *typhodia* vocare illi placuit. Ex *malignis* denique, vel *typhodibus* conficit tertium genus *Pestilentialium*, quæ nimirum epidemice grassantur, atque ita perniciosa sunt, ut majorem partem enecent ægrotantium. Monet præterea, *malignum* differre a *gravi* morbo, quod hic symptomata habet vehementiora, et per caussas mechanicas, perspicuas, intelligibilesque facile explicanda: dum contra malignus symptomata profert, quæ a caussis occultis, veneficis, putridis, gangrænosis, et colliquantibus proficiscantur.

De his Sauvagesii sententia.

Quæ maligna, quæ typhodia?

Pestilentialia?

(*a*) *Nosol. cl.* 3. *ord. I.*

§. 6. Nihil tamen, ut ego quidem arbitror, vetat, quo minus eruptiones, quas in *malignas*, et *typhodes* SAUVAGESIUS distinxit, uno *malignarum* nomine complectamur. Id enim a compluribus aliis factum est. Quid vero nobis *malignum* sit, quidque apud plerosque hodie obtineat, patefacere non prætermisimus, cum de Febribus dissereremus, eas malignas esse dicendas rati, *quæ insidiose, subdole, et sub specie benignitatis clanculum aggrediuntur, vires illico sine manifesta*

Quid sentiendum de Sauvagesii distinctionibus.

caussa prosternunt, nervorum in primis, et cordis actionem lædunt, et symptomata insolita, repugnantia, atque a morbis simplicis, et puri indole non parum aliena secum trahunt (*a*). Exemplis tum etiam illustrare rem tentavimus, ne quis a fucata benignitatis specie se falli sineret. Atque hæc quidem de malignitatis indiciis generatim intelligi debent, et speciatim ad febres proprie dictas videntur spectare. Et quanquam ipsa in morbos etiam exanthematicos cadere possint, et soleant, sic ut eorum malignitatem modo expositam, et communem indicent; sunt tamen quædam alia exanthematum veluti propria, et peculiaria, quibus præsentibus, aut absentibus exanthematicos morbos *benignos* aut *malignos* cum plerisque scriptoribus habendos, appellandosque ducimus, malignitatis vocabulo a communi illa significatione aliquantulum deflexo. Inter hæc autem primum locum sibi vindicat Febris, quæ exanthematum eruptionem antecedit. Hæc in benignis vel omnino deficit, vel, si ulla est, non admodum magna est, vel, quæcumque demum fuerit, statim ac eruptio facta est, minuitur, et mitescit quam maxime, quin imo ex toto desistentibus symptomatibus, quæ prius terrebant, cessat, desinitque. Contra in malignis, qualiscumque ea antea extiterit, nequaquam post eruptionem, ut in illis assolet, cum suis symptomatibus mitescit, finiturve; sed ultra progreditur, instatque; quin etiam, si prius mitis, et moderata fuit, gravius plerumque excandescit, et perniciosa symptomata uti delirium, anxietates, tremores, rigores, spasmos, convulsiones, virium vitalium defectionem, atque alia ejusmodi sibi adjungit.

Signa propria benignorum, et malignorum exanthematum.

Notæ præcipuæ ex febre.

(*a*) *Vol. I. §. LII. & in not. ibi adjectis.*

§. 7. Quod vero de virium subito lapsu, aut defectu, utpote malignitatis pathognomonico signo universim traditur; id etsi, ubi se exhibet, maximam considerationem mereatur, non tamen in omnibus malignis exanthematicis morbis perpetuo occurrit: nam sæpissime hos perniciosissimos, et brevi lethales demiratus sum in ægrotis, qui viribus animalibus ita valebant, ut sine ullo labore e lecto surgerent, starent, incederent, alvum stantes dejicerent, atque ut sani in lecto facile in utrumque latus se se revolverent. Hinc vix ullum constantius, et certius in exanthematicis morbis malignæ, ac perniciosæ naturæ indicium notavimus, quam febris ab exanthematum eruptione continuationem, aut vehementiorem excandescentiam. Hac igitur nota maligna exanthemata a benignis præcipue internoscenda volumus, nec valde repugnamus, si malignorum nomine omnes etiam ii ex morbis exanthematicis intelligantur, qui graves, et periculosi a SAUVAGESIO dicuntur, quique ab aliis maligni ratione symptomatum vulgo appellantur; nam hic malignitatem non stricte, sed laxius, et quodammodo ultra consuetudinem usurpari ut liceat, veniam petimus, et postulamus. Sed præter benigna, ac maligna exanthemata est quoddam tertium genus, quod neque omnino benignorum notas, nec malignorum omnes habet, sic ut ambigatur vehementer, an ad primum, an ad alterum spectet. Hoc *medium*, sive *mediæ naturæ*, quod inter utrumque medium sit, vocamus. De *Pestilentibus* vero, cum hac voce epidemica perniciosiora, et lethaliora a *Sauvagesio*, aliisque comprehendatur, nihil attinet commentari. Illud solummodo animadvertam, etiam sporadicis, quando summum malignitatis, et perniciei gradum attingunt, denominationem convenire posse, quem-

Animadversio de virium defectu ut signo.

Certius malignitatis signum.

Graves morbi etiam maligni.

Exanthemata inter benigna, et maligna mediæ.

Pestilentiæ, etiam sporadicæ interdum.

admodum a quibusdam adhibitam noverim, cum ad pestis quodammodo feritatem, velocitatemque exitii propius accedunt.

Exanthematum divisio in regularia, et irregularia.

§. 8. Tertia demum partitio exanthematum est in *regularia*, sive *ordinaria*, et in *irregularia*, sive *anomala*. Primi generis illa dicuntur, quæ febri breviori, et consueto tempore perduranti ordinate succedunt, et solitis, propriisque symptomatibus stipata sua stadia percurrunt: alterius vero, quæ non prodeunt, erumpuntque, nisi tardissime, videlicet post febrem longiorem, anomalam, et ultra consuetos limites durationis ad plures dies, aut etiam hebdomadas protractam, insolitisque symptomatibus comitantur. Irregulares hujusmodi, sive anomali exanthematum incessus cernuntur in quibusdam præsertim constitutionibus epidemicis; quanquam non prorsus absint quandoque a sporadicis, ut clinicorum observata testantur. Frequentius id accidit Morbillis, Variolis, et Morbo miliari, interdum etiam Purpuræ scarlatinæ, nonnullisque aliis exanthematum speciebus. Hactenus de præcipuis exanthematum differentiis. Restat, ut aliquid dicam de communibus eorum prænotionibus. Sunt enim quædam communia symptomata, ex quibus, antequam ad cutim se prodant, ipsa prævideri, et prænosci possunt, præter illa singulorum propria, quæ in cujusque historia tradentur. Multa a MORTONO (*a*) enumerantur, quæ in Variolis, Morbillis, et Purpura scarlatina ita crebro occurrunt, ut pro pathognomonicis horum affectuum signis reputanda ei videantur. Talia sunt *pulsus debilis, et rarus, respiratio admodum cita, et anhelosa, hypochondriorum oppressio, et angustia, urina pallida, et tenuis, vel saltem rubedine non multum tincta, aut contentis saturata, affectus cerebri comatosus,*

Signa communia exanthematum futurorum.

vel vigiliæ pertinaces, subsultus tendinum frequentes, nonnunquam spasmi manifesti, et deliria prorsus efferata, gravativa palpebrarum debilitas, oculorum rubedo, punctura dolorifica, ac lacrymæ involuntariæ, adeo ut æger oculos difficulter admodum aperiat, vel lumen aspiciat; in gutture dolor ulcerosus, raucedo clangosa, tussis perpetuo molesta, immanis, ac ferina. Verum hæc neque una, et simul, neque omnia semper convenire credas, neque omnibus æque exanthematicis morbis familiaria esse, ut communia vere dici possint, quin interdum deficiant. Quod probe animadvertendum velim.

(*a*) *Oper. T. 2. exercit. 3. cap. 3.*

§. 9. Omnium vero frequentissimum, et prope commune indicium non sine experientiæ suffragio ab Allenio prædicatur *ingens pectoris oppressio* cum anxietate, atque irrequie conjuncta, quæ tamen a peripneumonica pectoris angustia, et spirandi difficultate non parum dissentiat (*a*). Eam enim hoc potissimum distingui licet, quod non ita constans, æqualisque sit, ut in peripneumonia, sed subinde remittat, et quasi cesset, licet per intervalla resurgat, et sine manifesta caussa ingravescat, desinat vero cum reliquis fere symptomatibus, si morbus benignus fuerit, et purus facta exanthematum eruptione. Neque in illa exspiratus ore halitus calens esse percipitur, saltem non ita, ut in peripneumonicis, neque pulsus durus est, ut in inflammationibus esse consuevit, nisi forte cum inflammatione complicetur malum. Quare videtur valde probabile, pectoris istam oppressionem non aliunde derivandam esse, quam a convulsiva diaphragmatis, pulmonum, et musculorum thoracis affectione, aut epigastrii, hypochondriorumque irritatione, quam exanthema-

Signum communius ab Allenio prædicatum.

ticus fomes plus minus nervos, fibrasque musculares irritando procreat.

(*a*) *Synops. univ. med. P. I. Cap. I.* §. 219. *edit. Venet.* 1762.

Pulsus quinam? §. 10. Pulsuum quoque consideratio lucis non parum affundit. In plerisque enim arteriarum motus ita varius reperitur, ut non unus, idemque diversis temporibus exploratus appareat, sed modo frequens, modo rarior, modo elatus, modo humilis et depressus, modo inæqualis. Ex hac igitur pulsuum varietate et crebra mutatione ad latentem morbum prænoscendum eruitur maximum adjumentum. Eo etiam spectat utrumque Coma, vigil nempe, et somnolentum, utpote quod ab ipso initio in hisce morbis deesse non solet; itemque pervigilium, et quædam insolita, et præter consuetudinem invincibilis impotentia ad obdormiendum cum mentis aliqua confusione. Neque oblivisci nos oportet nauseæ, vomitus, et vomendi conatus, qui plerumque ante exanthematum eruptionem ægros angunt, atque ab omni cibo, et potu arcent, desituri, quam primum exanthemata prodierint. Quod si dorsi, artuumque dolor, et sensus quidam torporis, et contusionis fractionisque ad hæc accesserint; vox quodammodo tremat, manusque dum porriguntur, et moventur, trepidare videantur, multo clarius exanthematica morbi natura patefiet.

Crebra eorum mutatio, et varietas.

Coma, et Pervigilium.

Nausea et vomitio.

Alia signa exanthemat. futurorum.

Tempora, sive periodi §. 11. His igitur de morbi genere, differentiis, et signis in universum, et summatim expositis, pauca dicenda supersunt, quæ ad diversa tempora, quibus totum exanthematum curriculum distinguitur, atque ad eorum caussas, curationemque respiciunt, non minus, ut arbitror, quam superiora, observatu digna. Exordiar ergo a tem-

poribus, quæ tria in quolibet exanthematico morbo constitui, et notari solent. Primum est illud, quod eruptionem antecedit, et quodammodo ad eam præparat, habetque varia nomina. Aliis vocatur *prima periodus*; aliis *tempus separationis*; aliis *febris eruptionis*, aut *status febrilis*; et demum de Variolis si sermo sit, vel similibus contagionibus, a BOERHAAVIO *status contagii*, aut secundum nonnullos *apparatus* simpliciter dicitur. Sed quocunque modo nominetur hæc periodus, parvi refert, dummodo accipiatur, intelligaturque spatium illud, quod a primo febris ingressu incipit, et perdurat ad exanthematum usque eruptionem. Erumpentibus exanthematibus exorditur *altera periodus*, quæ nomine *eruptionis*, aut *efflorescentiæ* producitur eo usque, quo exanthema evanescere, aut resolvi conspicitur, succedente *tertia periodo*, cui exsiccatio, sive *desquamatio*, sive *resolutio* pro exanthematis diversa natura nomen est. In Variolis *tertia periodus* est illa, in qua pustulæ inflammantur, et suppurationem subeunt, ideoque istud stadium *inflammatorium*, aut *suppuratorium* quidam appellant. Hinc in his quartum locum sibi vindicat *exsiccatio*, sive *ultima periodus*. De singulis vero plura, et magis distincte in peculiari cujusque exanthematis descriptione.

Primum tempus, sive prima periodus.

Alterum tempus.

Tempus tertium.

Variolæ habent quatuor tempora, non tria.

§. 12. Ad causas quod attinet, multiplex earum genus esse videtur, aut saltem variabile non parum pro diversa exanthematum natura, et ægrotantium ætate, constitutione, temperie, victu, et regione; de quibus singillatim in sequentibus Capitibus. Id vero indubitatum, et perspectum existimo, aliquid acre (§. 4.) in hisce morbis vel intus genitum, vel extrinsecus receptum subesse, ingenio, vi, atque effectis varium in singulis.

Caussæ.

Varia sedes.

Re enim vera, quanquam in omnibus cutem, et velamenta corporis constanter appetat, tamen aliud magis unam sedem, aliud aliam occupat, et diversam unumquodque maculæ, aut pustulæ tumorisve figuram, molem, speciemque assequitur, ac retinet. Sic aliud vasa cutanea; aliud mucosum Malpighianum corpus; aliud cellulosa spatia, aut folliculos, aut glandulas aggreditur, aliud universam paullatim cutem; aliud peculiarem aliquam partem inflammat; aliud maculis diffusis, sejunctis, et discretis se exhibet; aliud confertim, aliud sparsim erumpit. Hoc minutas quasi ecchymoses efficit, illud pustulas tam colore, quam magnitudine, atque habitu sui prope generis profert; exiguas hoc phlegmones, aut vesicas, aut phlyctænas, aut tubercula certa ratione, et mensura format, et sic porro; quemadmodum propria cujusque natura, et sedes (§. 2.) tulerit.

Curandi ratio generatim.

§. 13. Quæ demum cuique exanthematum generi, singulisque eorum periodis (§. 11.) conveniat curatio, in universum decerni vix potest. Quædam tamen generalia præcepta nobis suppetunt, unde scire liceat, qua nos ratione gerere oporteat. In quavis exanthematum suspicione, si natura nec vehementius, nec languidius, quam opus est, ad separationem noxii, atque heterogenei principii incumbat, cunctari præstat, et quiescere ne ejus opus interturbetur. Sin contra, eam aut inhiberi excedentem, aut incitari torpentem convenit. Quod si vel vasorum plenitudo, vel cacochylia gastrica, vel alia quæcumque caussa incidat, quæ naturæ motibus obnitatur, aut eos deflectere cogat, protinus ars in auxilium properare debet. Peculiari etiam acritudini apta medicamenta præsto sint, ne ea exitium acceleret. Cavere item oportet ab omnibus iis, quæ eruptioni im-

pedimento sunt; aut jam factam reprimere possunt, ne metastases funestissimæ fiant. Hinc regimine utendum moderate diaphoretico tamdiu, donec omnis nocuus humor penitus exhalaverit. Quibus autem auxiliis hæc cuncta peragantur, quibusque cautionibus opus sit, speciatim docebo in his, quæ proxime sequuntur. Non satis autem animadvertere possum, calefacientia quæque, alexipharmaca, atque nimium acria, aut irritantia universim noxia esse.

CAPUT II.

DE ERYSIPELATE (*).

§. 14. De Erysipelate jam alibi, cum ejus affinitatem cum phlegmone generatim, breviterque ostenderem (*a*), verba feci. A phlegmone enim vera ita discrepat, ut potius phlogosis, sive quoddam inflammationis spurium genus (*b*) dici debeat. Hic, quoniam ad morbos exanthematicos febriles pertinet, paullo uberius de eo disserendum nobis est, jure prope nostro utentibus, cum id mali probe noscere, et curare medicorum non minus intersit, quam variolas, morbillos, et miliaria. In quo differat a vera phlegmone.

(*) SYNONYMA.
Rosa SENNERTI, *de febrib. l. 2. c. 15. Febris erysipelatosa* SYDENHAMII *p.* 174. HAENII *Febr. Div. VI. Febris erysipelacea* HOFFMANN, *Med. System. T. IV. P. I. Cap. XIII.*

(*a*) *Comment. de Inflammat. §. IX.*

(*b*) PLATNER *Inst. Chirurg. §. 156.*, & CALLISSEN *Instit. Chirurg. mod. §. CCXVI.*

§. 15. Hoc igitur nomine (§. 14.) designatur rubor quidam, plerumque e roseo albicans; rarius e Erysipelatis descriptio.

purpureo, aut livido flavescens; aliquando ex rubro nigricans, qui in hac, vel illa corporis parte cutim summam subito occupat, aliquantulum eam attollens, sed tamen æqualis, et planus; lateqne sine ulla spatii, aut figuræ circumscriptione sese diffundit, et quodammodo serpit, ut plurimum pruritu atque ardore magis, quam dolore ingenti molestus. Id autem peculiare, et proprium est, ut, si digitis comprimatur, ibi candicet, albidumque vestigium recipiat, sed mox, remota pressione, pristinum colorem, splendoremque recuperet.

Differentiæ. Verum. Erysipelas spurium. §. 16. *Verum et legitimum* Erysipelas est, quando omnes notas habet, quas modo memoravi. Contra, cum ab his deflectit, *spurium sive nothum* audit. Multimodis autem a vero, legitimoque recedit, sed speciatim tum, cum in eo cutis valde tumet, et tenditur, atque ita rubet, ut pressa non albicet, vel tumor altius se dimittit, partesque sub cute positas comprehendit; aut cum mollis is est, serosumque humorem continere videtur, unde etiam minus rubeat, minusque renitatur, et facile foveas impressas retineat. Quod binis prioribus modis fit, *phlegmonodes* vocari solet; quod postrema ratione, *œdematodes* (*a*). His additur *scirrhodes*, quod scilicet scirrhi duritiam exhibeat. Verum id improprie sic appellatur; nam a scirrho vel longissime abest, vel scirrho tantum superveniens hanc denominationem obtinet; nisi *scirrhodes* cum *Platnero* (*a*) vocemus illud, quod duritiam majorem reliquis habeat.

Phlegmonodes. Oedematodes. Scyrrhodes.

(*a*) *L. c.* §. 158.

Fixum. Ambulans. §. 17. Quod si rubor iste (§. 15.) eumdem semper teneat locum, nec in alium migret, *fixum* Erysipelas; *ambulans* vero dicitur, cum ab

una ad aliam partem huc illuc vagatur. *Simplex* quoque Chirurgi illud nominant, quod nullo gravi, aut periculoso symptomate stipatur; *complicatum*, quod contrario se modo habet, uti quando alicubi livet, nigrescit, et gangræna corripitur, unde *carbunculosum*, et *gangrænosum* etiam nuncupatur: quamquam prius illud rectius *benignum*, hoc vero *malignum* dicerent. Sunt etiam nonnulli, qui *lævigatum*, atque *æquale* inter ejus differentias ponant, cum videlicet pustulis, aut vesiculis caret: et contra *tuberculosum*; *scabrum*; *pustulosum*, sive *miliare*; *vesiculare*, sive *bullosum*, cum tuberculis, pustulis, bullis, sive ampullis vesicularibus deturpatur. Verum hujusmodi differentiæ prope inutiles, et supervacuæ videntur iis, qui Erysipelas distinguunt in *benignum* sive *simplex*, atque in *malignum*, sive *complicatum*; vel tantummodo ad diversa ejus tempora, et varios ejus gradus denotandos accommodatæ reputantur.

Simplex. Complicatum. Carbunculosum et gangrænosum. Lævigatum. Inæquale. Benignum et Malignum.

§. 18. Nam pro varia temporum, quæ percurrit, ratione, diversa quoque est ejus facies. *Initio* plerumque modice rubet, exiguum occupat locum, ac levi cum tensione, pruritu, et dolore conjungitur. In *augmento* manifestius increscit, latius propagatur, et majore simul calore, tensione, doloreque discruciat. In *statu* omnia hæc persistunt: et cutis exiguis tuberculis, aut bullulis persæpe exasperatur, atque inæqualis evadit. In *decremento* demum rubor evanescit, cutis subsidit, et relaxatur, sicque malum epidermide resiccata, et frustulatim secedente resolvi consuevit; aut contra suppuratione, aut gangræna finitur (*a*): quamquam rarissimum est, Erysipelas in suppurationem desinere, nisi *phlegmonodes* ipsum extiterit. Quando vero gangræna ei supervenit,

Varia Erysipelatis stadia.

sæpissime celerior erysipelatis cursus est, et plerumque aliqua cacochymia eam promovet. Discusso autem morbo, interdum ejus sedes tumore quodam aquoso, albo, et molli ob atoniam relictam laborat, idque præsertim evenit, ubi erysipelas *œdematodes* fuerit; aut cutis, non perfecte discussa congestione, induratur, rigescitque, qui quartus est finis, quem, etsi rarissime, consequitur malum.

(*a*) Astruc *Tract. de tumor. l. 2. cap.* 1.

Alia utilior divisio.

§. 19. Longe vero utilior, commodiorque videtur Erysipelatis divisio in *Protopathicum*, *Fortuitum*, ac *Symptomaticum*; utpote quæ ejus non modo originem, naturamque distinguit, verum etiam ad rectam curandi rationem plurimum facit. *Protopathicum*, sive *primarium*, quod alii *idiopathicum*, sive *essentiale* vocant, sponte, et sine ullo morbo præcedente erumpit, caussamque peculiarem interius genitam, atque humoribus insidentem agnoscit. *Fortuitum*, sive aliis *Accidentale*, illud definiunt, quod non ab interiore sanguinis labe, aut depravato aliquo humore, sed a manifesta, atque exteriore caussa progignitur, vel potius movetur; uti a solis ardore, a nimio frigore, ambustione, acribus applicitis, punctura, cutis laceratione, etc. quanquam, ut libere dicam, non alienum a ratione arbitror, in his quoque casibus aliquid plerumque subesse, quod cum caussa proegumena similitudinem habeat. Demum ab alio morbo pendet *Symptomaticum*, veluti quando vulneribus, membris luxatis, aut fractis, ulceribus, febribus acutis, anginæ malignæ, scorbuto, hydropi, œdematibus supervenit (*).

(*) Ad hoc genus a Callissenio (*Instit. Chirurgiœ Modern. p.* 72. referri video erysipelas *phlegmonodes*, *œdematodes*, *scirrhodes*, *herpeticum*, atque

alia, quæ ad *spurium* ab aliis, ut supra (§. 16.) tradidimus, ablegantur. Has ipsas species, quas alii ad *Spurium*, & Callissenius ad *Symptomaticum Erysipelas* revocant, Gorterius (*Chirurg. Repurgat. lib. X. Cap. IV. §. 1412.*) ad *Erysipelas compositum* redigendas existimat, quia ex duplici, aut etiam multiplici morbo coalescunt.

§. 20. Erysipelas, pro diversa ejus ratione, febris ipsa vel antecedit, vel comitatur, vel subsequitur (*a*), uti quotidie experientia comprobatur. Interdum etiam accidit, ut ab eo, quando erysipelas levissimum est, quale plerumque fortuitum esse consuevit, penitus absit (*b*). *Protopathicum* ea fere semper antecedit: sæpius comitatur, aut subsequitur *symptomaticum*, *fortuitumque*, si paullo gravius naturam lacessant. Ubi autem ejus eruptionem prænuntiat, fere in hunc modum exorditur, et progreditur: primum nec cogitantem frigus, horror, rigorque vehemens repente corripit, corpusque universum quatit ad horas aliquot cum pulsu exiguo, frequenti, contracto, lassitudine, virium lapsu, pondere permolesto circa cordis scrobiculum, gastrodynia, nausea, vomituritione, immo vomitu non modo ingestorum, sed etiam bilis flavæ; interdum vero sine vomitu. Paullatim tremor, et rigor conquiescit; frigori ingens calor succedit, pallori faciei rubor, sitis intensa, anxietas, spirandi difficultas, anhelitus, magna in somnum proclivitas cum pulsu elatiore, sæpe magno, vehementi, duro, crebro, mentis perturbatione, interdum delirio, et linguæ tarditate, qualis in ejus imperfecta paralysi deprehenditur. Febris sic trahitur, aut semper increscens, *epacmasticæ* instar, aut *homotonæ*, sive *acmosticæ* similis eumdem gradum servans, aut novis subinde accessionibus invalescens, donec Erysipelas omnino eruperit. Erumpit autem mox

Qualis febris in eo sit?

Quæ antecedant eruptionem.

prima die ad finem vergente, aut quod frequentius incidit, altera. Quandoque ineunte ipsa febri se exhibere incipit; alias tertia, aut quarta tantummodo die (*), quod quidem rarius est, sese prodit in aliqua corporis parte, quæ sæpe aliquantulum dolet prius, et ruboris cujusdam lucidi specie signatur; qui rubor præsertim ubi in faciem irrupturum Erysipelas sit, circa nasum, LE ROY observante (c), apparet.

(a) HIPPOCRAT. *l.* 3. *Epidem.* & GALEN. *Comment.* 3. *in eumd. n.* 27. *p.* 364. *in edit. in* 12. Ubi verba Hippocratis hæc sunt : *Multis autem in febribus, & ante febrem, & a febre* (Erysipelata) *contigerunt*.

(*) Cl. SWIETENIUS §. 593. in BOERHAAV. narrat se vidisse *in muliere quinta febris die in brachio erysipelas natum &c.* Mihi quoque non semel contigit observare tardiorem hujusmodi erysipelatis eruptionem in cruribus.

(b) MEZA *Compend. medic. Pract. fascic. I. Cap. XVII.* §. 156. ubi sic inquit : *Nonnunquam Erysipelas absque ulla febri oritur &c.* Id etiam testatur RICHA, *Const. epid. Taur. alter.* §. 8.

(c) *Melang. p.* 64.

§. 21. Itaque simul ac rubor cutim occupat, si mitius malum futurum sit; febris quoque incipit nonnihil defervescere, sensimque, prout erysipelas extrorsum propellitur, minuitur, atque evanescit, et una simul sopor, delirium, vomitus, et reliqua symptomata decedunt. Si vero majus vitium intus lateat, aut non tota ejus vis in cutem se effuderit, post levem, brevemque remissionem febris recrudescit, et nova materie ad cutim propulsa iterum mitescit, solviturque, sudore interea manante, atque urina crassa, et subsidente (a) emissa. Rarissimum enim est, febrim ultra perfectam erysipelatis eruptionem produci, nisi *phlegmonodes*, aut *malignum*, et *gan-*

Quando et cur febris protrahitur.

grænosum sit. In priore casu cum tumor altius insideat, et compressione non albicet, congestoque sanguine durior renitatur, vix tum sperari potest, ut resolvatur; ideoque reliquum est, ut inflammatione protracta, atque in abscessum lente abeunte, febris, uti symptoma, protrahi debeat. In altero vero, gangræna orta, noxioque tabo in sanguinem remeante, nil mirum, si febris non desinat, nisi vitæ viribus exsolutis. Ceterum ubi regulariter febris evanuerit, rubor, et dolor partis affectæ remanet, sed paulatim subsidit, et discutitur, donec septimo tandem, aut nono die, omnino delitescat, secedente postea furfuris et lamellarum in modum ipsa epidermide. In ea Erysipelatum epidemica constitutione, quam anno 1721. Taurini vidit CAROLUS RICHA (*b*), sæpe facile aut quavis alia parte, cui erysipelas insederat, detumescente, conturbabatur alvus, qua leniter fluente intra paucissimos dies integre morbus solvebatur. Non paucis inter initia sanguis e naribus erumpens salutem attulit. Hæmorrhagiam vero antecedebant hypochondria dura, tumida, dolentia, intensior capitis dolor, aut rubor oculorum, aut aurium tinnitus.

Signum futuræ suppurationis, aut gangrænæ finis. Erysipelatis finis.

(*a*) PLATNER *l. c.* §. 157.
(*b*) *Constit. epid. Taurin. altera* §. 8.

§. 22. Quælibet fere corporis pars Erysipelati patet, sed præ cæteris caput, collum, brachia, et crura eidem, præsertim protopathico obnoxia sunt. Ubi caput malum impetit, sæpe frontem, palpebras, nasum, faciem, capillitium, collumque circuit, et peragrat; vehementerque dolent, et lancinantur partes, quæ eo afficiuntur. Immo quandoque enormiter intumescunt ita, ut profundior tunc morbi sedes videatur, et cutis ipsa pustulis, vesiculisque inæqualiter exasperatur. Si ab

Capitis erysipelas.

alterutra aure incipiat, primum proxima loca discruciat, deinde serpit ad reliqua; cumque ad palpebras pervenerit, ita hæ tumore quodam œdematode inflantur ut oculi vix, ac ne vix quidem detegi queant. Quandoque, dum priorem locum jam deserere videtur, novo veluti facto impetu in capillatam capitis partem inopinato irruit. Sæpe id malum certis anni temporibus fere epidemice vagatur, quod jam HIPPOCRATES observavit (*a*). Quocunque autem consederit, eadem prope symptomata, quæ supra recensui, infert, eodemque modo increscit, minuitur, et decedit. Discrimen si quod est, totum in majore, vel minore functionum, quæ cujusque partis laborantis propriæ sunt, læsione versatur. Illud etiam memoria probe tenendum est, quod crebris ex observationibus constitit, si erysipelas artubus inferioribus incubiturum sit, inguinis, et femoris glandulas conglobatas, vasis cruralibus adsitas, antequam se exserat, leviter dolere, atque intumescere consuevisse; axillares vero, ac cervicales, si brachiis aut superioribus locis immineat (*).

(*a*) *Lib. 3. epid. text.* 29. ubi sic: *Vere autem valde multis contigerunt erysipelata, permanebantque & per æstatem, & sub autumnum.*

(*) Notum, perspectumque omnibus esse puto, cutis dolori, lacerationi, excoriationi, rubori, inflammationi, ulceribus, pustulis, aliisque cutaneis morbis sæpenumero supervenire tumores glandularum lymphaticarum, quæ membro affecto, & laboranti respondent, superiusque positæ sunt. Qui venarum limphaticarum initium, & progressum noscunt, pene omnes sibi persuadent, puris, ichoris, aut alius noxii humoris aliquid a venis lymphaticis absorberi, deferrique ad glandulas conglobatas, ad quas progrediuntur, indeque has tumere ac dolere. Recte hi quidem. Sed ubi glandulæ prius tument, ac dolent, quam humor ullus ab aliqua parte suppeditari possit, undenam earum tumorem, dolorem-

que deduxeris? An aliquid per arterias ad glandulas, antequam in cutem pellatur, defertur, quo ipsæ intumescant? An sola nervorum, & lymphaticorum vasorum irritatio sufficiat? Vasa revera lymphatica irritabilia ita sunt, ut sola irritatione, teste Hewsonio (*Descript. system. lymphat. Traject. ad Rhen.* 1783.) rubeant, inflammentur, & chordæ instar tendantur.

§. 23. Summam autem cutim Erysipelatis sedem esse, omninn convenit inter auctores cum veteres, tum neotericos. Idque comprobari ajunt. 1. Quod manibus contrectata cutis, atque a subjecta pinguedine divulsa totum morbum contineгe deprehenditur, nec ulla alia particula tumere, dolere, aut reniti invenitur; de legitimo, et simplici erysipelate si sermo sit. 2. Quod, ubi gangræna supervenit, solam cutis superficiem ipsa tenet, nec altius, saltem inter initia, descendit. 3. Quod robur compressione evanescit (*a*). Quænam vero cutis pars potissimum afficiatur, non æque planum est omnibus. Alii enim extimæ cutis vascula rubris minora, cruori impervia, alii minimas fistulas, per quas tenuissimus halitus, vapor, aut sudor effertur, alii glandulas, sive folliculos sebaceos, alii *reticulum malpighianum*, et sic porro, magis laborare opinantur (*b*). At vix statui potest morbi sedes in una ex hisce partibus, quin simul aliæ consentiant. Tanta profecto est earum omnium connexio, et complicatio. Itaque qui dixerit et vasa rubra, et alba, et textum cellulosum cutis, et corpus reticulare, sive, ut hodie vocant, mucosum, affici, non valde a vero aberrabit. Qui enim fieri potest, ut pressione rubor facile evanescat, locum sæpe mutet, phlyctenas excitet, aut œdematis speciem referat, nisi cellulosus textus, corpusque mucosum, quod cutim cum epidermide nectit, occuparentur?

(a) ASTRUC. l. 3.

(b) CALLISEN. l. c. p. 71. PLATN. §. 160. ASTRUC l. c. GORTER. L. c. §. 1423.

Caussa ejus proxima.

§. 24. Color porro dilute roseus, et flavescens, fugax, vagus; pruritus; calor acer; dolor pungens magis, quam pulsans; facilis de uno loco ad alium transitus; vesicularum, quales ignis parit, excitatio; sanguis e vena missus, rutilans, spumidus, vix cohærens, quæ omnia in legitimo, et primario erysipelate observari solent, satis, ni fallor, evincunt, ejus caussam proximam esse *phlogosim*, quam procreat humor quidam tenuis, calidus, acerque, biliosæ sanguinis parti a veteribus dictæ quam simillimus, intus utcunque genitus, et primum nervosum genus, deinde cor, arteriasque repente percellens, a reliquis paullatim liquoribus, motu febrili oborto, secedens, atque ad cutim alicubi propulsus, aut in ea primario etiam defixus, et locum, in quo sistitur, vel latebat, peculiariter irritans, atque inflammans. Et talem eum reapse esse etiam ex hoc cl. PLATNERUS (a) colligit, quod nunquam ipse, ut sanguis in vera inflammatione, coquitur, nec in pus bonæ notæ vertitur, sed, nisi diffletur, in saniem potius mutatur, quæ cutim rodat, et mala ulcera inurat.

Qualis humor morbum faciat?

(a) *L. c.* §. 160. Item GORTER. *Chirurg. lib. X. cap. IV.* §§. 1429. 1431.

§. 25. Quod si humor iste cum sero sanguinis uberiore, aut cum cruoris magna vi congeratur, erysipelas non simplex, et legitimum exsurget, sed *œdematodes*, aut *phlegmonodes*. Nec a *Scirrhode* quod vocant, distabit, si iners, ac lenta quædam materia cellulas, et minima vascula oppleat, ut cutis aliquanto manifestius rigescat.

Cum vero acritas humoris ad eum gradum pervenerit, ut sensus nervos, irritabilitate vascula, et fibras exuat, et quasi quadam venenata potestate destruat, erysipelas habebis *malignum*, et *gangrænosum*. Id alii repetunt a tali humoris congestione, ut omnis circuitus vitalis in loco affecto tollatur; quod interdum etiam ex hac caussa nasci posse non negaverim.

§. 26. Plurima autem genera caussarum existunt, quæ humorem illum (§. 13.) aut præparant, aut gignunt, aut excitant, inque motum adigunt, aut extrorsum avocant, aut alicubi defigunt, aut ejus evolutioni occasionem suppeditant. Hæ vero etiam remotæ dicuntur, sive antecedentes, et partim corpori ipsi insident, et partim extrinsecus eidem adveniunt. Præcipuæ earum censentur temperamentum sanguineum, aut cholericum; habitus obesus, aut contra cachecticus; cacochymia; acritates variæ, præsertim oleosa, pinguis, et rancida, tam sola, quam cum aliis recrementis omnium corporis succorum copulata (*a*); cacochylia primarum viarum, in primis biliosa; bilis ipsa exuberans, aut commota (*b*); mensium; hæmorrhoidum, ichoris cujusque manare soliti, expirationisve cutaneæ suppressio; metastases; scorbutus; hydrops; œdemata crurum; scirrhi; cancer; ulcera; acria ingesta, aut applicita; spirituum vinosorum abusus; immoderatæ exercitationes adipem solventes, atque acritudinem in humoribus exaltantes; fricationes asperæ; ignis, vel solis ardor; irritatio fibrarum cutis quæcunque tum a caussa interiori, uti a lympha acri, tum e causa exteriori, uti a compressione vehementi, aut punctione; luxationes, vulnera; epispastica; insectorum morsus; applicatio frigidi, aut calentis corporis (*c*); animi

Caussæ remotiores.

graviores commotiones, et præsertim ira, et terror (*d*), ex quibus erysipelas non solum movetur, verum etiam subinde redit, et quasi periodice recurrit, *periodicumque* tunc nominatur.

(*a*) Platner *l. c.* §. 160.
(*b*) Van-Swiet, *comm.* §. 723.
(*c*) Nicolas *Manuel du Jeun. Chirurg. p.* 343.
(*d*) Platner. *L. c.* §. 159. Callisen. *L. c. p.* 72.

PROGNOSIS.

§. 27. Erysipelas leve malum, nulliusque momenti a quibusdam creditur; sit quamquam sæpe innocuum, et salutare sit, felicemque exitum sortiatur, non tamen semper periculo vacat, nec contemnendum plane est. Immo Hoffmannus (*a*) non dubitat illud in multis symptomatibus, ac perniciosa natura cum pestilenti ipsa febre comparare. Simplex, benignum, fixum, item fortuitum, sive *accidentale*, et quandoque symptomaticum minus discriminis habet, quam complicatum, compositum, malignum, ambulans, et primarium. Quod caput, faciem, palpebras, aut collum infestat, id apud plerosque male audit (*b*); nam prius illud gravius plerumque est, cerebrumque ipsum quandoque afficit: posterius vero hoc sic venas jugulares, laryngemque urget, et quasi injecto vinculo cohibet, ut sanguinis e capite reditus, spiritusve intercipiatur. Eoque majus periculum imminet, si a caussa interiori originem ducat, nec intra septem, aut octo dies resolvatur: nam tum suppuratio timenda est, aut etiam gangræna; quam postremam appropinquare indicant doloris, et ruboris repentina cessatio, et phlyctenæ in summa cute exortæ (*c*).

(*a*) *Med. Syst. Tom. IV. Sec.* 1. *cap. XIII.*
(*b*) Platn. *l. c.* §. 161. (*c*) *Nicolas l. c. p.* 344.

§. 28. Ab aliorum tamen fere omnium sententia dissentire non dubitat Le Roy. Is enim experientia confisus sua, faciei erysipelas benignum, et salutare omnino esse prædicat, atque in criseos bonæ modum procedere, intraque tres, aut quatuor dies tantum ad summum apicem pervenire; plena vero facta eruptione febrim, et cuncta reliqua symptomata minui mirifice, et quandoque penitus cessare; hincque paullatim ruborem, et tumorem discuti, ac postremo epidermidem desquamari, et decidere (*a*). Contra non æque innoxium, et criticum idem vir celeberrimus habet illud, quod crura aggreditur cum febre acuta, quodque senibus, aut cacochymicis supervenit, utpote in gangrænas sæpe, aut abscessus periculosos facile desinens. Etsi vero res sæpius se habeat, ut Le Roy exposuit, aliquando tamen hoc idem faciei erysipelas in gangrænam transire posse videtur, cum Sydenhamius (*b*) testetur, huic malo fini obnoxium esse quodcunque erysipelas, cuicunque parti insederit. Le Roy sententia.

(*a*) *Melang. de Physiq. & de Med. p.* 164.
(*b*) *Sect. VI. cap. VI. p.* 322.

§. 29. Generatim quod cum mala, perniciosaque febri oritur, aut malignum est, aut phlegmonis naturam attingit, aut aliis morbis mali moris accedit, non caret periculo, quia plerumque gangræna, aut abscessu terminatur. *Ab erysipelate autem putredo, aut suppuratio*, inquit Hippocrates (*a*), *malum*. Item si erysipelas introverti contingat, ut non raro fit, phrenitides, aut peripneumoniæ lethales, aliique periculosi morbi consequuntur. Quod idem Hippocrates jam cognovit, nam scripsit: *erysipelas ab exterioribus verti ad interiora, non est bonum, ab interioribus vero ad exteriora*, bonum (*b*). At mul- Prognostica Hyppocratica.

to clarius loquutus est Auctor Coacarum (*c*) in hunc modum, *Erysipelas foris quidem extare, utile; intro autem vergere, lethale. Cujus quidem rei indicium est, cum, rubore evanescente, pectus gravatur, et ægrius spiritum trahit æger.*

(*a*) *Sect. VII. aph.* 20. (*b*) *Sect. VI. aph.* 25.
(*c*) *N.* 366.

§. 30. Attamen non semper Erysipelas intro versum exitium affert, si SVVIETENIO (*a*) fides habeatur; quanquam SYDENHAMII observatio, quam ibi adducit, verum erysipelas non exhibeat, nec proprie ad ejus introversionem spectare videatur. Verum, etsi interdum fieri possit, ut erysipelas recedens, aut repercussum a viribus vitæ subigatur, aut iterum extrorsum amandetur; hujusmodi tamen metastasis prudentem medicum terrere, ejusque solertiam excitare debet, ne securum nimis, incautumque inexpectata ægri pernicies demum percellat. Evenit etiam interdum, ut febris, quæ erysipelatis eruptionem molitur, aliquamdiu trahatur, quin tamen suo fine potiri possit. Tunc materia erysipelatodes in cerebrum, vel in pulmones delata aliud morbi genus efficit, eo perniciosius, quo interior nobiliorque est pars, quæ ab ea repente corripitur.

Metastasis erysipelatis.

(*a*) *L. c.*

CURATIO.

§. 31. Ad curationem quod attinet, hæc pro varia erysipelatis origine, ac natura, et pro vario ejus gradu differre etiam debet. In legitimo primario, et febrim subsequente, cum Natura motu febrili, ut recte existimant HOFFMANNUS (*a*), PLATNERUS (*b*), LE ROY (*c*), JAUBERTUS (*d*) aliique expertissimi scriptores, a pravo, et noxio

peculiari quodam humore se liberare nitatur, totaque ad eum versus cutim propellendum incumbat; consequens est, ut Medicus Naturæ minister eodem curam omnem intendat, pro viribus cavens, ne motus, conatusque iste nimium excedat aut deficiat, nam utroque modo posset effectu suo carere. Quærat igitur, num sanguinis missio, quæ primum artis præsidium in curationibus præstare solet, locum ullum habeat. Non levis vero hac de re dissensio occurrit inter Auctores. Alii, quibus nempe erysipelas pro vera inflammatione habetur, phlebotomiam non modo approbant, sed etiam pluries repetendam jubent; inter quos ASTRUCIUS (*e*) agmen ducit, utpote qui ad erysipelas primarium resolvendum quinquies, vel sexies primis morbi diebus venam incidi velit; nec minus in sanguine mittendo liberalius esset ad secundarium, sive symptomaticum discutiendum, nisi id jam præstitum fuisse principis morbi caussa cogitaret. Alii contra, qui videlicet a phlegmone erysipelas segregant putantque in eo summam sanguinis tenuitatem adesse, a principio quodam acri, ac solvente profectam, uti noxiam venæsectionem rejiciunt (*f*), vel certe parcius instituendam esse, si unquam, præcipiunt.

De venæsectione dissidium.

(*a*) *L. c.* (*b*) *L. c.* (*c*) *L. c.*
(*d*) *Mem. de la Societè Royal. de Médec. Année* 1776. *p.* 529.
(*e*) *De Tumor. l.* 2. *cap.* 1. *p.* 69. *edit. Ven.*
(*f*) GORTHER *chirurg. repurgat. lib. X. Cap. IV.* §. 1443.

§. 32. Verum, dum sic in utramque partem disceptant, dicam libere, qua via incedendum mihi videatur. Itaque si febris vehementius excandescat, si plethora corpus gravetur, naturæque conatibus impedimento sit; si æger temperamento

Quando vena secanda.

sanguineo donetur; si pulsus magni, validi, duri deprehendantur; si dolor capitis, aut spirandi difficultas discruciet, continuo post sedatum horrorem, rigoremve febrilem, exsertumque calorem, et antequam erysipelas appareat, aut ex toto prodierit, per venæsectionem naturæ laboranti succurrere oportet: ut moderata aliquantulum febris vi, et relaxato sanguinis nexu, reseratisque meatibus, facilius acer humor erysipelatodes se se expediat, exteriusque feratur.

Quando iteranda sanguinis missio.

§. 33. Immo si, post emissum sanguinem, symptomata adhuc urgere pergant, atque erysipelatis eruptio cunctetur, quod sæpe contingit, repetendum id auxilii genus est, præsertim ubi sanguis primo detractus lentorem phlogisticum ostenderit. Quod etiam non prætermittendum est, cum erysipelas caput, faciem, aut collum jam occupaverit, si antea vena secta satis non fuerit; aut cum ejus generis sit, quod propius ad phlegmonem accedit, neque post ejus eruptionem febris, et reliqua symptomata se se remiserint; nam tum, ut vera inflammatio, prudenter curandum est.

Quando omitti debeat.

§. 34. Contra ubi vasorum plenitudo deficit, temperamentum, habitusque corporis adversatur, febris mitior est, nullisque gravibus comitatur symptomatibus, aut vires vitæ languent cum pulsibus nec magnis, nec validis, aut cuncta, erysipelate jam prodeunte, placidius procedunt, aut erysipelas, legitimum, aut fortuitum, sive *accidentale*, aut *œdematodes* est, aut summopere *malignum*, *carbunculosum*, aut *necroticum* prævidetur, aut morbis malignis, et putridis, aut scorbuto confirmato, cachexiæ, hydropi adjungitur; sanguinis missio omitti potest, ut minime necessaria, aut etiam vitari debet, ut perniciosa, et noxia.

§. 35. Magni etiam refert sanguinis e vena missi diathesim diligenter inspicere. Nam si floridus, tenuis, biliosus, et solutus deprehendatur, parcius: si vero contrario se modo habeat, liberalius eum detrahi licet. Si etiam ex iis, quæ præcesserunt, conjiciatur, acrimoniam plus, quam boni sanguinis copiam prævalere, si rubor, et calor non magnus sit, si *fugax*, atque *ambulans* erysipelas videatur, si urinæ tenues, crudæ, aquosæ, aut croceæ, et minime subsidentes excernantur, si pulsus inæqualiter saliant, irritati quidem, at non pleni, et fortes; cautissime se gerere oportet Medicum in sanguinis missione sive decernenda, sive celebranda, ne scilicet mali caussam deteriorem efficiat, aut criticis moliminibus noceat, aut metastasi ad interiora occasionem præbeat.

Sanguinis missi diathesis consideranda, ne in eo mittendo peccetur.

§. 36. In ipso præterea morbi ingressu diligenter disquirere debet, an primæ viæ sordibus, præsertim biliosis scateant, atque alvus respondeat, nec ne; ut illæ cito evacuari pro re nata possint, hæc vero moliri, et laxari. Astrucius (*a*) emetica, et cathartica suadet, præcipue in eo erysipelate, quod caput, et faciem teneat. Emetica quoque utilia prædicat Le Roy, quando nausea, et vomitus biliosus inter initia ægrotantem exagitent (*b*). Sed in magno spasmorum conflictu, etsi colluvies bilaris, et cacochylia putrida turgeat, præstabit vomitum potu aqueo, tepido, et mellito promovere, quam projicere acri medicamento, quod summopere noxium in primis esset, si ira (*c*) caussam procatarcticam malo præbuisset; alvum vero satius erit enematibus lenire, quam catharticis proritare. Quod si tamen saburra intestinalis poscere videatur medicamentum aliquod, quo ea validius deturbetur; tunc post

Quomodo et quando purgandum.

sectam jam venam alvus ducenda est decocto Tamarindorum, aut Cremore Tartari, aut sale quopiam neutro magna aquæ copia diluto, aut simili blandiore Eccoprotico, et quidem antea quam Erysipelas foras proruperit. Nam propulso jam ad cutim erysipelate, cautissime alvus laxetur, et tunc solum, cum putridæ, et bilaris saburræ signa non desint, aut depravati humoris quantitas morbum plus justo protrahere videatur, aut revellendi a capite, quando id graviter afficitur, aut intumescit, necessitas citam opem postulet, nec satis sanguinis missione confidere quis possit. Alias metuendum esset, ne alvi ductio temere instituta opus naturæ perverteret, aut intro erysipelas ipsum revocaret. Hoc vero resolvi incepto, atque ad finem properante audentius licebit alvum movere, et reliquum morbificæ materiæ epicratice, et leniter hac via expurgare.

(*a*) *L. c.* (*b*) *L. c.* (*c*) HOFFMANN *Dissert. de Medicina Emetica, & purgante post iram veneno. Oper. T. VI. p.* 291.

Quibus sustineri eruptio debeat.

§. 37. Humoris vero noxii, quem Natura expellit, separatio, atque excretio adjuvari etiam debet quiete in lectulo, potu aqueo largiori, attemperante, et leniter diaphoretico; cui, ubi calor, et motus circularis, aut intestinus excedit, nitrum, aut succus mali citrei, aut medici cum pauxillo sacchari adjici potest, aut aceti aliquid cum melle, quod pauperibus facilius, commodiusque est, Decoctum hordei diluit, et temperat egregie, dilutum florum sambuci, aut tiliæ blandissime resolvit, et diaphoresim promovet, præsertim si tepide sorbillentur. Ubi erysipelas, calor, et febris se se remittunt, et sudor manare incipit, curandum est, ut is se per totum corpus diffundat, quod præstat sorbitio ca-

lida, quies, et stragulorum prudens additio. Quorum actio sustinenda est victu tenui, humectante, et refrigerante.

§. 38. Extrinsecus multa proponunt admovenda scriptores, in primis Chirurgi; sed pleraque, si non noxia, certe supervacanea mihi videntur. Plerumque sufficit locum a frigore, aut attactu aeris arcere; itemque ab actu nimium calidis. Sic paullatim humor resolvitur, et per cutis meatus expiratur. Si pars acerbius doleat, tendatur, et nimium caleat, aut arescat, ea fovenda est linteis ex aqua spermatis ranarum repente, aut decocto florum sambuci, et malvæ expressis, et subinde, ubi frigent, aut resiccantur, renovatis. Si demulcere magis opus sit, aliquid lactis recentis decocto utiliter admisceri potest. Si rubor, atque ardor intensius urgeant, præsertim cum malum diutius trahitur, difficiliusque discutitur, lactis loco aliquid optimi aceti additur, quod æstum refrænat, potentiusque resolvit. Quod si nihilominus erysipelas die septimo, octavo, nono, aut decimo non minuitur, metumque incutit, ne pars affecta ob nimiam cutis plenitudinem, et distensionem emoriatur, incisionibus crebris pertundendam nonnulli præcipiunt; quod multo magis fieri conveniet, si color ejus ad purpureum, aut lividum vergere jam inceperit.

Quæ topica conveniant.

Quando incisionibus uti liceat.

§. 39. In Erysipelate phlegmonode, si frustra tentata fuerint ea, quæ ad resolvendum valent, nec quidquam sanguinis missiones iteratæ, aut alvi ductiones, et reliqua profuerint, reliquum est, ut suppuratio expectetur. Quam jam fieri indicabunt dolor pulsans, tumor alicubi manifestior, et fixus, febrisque exacerbantis et remit-

Quomodo suppuratio tractanda.

tentis continuatio. Quod ubi incidit, cataplasmata ex mica panis, et foliis malvæ lacti incoctis superponenda sunt, donec, facto pure, et subter fluctuante, ferro abscessus aperiri possit. Quo in casu Chirurgo reliquum curationis committi debet. Committi ei quoque omne negotium debet, si pustulæ in summa cute exortæ, aut extima suppuratio facta in ulcus degeneraverint, sæpe molestum, et diuturnum. Sed dum extrinsecus chirurgica medela adhibetur, atque ulcus detergitur, et exsiccatur, non negligenda tamen pro caussarum varietate curatio etiam interior est.

Quæ Erysipelati œdematodi cura conveniat.

§. 40. Erysipelati œdematodi sufficiet decocto simplici florum sambuci, et chamæmeli foveri. At si nimia laxitas timeatur, eidem parum spiritus vini cum camphoræ momento adjici poterit, vel demum sacculi cum farina fabarum, aut hordei calenti, aut pulvere florum sambuci imponantur. Aqua etiam calcis egregie discutit, et resolvit. Lente vero ad resolventia, et reprimentia deveniendum; nam si justo citius discutiatur, repelli ad interiora cum magno vitæ periculo posset. Quam ob rem vitentur frigida, adstringentia, styptica, aut cutis poros obstruentia, licet passim ab auctoribus commendata. Quæ, si unquam opportune adhiberi possunt, tunc solum locum invenient, cum jam erysipelas sua stadia percurrerit, et sola partium atonia, et laxitas remanserit emendanda.

Maligni curatio.

§. 41. Quod si humor, qui erysipelas facit, acerrimus, et venenatæ prope indolis sit, ut partes affectæ liveant, nigricent, aut phlyctænis atris repleantur unde gangræna imminere videatur; quod in *maligno*, aut *carbunculoso* intra paucas horas interdum evenit; tunc citissime scarifica-

tionibus (*) exitus venefico ichori parandus est, utendumque tam intrinsecus, quam extrinsecus alexipharmacis, antisepticis, in quibus excellunt Cortex peruvianus, radix Serpentariæ, Camphora, Spiritus Mindereri, Elixir vetriolicum Londinense, et resinosa balsamica extrinsecus. Sed hic quoque prudentis, atque experti Chirurgi consilio, et opera opus plane est.

(*) Non modo in *maligno*, & *carbunculoso* Erysipelate scarificationes indicantur, verum etiam in eo, ubi cutis onere gravatur, & intumescit, a Cl. Frendio (*Histor. medic. Edit. Venet. in 4. pag.* 29.) ut præsentissimum remedium proponuntur hisce verbis : *In erysipelate præsertim, sed & in aliis quoque casibus, ubi inflammatio adest, experientia docet, per ipsius partis affectæ scarificationem, cum membranæ onere gravatæ crassiores appareant, frequenter malum omne mira cum celeritate dissipatum evanescere.*

§. 42. Quid porro *fortuito*, sive *accidentali* erysipelati succurrat, facile ex superioribus quisque intelliget. Generatim caussas removere oportet, et inde natam phlogosim, quæ ut levior, sic facilis resolutu est, leniter discutere, et demulcere. De *Symptomatico* vix attinet dicere, cum ejus curatio ex morbo principe, a quo pendet, omnino petenda sit. Erysipelas intro versum, quod non infrequens est, postulat venæsectionem, cucurbitulas tum siccas, tum scarificatas, epispastica, vesicantia, fomenta, balnea, diaphoretica, et nisi hæc prosint, et extrorsum illud avocent, etiam cathartica.

Quomodo curandum sit fortuitum, et symptomaticum.

§. 43. Sæpe accidit, ut qui semel erysipelati obnoxius fuit, levi negotio in idem malum relabatur, et quasi periodice, statis nimirum intervallis. Ad prophylaxim multa multi propo-

Prophylactica cura.

sunt. At in peculiares, et proprias cujusque proegumenas caussas inquirere oportet; quibus detectis non arduum est decernere, quænam auxilia opportuna futura sint. In universum antiphlogistica, attemperantia, et præsertim serum lactis, succi cichorei, fumariæ, taraxaci, nasturtii aquatici, aquæ medicatæ, balnea aquæ dulcis, et potissimum cathartica refrigerantia subinde repetita palmam referunt. Cauteria item, setacea, aliaque ulcera manantia, sive ut vocant, emissaria quam plurimum prodesse visa sunt. Crura post erysipelas œdemati plerumque obnoxia fiunt. Huic malo prospiciunt ocreæ ex tela cannabina, aut ex corio canino rite præparato confectæ, et cruribus nudis, dum mane detumuerint, ad amussim accommodatæ, ut laxas partes sustineant, et firment, diuretica, atque hydragoga, quæ humores revellant, deriventque, et topica discutientia, et roborantia, quæ atoniam emendent. Novi Medicos, Chirurgosque, alioquin suæ artis non imperitos, qui ab ocrearum, quas proposui, usu indiscriminatim quam longissime abhorrent. Sed, bona eorum venia, quando pedum œdema ex hac tantummodo caussa oritur, nec a malo totius corporis habitu est, quicunque ipsorum metus extiterit, prorsus contemnendus est, nam nullam inde noxam unquam vidimus.

Oedemati relicto quæ remedio sint.



CAPUT III.

DE IGNE SACRO, QUEM ZOSTERA, SIVE *ZONAM* VOCANT.

§. 44. Est quoddam exanthematum genus, quo exteriores corporis partes corripi solent, interdum cum febre conjunctum, aut eam subsequens, paucissimis motum, quod, quia magnam cum erysipelate affinitatem quibusdam habere videtur, atque exanthematicis morbis febrilibus accensetur, nequaquam hoc loco prætermitti licet. De eo vero ita obscure, et breviter Veteres verba fecere, ut disceptari adhuc queat, num iis reapse innotuerit. Excipiendus fortasse inter ipsos est PLINIUS, qui etsi paucissimis verbis, quamdam tamen ignis sacri speciem commemorat, cui *Zoster*, sive *Zona* nomen est, et magna cum nostro convenientia (*a*) tribuitur. Ignis autem sacri duas species descripsit C. CELSUS (*b*), quarum prior a GORTERIO una eademque habetur cum *Erysipelate bulloso* (*c*), posterior vero cum erysipelate, quod *ulcerosum* ipse (*d*) appellat. Nec a GORTERIO dissentit JODOCUS LOMMIUS (*e*), qui ignem hujusmodi sacrum cum C. CELSO (*f*) *malis ulceribus* adnumerare videtur. FRIDERIC. quoque HOFFMANNUS id morbi genus ad peculiare Erysipelatis genus referendum existimat (*g*), eamdemque in sententiam migravit LORRYUS (*h*) GALENI etiam permotus auctoritate (*i*). Multi, ut GORTERIUS ipse fatetur, herpetibus adnumerandum esse censent, atque ex his nonnulli, uti PLATERUS (*k*) et TULPIUS (*l*) ad *herpetem* speciatim *esthiomenon*, sive *exedentem* spectare ejusmodi malum non dubitant. Neque ab eorum sententiis defle-

ctit PLATNERUS (*m*) qui ad *Erysipelas referri posse* scripsit *rarum illud morbi genus, quod Veteribus Zoster, Zona, vel Herpes dictum est*. Verum HAENIUS, qui illud sæpe in Batavia, et semel etiam Vindobonæ, quale est, de quo hic agitur, se vidisse asseverat, omnino ambigit, an notum priscis temporibus, et peculiari nomine donatum fuerit, aut illud vere habendum sit, *quod ignem sacrum*, vel *ignem Sancti Antonii* vulgo vocant, cum de vera hujusmodi vocum interpretatione non satis liquere, jure, ni fallor, ipse (*n*) contendat (**).

(*) ζωστὴρ sive ζώνη græce, cingulum, sive fascia latine.

(*a*) *Nat. Hist. l. XXVI. cap. XI. ubi inquit: Ignis sacri plura sunt genera, inter quæ medium hominem ambiens, qui Zoster appellatur, & execat si cinxerit.*

(*b*) *Lib. V. cap.* 22. §. 4.

(*c*) *Chirurg. repurg.* §. 1420. (*d*) *Ib.* 1421.

(*e*) *Observ. Med. l.* 2. *De vitiis, quæ non cert. part. aliq. sed variam occupant. pag. mih.* 200. ubi sic ait: *Ceterum ubi exulceratum est Erysipelas, quod proprie sacer ignis appellatur, cutis alias summa afficitur &c.* (*f*) *L. c.*

(*g*) *Oper. omn. T.* 4. *P. I. sect. I. cap. XIII.* §. 6.

(*h*) *De morb. cutan. P. I. Sect.* 2. *Cap. I. art.* 2. *De sacro igne, & Zona sacri ignis specie p.* 401.

(*i*) *Ibid.*

(*k*) *Oper. Omn. T.* 2. *p.* 3. ubi sub nomine *Maculæ latæ* sive *papulæ feræ* describitur.

(*l*) *Obervat. Medicinal. l.* 3. *cap.* 44. ubi nomine *exedentis præcordiorum herpetis* donatur.

(*m*) *Institut. Chirurg. Ration.* §. 166.

(*n*) *Thes. de febrib. Divis. VI.* §. 7. *p.* 3.

(**) *De Igne S. Antonii*, pessimo *Ignis sacri* genere, disquisitio absolutissima legi potest in *Mémoir. de la Societé Royale de Médecine Vol. I. p.* 260. in qua a quatuor cl. viris JUSSIEU, PAULET, SAILLANT, & TESSIER decernitur, morbum illum esse veram *siccam gangrænam*, sive *Necrosim* SAUVAGESII, in-

terdum etiam humidam QUESNÆI, ut ex allatis undique exemplis, historiisque ostensum est.

§. 45. Sed quinam hic affectus intelligendus sit, quibusque notis differat a reliquis morbis, quibuscum similitudinem habet, non melius, clariusque patebit, quam si primum unam vel alteram aliorum hujusce morbi historiam breviter in medium afferam, deinde ejusdem pleniorem descriptionem, collectis in unum, atque ordinatis cunctis phœnomenis, prout etiam a nobis observata sunt, ob oculos cujusque ponam. Vir *pleni habitus, et calidi jecinoris vehementer circa præcordia doluit cum acri pruritu, insigni dolore, et frequentibus pustularum conglomeratarum circulis, primum rubris, mox albicantibus, et comparente in qualibet earum crusta nigra, qua convenienti litu separatæ, quælibet degeneravit in humidum ulcusculum cum acri dolore, sudore effuso, et interdum tam impetuoso virulentæ materiæ raptu ad interiora, ut animus non secus aliquoties deficeret, ac si ipsum occupasset contagiosa aliqua pestilentia* (*a*). Tulpii observatio.

(*a*) *Ex Tulpio* HOFFMANN. *l. c. observ. VI. in epicrisi pag.* 104. *edit. Genev.*

§. 46. Post TULPIUM hanc habet observationem FRIDERICUS HOFFMANNUS (*a*): *Professor celeberrimus, quinquaginta et aliquot annorum, purpura scorbutica crebrius afflictus, post corporis intensam refrigerationem, corripiebatur subito languore virium, inquietudine, somni, appetitusque defectu, horripilatione, æstu, cui juncta quædam mentis turbatio. Durabant hæc per tres fere dies, quibus elapsis, nocte antecedenti sensit intolerandum plane ardorem in præcordiali regione ad dorsum usque excurrentem; mane autem, inspecto loco dolente, insolitum comparuit exanthema, rubicunda* Hoffmanni observatio.

nempe area, ex præcordiis ad dorsum cinguli instar extensa, cui insidebant consertim pustulæ partim albæ, partim rubræ nigrescentes. Inde quidem symptomata remiserunt, excepto exquisito ardente dolore, qui tantus erat, ut nec somnum capere, nec locum affectum contingere posset. Medici, quorum consilio utebatur, quid hoc rei, nesciebant, et purpuræ peculiare genus, aut scorbuticum quoddam exanthema esse volebant. Ego vero illico cognovi pejorem erysipelatis speciem, et interne diaphoretica temperata, et externe in fine oleum ovorum adhibui, quibus aliquandiu usurpatis, intra quatuordecim dies dolor conquievit, pustulæ aruerunt cuticula aspera facta, fissa, et desquamata.

(a) *L. c. observ. VI.*

Haenii observatio.

§. 47. HAENIUS, qui *apud Batavos frequenter* hujusmodi morbum viderat, *semel* (*a*) inquit, *Viennæ occasionem habui* cum *auditoribus demonstrandi, idque, quod huc usque nunquam videre mihi contigerat, in sola facie*. Nam antea, *quantum numerosi me casus docuere, non nisi alterutrum abdominis latus;* post febrim, non raro *validam, die jam primo vel altero, vel tertio* occupaverant *maculæ rubræ ea in plaga*, nempe *externa, cito admodum grandescentes, dolentesque, variolis discretis majoribus persimiles, sed altiores, et racematim uno in loco secum cohærentes, tum et interstitia vacua, magnaque inter se relinquentes*. Hac tamen perpetua lege, *ut ab anteriore parte* abdominis *nunquam lineam album, nunquam a postica spinam* transcenderent. *In hac porro distantia inter lineam album, et spinam dorsi sunt nonnunquam paucæ racematim cohærentium pustularum insulæ, alia vice multæ, aliquando etiam ita ut Zona spithamam lata, paucis liberis plagis dumtaxat relictis, medium ab-*

domen perfecte cingat. Viennæ igitur vir odontalgyam passus dentem sibi evelli curat; unde dolore curabatur quidem, sed vacuo in maxilla loco molestum sibi aeris conquerebatur ingressum. Hoc totum quod anamnesis docebat; quæ tamen, num sequenti malo faverit, omnino dubito. Oritur posthac ipsi media in fronte tuberculum, triduoque post febris horrifica cum tumore sinistræ frontis, palpebrarum, genæque ejusdem lateris, tumque pustulæ, quales supradescriptæ omnia loca dicta exacte implentes, sed ultra mediam faciei lineam minime excurrentes.

(*a*) *L. c. p.* 112. 113.

§. 48. Ex his igitur §§. 45. 46. 47. satis patere arbitror, *Zonæ* nomine exanthematum quorumdam genus intelligendum esse, quod, ubi erumpit, racemos pustularum vehementer dolentium, et rubrarum sic exhibet, et disponit, ut ad aliquot digitorum transversorum mensuram cinguli instar corpus ambiat. Verum ut hujusce morbi exanthematici, rarius descripti, amplior cognitio habeatur, operæ pretium me facturum spero, si non modo ea omnia, quæ alii de eo scriptis tradiderunt, sed etiam ipse, qui pluries eum curavi, adnotarim, in unum colligam, atque in Tironum commodum proferam. Eruptionem plerumque aliqua febris cum horrore, modo brevior, modo longior, modo levior, modo gravior antecedit. Hæc interdum gravibus stipatur symptomatibus, uti delirio (*a*), vigiliis, anxietate, inquietudine, corporis jactatione, vomitu (*b*) aliisque eruptionum febrilium phænomenis. Quandoque exigua est, ut vix pulsum acceleret, et nocte tantummodo se exserat calore, agrypnia, siti, atque irrequie. Interdum omnino abest, aut abesse videtur (*c*), vel vesperi dolentibus, et suppu-

Quid Zonæ nomine intelligi debeat.

Descriptio et signa.

rantibus pustulis supervenit levissima, quæ mane tamen decedat.

(*a*) HOFFM. *l.c.* PLATNER. *l.c.* HAEN. *l. c.* §. 166.
(*b*) HOFFM. *ib.*
(*c*) GEOFFROYUS *Hist. de la Soc. Royal. de Médecin. an.* 1777. & 1778. *T.* 2. *Mémoir. p.* 27.

Febris desinit eruptione facta.

§. 49. Ubi febris eruptionem antecedit, eruptione facta, quod post unum, vel alterum diem contingere consuevit, ipsa illico cessat, ac desinit, nisi, quod rarissimum est, tanta sit morbi vis, tantaque inflammatoria sanguinis diathesis, ut ultra illum terminum exardescere pergat. Ægri vero ante eruptionem etiam tum, cum febris eos non corripuit, se male habere per plures dies queruntur, et puncturas eo in loco, in quo exanthema proditurum est, molestissimas sentiunt. Deinde pustulæ parvæ, elevatæ, rubræ, variolis interdum valde similes, circulum inflammatum habentes, partim discretæ, partim in corymbos collectæ, et phlyctænas repræsentantes, plus minus copiosæ cum lancinantibus doloribus, et quandoque intolerabilibus, ardoreque igneo comitatis erumpunt.

Pustulæ corymbosæ.

Progresus pustularum.

§. 50. Paullatim hujusmodi (§. 49.) pustulæ mole augentur, et in apicibus formant vesiculas, sive ampullulas aqua pellucida plenas, et transparentes, quales aqua fervens excitat. Gradatim aqua, quam continent, turbida fit, atque opaca. Vesiculæ aut rumpuntur, aut complanantur, et in plicas se contrahunt, fuscum, atrumve colorem acquirunt ob cutem gangræna emortuam, et in parvas escharas commutantur. Escharæ demum exsiccantur, et in crustas siccas, duras, nigras abeunt, cito decidentes, quæ tamen vestigium altum in cute relinquunt, ut variolæ mali mo-

Exsiccatio.

ris. Sæpe vero istiusmodi eruptio fit successive, et partitis vicibus, et successive pariter exsiccatur, et decidit (*a*). Interdum pustulæ suppurationem subeunt, et sponte aperiuntur, manentque apertæ, cavæ, pus fundentes triduo, quatriduo, immo quandoque ad dies usque quatuordecim (*b*). Dolor ipse interdum non conquiescit nisi post decimum quartum diem; tumque pustulis exsiccatis epidermis finditur, exasperatur, et in squamas soluta excidit (*c*). Sed neque tum aliquando dolor (*d*) omnino evanescit.

(*a*) Geoffroy *l. c.* (*b*) Haen. *l. c. p.* 114.
(*c*) Hoffm. *l. c. observ. VI.* (*d*) Geoffr. *l. c.*

§. 51. Sedem morbi plerique statuunt abdominis, et hypochondriorum regionem. Alii supra umbilicum eum sic collocant (*a*), ut medium corpus ambiat cinguli instar ex præcordiali regione dorsum versus latitudine ut plurimum aliquot digitorum transversorum, insidentibus ibi pustulis acribus, instar ignis urentibus, quæ intensissimum dolorem comitem habeant. Alii vero *ab umbilico ad genua usque* cutim in hoc affectu *per pustulas lividas* exasperari, rubere, et multum rodi (*b*) docent. Sed hoc perpetuum non est; nam vidi non semel pectus, dorsum, scapulas, brachia, crura hoc exanthemate correpta; immo frontem ab eo non immunem ex Haenio (§. 47.) accepimus. Illud ferme proprium ejus reputatur (*c*), quod pustularum racemi in Zonæ, sive cinguli speciem transversim extensi nunquam lineam albam anterius, posterius vero spinam dorsi transgrediantur. Hinc unum latus corporis tantummodo affici affirmant; sic humerum unum, aut femur; sic unum pectoris latus, et tunc a spina pustulas incipere, et ad sternum antrorsum terminari, nec ultra hosce fines progredi; sic capi-

Quas sedes occupare soleat.

tis unum dumtaxat hemisphærium occupari, non alterum (*d*). Num vero aliquando ab hac lege desciscat Zoster, numque semper Zonæ speciem referat, non facile definivero. Hoc unum certum est, racematim pustulas apparere, et sparsim sæpe distribui, sed ordine non exacte servato.

(*a*) HOFFM. *l. c.* §. 7.
(*b*) PLATNER *l. c.* §. 166.
(*c*) HAEN. *l. c.* GEOFFROY *l. c.*
(*d*) GEOFFROY *l. c.*

Ab erysipelate qua ratione differat.

§. 52. Ex fideli, quam tradidi, morbi descriptione quisque comperiet, arbitror, quibus notis ab *erysipelate* tam simplici, quam *bulloso*, aut *ulcerato*, itemque ab *herpete*, et speciatim *esthiomeno*, sive *exedenti* (§. 44.) discriminetur. In erysipelate rubor roseus summam cutim occupans, nec eam attollens primum apparet, in Zona contra pustulæ elevatæ, et profundius insidentes se produnt, videnturque primarium esse phænomenon. Quæ vero pustulæ, et phlyctænæ erysipelati, quod bullosum dicunt, junguntur; hæc superveniunt eidem in augmento, dum in Zona initio statim se exerunt. Sedes præterea erysipelatis intra summam cutim consistit: Zonæ vero altior, et profundior locus, nam non modo universam cutim, verum subjectum panniculum adiposum etiam affici, inflammari, et suppurari (*a*) perspicuum est. Non leve item discrimen est inter erysipelas ulceratum, et Zonam. In eo ulcera latius proserpunt, et diu trahuntur rebellia, in hac parva, si quando fiunt, circumscripta, cava, brevi sanescunt, et in escharas exsiccantur. Herpetes vero generatim pustulas multo minores, mitioresque habent, neque adeo dolentes, et inflammatas, nec cinguli ordinem tenent, et si quando exedentes cernuntur, mala ulcera, depascen-

tia, cancrosis similia, diuturna et chronica exhibent, dum Zoster acutus, et brevis ut plurimum morbus est. Nam quamquam LORRYUS et chronicum, et interdum epidemicum esse existimet (b), quod de igne sacro late sumpto fortasse ei concedendum est, hanc speciem tamen diutinam non vidi, nisi semel in vetula, quam stigmata pustularum sub omoplata sinistra ad aliquot menses summo cruciatu, atque ardore pertinaciter divexarunt. An chronicus interdum sit.

(a) LORRYOS *l. c.* (b) *Ibid.*

§. 53. Ardor igneus, punctiones, dolor parvas phlegmonas comitans, facilis in phlyctænas, et gangrænulas transitus ostendunt, causam materialem non esse simplicem, biliosam, vel falsam, nec tantummodo sanguineam, et phlegmonodem, sed causticum, acrem, urentem, et naturæ putrefacientis participem, quæ simul ac evolvitur, nervosum genus irritans totius corporis œconomica perturbat (a); delata vero extrorsum, locoque aliquo defixa nervos in primis cutaneos, vasa quævis, et cellulosum contextum inflammat, rodit, et propemodum adurit. Variam in ea naturam, et indolem agnoscit LORRYUS, ab erysipelacea, et biliosa (b) diversam, et ex primarum viarum tamen sordibus, succisque vitiatis, et retentis insensibilis expirationis recrementis conflatam. Remote suppeditatur ab habitu corporis pravo, a scorbutica, arthritica, similive dyscrasia, a cibis acribus, salsis, piperaticis, potuque vinoso, fermentato. Caussa materialis. Caussæ remotæ.

(a) HOFFM. *l. c.* (b) *L. c.*

PROGNOSIS.

§. 54. LORRYUS, et GEOFFROYUS nunquam peri-

culosum, aut lethiferum esse hoc exanthematis genus perhibent; quia, quodcumque ipsi curandum susceperint, bene, feliciterque cessisse viderunt. At PLINIUS lethalem Zonam dixit esse, si totum corpus cinxerit, et circum ambiverit. Periculosam et lethalem duobus exemplis demonstravit LANGIUS (*a*), uno Marchionis GEORGII AB ONELSPACHIO, qui ex ea interiit, altero Comitis Palatini ORTHENRICI, qui a lumbis ad genua usque hoc exanthemate affectus, et simul febre ad delirium usque exardescens morbi tamen vim elusit incisa utriusque pedis vena, aliisque adhibitis remediis, quæ febrim restinguerent. *Omnium vero*, inquit HOFFMANNUS, *ut ita dicam malignissimum est, quod post magnum virium languorem in corporibus senilibus, eminentius cacochymicis, nonnunquam etiam in febribus malignis et pestilentialibus sub papilla, et cordis regione, vel etiam in manibus, aliisque exquisitioris sensus partibus prodit, lividum mox fit, demum atrum, morte cito subsequente, ut fuit illud* PLATNERI. Nec periculi expers a PLATNERO reputatur (*b*). Plerumque tamen, etsi atrox malum, et discrucians, vitæ discrimine vacat; nam egomet ipse hactenus neminem ex eo periisse comperii. Interdum etiam exitium, si quod imminet, a perversa curandi ratione, aut a repentina ad interiora metastasi, præsertim si cerebrum, aut pulmo petatur, profluere probabile admodum est (*c*).

(*a*) HOFFM. *ex Lang.* (*Epist. medecin. p.* 110.) *in epicr. ad observ. VI.*

(*b*) *L. c.* (*c*) PLATNER *l. c.*

CURATIO.

§. 55. Cum in hoc morbo viribus vitæ materia caustica, et fere deletrice ad exteriora vergat, feraturque, et quodammodo criticæ excretionis

speciem Zoster referat, nullo modo salutare hoc victricis naturæ conamen, beneficiumque turbari oportet. Ei igitur prudenter, et caute obsecundandum plane est. Præstabit igitur acrimoniam humorum diluentibus, temperantibusque demulceare, et quo natura vergit, ducere mitissimis diaphoreticis. Ad hoc satis erit potus ex diluto florum boraginis, aut sambuci cum nitro, aut oxymele; serum lactis purissimum, emulsa ex seminibus melonum, decoctum hordei, aut radicis scorzoneræ, dummodo affatim, et tepide hauriantur. Quod si lenta videatur ad cutim propulsio, aliquid potui stybii diaphoretici non abluti, aut Roob baccarum sambuci, ut paullulum incitetur, adjici poterit. Raro phlebotomia opus (a) esse consuevit. Si tamen febris nimium excandescat, aut, etiam eruptione facta, non remittat; pulsus vehemens, plenus, durusque deprehendatur; respiratio anxia sit, facies rubeat, caput doleat, nec delirium, si quod est, desinat; aut pars, in quam morbi vis irrupit, nimium tumeat, et tendatur, dolorque ferociat; tunc non modo sanguinis missioni, verum etiam antiphlogisticis reliquis adjumentis (b) locus conceditur. Fatetur tamen GEOFFROYUS dolorem ardentem, atrociusque cruciantem ægre per venæsectionem leniri, utpote qui, soluto etiam morbo, aliquandiu persistat, et identidem percipiatur. HAENIUS considerata morbi inflammatoria diathesi *optimam methodum* prædicat sine ulla dubitatione *venam secare, et curam antiphologisticam reliquam instituere.* Sed tutius est non ita propere ad phlebotomiam descendere, nisi indicantia, quorum supra meminimus, urgeant. Sæpe enim sine ullo detrimento omittitur, uti supervacanea. Recordor tamen me ea utiliter usum esse, ubi zoster pectoris unum latus secundum costas transversim protensus

Diluentia.

Raro vena securi debet.

sic torquebat, ne pleuritidis instar respirationem interciperet.

(a) GEOFFROY *l. c.* (b) HAEN. *l. c.*

Hyrudines et Cucurbiculæ.

§. 56. Fortasse, ubi aut venam secare non satis tutum, ne introrsum materies revocetur, aut minime necessarium videatur, sed tamen dolori molestissimo solamen inveniendum aliquod, fortasse inquam hirudinum, aut cucurbitulæ altius scarificatæ applicatio exitum stagnanti, irritantique humori parabit, nervorumque distentionem acerbit, quod quidem nos interdum sine noxa, et cum levamine, ut in aliis cutaneis exanthematicis morbis tentavimus. Dolori quoque sedando, anxietatibusque consopiendis opportunum erit hypnoticis, paregoricisque mitioribus subinde uti; dum deflagratio totius morbi expectatur.

Hypnotica.

Caute alvus laxanda.

§. 57. Nec perturbandus naturæ motus est alvum ducentibus. Metus enim est, ne metastasis introrsum fiat. Laxari tamen alvum licet blandissimis iteratisque enematibus, ut si quis fomes primis viis insidet, subtrahatur lenissime. Dum hæc aguntur, extrinsecus omitti non debent, quæ molliunt, quæ dolorem temperant, quæ exspirationem adjuvant. Fomenta igitur, et cataplasmata mollissima usui erunt. Foveri autem locus poterit decocto florum sambuci; et malvæ, lacte tepido, sero lactis, similibusque sæpe repetitis, et moderate calentibus. Cataplasmata item ex pane, malva, et lacte una decoctis comparentur, et desuper lege artis imponantur. Interdum solutio gummi arabici in mucum densiorem redacta, vulgo mucilaginem vocant, dolori leniendo opportunissima est. Neque ab his desistendum est, pustulis quamvis exsiccatis, præsertim si partes quodammodo rigeant, donec

mollescant. Ceratum Galeni recens paratum dolorem lenire dicitur (*a*), sed suspecta nobis videntur quæ exsiccant, et reprimunt, atque ex plumbo confici solent. Innoxium omnino oleum e vitellis ovorum recens expressum existimatur, quo sub finem obliniendas pustulas, escharasque, donec excidant, suadet HOFFMANNUS (*b*). His delapsis, morboque ferme depulso, ducenda demum alvus est idoneo medicamento.

(*a*) GEOFFROY *l. c.*
(*b*) HOFFM. *l. c. observ. VI.*

CAPUT IV.

DE PURPURA SCARLATINA (*).

§. 58. Multo proximius ad Erysipelatis naturam, ac speciem accedit *Purpura Scarlatina*, exanthema videlicet, cui nomen imposuit color quidam, qualem exhibet purpura ipsa, vel pannus coccineus, vulgo *Scarlato*, cutim extimam ferme universam maculis intense rubris, multiformibus, et mox latioribus inficiens. Interdum hæ maculæ ita dilatantur quaquaversum, ut una coalescant, et totum corpus erysipelatis instar universalis occupent. Quacunque autem ratione rubore isto sive sparsim, sive universim cutis afficiatur, planus is est, lævis, non asper, et pressus præsertim inter initia albicat, etsi, remota pressione, mox priorem colorem recipiat; nec valde cutim ipsam (*a*) attollit. Quibus quidem notis multum similitudinis habet cum Erysipelate, sed ab eodem tamen differt primæ eruptionis intuitu, febris, et quorumdam symptomatum ratione, exitu, et successionibus, uti mox ex ejus historia apparebit. Quoniam vero duo præcipua

Topica. Nominis origo.

ejus genera sunt, *benignæ* unum, alterum *malignæ*, de priore primum, deinde de altera, ut recte distinguantur, verba faciam.

(*) SYNONYMA.

Purpura, & *rubores* FORESTI, *Observ. L. VII. observ.* 59. *in schol. Febris Scarlatina* SYDENHAMII, *Oper. med. sect. VI. cap.* 2. & *reliquorum auctorum. Rossalia* HOFFMANNI, *de febr. sect.* 1. *cap. VIII.* §. 3. *Febris rubra quorumdam. Rubeola Veterum* GRUNERI, *Morb. Antiquit. p.* 62. 63.

(*a*) HEISTER. *Compend. med. cap.* 3. *sect. VI. p.* 34.

PURPURA SCARLATINA BENIGNA.

Benignæ descriptio. §. 59. Quovis anni tempore hic morbus, sed frequentius, SYDENHAMIO teste, autumni initio (*a*), aut, ut JUNCKERUS (*b*) mavult, æstivo et sereno tempore se ostendere consuevit. Raro sporadice, plerumque epidemice excurrit, sæpe integras familias invadens. Juniores quidem, infantesque magis infestat; non tamen hinc parcit adultis. Plerumque incipit a febre, ut reliqui morbi exanthematici, sed quandoque eruptio scarlatina prius emicat, quam febris percipiatur (*c*). Febris vero remittentis ut plurimum typum tenet, et vespere, ac nocte qualibet suas accessiones repetit, ingravescitque (*d*). Interdum sic remittit, ut intermittere videatur, aut veræ quotidianæ intermittentis reapse morem induit (*e*). Quare nil mirum, si a febre nomen apud plerosque habeat.

(*a*) *Oper. omn. sect. VI. c.* 2.

(*b*) *Tabul. LXXV.* (*c*) HEISTER. *l. c.*

(*d*) VOGEL. *de cognosc. & curand. morb.* §. 151. & *seq.*

(*e*) *Andr. Bernard.* KIRCHVOGEL *Diar. med. pract. cap.* 3. *p.* 29. *Edit. Vindob.* 1771.

Signa ante eruptionem. §. 60. Febris autem ista exorditur leni ab horrore, aut frigore. Huic succedit calor plerumque

temperatus, moderata sitis, faucium dolor, aut ardor aliquis, et virium dejectio. Interim quædam pectoris oppressio, respirationem difficilem, atque inæqualem reddens supervenit, itemque capitis gravitas vertiginosa, aut etiam acutus ejus dolor, et quandoque tussicula sicca, sed non ita molesta, nec constans, ut in morbillis (*a*). Sæpe his nausea, vomitus, nariumque hæmorrhagia se adjungunt (*b*), sed hæc posterior frequentius sub ipsa eruptione in plethoricis contingit (*c*), quam antea. Interdum coma aut epilepticæ convulsiones, sive eclampsia, in pueris præsertim, antecedunt eruptionem, aut ipsum eruptionis exordium comitantur (*d*). Die secundo, aut tertio (*e*), imo interdum quarto (*f*) facies intumescit; et maculæ intensius rubræ, crebræ, primum parvæ, et multiformes, mox latiores, confluentes, et in majus sensim spatium expansæ eam totam contegunt; deinde in dorso, pectore, et demum artubus eædem erumpunt, et quidem satis amplæ, ut brevi universa fere cutis *scarlatino* colore (*g*) rubeat. Tum manus etiam digiti sic tument, aut tenduntur, ut nonnisi difficulter inflecti (*h*) possint. Interea tamen, detruso ad exteriora morbi fomite, febris, et symptomata omnia insigniter mitigantur, vel etiam omnino decedunt. Eruptio.

(*a*) JUNCKER. *Tab. cit.* (*b*) VOGEL. *l. c.*
(*c*) JUNCKER. *l. c.*
(*d*) VOGEL. *l. c.* & SYDENH. *l. c.*
(*e*) VOGEL. *l. c.* (*f*) JUNCKER. *l. c.*
(*g*) *Id. ib.* (*h*) VOGEL. *l. c.*

§. 61. Postquam rubor ejusmodi ad duos, ad tres, aut quatuor dies perstitit immutatus, paullatim minuitur; facies detumescit, et concidit; cuticula fere tota cum notabili pruritus molestia secedit, immo quandoque in magna frusta sepa-

Desquamatio. ratur (*a*), aut certe facili, et levi negotio deglubitur; relictis quibusdam minutissimis squamulis farinæ instar cuti adhærentibus, quæ abeunt, et redeunt vicissim ad secundam interdum, et tertiam usque (*b*) vicem. Nec rarum est, maculas ipsas post aliquot dies reverti (*c*), sed tunc pauciores, minoresque esse solent, et nullo graviori symptomate plerumque stipatæ. Interea febris, quæ jam ab eruptione ipsa cœperat cum omnibus symptomatibus multum mitescere, si nondum cessaverit, ad inclinationem maxime properat, et aucta salutari diaphoresi cito, et penitus evanescit. Toto primo, et secundo stadio, sive toto initio, et augmento alvus adstricta esse consuevit; in tertio vero, sive versus finem laxatur (*d*).

Reversio.

(*a*) JUNCKER. *l. c.* (*b*) SYDENH. *l. c.*
(*c*) KIRCHVOGEL *l. c.* (*d*) JUNCKER. *l. c.*

§. 62. Atque hæc est Purpuræ Scarlatinæ species, quam HAENIUS (*a*) cum *Rosalia* PROSPERI MARTIANI (quo nomine non *scarlatinam*, sed morbillos certe MARTIANUS (*b*) vulgo appellari animadvertit, ut ex ejus descriptione quisque colliget) et MARTONUS cum morbillis confuderunt (*c*). Sed facile a morbillis videtur segreganda, quia hæc ruborem intensiorem, et persimilem erysipelatodi præsefert, et maculas multo latiores, et diffusas, nullique figuræ addictas ostendit, nec cutim inæqualem, aut asperam reddit: dum contra morbilli veræ, et circumscriptæ pustulæ sunt, parvæ, elevatæ, rubræ, et crebræ quidem, sed discretæ, et sejunctæ, quæ non modo oculis tales cernuntur, sed etiam tactui asperitudinem manifestam, et granosam, saltem in facie, objiciunt. Deinde in morbillis permolesta tussis est, immo præcedit; oculi illacrymant; sternutamenta

Differt a morbillis.

crebra cientur; quod nequaquam evenit in Scarlatina. Non tamen negaverim, utrumque interdum exanthema una consociari, sic ut pro complicationis ratione duplex cum VOGELIO genus constitui possit, *morbillosum* scilicet, aut *miliare*, prout purpura scarlatina cum morbillis, aut miliaribus pustulis complicatur; de quibus infra opportunius. Quare simplex illa, quam descripsi, distinctionis caussa vocabitur *maculosa*, complicata vero *pustularis*.

Duplex genus.

Simplex et complicata, sive Maculosa et Pustularis.

(*a*) *Febr. division. l. c.*
(*b*) *In Hippocr. l.* 2. *sect.* 3. *v.* 20.
(*c*) *Oper. Omn. T.* 3. *cap. V.*

CAUSSÆ.

§. 63. Caussam si quæras proximam, ea videtur phlogosis erysipelatodes totius cutis, quam infert materia quædam acris e sanguine per motum febrilem extricata, et partitis vicibus ad cutanea vasa translata, ibique irritatione cutim, et corpus mucosum Malpighianum inflammans. Hæc autem materia acris vel in ipso sanguine gignitur, et colligitur, donec exstimulata vis vitæ se ea liberare nititur, vel a perspiratione retenta suppeditatur, vel a primis fortasse viis etiam in sanguinem irrepit, vel a miasmate exteriore, quod in aere volitat, aut contagione et contactu suscipitur, communicatur; quod et frequentius est, at fere a quibusdam Scriptoribus unicum et perpetuum habetur. Nam omnibus hisce modis exanthemata, etsi ob diversitatem et gradum fomitis, et corporis constitutionem differentia, et varia, cieri, probabile admodum est. Occasionem vero præbent generatim acritates humorum undecunque ortæ, victus salitus, et *calefaciens*, motus corporis immodicus, æstivi calores, frigus re-

Caussa proxima. Caussa materialis.

Caussæ procatarcticæ.

pente obortum, et constitutiones epidemicæ, et contagiosæ.

PROGNOSIS.

Benignus morbus periculi expers.

§. 64. Levem morbum esse, et per se periculi expertem, quando benignus, in junioribus, et bonis humoribus præditis censetur, et talis experientia comprobatur. Nam sæpe solo regimine diætetico, et cutis blanda expiratione intra paucos dies discutitur. Hæmorrhagia narium sub ipsa eruptione accedens insigniter morbum levat (*a*). Quamquam vero benignus, facilis, et brevis morbus est, tamen aut ob neglectam expirationem cutaneam, et frigus susceptum, aut ob calefacientem nimis medendi rationem in periculosum, et malignum vertitur. Summum enim periculum imminet, si purpura scarlatina retrocesserit; pessimæ tum phrenitides, anginæ, peripneumoniæ, convulsiones, tusses exoriuntur, plerumque malum eventum habituræ.

Hæmorrhagia narium quando utilis.

Cur interdum malignus.

Purpuræ regressus.

(*a*) JUNCKER. *l. c.*

CURATIO.

Benignæ quæ curatio.

§. 65. Itaque in hac specie, in qua Natura salutarem crisim per se ipsam molitur, SYDENHAMIUS Clinicus longe felicissimus, et si quis alius, in morborum indole indaganda perspicacissimus, quem ceteri fere omnes sequuntur, jure contendit, nihil movendum esse, sed cunctandum, ut sanguis ab heterogenea, et noxia acritate se liberet, et per cutis spiracula eam difflet. Hinc abstinendum jubet a sanguinis missione, ab enematibus, itemque a medicamentis quibuscunque calefacientibus: ne prioribus illis opus naturæ, quæ extrorsum malum protrudere tentat, impediatur; his *vero* postremis nimius motus concite-

tur, febrisque ultra modum increscat, sicque se opponat moderato et pacato motui, qui ad lenem secretionem, successivamque morbifici fomitis excretionem requiritur. Quamobrem victum temperantem instituendum præcipit, carnium esum, et liquorum vinosorum usum penitus ablegans. Potui autem lac cum triplo aquæ coctum, hydrogalam vocant, dandum esse, nec sinendum ægros foras prodire, aut aeri libero se objicere, quamquam nolit tamen, ut perpetuo lectulo defigantur. Hac enim ratione sine molestia, et periculo morbum discuti asseverat; contraria vero excandescere, et mortiferum quandoque fieri. Ubi sub initium coma, aut epilepticæ convulsiones (§. 60.) accesserint, amplum validumque epispasticum posteriori cervici applicandum, et paregoricum, quod singulis noctibus ad finem usque iteretur, statim propinandum commendat. Cute demum omnino desquamata, lenem alvi ductionem proponit, ut, si quæ morbi reliquiæ supersint, penitus exturbentur; qua in re reliquos omnes consentientes habet.

Nocet aer apertus.

Coma, et convulsio epileptica quid postules.

In fine alvi ductio.

§. 66. Ac profecto usu comprobatum est, purpuram scarlatinam, quando levior, et benignior est, sola naturæ ope, idoneoque diætetico regimine sine medicamentis feliciter solvi. Verum si paullo gravior, et vehementior sit, Medicinæ aliquo adjumento egere videtur. Tunc diluentia, temperantia, et subacida a plerisque ut necessaria proponuntur, ut acritas peculiaris, et calida humorum demulceatur, atque emendetur. Heisterus (a) pulveres, ut vocant, temperantes, et blande diapnoicos (quibus ferme tota Stahliana, et Hoffmanniana schola maxime confidit, utiturque) illis adjungi, unaque adhiberi, e re fore existimat. Quamquam ejusmodi pulveres,

Curatio gravioris.

qui ex absorbentibus, cinnabari, et nitro parari solent, virium ita exiguarum nobis videntur participes, ut parum, vel nihil reliquam simplicissimam curationem immutent. Illud porro, quod de sanguinis missione omittenda habet SYDENHAMIUS, aliique post eum doctissimi viri, non ita perpetuum, atque inconcussum præceptum habendum crediderim, ut numquam ei locus esse possit. Id auxilii in maligna, ut postea videbitur, a plerisque exercitatioribus Clinicis, tamquam præsentissimum prædicari solet. Cur non item in benigna, quando æger plethoricus sit, febrisque vehementior, aut grave aliud symptoma capitis, aut pectoris urgeat? Apposite, et sapienter JOANNES FREINDIUS (b) inquit: *in erysipelate, variolis, morbillis, febre scarlatina aliisque similibus vitiis, si vehementia sint symptomata, et caput, vel pulmonem afficiant, aut in alia quavis parte dolorem ingentem moveant, haud absque ratione, ac tuto vena inciditur. Ego certe, quamquam haud aliud frequentius experimentum instituerim, ne semel quidem animadverti quamlibet harum eruptionum post missionem sanguinis retrocessisse, ubi affectus id auxilii requireret.* Neque ab eo dissentiunt experimenta aliorum medendi arte præstantium. Timor autem retrocessionis rectius imminet ab aucto febris motu, aut a spasticis contractionibus, quas dolores, aut inflammationes inducunt: cui malo sanguinis missio præ ceteris omnibus efficacissime prospicit. Tum enim in tali motus sanguinis excessu, quamquam per sanguinis missionem refrænari quodammodo eum contingat, tanta ejusdem vis adhuc tamen superest, ut versus cutim valide humores propellere queat, quin eis retrogrado motu, introrsumque remeare liceat. Cautio itaque adhiberi debet, ne sanguis eo usque temere profundatur, quo vires

De sanguinis missione judicium.

vitales nimium enerventur, ejusque projectio præter modum infringatur, et langueat. Hoc dumtaxat casu retrocessio ob motum a tergo deficientem timeri posset.

(a) Compend. med. Pract. cap. IV. §. 30.
(b) Hist. Medicin. p. 21. edit. Venet. ann. 1735.

§. 67. Alvum quoque laxari SYDENHAMIUS, et JUNCKERUS sic timent, ut alter vel enemata ipsa suspecta habeat, alter diarrhœam, si supervenerit, sistere paret, addendo pulveri attemperanti, quem adhibere ipse solet, decem grana Cascarillæ pro qualibet dosi. Timor autem iste non semper probandus est, nisi purgatio modum excedat, aut non debito tempore instituatur, aut alvi fluxus ejusmodi sit, ut vires vitales prosternat. Immo primis mox diebus, antequam eruptio ad cutim facta sit, si signa gastricæ saburræ non desint, cur alvum leniter eccoprotico medicamento laxari non liceat? Quid ab enematibus blandis, et nihil irritantibus, quæ sordes molliter avocent, detrimenti metuendum: TARGIONIUS TOZZETTUS vir sane doctus et longa experientia probatissimus non semel in hoc morbo diarhœam tam ab initio, quam in progressu salutarem admiratus est, ut deinde quæreret, num ita religiose, ut vulgo putatur, ab eccoproticis, et clysteribus abstinere oporteat (*a*)? Ego equidem, ubi gastrica saburra sui signa profert, numquam eam cito subducere dubito, quod viderim sæpe, relictam intus vel majorem labem sanguini impertire, vel spasmos, et dolores in abdomine excitare, quibus morbidi fomitis secretio retardatur, vel jam secreti regressus promovetur.

De purgatione quid sentiendum.

Observatio. Targionii Tozzeti de alvi fluxu.

Damna a gastrica saburra.

(a) Prim. Raccolt. d'osserv. p. 102.

Noxæ regiminis frigidi.

§. 68. Nihil vero perniciosius est purpura scarlatina laborantibus, quam ea præsente corpus detegere, aut e lecto surgere, et diu extra morari, aut incaute aeri paullo frigidiori se exponere. Facile enim introvertitur magno cum vitæ periculo. Nec audiendi sunt regiminis refrigerantis laudatores nimii, qui in hujusmodi morbis indiscriminatim ægros extra lectum quotidie semel, aut bis per aliquod tempus manere cogunt, et toti pene ad aerem renovandum, refrigerandumque incumbunt. Quantum discriminis res ista habeat, nemo melius norit, quam diligens, et ingenuus eorum, quæ hanc methodum subsequuntur, sine partium studio observator. Itaque ne quid mali obveniat, cavendum plane est a quacunque vel levi caussa quæ repellere purpuram possit, aut exspirationem cohibere. Et si quando casu contingat, extrinsecus corpus plus justo refrigerari, ut egressus timendus videatur, illico potu diaphoretico, et calente, sicuti diluto florum sambuci, aut tiliæ, aut simili uti expedit, quo cutanea excretio leniter instauretur. Huc spectat quoque spiritus MINDERERI adeo in morbis exanthematicis propter vim diaphoreticam, antisepticamque commendatus. Nec cautio ejusmodi circa aerem ambientem adhibenda est tantum extante cutanea rubedine: verum tum etiam, cum ipsa evanuerit, et epidermis jam lamellatim deciderit, alvusque, prout morbo penitus soluto faciendum supra præcepimus, opportune expiata fuerit. Nam ægri adhuc per aliquot dies in cubiculo detinendi sunt, præsertim tempestate frigida existente: nisi enim transpiratio libera conservetur, nequaquam perfectæ restituuntur (a). Immo in Etruria, in qua purpura scarlatina frequentissimus morbus est, saniores Medici, cum in quocumque anni tempore, etiam æstate calida, aut

Quid fieri debeat in metu regressus.

Exspiratio quamdiu curanda.

temperato vere noxas renovati aeris pluries experti fuerint, quasi legem sibi indixerunt, non renovandum aerem, neque cubiculum permutandum, nisi post quadragesimam diem exactam (*b*). Quod eo sane spectat, ut quæ mala a retentis, nec penitus difflatis morbi reliquiis sæpe ingruunt, quantum fieri potest, longe avertantur. Puto tamen de aeris incauta, et imprudenti renovatione, cubiculique mutatione intelligendum præceptum illud esse cum aerem humanis halitibus repletum, et, ut vocant hodie, phlogisticatum non modo mephiticum et noxium fieri, sed etiam expirationi Sanctorianæ adversum reddi, notissimum sit.

(*a*) Heister. *l. c.* (*b*) Referente Jo. Aloys. Targionio *in Vol.* 3. operis inscripti : *Avvisi sopra la salute umana per l'anno* 1778. *p.* 262.

PURPURA SCARLATINA MALIGNA.

§. 69. Sed præter Purpuram scarlatinam *benignam*, et *regularem*, de qua hactenus actum est, alia est, quæ *maligna*, et *anomala* vocatur, quia vehementior, et periculosior, interdumque mortifera deprehensa est. Non enim *malignum* hic stricto, et proprio sensu accipitur, sed lato, et gravitatem morbi, periculique magnitudinem significante. Hanc sæpe dolor aliquis in aliqua parte fixus, aut vagans, sine caussa evidenti, et sine ulla exteriore, et conspicua nota, aut partis mutatione præcedens imminentem portendit, quod aliorum etiam exanthematum malignorum, et præsertim variolarum commune non semel deprehenditur. Exemplum hujusce phænomeni malignam scarlatinam prædicentis protulit ex propria observatione Haenius (*a*). Sed multo frequentius, et quasi proprium est, tussim ferinam, oculorum inflammationes, et rubores, et quandoque alvi

Quid hic malignum?

Signa malignæ

fluxum antecedere. Deinde febris accedit post horrorem cum summo cutis ardore, siti inextinguibili, capitis dolore, pulsu crebro, et vehementi, faucium inflammatione, aut dolore, respiratione frequenti, et difficili, et quasi peripneumonica, interdum vomendi cupiditate, aut vomitu (*), comate, et delirio; et tres, quatuor, vel quinque dies cum omnium symptomatum incremento interdum persistit, antequam maculæ erumpant. Plerumque vero hæ parva erysipelata referentes, cito totum corpus rubore erysipelatode occupant, maturius videlicet quam in benigna, sic ut quandoque sub finem primæ diei, aut secunda die (**) jam erumpant, et partes ipsæ rubore affectæ magis quam in benigna tument, et elevantur. Hoc tempore sputa, et urinæ ipsæ interdum visæ sunt, ut notat ROSENIUS, sanguine tinctæ. Rubor iste quatuor alios dies ut plurimum assiduus cutim tenet, et toto eo tempore febris vehemens, cunctaque ejus symptomata non modo non minuuntur, verum etiam augentur, incalescuntque, ita ut phrenitides, suffocationes, et peripneumoniæ lethales consequantur. Quandoque, ubi maculæ nunc plus, nunc minus prodeunt, aut uno temporis momento plus rubent, in alio mox minus, facile tum supervenit ad caput metastasis, quam sequitur hemiplegia, aut subita mors. Sed si tunc pus cum sanguine remixtum ab alterutra aure exeat, aliqua adhuc spes effulget melioris eventus, eodem ROSENIO teste. Illud saltem perpetuum est, quod febris diu protrahitur. Typum ipsa plerumque continuæ remittentis servat, naribus fere occlusis, voce rauca, et cutis ardore intolerabili comitata. Interdum tamen febris adeo latet, et decipit, ut, si pulsuum micatus tantum attenduntur, ægri non febricitare videantur, quod veræ malignitatis qua-

Febris qualis?

si proprium est; vel ita quandoque manifestas remissiones habet, ut intermittere eam (*d*) crederes.

(*) Id in epidemica constitutione Hanniensi ann. 1779. & 1778. inter pessima signa habebatur. MEZA *Comp. Pract. Fascic. I. Cap. XVIII.* §. 163.
(*a*) *Rat. Contin. P. I. Cap. VII. pag.* 98.
(*b*) *Id. ib.*
(**) In modo memorata Hauniensi constitutione *statim ab initio cutis intense rubebat tota cancrorum coctorum ad instar.* MEZA *l. c.* §. 164.

§. 70. Prout vero sporadica, aut epidemica est, et prout ætas, temperamentum, habitus corporis, anni tempus, et aeris constitutio variantur, diversa et ipsa ratione invadit, et multifariam ab eo quem descripsi, modo, atque incessu deflectit, et tunc non modo *maligna*, sed etiam *anomala* audit. Sic interdum macularum eruptio in lumbis et partibus inferioribus incipit, deinde ad superiores progreditur. Sæpe facies, pedes et manus tument, uti in variolis; et febris cum ipsa scarlatina rubedine non prius, quam duabus vel tribus exactis hebdomadis evanescit. Immo non desunt observationes, quæ doceant, febrem et scarlatinam eruptionem ipsam interdum ad quadragesimam usque diem productas fuisse (*a*). Quandoque etiam observatum est, post discussam, desquamatamque rubedinem scarlatinam alvi fluxum, qui eam comitabatur, cum amphemerina lenta prosequi, et sic ægros (*b*) consumi, et contabescere. Anomala.

(*a*) HAEN. *loc. cit.*
(*b*) MORTON. *oper. T. 3. Cap. V. Hist. X.*

§. 71. Ad malignum certe genus ea spectat, quam aliquoties vidit, et jam ab anno 1619. descripsit SENNERTUS (*a*), cui et morbi nomen igno- Ad malignam spectat illa Sennerti.

tum erat, et ignota pariter simplex, et *benigna* ejus species, quam supra exposuimus. Cum autem de nomine ipse ambigeret, ex eo, quod pueros tantum illa corripi vidisset, peculiarem morbillorum differentiam tandem esse statuit. Sed tradita ab eo morbi descriptio *scarlatinæ*, et quidem *malignæ* omnino convenit; nec quidquam ratio, ob quam ad morbillos eum ablegat, probare videtur, cum certo aliunde constet, adultos quoque eidem obnoxios sæpe fieri. Epidemicam quoque pessimi moris scarlatinam, quæ in Saxonia annis 1695. et 1697. grassata est, commemorat testis oculatus CHRIST. JOANN. LANGIUS (*b*). Malignam, immo pestilentem cum parotidibus, bubonibus (*), et faucium, orisque exulceratione conjunctam curavit, descripsitque MORTONUS (*c*). Anno 1748. et 1749. summopere maligna, ac perniciosa scarlatina Hagæ Batavorum desæviit. Hæc *cum valida angina inchoabat, et plurimos infantes, et multos juvenes, et adultos occidebat. Immo fauces, carnesque buccarum in ulcera maligna, ossa maxillarum in cariem pessimam convertebat, et similia etiam in cruribus* efficiebat (*d*).

Item illa Langii.

Pestilens Mortoni.

(*a*) *Med. pract. Tom. 2. l. IV. de Febr. cap. XII.*

(*) In epidemica scarlatina Hauniensi, de qua paullo ante mentionem feci, parotides supervenientes, quamvis suppurarent, lethum afferebant. Nisi enim primis morbi diebus ægros suffocabat, eos per quatuor hebdomadas excruciabant, donec languore perirent.

MEZA *l. c.* §. 167. ROSENIUS vero in scarlatina epidemica ann. 1741. Upsaliæ observata testatur, tumores parotidum, & glandularum maxillarium non fuisse perniciosos, & paullatim sponte resolutos esse. *Traité des malad. des Enfans chap. XIV. p.* 281.

(*b*) Teste HAENIO *Febr. division. divis. VI.* §. 2.

(*c*) *L. c. hist. XI.* (*d*) *L. c. p.* 25.

§. 72. Magnam cum priori affinitatem habet

epidemica scarlatina, quam Catalauni, et in quibusdam Regni Gallici locis anno 1751. vidit NAVIERIUS (*a*). Quia vero nihil magis cum ad cognoscendum, tum ad medendum confert, quam accurata eorum, quæ in morbis contingunt, enarratio; idcirco nec grave, nec inutile fore existimo, si in hac quoque breviter describenda consistamus. *Per febrem admodum vehementem se manifestavit, quæ animi deliquiis, lassitudinibus spontaneis, capitis, fauciumque doloribus, deglutionem impedientibus comitata erat. Secundo die, et sæpe post viginti quatuor, vel triginta horas in toto corpore maculæ rubræ, vivido scarlatino colore, latæ, manus magnitudinem sæpe excedentes, figuræ irregularis, et dorsum, pectus, femora, et nates sæpe ita tegentes, ut unica tantum esse videretur, apparuerunt. Hæ maculæ, quovis fere momento disparentes se in alia loca erysipelatis more conferre videbantur, in quibus antea non fuerant. Manus easdem tangens calorem vividum, et ardentem, præcipue in adultis sentiebat, et cutis ruberrima digito compressa albescens, remoto digito statim rursus rufescebat. Pulsus parvus, et frequens erat, et respiratio difficilis, et intercepta, et singultuosa in plurimis esse videbatur. Halituosus vapor e pulmonibus egrediens adeo calidus, et urens deprehendebatur, ut unusquisque hunc percipiens faciem ab ægro statim avertere cogeretur. Hæc febris etiam interdum cum manuum, et brachiorum inflatione conjuncta fuit, integrasque familias aut insimul, aut successive invasit*. Quibusdam *lingua* erat *valde sicca*, plurimis vero *humida*, et venter *flatibus distentus*. *Iis* qui ab atroci hoc malo evadebant, *epidermis quinto, vel sexto die per squamas decidebat, quin immo adolescenti tredecim vel quatuordecim annorum tota manus, pedisque cuticula exceptis unguibus* secessit; quibus vero non illico in *primo morbi*

A Navierio descripta.

impetu succurrebatur, *escharæ gangrænosæ in fundo faucium versus arcum*, *et velum palati* superveniebant, et ita celeriter proserpebant, ut *œsophagum*, *asperamque arteriam ante* occuparent, *quam* illæ percipi, curarique possent. Quare non pauci e medio tollebantur. Notandum præterea est, nonnullos hoc morbo *affectos quarto vel quinto die* non secus periisse, *ac si* gangrænosa pulmonum inflammatione *suffocati essent*. *Alios post vehemens delirium morientes magnam saniei quantitatem per os*, *et nares* reddidisse; et rubras antea maculas *post mortem in quibusdam prorsus* violaceas evasisse. Hanc porro lucem, subjicit auctor, *in infantibus longe mitiorem*, quod minor, fuisse, faciliusque remediis obtemperasse (*b*).

(*a*) *Dissert. en forme de Lettre sur plusieurs maladies populaires &c. A Paris* 1753.

(*b*) *Comm. de reb. in Scient. nat. & med. gest. Vol. IV. P.* 2. *p.* 338.

Scarlatina epidemica ann. 1770. et 1771. Vindobonæ.

§. 73. Sub initium hiemis ann. 1770. et 1771. Vindobonæ, post prægressam febrium intermittentium constitutionem, malignæ et epidemicæ quædam Scarlatinæ insurrexerunt, quarum HAENIUS (*a*), et ANDREAS KIRCHVOGELIUS historiam nobis reliquerunt. Præcipua earum symptomata, quibus formidabiles reddebantur, fuerunt convulsiones, coma, delirium, et non raro etiam *angina inflammatoria*, quæ, nisi propere apta medendi ratione coerceretur, gangræna, et sphacelo terminabatur, ægrosque citissime (*b*) jugulabat. Se non adeo exitiosæ profecto hæ visæ sunt, uti illæ NAVIERII, neque semper cum angina gangrænosa conjungebatur. Plerique enim ex his decumbentes, si rite curarentur, feliciter evadebant, et servabantur, quemadmodum KIRCKVOGELIUS testatur.

(*a*) *Rat. contin. P. I. cap. VII.*

(*b*) *Diar. med. Practic. cap.* 3. *p.* 29.

§. 74. *Complicatæ*, sive mixti generis, partim nempe *maculosæ*, partim *pustularis* (§. 62.) exemplum depromimus ex illa epidemica Scarlatina, quam Cl. LORRYUS, constitutionem referens morborum ann. 1777., *erysipelas universale* nominavit (*a*). Perniciosissima ejus natura, et peculiaria symptomata, quorum cognitio Tironibus plurimum lucis afferet, merentur profecto, ut tota ejus historia, quam accuratissime memoriæ prodidit idem vir præstantissimus, hic exscribatur. Crebri omnino fuerant antea, erantque adhuc illo anno morbi exanthematici febriles, videlicet morbilli, erysipelata, febris scarlatina, aliæque cutaneæ eruptiones. *Scarlatinæ* vero huic, de qua loquitur, non modo pueri, sed etiam qui in prima adolescentia constituti erant, quam maxime obnoxii fuere. Post brevem horrorem accedebat vehementissima febris cum summo et quasi igneo cutis ardore, lingua sicca, gutture rubente, inflammatoque, oculis scintillantibus, labiis aridis, quorum superius etiam tumebat. Mox obfuscabatur caput; et quamquam ægri rite responsa darent interroganti, difficulter tamen adduci poterant ad loquendum. Respiratio interim erat sublimis, celeris, calida. Subinde vomituritio e torpore, et silentio eos excutiebat, immo vomitus etiam corripiebat, quo magno cum conatu ejiciebantur vere porracea, et quandoque manifesto acida, sed sine levamine. Alvus adstricta nihil reddebat, et copiosæ urinæ aqueæ fluebant. In hoc prope statu quatuor et viginti horæ exigebantur, quarum decursu aliquando febris exacerbari videbatur, nec deerat aliqua, etsi obscura, mentis aberratio. Primum morbi stadium hoc dicerem, sive initium. Exemplum mixti generis.

(a) *Histor. de la Societ. Roy. de Méde . T. 2. Memoir. p. 7.*

Eruptio. §. 75. Transacto hujusmodi temporis spatio incipiebant apparere quædam maculæ rubræ sejunctæ, et discretæ in manibus, brachiis, lumbis, et facie. Nequaquam tamen ex hac eruptione symptomata minuebantur. Respiratio permanebat æque difficilis, celeris, ac sublimis, ut antea, de qua ægri nullo modo querebantur, quasi eam nec perciperent, nec agnoscerent, quod in morbis quibusque malum semper signum deprehendi. Pulsus tum erat durus, contractus, et frequentissimus; urinæ vero crudæ, aqueæ, calentissimæ. Paullatim maculæ modo memoratæ dilatabantur, ita ut intra sex horas a prima earum apparitione universum corpus a capite ad pedes usque rubore summo suffunderetur. Principio rubor iste pressione albicabat, non ita vero progressu, nam immutabilis, et omnino constans fiebat. Cutis tactui aspera, et granulis minutis conspersa, ardensque admodum reperiebatur. Increscebatque malum celeriter inter duodecim horarum intervallum, ut non solum tota exterior cutis facies valde tumida extaret, dura, tensa, et quasi corio similis, verum tota etiam cellu-

Incrementum. laris tela intumesceret, et totius pene corporis formam alteraret. Hinc labia, nasus, collum in tumorem enormem attollebantur. Tumor autem non erat mollis, et aqueus, ut in œdemate, sed renitens, et durus. Cutis ferme sensus expers videbatur, sed tanto exardebat calore, ut digiti ad pulsum explorandum appliciti, si aliquandiu ibi moram traherent, veluti ab igne adurerentur. In hoc altero morbi stadio, sive augmento, et vigore ægri nihil querebantur, sed stupidi, et plerumque taciti desipiebant. Os siccum, et linguam nigricantem etsi haberent, non tamen sitiebant, aut potum ullum petebant. Respiratio vix dici potest, quantum præceps, et ci-

tata esset. Urinæ inscio sæpe ægro profluebant. Pulsus quoque magis magisque crebri, et celeres fiebant.

§. 76. Elapsis in hujusmodi stadio circiter sex horis, ungues jam nigricabant. Interdum alvus, quæ adstricta eousque fuerat, sponte laxabatur, prodeuntibus excrementis partim viridibus, partim sanguineis. Sæpe phylictænæ in cute oriebantur, quæ si gangrænosæ essent, tumor subsidebat, et cutis ipsa flaccescebat. Generatim partes omnes paucis horis ante mortem detumescebant, et molliebantur; deinde leves convulsiones obortæ proximam mortem portendebant. Post mortem livor cutim fœdabat, quæ pustulis minutis conspersa, atque aspera speciem ejus exhibebat, quam injectiones anatomicæ repleverint. Pustulæ vero hujusmodi num ad morbillos, aut ad miliaria spectarent, non satis liquet ex Lorryana descriptione. Si tamen ad morborum tunc grassantium constitutionem respiciatur, inter quos morbilli certe non infimum locum habebant, ad hos potius referendæ viderentur. Exitii signa.

§. 77. Quod si morbi perniciosa vis non tanta esset, ut omnem adimeret spem salutis, tunc paullatim symptomata mitigabantur, et plerumque narium hæmorrhagia superveniebat, quæ, etsi malum non integre judicaret, valde tamen sublevabat. Oculi, qui aridi, et prope ustulati erant, incipiebant humescere, et lacrymas fundere. Circa septimam tussis se se manifestius exserebat, sed nihil notatu dignum excreabatur. Interdum copiosus salivæ fluxus movebatur, et alvus laxata dejiciebat biliosa multa. Epidermis demum sensim decedebat, artubus interim, præsertim inferioribus perpetuo humido vapore, atque Boni exitus signa.

halitu madentibus. Non tamen morbus finem attingebat ante XIV. vel XXI. diem. Eo vero superato, tussis molesta, et diutinæ oculorum affectiones aliquandiu adhuc eos, qui feliciter evaserant, divexabant.

Alterum mixti generis exemplum. §. 78. Non possum mihi temperare, quin aliam *Scarlatinæ*, mixti generis (*), nempe cum exanthemate miliari *complicatæ* historiam priori adjiciam; idque eo libentius duabus de caussis faciam, primum quod hæc multo minus exitiosa extitit, deinde quod ab illustri, et medendi laude percelebri Medico, Archiatr. Cæsar. Comite, ANTONIO STORCKIO, cujus sæpe observationibus utimur accuratissime scripta suppeditatur, nobisque ea videtur, quæ minus exercitatis quibusque quam maxime profutura sit. Exscribam igitur ferme totam ex ejus ipsissimis verbis. Mense Novembri ann. 1759. cum Vindobonæ in Nosocomio Pazmariano ex febri continua catarrhali, cui sæpe miliaria exanthemata superveniebant, multi decumberent, alia febris non paucos corripuit, quæ primis diebus valde mitis videbatur. „ Etenim

Principium. levis tantum, et obtusus aderat capitis dolor, appetitus languit, pulsus fuit naturali paullo celerior, nec tamen plenus, nec durus, nec suppressus, sitis mediocris, lingua humida, alba, oculi solito minus vivaces. Alvus quotidie naturalis prodiit, urina crassam in medio nubem gessit.

Augmentum. Incipiente QUARTO die omnia symptomata subito exacerbata sunt. Pulsus summa violentia exagitabatur, ita quidem, ut eodem die binæ, ternæve sat largæ venæsectiones debuerint institui, caput acutissime doluit, in pectore orta est anxietas, et respirandi magnus labor, lingua fuit aridissima, oculi rubore suffusi sunt, et protuberarunt, sitis immaniter augebatur, totum corpus, maxi-

me vero extrema, calor urens invasit; urina fuit ruberrima, crassa, quasi multo sanguine tincta; accessit delirium, sopor, corporis inquietudo. Factis necessariis venæsectionibus, et dato copiosissimo potu diluente nitroso, sub finem diei quarti tota cutis aspera, seu anserina apparuit, et mox rubuit colore scarlatino. Nullum tamen symptoma inde levatum est, et ægri frequenter tussitarunt, et noctem habuerunt admodum inquietam". Eruptio scarlatina.

(*) Mixti generis fuit etiam scarlatina ann. 1741. a ROSENIO descripta, quæ, etsi cum angina inflammatoria conjungeretur, non tamen valde mortifera visa est.

§. 79. „ QUINTO die, prægresso per universum corpus largo sudore, remisit calor urens, et tussitatio; mox pruritus cutim occupavit, dein visæ sunt numerosæ pustulæ albicantes, opacæ, diversæ magnitudinis, et figuræ, quædam ex his confluentes sat magnas vesicas efformarunt. Pustulæ hæ densissimo agmine collum, pectus, et abdomen obsederunt; in facie autem erant nullæ, in extremitatibus paucæ. Factis his eruptionibus quidam ægris se multo melius habuerunt; disparuit enim sopor, abiit delirium; sitis, et pulsus velocitas imminutæ sunt. Immo pulsus in quibusdam fuit adeo bonus, et æqualis, et omnia symptomata adeo mitia, ut totum opus soli naturæ tuto nunc potuerit committi. Aliqui autem manserunt soporosi; continuo delirarunt; eorum pulsus fuit debilis, inæqualis, intermittens; urinam et fæces inscie dimiserunt, tendines substiterunt, et artus convulsionibus exagitati sunt. SEXTA die in eodem statu perstitere. Eruptio militaris. Effectus varius.

§. 80. „ In principio SEPTIMI diei ortus est horror; dein ingens frigus omnia membra perrepsit, Horror et frigus crisim præcedens.

quod ultra horam duravit, extrema reddidit gelida, rigida, et tantam induxit virium prostrationem, ut mortem allaturum videretur. Cessante tamen hoc frigore mox ægri ad se redierunt, nec delirarunt amplius, pulsus fuit æqualis, liber, minus velox, et ab eo tempore vires auctæ sunt, nec ullæ convulsiones, aut tendinum subsultus amplius observabantur; in quibusdam febris fere penitus desiit. Eodem adhuc die pustulæ omnes magis elevatæ sunt, et redditæ pellucidæ; etenim limpidissima lympha videbantur repletæ; color scarlatinus cœpit evanescere, et sitis imminui; urina fuit crassa, turbida, et copiosissimum sedimentum subfuscum deposuit".

Nova materiæ miliaris secretio per pustulas crystallinas.

Horripilatio novam eruptionem antecedens.

§. 81. „ Ægri qui QUINTO die magnum levamen perceperunt (§. 79.), et habuere symptomata admodum mitia, ii SEPTIMO die levem tantum horripilationem perceperunt; pulsus fuit paullo celerior, et pustulæ magis repletæ sunt, et cœperunt pellucere; reliqua autem omnia optimo in statu permanserunt. OCTAVO die nihil mutatum est, nisi quod iis qui SEPTIMO die male habuerunt, aliquoties alvus biliosa, liquida, fœtida cum magna euphoria prodierit: iis vero alvus fuit naturalis, qui minorem septimo die molestiam perceperunt. NONO die febris fuit admodum exigua; urina fere naturalis; alvi profluvium siluit; color scarlatinus sensim in naturalem abiit; pustulæ partim ruptæ sunt, et limpidum serum fuderunt, partim conciderunt, et exsiccatæ sunt. DECIMO die tota fere cutis naturalem colorem habuit, et omnia erant meliora, et quidam ex his ægris ab omni febre liberi, jam per aliquot horas extra lectum fuerunt. UNDECIMO die in omnibus desiit febris, rediit appetitus, epidermis lamellatim secessit, intra pau-

Miliaria crystallina. Quibus alvus laxata, et quibus non?

Purpuræ et pustularum finis.

Finis febris.

eos dies viguerunt vires, et valetudo fuit integerrima (*a*)". Mixti pariter generis *scarlatina*, maligna, et epidemica fuit, quam in Cephaleniæ urbe, vicinisque locis anno 1763. grassantem vidit Amicus meus ANGELUS ZULATTUS (*b*). Cum magna primarum viarum cacochylia, multaque lumbricorum congerie sic copulabatur, ut solo alvi fluxu vel spontaneo, vel arte concitato pessima ejus symptomata, uti delirium, convulsiones, parotidum tumores, fauciumque inflammatio feliciter, et plene tollerentur.

(*a*) *Ann. medic. secund. p.* 46.

(*b*) *Giornale di Medicina di Pietro* ORTESCHI *T.* 2. *Num. XXIX.* Ubi absolutissima ejus historia inserta legitur. Quæ cum multa contineat, quæ morbum illum, caussas ejus, curationemque plurimum illustrant, rem gratam tironibus me facere confido, si eam hic breviter transcripsero. Hiemi præhumidæ nec multum frigidæ successit ver siccum, & solito frigidius. Siccitas autem tanta fuit, ut per quatuor subsequentes menses nulli imbres deciderint, & ne rores quidem nocturni, qui calorem, & siccitatem illius Insulæ temperare solent, adfuerint. Mense Majo ad finem vergente tempestas repente in calidam, & opprimentem mutata est. Tunc præter febres tertianas duplices continuas Purpura scarlatina tam in urbe quam in vicinis pagis vagari cœpit, pueros præsertim, & adolescentes utriusque sexus corripiens, immunibus, qui annum vigesimum prætergressi erant, relictis. In aliquibus morbus incipiebat ab horroribus vagis cum virium dejectione, & acutissimo capitis dolore; in aliis a subitanea lassitudine cum intolerabili totius corporis ardore. Fere omnes querebantur appetitus defectum, sitim magnam, atque inexplebilem, oris ariditatem, amaritiemque, & membra veluti fracta. His præterea lingua erat sordida, muco albo, & viscido obducta, & nausea perpetua, quam interdum excipiebant vomitus spontanei aquosi, spumidi, flavi, atque amari. Secundo, tertio, aut quarto die a febris, quæ semper vehemens

erat, accessu collum primum, deinde totum corpus rubore suffundebatur. Rubor autem magis, vel minus intensus apparebat, prout morbus gravior, vel mitior erat futurus. Rubore non minus erat cutis ardor, & siccitas, quibuscum conjungebatur. Colorem hunc vere purpureum hic illic interstinguebant quædam minutissimæ bullulæ, non valde elatæ, semina sinapios magnitudine æquantes interdum etiam minores. Exanthematica ejusmodi eruptione non febris, non ejus symptomata minuebantur, immo atrocius mox capitis dolor intendebatur; pectoris oppressio, anxietas, & inquietudo magis assidue premebant. Nonnunquam accedebat etiam delirium: immo infantes inter brevem, interruptumque somnum subinde convellebantur. Punctiones vero, sive mavis morsus, quos circa cordis scrobiculum percipiebant, molestiores fiebant. In plerisque alvus adstricta erat. Hi febri vehementiore, & gravioribus symptomatibus afficiebantur. In aliis jam ab initio fluebat, egrediebaturque fœtentissima, crocea lumbricis permixta; atque in his mitior morbus erat. Quibusdam pueris, qui videlicet facie pallebant, & macilentiores videbantur, lumbrici non pauci tam ore quam ano sponte, & sine aliis excrementis prodibant, modo vivi & vegeti, modo mortui, & corrupti. Per utramque hanc viam spatio quatuor dierum amplius quinquaginta lumbrici a puella duodecim annorum excreti sunt. Fere omnibus post quartum diem dolor, tumorque parotidum superveniebat. Quibus hujusmodi tumor deerat, fauces inflammatione tentabantur, & difficilis deglutitio evadebat. Paucissimi ab alterutro incommodo liberi extitere. Nemini parotides suppurabantur. Resolvebantur enim modo citius, modo tardius, prout rubor & febris evanescebant, & prout dejectionibus morbi fomes depellebatur. Satis erat eas inungere linimento aliquo, cui camphora adjecta esset. Eodem pariter ordine, eademque naturæ providentia faucium inflammatio minuebatur. Huic profuit magnopere aqua hordei leviter aceto rosaceo imbuta. Die septimo, aut etiam ante, in breviori morbo; in longiori vero die undecimo, duodecimo, aut decimo quarto robur quadam quasi tenuissima farina aspergi videbatur, qua sen-

sim cuticula albescebat, principio in superioribus partibus facto. Tunc sic pruriebat cutis, ut scabere eam oblectamento esset. Sic farina illa secedens, aut cuticula in squama soluta decidebat. Tum febris cito mitigabatur; interdum etiam ex toto cessabat, etsi adhuc ad aliquot dies rubor persisteret. Appetitus redibat cum somno longiori, & pacatiori. Sudor vero nullus erumpebat, nisi discusso penitus scarlatino rubore. Urinæ quæ inter initia parcæ, tenues, & aqueæ fluebant; progressu, & inclinatione uberiores, & saturatiores factæ sunt. Hinc vires, & sanitas redintegrabantur. Qua ratione curatio instituta sit, referam infra.

§. 82. Quam dedimus Scarlatinæ malignæ, atque ejus differentiarum descriptionem (§. 69. ad 81.) sic puto exemplis opportune, et diffuse adductis illustratam, ut plana atque expedita sit cuicunque ad rectam diagnosim via. Superesset, ut de caussis aliquid dicerem; verum hæ satis expositæ fuerunt, ubi de scarlatina benigna (§. 63.) retulimus. Nam, si quid discriminis inter eas est, in gradu, copia, et potentia majori omnino positum videtur. Quare etiam illud consequitur, ut maligna non modo plus gravitatis et periculi habeat, sed etiam sæpe mortifera animadvertatur. Jure igitur SENNERTUS scripsit, *malum hoc grave, ac periculosum, et sæpe lethale* esse (*a*). Anginosa, sive aphthosa (§. 71.) et præ ceteris epidemica, et mixta (§. 74.) plerumque, ut notavimus, in lethalem gangrænam et horribilem strangulatum desinit. Quæ a LORRYO observata fuit (§. 74.) majorem ægrotantium partem enecabat, nequidquam proficientibus quibuscumque artis selectioribus adjumentis. Non ita vero contigit scarlatinæ mixti generis malignæ, et verminosæ a Cl. ZULATTO descriptæ (§. 81.) quippe quæ rite curata neminem occidit.

Diagnosis.

Caussæ.

Prognosis.

(*a*) *Loc. cit.*

MALIGNÆ CURATIO.

Purgatio. §. 83. Primis statim diebus, antequam Scarlatina erumpat, si cacochyliæ indicia se prodant, lene eccoproticum dari oportet, aut vomitum, si breviori via expellenda videatur, aqua tepida cum oleo subacta, aut oxymele scillitico, aut Ipecacuanha pro ætatis, et virium ratione cieri. Sed nullibi magis emesis necessaria est, quam ubi a miasmate epidemico origo morbi pendere videtur; subtracto enim per vomitum fomite primas vias ingresso multo mitior morbus evadit. Id inprimis perspectum sæpe est in epidemica Scarlatina, cui angina aphthosa, aut gangrænosa adjungitur. Cum autem febris vehemens, calor urentissimus, atque alia symptomata gravissima in hac esse soleant, inflammationisque metus ubique immineat, sanguinem non solum mitti licet, verum necesse etiam est. Id quoque post ipsam eruptionem quarto, et quinto die, immo tardius fieri interdum (*a*) debet. In pestilenti, nimirum ea, in qua parotides, et bubones eruptioni jam factæ superveniebant (§. 71.), sanguinem utiliter mittendum curabat MORTONUS (*b*), et vesicantia adhibebat. Quo in casu largiorem etiam Chinæ chinæ usum proposuit (*c*) HAENIUS. In reliquis methodus antiphlogistica omnino huic quoque accommodanda est, qualem benignæ paullo graviori (§. 66.) convenire supra traditum est. Alvi fluxus minime sistendus est, si primæ viæ sordibus scateant, et vires vigeant. At si immodicus videatur, tunc aliquantulum coerceri decocto albo, absorbentibus, et China-china ad scrupulum unum cum Laudani liquidi SYDENHAMI guttis quatuor ter in die, habita ætatis ratione iterata (*d*).

Sanguinis missio.

Alvi fluxus.

(*a*) MORTON *l. c. Hist. I.* HAEN *l. c.* –
(*b*) *L. c. Hist. XI.* (*c*) HAEN. *l. c. hist. I.*
(*d*) MORTON *l. c. Hist. X.*

§. 84. In ea Scarlatinæ epidemicæ constitutione, quam angina aphthosa comitabatur, a NAVIERIO (§. 72.) descripta, cito vena brachii incidebatur; cum vero delirium, et coma urgeret, jugularium quoque sectio perutilis deprehensa est. Nec aliter in Scarlatina Vindobonensi anni 1771. (§. 73.) se gessit HAENIUS. Reticeri tamen haud debet KIRCHVOGELIUM in eadem ipsissima epidemica constitutione nunquam sanguinis missione usum esse, quamquam angina accederet, et nihilo tamen minus suos ægros feliciter, ut ipse narrat, ad pristinam valetudinem restituisse solo regimine temperato, et diapnoico, victo tenui, et hydromele. Non tamen ideo omnem venæ sectionem ipse rejiciendam putavit: nam *nolim*, inquit, *me hisce omnes venæsectiones reprobare quisque credat, cum easdem præcipue apud adultos quandoque valde necessarias fuisse, et aliquos cum, et sine venæsectione ad plures emigrasse sciam. Interim tamen cum scarlatinam hanc febrim multum priori* (scilicet intermittenti, quæ epidemice antea grassata est) *ut suæ caussæ debere, et potissimum hic suum virus ad fauces deponere observarem, cortice peruviano tam injiciendo quam etiam interne illum dando absque vel unica in meis celebrata venæsectione, quos habui, feliciter curavi* (*a*). Mirum profecto, sed non inauditum, nec insolens videbitur, in eodem morbo, loco, et tempore HAENIUM, et KIRCHVOGELIUM viros sane ab omni medicinæ scientia paratissimos in oppositam omnino de sanguinis missione sententiam ivisse. Illud, ni fallor, tenendum est, nihil hisce de rebus, quod absolute perpetuum habendum sit, decerni generatim posse, sed modo sanguinem recte mitti, modo ab ejus missione abstineri oportere, prout *indicantium*, aut *contraindicantium* potior ratio est. In

Navierii methodus.

Kirchvogelii therapia.

Non tamen venæ sectionem omnem rejicit.

Monita de S. M.

universum in morbis, quos virus aliquod, aut acerrima, et caustica morbifici humoris indoles gignit, etsi inflammatorii videantur, parcius, et rarius sanguinis missione uti expedit (*).

(a) *Diar. med. Pract. l. c.*

(*) Multa jam in superioribus ad hujusmodi controversias dirimendas disceptata sunt, quæ in memoriam redigantur oportet: multa etiam in sequentibus libris, & potissimum ubi de Angina, & Pleuritide sermo habebitur, ad rem illustrandam invenies.

Utilitas purgationis, et vesicantium. Paregorica.

§. 85. Post sanguinis missionem serum lactis Tamarindis, et refrigerantibus plantis alteratum potui ordinario dabat NAVIERIUS. Præ cæteris clysteres iterandos suadebat. A vesicantibus intra scapulas impositis, vel ad suras admotis præclara effecta obtinuit, admiratusque est. Paregoricis, si eis locus esset, ante alvi ductionem refracta tantum dosi utebatur; post purgationem vero, paullo liberaliori. Gangrænam faucium valide arcebat gargarismate ex oxymele et spiritu vini dephlegmato, ut vocant, per salem tartari, in quo soluta esset congrua camphoræ quantitas. Ad eumdem finem, si fauces acerbe dolebant, et colore cinnabarino rubescebant, illico decoctum corticis peruviani aut cicutæ injiciendum; potui vero lac decocto aliquo refrigerante dilutum, vel subinde *emulsum paregoricum nitratum* dandum alii (a) jubebant. HAENIUS oris ulcera, si alba, et vesicularia erant, detergebat applicito succo sedi, sive sempervivi majoris cum melle ex rosis, quod tutissimum est. Ceterum magna cautio adhibenda est in ejusmodi remediorum delectu, atque usu. In summa enim faucium, orisque phlogosi, aut phlegmone, cui dolor intensior adjunctus sit, a calidis, irritantibusque cavere oportet, ne malum exasperent, gangrænam

Gangrenæ faucium quid prosit.

Quid ulceribus oris? Cautela.

que impendentem accelerent. Hinc plerumque præstat leniter gargarizare ex decocto caricarum pinguium cum lacte, aut ex diluto florum sambuci cum pauxillo oxymelis, aut syrupi mororum, aut ex his aliquid in fauces, sed e latere, et leniter per fistulam infundi. Vaporem quoque ex spongia aqua calida, et aceto imbuta, et pectori imposita manantem inspirari proficuum est. Naribus vero siccis, et obstructis prodest linteolum immitti, lacte tepido prius madefactum, idque subinde repeti. Quæ de aphthis tradita sunt alibi (*b*), quæque tradentur in capite de Angina *maligna*, et *gangrænosa*, si huc transferantur, quisque facile intelliget, quodnam cuique casui opportunius auxilium decerni debeat.

(*a*) Kirchvog. *l. c.* (*b*) *Volum. I. §. 226.*

§. 86. Nemo nescit, quantum adversus morbos vere putridos, aut gangrænosos valeat cortex peruvianus. Verum hodie non modo in illis, in quibus languor summus totum corpus occupat, verum etiam in acutissimis atque ardentissimis febribus, ubi certe virium vitalium actiones modum excedunt, fervorque quasi igneus excandescit vehementer, sine ulla cunctatione, et consilio adhiberi eum sæpius vidimus. Quantum vero in effreni adeo motuum omnium insolentia, et ferocitate præstet ab iis, quæ vim cordis, arteriarumque valentius incitant, atque adeo a cortice peruviano ipso abstinere, judicent æqui, expertique rerum æstimatores. Lorryus certe in pessima, et plerumque lethifera scarlatinæ specie, quam ipse curavit (§. 74.), non aliam methodum calidissimo, ardentissimoque morbo adhibendam existimavit, quam refrigerantem, atque antiphlogisticam. Neque satis intelligi pot-

Corticis peruviani usus moderatus.

est, quomodo vir alioquin cautus et prudens ANTON. HAENIUS ingentem corticis vim quotidie ad plures hebdomadas suis ægris ingesserit. In
Refrigerantia. constitutione illa epidemica, quam paullo ante memoravimus, ubi minor, ut ipse scribit, malignitas erat, non minus de ejus extracto dabat in die, quam semunciam; ubi vero major, unciam, et sæpe duplam etiam dosim singulis diebus. Fortasse frigidis in regionibus, atque in corporibus Germanorum audentius eo uti licet; aut qui ad eos pervenit, ita effœtus, aut adulteratus (*), aut iners est, quod non sine caussa suspicor, ut largiori etiam manu datus vix, ac ne vix quidem hominem moveat.

(*) Et facilius lucri caussa adulterari potest corticis extractum; nam HAENIUS cum plerisque aliis Germaniæ medicis *extractum* adhibere consueverat. Genuinum, & sincerum, quod paucum e multo cortice educitur, magno pretio venit. Additione igitur alienarum rerum, vel aliarum plantarum nostratium *extractis*, ejus quantitatem augent pharmacopolæ, sicque majus sibi comparant lucrum. Neque ab ejusmodi fraudibus alieni sunt pharmacopolæ in Germania, quorum lucrandi cupiditas nuper certissimis documentis innotuit, & meritas pœnas dedit.

§. 87. Præter ista vero, quæ faucium gangrænam aut antevertunt, aut coercent, tam interne sumpta, quam in fauces injecta, aut gargarismatis forma usurpata, extrinsecus quoque quædam admoventur, quæ morbi vim foras avocent. Idem
Topica. HAENIUS vesicantia ex cantharidibus, aut cataplasmata cum sinapi circa collum duci imperabat, antiquissimorum exemplum medicorum sequutus, qui acribus et salitis cutem in faucium inflam-
Cautio. matione exulcerare consueverant. Nos quando dolor et fervor nimiam irritationem adesse, et ex hac caussa gangrænæ metum augeri ostendunt,

fomenta anodyna, et simul antiseptica ex genere temperantium, et antiphlogisticorum ceteris anteponimus. Decocta florum sambuci, et malvæ aceto mixta et leniter calentia ad id aptissima censentur. Immo cataplasmata ex malva, et semine lini, et mica panis lacti incoctis aptissima sunt, dummodo sæpe iterentur, ne frigescant. Nec fortasse undique probanda est illa nimia in purpura scarlatina alvum ducendi et mittendi sanguinem HAENII liberalitas, quæ in historiis ab eo enarratis ubique elucet. Neque in his laudanda nimia ejus proclivitas, qua ferebatur in regimen refrigerans, ut nimis crebro ægris permitteret e lecto surgere, et cutis exspirationem intercipere. His fortasse de caussis factum est, ut ejus ægroti gravibus, insolitisque vicissitudinibus subjicerentur, et diutius, quam par fuisset, morbo conflictarentur. Temeritatis ejusmodi pœnas sæpe luisse miseros ægrotantes ex multorum fide, et testimonio compertum habemus. Subitæ enim, et mortiferæ metastases inde sequuntur. Cum autem sive regimine frigido, sive alvi ductione, sive missione sanguinis temere, inconsultoque instituta, vel alio quocunque casu Purpura Scarlatina retrocesserit, et periculosa symptomata inde enascantur, quantocius enitendum est, ut revocetur extrorsum. Quem in finem sæpe feliciter vesicantibus extrinsecus, intrinsecus vero camphora, et potu calido usus est KIRCHVOGELIUS. Sed hic maxime administranda celerrime sunt, quæ alias (*a*) a nobis proposita et commendata fuere. Ceterum salubres naturæ motus, quando neque excedunt, neque deficiunt, observandi omnino sunt, iisque favere oportet potu acidulo, tepenti, et leniter diaphoretico, et victu tenui, antiputrido et sustinendis viribus opportuno, donec morbus ad declinationem, et

Limitatio purgationis et phlebotomia.

Regressui scarlatinæ quomodo succurrendum.

finem perveniat, rubore evanescente paullatim, et secedente in lamellas epidermide. Tunc demum, ut in benigna, alvus semel, iterumque leni medicamento ducenda est (*).

(a) Volumen I. §. 299.

(*) Quoniam supra (§. 81.) historiam Purpuræ Scarlatinæ epidemicæ, malignæ, & mixti generis a Cl. ZULATTO conscriptam retuli, æquum sane est, ut ejus etiam curandæ ratio simplicissima, qua tuto, jucunde, & feliciter usus est, hic non prætermittatur. Mox ab ingruente ejusmodi morbo cognovit, eum ex multigena ventriculi, intestinorumque cacochylia originem ducere, ut ex amaro oris sapore, halituque fœtido, ex lingua sordida, & mucosa, ex appetitu dejecto, nausea, vomitibus spontaneis, vermium complurium excretione, dejectionibus olidissimis, & conferentibus patebat. Hinc eo animum direxit, ut primæ viæ ab hac sordium colluvie confestim expiarentur, promota videlicet, ubi aderat, diarrhœa, aut ubi abesset, leniter excitata. Quamobrem medicamentum catharticum, atque antelminthicum, quod constabat ex Rhabarbari binis drachmis, Jalapæ drachma una cum dimidia, & seminum Santonici drachma una, tenuem in pulverem redactis, & unciis tribus aquæ fœniculi, Theriacalis vero duabus in liquidam mixturam dilutis. Hujus autem mixturæ pro ætatis, roboris, temperamenti ægrotantium ratione, & pro vario morbi gradu dabantur quotidie tria, quatuor, quinque, modo plura, modo pauciora cochlearia, justis intervallis discreta, donec venter solveretur. Postea medicamenti dosis excretionibus accommodabatur; sic ut modum non excederent, sed pergerent saburram educere. Nec alio usque ad morbi finem opus erat auxilio. Post primas dejectiones continuo mitigabantur symptomata, præsertim capitis dolor, convulsiones, inflammatio faucium, & ventriculi morsus. Hinc quoque rubor ex intensissimo in roseum dilutum desinebat. Nec pruritus, qui optime præsagiebat, diu cunctabatur accedere, & pulsus molliri, & dilatari. Quinque vel sex intra horas viginti quatuor dejectiones satis erant ad hæc bona præstanda in aliquibus: in

aliis pluribus opus erat pro cacochyliæ putridæ quantitate, ac vi. In parvis pueris plerumque una remedii præscriptio & non iterata omnem morbum debellabat; in grandioribus interdum iterabatur, sed nunquam tota absumebatur. Hæc erat communissima, & certissima, qua utebatur, curationis ratio. Fatetur tamen interdum etiam sanguinis missionem adhibuisse, ut aliquod symptoma periculosum averteret. Id autem auxilii genus utile fuit, quando pulsus durus, & plenus, & dolor capitis atrox exigebant aliquod moderamen. Sanguis eductus nunquam crustam phlogisticam exhibuit. Interdum quoque vesicantibus locus dabatur, nempe ubi sopor gravis opprimeret. Sed nihil catharsi fuit præstantius, & efficacius. Diæteticum autem regimen in eo consistebat, ut solis panatellis ex aqua decoctis, aut pane aqua pura intincto vescerentur. Carnes enim, aut earum jura febrim, & ruborem augebant. Potui dabatur aqua pura, aut nitro imbuta, liberali manu. Stragulis moderate tegebantur in lecto; aer pluries recens, & purus per fenestras intra diem admittebatur. Et quidquid alexipharmaci, aut sudoriferi speciem haberet, exulare jussum est. Sic tota febrium scarlatinarum cohors, quas curandas habuit, feliciter devicta fuit.

MORBI SECUNDARII,

SIVE

ALTERA SCARLATINÆ PERIODUS.

§. 88. At experientia demonstravit sæpissime, resoluta purpura scarlatina, desquamataque jam epidermide, ægros e morbo convalescentes, si regimen diaphoreticum negligant, aut se aeri libero, aut frigidiusculo incaute objiciant, aut non perfectam crisim habuerint, modo repente, modo paucis post diebus, modo circa diem vigesimam primam, quandoque etiam serius (*), incidere in alia gravissima mala, eorumque complures e medio tolli. Neque id tantummodo accidit mali- *Noxa aeris frigidi.*

gnis, aut epidemicis purpuris scarlatinis, utpote huic infortunio frequentius obnoxiæ sunt, verum etiam benignis, et regularibus, licet multo rarius, quemadmodum constat ex fidissimis clinicorum (a) testimoniis. Hæc vocatur *secunda scarlatinæ periodus*, sive *secundum stadium* (b), quemadmodum febris, quæ variolas confluentes, aut malignas subsequitur, *secundariæ* nomen apud plerosque obtinuit.

(*) Exemplum œdematis universalis, in quod die trigesima a morbi initio, cum jamdiu a febre, & scarlatina vacuus esset, homo quidam incidit ex eo, quod e cubiculo ad auram puriorem inspirandam prodierat, affertur a Medico Florentino solertissimo, Aloysio Nerio in quodam suo opusculo. Vid. *Avvisi sopra la salute umana Volum.* 3. *p.* 262.

(a) *Ibid.* (b) Heist. *compend. med. l. c.*

Multiplex morbi genus.

§. 89. Mala autem ista (§. 88.), quamvis ab una eademque caussa manantia, multiplicis tamen generis sunt, prout nimirum acris humor, qui difflari per cutis spiracula debuisset, has vel illas partes aggreditur. In quibusdam ad articulos artuum extremorum delatus dolorem, et ruborem, ut in arthriticis (a), excitat. In aliis glandulas lymphaticas occupat, unde hæ intumescunt, indurantur, et (b) dolent. Sæpissime in pulmones fertur, et respirationem reddit difficilem, et quasi suffocantem; si vero in caput, et cerebrum impetum faciat, mox deliria, convulsiones, et mors (c) subsequuntur. Sed omnium frequentissimus est tumor œdematodes, aut leucophlegmaticus, quo totus corporis habitus, vel aliquæ ejus partes cum urina plerumque pauca, turbida, et fusca, ac quandoque omnino suppressa (*) tentantur. Id a Sennerto jam animadversum video, nam post cutis desquamationem, *mox pedes*, inquit, *ad talos, et suras usque intume-*

Frequentior tumor œdematosus.

scunt, hypochondria læduntur; respiratio difficilior redditur, tandemque abdomen intumescit, ægrique non sine magno labore, et post longum tempus pristinæ sanitati restituuntur; sæpe etiam (d) moriuntur.

(a) SENNERT. *De febr. l. 4. cap. XII. de variol. & morbill. p.* 178. *(b)* HEIST. *l. c.* *(c)* HAEN. *l. c.*
(*) In hac altera periodo ROSENIUS vidit urinas non modo paucas, sed colore aquam, in qua recens caro lota est, referentes. Vid. *Trait. cit. version. gallic. p.* 281. *(d) L. c.*

Tumor iste duplicis naturæ, calidus, et frigidus.

§. 90. Tumor vero iste, quo corpus inflari et turgescere dixi, duplex esse consuevit; alter, ut ita loquar, calidus; alter frigidus: quæ differentia notari maxime debet, ut curatio diversæ ejus naturæ accommodari possit. Frigidum eum voco, qui veri œdematis, aut anasarcæ speciem refert, et albus, et mollis, et aquosus, et nequaquam tactui calens apparet, et cum debilitate totius corporis, appetitus defectu, pulsu humili, languido, non duro, neque febrili conjungitur: contra calidum, qui magis ad leucophlegmatiam accedit, et durus est, et renititur, nec vestigia digiti prementis recipit, et manui calorem acrem, sive pungentem exhibet, stipaturque pulsu duro, crebro, celeri, et febrili, spirandi difficultate, stertore, lingua sicca, et alba, siti plerumque ardenti, interdum non magna; urinisque paucissimis, et pene deficientibus. Primi, ni fallor, qui hanc perutilem, veramque differentiam animadverterunt, videntur fuisse Medici Florentini (*a*), quorum etiam ingenio excellenti, et clinicis, anatomicisque disquisitionibus jam ab annis amplius sexaginta debemus non modo hujusce morbi veram pathologiam, sed optimam quoque, et prope certam curandi rationem. Cum enim Florentiæ circa annum 1717. quam plurimi purpura

Primi qui morbum recte noverint, Florentini.

scarlatina epidemica implicarentur, et omnes decima quarta circiter die simplici Sydenhamiana methodo feliciter sanarentur; observatum est, convalescentium aliquos circa vigesimam primam diem cœpisse queri *de aliqua respirationis gravitate*, *modica tussi*, *atque aliquo oculorum*, *faciei*, *et externarum gutturis partium œdemate*, *quibus phænomenis succedebat febris*, *iisque ingravescentibus*, *præsertim œdemate*, *quod universale fiebat*, *cum levi thoracis dolore*, *abdominis tensione*, *et aliquando torminibus*, *et omnimoda urinarum suppressione ad interitum festinabant diureticis tractati* (*b*). Medici hinc solertiores mortuorum cadavera secuerunt, inveneruntque pulmones, pleuram, intercostales musculos, diaphragma, renes, et intestina *plus*, *minusque* inflammatione correpta. Quamobrem in eam venerunt sententiam, ut peripneumoniam, quam metastasis materiæ morbificæ non ex toto evacuatæ induxerat, pro primario morbo habendam crederent; tumorem vero leucophlegmaticum pro ejus symptomate, sive effectu secundario. Inflammatis enim pulmonibus, ceterisque partibus respirationi dicatis, ac proinde humorum per præcordia circuitu pene intercepto, facile intelligebant, cur, retardato per venas tum sanguinem, tum lympham vehentes refluxu, et hinc inhibita serosi laticis e cellulosis cavis absorptione, totus corporis ambitus retenta viscidiore, et crassiore ejus parte turgeret, et præter morem intumesceret. Quapropter in aliis, qui in hujusmodi morbum inciderunt, sanguis mitti cœptus est ex brachio, et, si opus erat, etiam iterato, et *sic omnes sanabantur*, felici eventu consilii bonitatem comprobante (*c*).

Cur sanguis missus remedio sit?

(*a*) *Avvis. sopra la sal. um. T. 3. N. 5.*

(*b*) Jo. Calvus *comment. de hodierna etrusca Clinica*. Extat in Roncalli Parolini *Medicina Europæ p. 333.* (*c*) *Ibid.*

§. 91. Neque in illa tantum epidemica constitutione id auxilii ex voto cessit, verum etiam deinceps in reliquis annis, quotiescumque convalescentibus ex hujusmodi exanthematico morbo supervenit tumor iste leucophlegmaticus, febrim comitem habens, et reliquas notas calidi œdematis præseferens; etsi non ab interna pulmonum, aliorumque viscerum inflammatoria congestione ortus videretur, sed a solo telæ cellularis infarctu, quem retenta expirabilis acris materies, ut quandoque usuvenit, peperisset. Hinc jam apud omnes Etruriæ Medicos invaluit, ut non alia hunc affectum, alias lethiferum, methodo oppugnent, quam antiphlogistica, sanguinis videlicet missione, nitro, temperantibus, et subacidis medicamentis (*a*). Calido œdemati semper venæsectio juvit.

(*a*) *Avvis. sopra la sal. uman. l. c.*

§. 92. At vero si corpus, venter, crura, aut aliæ partes vero œdemate frigido, et molli, et sine febri corripiantur, alia omnino curationis ratio adhibenda est. Tunc omnia quæ serosam colluviem blande detrahunt, convenientissima habentur; cujusmodi sunt cathartica subinde repetita, et diuretica tamdiu continuata, donec omne malum resolutum sit. Sed ex his ea eligenda monet Haenius (*a*), quæ simul temperant, et refrigerandi facultate prædita sunt. Nobis ad alvum laxandam ut magis accommodata probantur manna, ejus syrupus, aut conserva, cremor tartari, sal polychrestus, cassiæ flores, aut ejus dilutum. Ubi cathartica ab ægris non admittuntur, et recusantur, clysteres injici possunt ex decocto foliorum sennæ, qui satis valide serosos humores dejiciunt. Ad urinas ciendas a multis hic proponitur Tinctura salis tartari bis, terve in die ad guttas decem, quindecim, aut viginti

Frigidum œdema, quomodo curandum.

Cathartica, et diuretica primas tenent.

ex vehiculo idoneo propinanda, cujus vires etiam nonnulli augere nituntur additione liquoris terræ foliatæ tartari, aut spiritu nitri dulcis. Nitrum quoque largiori manu datum, decocta radicum aperientium, atque oxymel scilliticum syrupo aliquo gratiori mitigatum non carent optato effectu. Interdum in contumaciore malo, ubi etiam non levis de Ascite suspicio erat, pueros in primis sic affectos restitui syrupo cichorei cum Rhabarbaro, et diluto baccarum Juniperi syrupo aliquo aperienti edulcato. Si laxa videatur solidarum partium compages deperditusque earum tonus, ejusmodi remediis utiliter adjicitur cortex peruvianus. Hujus usu reliquis auxiliis interjecto ascitem expugnatum narrat HAENIUS (*b*). Emplastra etiam ex cantharidibus, quæ alias in Anasarca cum emolumento adhiberi solent, hic quoque a VOGELIO (*c*) suadentur. Sudoriferis porro nihil profici, quia cutis obstructa, et impervia eorum vim frustratur, pluries facta pericula (*d*) evincent.

Cortex peruvianus, et vesicantia, quando indicentur.

(*a*) *Rat. cont. l. c.* (*b*) *Ibid.* (*c*) *L. c. §. 156.*
(*d*) HEISTER. & HAEN. *l. c.*

Dolores arthritici, et tumores glandularum simili curatione egent.

§. 93. Simili prorsus medendi ratione doloribus arthriticis, et glandularum tumoribus Scarlatinæ succedentibus (§. 71.) succurrendum est. Nam vel calidam, et inflammatoriam indolem ostendunt, et febri junguntur; vel frigidi, ut vocant, et simpliciter lymphatici, et febris expertes sunt. Priori in casu antiphlogisticis, in altero catharticis, et diureticis uti oportet, ut resolvantur. Inter cathartica Jalapa, et mercurius dulcis, inter diuretica scilla, et millepedes primum locum merentur. Tumoribus glandularum colli, et parotidum non suppurantibus, et diutinis præter cathartica mercurialia linimentum ex oleo amy-

gdalarum dulcium, spiritu salis ammoniaci urinoso, liquore Cornu Cervi succinato, et Camphora multum profuisse in Hauniensi epidemia testatur Cl. MEZA. Celebratur a PLENCIZIO (*a*) auri fulminantis mirifica virtus in hisce morbi successionibus, et speciatim magno in pretio habentur pilulæ WEBERI de TURNBERG, Clinici Austriaci non incelebris, quæ aurum fulminans continent (*). Sed cum aurum fulminans aliis medicamentis per se satis efficacibus, uti mercurio dulci, Rhabarbaro, spiritui salis coagulati, extracto scillæ etc. adjunctum videam, incertum, dubiumque remanet, num bona effecta, quæ inde manare dicuntur, auro fulminanti, an aliis rebus admixtis tribui debeant. Ut ut sit, hoc remedii genus, ubi febris est, et præsertim paullo validior, locum non habere, prudentiores (*b*) existimant.

(*a*) *Op. physico-med. T.III.* Summa ejus tractatus de Scarlatina cum observationibus XVII. annotationibus illustratis inserta est *Fascicul.* 2. *Oper. min. med. & Dissert. a Franc. Xaver.* DE WASSERBERG *collect. p.* 188. (*) *Pilulæ Weberi.*

℞. *Rhei elect. spirit. sal. coagulat. an. drachm. ij, Mercur. dulc. auri fulminant. extract. squillæ an. drachm. j. Rob Junip. q. s. ut f. pil. gran. j. vel ij. auro, argentove absolvend. D. n. j. vel ij. pro ratione ætatis quovis bihorio; sic ut solvatur alvus ter singulis diebus. Sin minus, add. pilulis magisterium Mechoacannæ, aut diagridium sulphurat. aut pilulæ cocchiæ. Superbib. infusum baccar. Juniperi, vel radic. aperient. Post trium, vel quatuor dierum spatium intermittatur ad unum diem. Paregorica dentur vesperi ad sedandum.*

(*b*) HAEN. *rat. contin. P.I. cap. VIII. p.* 146. 147.

§. 94. Reliquum est, ut ægrotantes tranquille decumbant in moderato, æqualique calore, ut blanda, et assidua corporis expiratio habeatur. Quemadmodum vero frigus, aerisque liberioris *Regimen diæteticum.*

afflatus nocumento est, sic nimius calor noxa non caret; ideoque sedulo vitandus. Si vires suppetant, ut in clauso, et temperato cubiculo deambulent, concedi posse non dubitat HEISTERUS (*a*). Victus denique rationem oportet esse morbo accommodatam, temperantem videlicet, aperientem, atque e vegetabilibus potius, quam ex animalium carnibus depromptam.

(*a*) *Comp. med. Pract. Cap. IV.* §. 51.

CAPUT V.

DE EXANTHEMATE URTICATO (*).

§. 95. Levissimum, tutissimumque fere omnium exanthematum illud profecto est, quod ab urticis nuncupatur. Post levem febrem, Diariæ similem, interdum sine febre, erumpit sub papularum ex albo rubentium, discretarum, et cutim ipsam elevantium, et prurientium forma; magnitudine, et specie valde similium illis, quas urticarum punctura, aut vesparum ictus excitat. Hæ pustulæ non modo pueris, sed etiam adultis communes sunt, et totum corpus cito occupant, atque augescunt in exiguorum tuberculorum morem; sed in primis faciem, et collum, et brachia corripiunt, et, si quando sub se cute condunt, pruritum mordacissimum, et vix tolerabilem afferunt, ad levem quamvis fricationem rursus proditurae in conspectum. Quolibet anni tempore apparere solent, plerumque post vini, et subtilium liquorum liberariorem potum (*a*) quandoque sine ulla evidenti occasione (*b*), quamquam non raro id mali viderim ex aliqua ventriculi acri saburra (**), aut e compressa cutis expiratione natum.

(*) SYNONYMA.

Altera erysipelatosæ febris species SYDENHAMII; *Oper. Sect. VI. cap. 6. Effera, Sora, & Sare arabum* SENNERTI, *Med. Pract. l. V. P. I. de tumor. cap. XXVI. Purpura urticata* JUNCKERI, *Tab.* 75. & SCHACHTII, *Instit. med. pract. cap. XI.* §. 6. *Purpura urticata, nonnullis porcelaine, Synops. Med. Tom. I. lib. 2. Sect. IV. p. mihi* 371. *Febris urticata* VOGELII, *de cognosc. & curand. morb.* §. 178. & ALIORUM. *Scarlatina urticata Sauvagesii, Nosol. Clas. 3. ord. I. Gen. 8. spec. 2. Febris rubra pruriginosa* EJUSD. *ib.*

(*a*) SYDENH. *l. c.* (*b*) SWIETEN. §. 723.

(**) Post esum astacorum, mytulorum, echinorum, cancrorum, aliorumque affinium hujusmodi eruptionem fieri, testis est LIEUTAUDIUS, *Synops. med. T. I. l. 2. sect. IV. Cap. cut. macul. & efflorescentiæ.*

§. 96. Quando febris exanthema hujusmodi præcedit, ipsa incipit a vix sensibili cutis extimæ refrigeratione, deinde calorem non magnum exserit cum siti mediocri, aliquaque capitis molestia, vel levissimo ejus dolore, et singulari quadam circa præcordia anxietate, et debilitate. Erumpentibus papulis, quod fieri solet post paucas horas, febris anxietas, et reliqua symptomata evanescunt. Exanthemata vero se sustinent duos vel tres dies, donec ex integro evaporatione insensibili resolvantur. Sæpe tamen non una eruptione omnis humor noxius expellitur. Tum remissa febri papulæ et ipsæ extenuantur, et decedunt, sed vesperi redeunte febricula iterum prodeunt, mane cum ipsa febre desituræ. Sic ad aliquot vices abeunt, et redeunt, donec totus earum fomes exhauriatur. Calore lecti, et exspiratione aucta sæpe evenit, ut evanuisse videantur: sed si cutis aeri exponatur, aut e lecto surgant ægri, retenta expirabili materie statim papulæ conspicuæ fiunt, cutemque ut antea attollunt cum notabili pluri-

Qualis febris.

Eruptionis ratio.

Quomodo evanescat. tu, et ardore. Raro terminantur epidermidis desquamatione, quamquam hoc alii ut proprium earum ponant.

Interdum sine febre est. §. 97. Pluries eas vidi sine febri aliquas tantum partes, puta brachia, aut crura afficere, interdum etiam universum corpus; atque instabiles esse, abire, revertique statis quibusdam horis ad aliquot dies; sed plerumque dies quatuor non prætergrediuntur. Observatio est SWIETENII (*a*), iis evanescentibus præcordiorum anxietatem, et lipothymias leves succedere; rursus prodeuntibus hujusmodi molestias penitus cessare. Qui sic laborant, in reliquis eos bene habere. Hinc vero patet, non innoxium fore earum ad interiora recessum. VOGELIUS, quando febris eas comitatur, monet ei *horrores frequentes* intermisceri, *et alvi profluvium plerumque ab initio*, *cum urina turbida*, *ac limosa* adjungi: *Nullum* vero *periculum* subesse, et febrim *primo septenario* sudoribus judicari. Sed rarissimum puto tamdiu eam produci.

(*a*) *Loc. cit.*

Ut differt ab aliis exanthematis similibus. §. 98. Si horum exanthematum ratio undique diligentius consideretur, cuicumque pateat necesse est, ab erysipelate, cujus speciem eam voluit esse SYNDENHAMIUS (*a*), et MEZA (*b*), atque a purpura Scarlatina, ad quam ea retulit SAUVAGESIUS (*c*), quam plurimum natura, et peculiari habitu ipsa discrepare; id quod jam a LIEUTADIO, atque a VOGELIO animadversum est. Multo minus assentiri possum SCHACHTIO (*d*), qui exanthema urticatum a miliari rubro, nisi magnitudine papularum, differre opinatus est. Nec mirum cuipiam erit, si hac deceptus opinione vir alioquin sapiens, et judicio pollens morbum hunc inter

gravissimos recensuerit, contra ac reliquis visum est.

(a) *Loc. cit.*
(b) *Compend. med. pract. Fasc. I. Cap. XVII.* §. 156.
(c) *L. c.* (d) *Instit. med. pract. Cap. XI.* §. 6.

CURATIO.

§. 99. Generatim acritas humorum diluentia, et temperantia exposcit; primarum viarum si qua cacochylia est, lenia eccoprotica antiphlogistica; hærens in cutaneis vasculis perspirabilis materia, regimen diapnoicum, et blanda diaphoretica. SYDENHAMIUS, qui exanthema hoc pro erysipelatode habuit, sanguinis missione, et repetita catharsi oppugnandum esse docuit. At, nisi ingens fuerit sanguinis fervor, aut febris vehementior, aut magna vasorum plenitudo, sanguinem mitti supervacaneum omnino est; et fortasse etiam noxium. Ad SENNERTI sententiam libentius accedimus, qui post sanguinis missionem, si tamen aliqua ex memoratis caussis eam postulaverit, purgationem per Tamarindos, Myrobalanos, et Rhabarbarum proponit, deinde alterantia subacida, emulsa ex seminibus refrigerantibus, et demum balnea ex aqua tepida prudenter proponit. Sic tamen in purgantium usu temperamentum adhibendum est, ne naturæ opus, noxium humorem critice per cutis meatus expellere nitentis impediatur. Blande igitur, et epicratice morbi fomes per eccoprotica antiphlogistica subtrahendus est. Mirum, quantum hac vita radicitus morbi caussa, præsertim si recidivus, et pertinax sit, extirpari soleat. In leviori casu, aut in exanthemate febri vacuo, ceterum pruritu et mordaci ardore permolesto nihil præstantius, et salubrius deprehendi, quam balneum tepidum, in quod

Indicatio generalis.

corpus universum, aut partes magis affectæ demittantur. Sic acre temperatur, phlogosis mitescit, stagnans humor solvitur, et exspiratione difflatur. Quo etiam pertinet tepor lecti, quietus decubitus, et potus largior ex diluto florum sambuci, aut foliorum Thee. Quod si huic adjiciatur nitrum, roob baccarum sambuci, et syrupus rubi idæi, aut similis alius, eo valentior medicina præstabitur.

ESSERA, PORCELAINE GALLIS DICTA.

§. 100. Exanthemata, quæ figuram, et magnitudinem foliorum cujusdam plantulæ a Gallis *Porcelaine*, a nostris *Portulucæ* vocatæ referunt, Esseram SAUVAGESIJ, et SAGARII constituere videntur. et sola tuberculorum majore mole ab urticatis discrepant. Igitur pro horum varietate tantummodo habenda crediderim. In reliquis enim omnino conveniunt. Qui ex illis novum genus conficiunt (*a*), discrimen hoc esse ajunt, quod Essera pruriginis expers omnino reperiatur. At vehementer dubito, num perpetuo prurigo absit, et, si quando abesse videatur, satis discriminis in hoc contineatur, ut ab urticato exanthemate segregetur.

(*a*) SAUVAG. *Cl. III. Ord. I. Gen. IX.* SAGAR. *Cl. X. Ordin. I. Gen. IX.*

CAPUT VI.

DE ESSERA VOGELII.

§. 101. Quoniam a VOGELIO (*a*) *Esseram* video descriptam, uti non infrequentem in ejus regionibus, quæ omnino discrepat non modo ab ea,

cui id nominis ab aliis (§. 100.) tributum est, verum etiam a quovis alio exanthematis genere ex iis, quæ in hunc censum veniunt: instituti ratio exigit, ut eam nequaquam silentio prætercam, quanquam apud nos rarius incidentem, et fortasse multis prætervisam.

(a) L. c. §. 157.

§ 102. Essera autem hæc, inquit vir ille probatissimus, *maculas exhibet latas, discretas, coloris rubri splendentis, glabras, planas, ardentes, et prurientes*, quæ *in manibus, et facie potissimum* consistunt. Erumpunt autem vel cum febre, vel sine ea. Quando cum febre junguntur, hæc diariæ modum tenet, et dorsi, capitisque dolorem, et vomitiones etiam comites habet. Eam *horror præcedit, et æstus cum sudore subsequitur*; solvit vero tertio die sudor, et urinæ copia. Descriptio.

§. 103. Hæ maculæ valde erraticæ, et fugaces sunt; sic ut modo appareant, modo evanescant. *In manibus*, dum stragulis tectæ manent, *lætissime efflorescunt*; at, cum extra exponuntur, *iterum se se subducunt*. Nonnullis tamen contra accidit; nimirum *in frigido* magis conspicuæ fiunt, retardata materiæ expiratione; in calido effugiunt, et evaporatione difflantur. Nec, si intro vertuntur, timorem adeo magnum incutere consueverunt. Tertio, quod longissimum est, die decolorantur, et pallescunt, subsequente cutis desquamatione.

§. 104. Plerumque sponte accedunt, et solitariæ sunt. Quandoque febres biliosas præeunt. Alias variolis, dum exsiccationem hæ subeunt, interjectæ se produnt. Æstate præsertim, atque hieme corripere dicuntur; et qui semel iis laboravit, fa- Spontanea, et quandoque secundaria.

Curatio. cile iterum, pluriesque prehenditur. Quod ad curationem pertinet, blanda diaphoresis, et stragulis in lecto decubitu sufficere fertur. Levissimum certe exanthematis genus est, et vix ope medica indiget. Cum hoc vero, nonnisi nomine convenit illud, quod SENNERTUS descripsit, quodque cum urticato plane consentit: quidquid VOGELIUS contra putaverit.

CAPUT VII.

DE PEMPHIGE RECENTIORUM,

SIVE

MORBO PHLYCTÆNOIDE (*).

Descriptio. §. 105. Pemphix, latine bulla, morbo nomen dedit. In eo autem bullæ, sive ampullæ magnæ, nucis avellanæ magnitudinem plerumque æquantes, interdum majores, raro minores, sero flavo turgidæ, magnum ardorem, aut pruritum excitantes, varias cutis sedes defœdant, et plures dies persistunt, donec ruptæ serum effundant, relictis sæpe maculis ex atro rubris, et frustis epidermidis circum nigricantibus. Interdum per totum corpus erumpunt, interdum in aliquibus tantum partibus, et speciatim in facie, et collo. Fereque febri junguntur, quanquam et sine febri interdum (*a*) observatæ fuerint.

(*) SYNONYMA.

Pemphygus SAUVAGESII, *Nosol. cl.* 3. *ord.* I. *gen.* 3. CULLENII, *Gen. morb. Gen.* 32. SAGARII, *cl.* X. *ord.* I. *gen.* 3. *Morta* LINNÆI, *Gen. morb. gen.* I. *Cl.* I. *ord.* I. *Febris bullosa*, *Pemphigodes Recentiorum* VOGELII, *de cogn. & curand. morb.* §. 159. *Exanthemata serosa* C. PISONIS, *de morb. a seros. colluv. & diluv. ortis observat. CL. Febris vesicula-*

ris MACBRIDII, *Introd. method. in Theor. & Prax. med. T.* 2. *l.* 1. *Cap. XVIII. Febris pemphigodes* EPHEM. GERM. *Dec. I. ann. VIII. obs.* 56.

(a) SAUVAG. *l. c.* VOGEL. *l. c.*

§. 106. Harum quoque duplex genus est, alterum benignum, sed rarius; alterum malignum, perniciosum, et sæpe epidemicum, immo interdum, ut ferunt, contagiosum; quod longe frequentius. Benignum vel sine febre est, vel cum mitiori, et non periculosa plerumque conjungitur (*). Bullæ autem primo, secundo, vel tertio (*a*), immo quarto tantum die (*b*) epidermidem attollunt, et, quando benignus morbus est, intra septimum diem disrumpuntur, et exsiccantur, nullo putre, aut alio humore manante, sed cuticula quasi combusta in frustula sordida, et subnigra decidente. Sin vero malignus, ni occidant prius, nonnisi decima quarta die finem, et judicationem attingunt. Febris autem modo Synochi non putris, modo putris naturam servare dicitur, modo remittentem, et tritæophyam mentiri visa est. Commune fere est, ut nulla vestigia, nullas caveas, aut foveas in cute relinquant, præter subnigras maculas quas supra (§. 105.) diximus. Quantum porro id mali genus differat a superioribus, facile quisque perspiciet, si ad singulorum descriptionem animum adverterit. Neque cum exanthematibus miliaribus albis, neque cum variolis aquosis, et crystallinis confundi poterit; nam illa grano milii non solent esse majora, sæpius etiam minora; hæ demum pure aliquo, si in majores vesiculas confluant, replentur; quod minime accidit Pemphigi, de qua sermo est. Duplex genus.

(*) Non tamen affirmare ausim, benignum semper fore morbum, quando febris expers est, vel videtur. Nam mense Januario an. 1760. dum epidemice in

urbe Faventia peticulæ vagarentur, multosque exitio traderent, JOANNES BOSCHIUS, vir patricius, octogenario proximus, repente aliquot hujusmodi ampullis variis in corporis partibus sine febre correptus fuit. Serosum humorem continebant, & rupta epidermide, plaga subter primum rubra, dein livida, & nigricans apparuit. His, sine alio symptomate, intra quatuor, vel quinque dies paullatim extinctus est. Malum vero neque in assidentes, neque in alios domesticos contagione se diffudit.

(a) CULLEN. *l. c.* (b) SAUVAG. *l.c.*

Sporadica. §. 107. Pemphigem *sporadicam* saltem sexies se vidisse testatur SAUVAGESIUS (a). Sporadica item videtur fuisse, quam a C. PISONE descriptam (b) habemus. *Epidemicæ*, et *contagiosæ* plerumque lethalis, quæ Pragæ anno 1736. inter milites grassata est, exemplum nobis reliquit Cl. THIERRYUS (c). Sunt qui notam HIPPOCRATI et GALENO existiment, quod in sexto epidemiorum libro (d) febres pemphigodes memoratas inveniunt. Verum quid hoc nomine intellexerit HIPPOCRATES, nec GALENUS in commentario certo definire ausus est, nec alii interpretes satis explicarunt. Hinc jure adhuc inter eos (e) disceptatur. Obscurum quoque, atque incertum est, num ad hoc mali genus vere referri queat *febris Synechea cum vesiculis per pectus et collum sparsis*, quam nominavit quidem, at non descripsit MORTONUS (f), secus ac aliis visum est.

Epidemica. Contagiosa.

(a) *Loc. cit.* (b) *Loc. cit.*
(c) *Med. experiment. p.* 134. (d) *Sect. I.*
(e) CASPAR A REJES *Elys. jucund. quæst. camp. Quæst.* 68. *n.* 7. (f) *Append. ad exercit.* 2.

Dubitatio Cullenii. §. 108. CULLENIUS, quem eruditio non minus, quam acre judicium commendat, dubitare videtur, *Pemphygus* ne *Helveticus* LANGHANSII (a), sive *species tertia* SAUVAGESII ad hunc morbum

phlyctænoidem pertineat, an vero ad anginam ulcerosam, aut malignam rectius ablegandus sit? Phlyctænæ mali moris, quæ os, et fauces ubique infestabant, et curationis ratio, quam ei utiliter adhibebant, profecto suadent, epidemicum, contagiosumque illud malum a pemphige vera quam longissime abfuisse, aut certe cum angina ulcerosa, aut gangrænosa fuisse complicatum. Dubitat quoque idem CULLENIUS, num *pemphygus Indicus* (*b*) itemque *pemphygus Brasiliensis* (*c*), quos ad hoc genus morbi retulit SAUVAGESIUS, locum hic habeant; nam non satis de his conflare revera fatendum est. Quærit demum idem vir scientissimus, utrum pemphix semper symptomatica sit? Videtur autem ad affirmandum vehementer propendere. Sed, ut arbitror, id nequaquam concedi potest, cum solitaria, et sine febre interdum comperta fuerit. Num semper symptomatica?

(*a*) *Act. Helv. Vol.* 2. *p.* 100.
(*b*) *Spec.* 4. (*c*) *Spec.* 5.

§. 109. Utroque vero casu, tam cum morbi alicujus maligni, et putrefacientis symptoma illa est, quam cum primarium sibi vindicat locum, periculum semper portendit, ob gangrænam, in quam cito terminatur. Tantus enim sanguinis fervor, et tanta serosi humoris acrimonia esse consuevit, ut quocunque feratur, instar ignis adurat. Quare CAROLUS PISO inter initia, ubi febris vehementius exardet, non timet sanguinis missionem proponere, aliaque nimium calore, nimiamque æstuationem compescentia. Neque ab ejusmodi curatione antiphlogistica abhorrebant medici Helvetici in ea constitutione, quam aphthæ oris, et faucium graviorem reddebant. In ea vero, quæ Pragæ præsidiarios milites male habuit, quæque omnes, quocunque alio modo curarentur,

Semper periculosa.

Curatio.

interficiebat, solum acetum bezoarticum (*) remedio fuit. Ex quo enim hoc adhiberi cœptum est, omnes servati fuisse dicuntur. Antiseptica igitur omnia, in primis acidis mixta, et cortex peruvianus præ reliquis ut in aliis putridis, et gangrænosis morbis, sic in hoc quoque primas tenent. Ampullæ, ni cito per se rumpantur, forfice caute aperiendæ sunt, ne acer humor altius penetret, aut intro revehatur. Sed a reprimentibus, aut resiccantibus abstinere oportet, ut monet VOGELIUS. Si simul angina ulcerosa, et maligna copuletur, huic quoque malo medendum est iis, quæ suo loco opportune, videlicet ubi de Angina agemus, distincte, et copiose dicentur.

(*) *Acetum Bezoarticum.*
℞. *Rad. Angelicæ*
Enulæ
Imperator.
Hirundinar.
Zedoariæ an. drachm. vj.
Herb. Scordii,
Rutæ,
Salviæ an. unc. j.
Baccar. Juniperi unc. sem.
Flavedin. cortic. citri drachm. vj. Minut. incis. affund.
Aceti vini optim. lib. iij.
Post sufficient. Digest. exprimantur, & filtratum acetum ad usum reponatur Dos. ab unc. dimid. ad unum.

CAPUT VIII.

DE MORBILLIS (*).

Morbilli utrum differant a purpura Scarlatina?

§. 110. MORTONO ea visa est cum Purpura Scarlatina Morbillorum convenientia, ut utrumque morbum solo gradu, non natura differre pu-

taverit. Sed supra jam (§. 62.), quodnam inter hosce affectus discrimen intercedat et indicatum est, et nunc iterum manifestius fiet, si utriusque descriptio una comparetur. Alii contra, in quibus RHAZEM, RIVERIUM, et SENNERTUM ut principes enumerato, Morbillos, et Variolas inter se maxime affines habuerunt; quapropter non seorsum, sed conjunctim pertractandos utrosque susceperunt. Verum horum quoque magna est dissimilitudo, uti mox apparebit. Ceterum Morbilli peculiare sunt, et distinctum exanthematum genus, quod febri ad cutim summam propellitur, papulas, et maculas rubras referens cum signi catarrhi, et distillationis, quæ præcedunt, et comitantur, adeo insignibus, et perpetuis, ut pro febri catarrhali exanthematica a nonnullis (*a*) reputatum sit.

Affinitas eorum cum variolis.

Quid morbilli sint?

(*) SYNONYMA.

Morbilli RHAZIS, *lib. de variol. & morbill.* SYDENHAMII, & MORTONI *&c. Rosalia* PROSP. MARTIANI, *in l. 2. epid. sect. 3. v. 20. Febris morbillosa* FRID. HOFFMANNI, *De febrib. sect. I. c. VIII. Rubeola* SAUVAGESII, *Nosol. method. Cl. 3. Ord. I. Gen. 3. Rosolia* ETRUSCIS; *Fersa* BONONIENSIBUS, *& aliis Italiæ populis; Rosacci* TICINENTIBUS. *Rougeole* GALLIS.

(*a*) HOFFMAN. *l. c.* GRUNER. *Morb. antiquit. p.62.*

§. 111. MORBILLORUM morbus, postquam in Europam invectus (*) est, humano generi adeo infestus evasit, ut vix ullus reperiatur, vel sane rarissimi sint, qui eo semel saltem in vita si tamdiu, quamdiu opus esset, vivant, non corripiantur. Infantes vero, et pueri præ ceteris ei maxime patent. Immo ne fœtus quidem ipsi in utero existentes ab ejusmodi exanthemate tuti perhibentur; nam infantes interdum nasci morbillis perfusos, memoriæ a Medicis magnæ au-

Fere omnes morbillis obnoxii.

Fœtus ipsi morbillis interdum corripiuntur.

ctoritatis proditum (*a*). Nec qui semel iis laboravit, se immunem deinceps certo fore, is credat; quod secundo, et tertio eumdem hominem in eos incidisse ex fidis observatis constet. Scio equidem de hac morbillorum reversione non paucos subdubitare, et speciatim ROSENIUM, qui longa quadraginta annorum experientia neminem deprehendit, quem iterum (*b*) invaserint. At MORTONUS, quanquam pari annorum numero edoctus in eamdem prope dubitationem propendeat, fateri tamen cogitur, semel morbillorum reditum (*c*) sibi occurrisse. Hoc ipsum confirmat vir experientissimus, atque inter Florentinos Medicos doctrinæ fama clarissimus, JO. TARGIONIUS TOZZETTIUS, constare sibi asserens, nonnullos, qui certissime morbillos passi fuerant, in eos iterum (*d*) esse relapsos.

Sæpe in eodem homine bis vel ter reversi narrantur.

(*) Ab Afris cum variolis in Europam delatus, verosimile valde est. Novum sane morbum, & veteribus Græcis ignotum esse nemo hodie revocat in dubium.

(*a*) ROSEN. *Malad. des enfans chap. XIV. p.* 255.

(*b*) *Ibidem.* (*c*) *Exercit.* 3. *cap.* 3. *p.* 18.

(*d*) *Prim. Raccolt. di osservaz. p.* 101. Idem confirmat SCHACHT. *Instit. med. pract. sect. I. lib.* 2. *cap.* 12. & MEZA *compend. med. fascic. I. cap. XX.* & HAENIUS *Febr. Division. VI.* §. 6. *p.* 106.

Alia exempla reversorum.

§. 112. Omnem vero ex animo scrupulum, si quis alicui superesset, evellit DUBOSQUIUS *de la Robordiere*, qui in epistola quadam (*a*) ad Diarii Medici Auctores data ita scribit: *vidi morbillos pluries in eadem persona, et quidem intra breve spatium, immo eodem sæpe mense recurrisse, dum hi epidemice ad annum* 1773. *grassarentur. Id ipsum complures meorum collegarum viderunt. Morbilli qui initio anni* 1777. *ingruerunt, novam opportune occasionem suppeditarunt, qua hujusmodi*

observationem comprobarem. Tum enim non paucos pueros, morbillis correptos reperi, quos jam anno 1773. eodem morbo laborantes ipse curaveram. Neque hujus loci, in quo versor, id proprium quis credat; cum a Clinicis celebrioribus Normanniæ certior factus sim, admodum generale istud ibi esse. Quibus addi debet illustris Medicinæ Professor SPIELMANNUS, *qui anno superiore mihi per litteras significavit, se crebro morbillorum in eodem homine reditum Argentorati admiratum esse.* Quorum luculentissimis testimoniis pro coronide adjiciam nuperrimas observationes Cl. ANTONII LAURENTII GENOVESII, in oppido *Sanctæ Crucis* ære publico Medicinam facientis. Is, cum ann. 1782. proxime elapso epidemici essent morbilli, sex et quadraginta adultos homines invenit eisdem correptos, etsi alias eodem jam morbo laborassent, ut ex Medici, qui eis opem tulerat, testificatione, et familiarium fide, et signorum utriusque ægrotationis comparatione cognovit. Sexdecim alios præterea commemorat, quibus ipse morbillis affectis, dum epidemice morbus vagaretur, jam anno 1770. præsto fuerat. Admonet autem, hosce homines tum solum in morbillos recidisse, cum antea alii ex eorum familia iis ægrotassent, neminemque recidivum compertum esse eorum, qui procul ab ægrotantibus, infectisque (*b*) extitissent. Plerumque contagioni reditus debetur.

(*a*) *Journal. de Medec. T. 48. pag. 253.*
(*b*) *Avvisi sopra la salute umana Vol. VII. Lettera al Sig. Dott. Gio: Luigi Targioni, pag. 267. ad 272.*

§. 113. Satis hinc perspicitur, Morbillos a peculiari quodam miasmate gigni, et contagione communicari. Id vero etiam patet exinde, quod de loco in locum propagantur ab infectione rerum, aut ægrotantium, et, quando domum unam ingrediuntur, omnes, qui eodem sub tecto degunt, Caussæ. Contages.

Subtile virus pro caussa.

præsertim si nondum eis obnoxii fuerint, eadem continuo lue contaminant. Subtile igitur aliquod virus, et natura singulare a plerisque pro eorum caussa habetur, effluviisque ægrorum, vel rerum infectarum contactu in sanos immitti creditur. Negant vero hoc aeri innasci, aut insidere viri doctissimi (*a*), quia si communicatio cum ægris, aut rebus, aut locis contagione pollutis vitetur, morbilli etiam ipsi præcaventur. Ut autem contagium suspiciatur, quædam debet in corpore dispositio inesse; quæ si defecerit, virus aut non recipitur, aut receptum iners, atque innoxium evadit, aut cito e corpore sine noxa egreditur. Quia vero observatione compertum est, certis anni temporibus, aut quibusdam temporum constitutionibus frequentius morbillos exseri, atque increbrescere; ideo verisimile videtur, eorum seminium, sive fomitem (*) peculiari quadam aeris conditione, et diathesi egere, qua evolvatur, et ferociat, sive illud in aere latitare velis, sive in rebus, sive in corporibus ipsis.

An aeri insideat?

Dispositio corporis necessaria.

Anni tempora, et temporum quædam constitutiones virus evolvunt.

(*a*) Rosen a Rosenstein *Trait. des malad. des Enfans Chap. XIV. pag.* 255.

(*) Olim a Medicis miasmata, quibus morbi contagiosi in sanos traducuntur, contagionis *seminaria* nuncupabantur; loca vero, & res, quibus morbi semina reconduntur, & foventur, *contagionis fomes* dicebantur. Vide Fracast. *de contagiosis lib. I. cap. 4. & 7.*

Divisio in epidemicos, et sporadicos.

§. 114. Morbilli, ut plurimum quidem, universim, et populariter discurrunt, interdum vero sparsim tantum, et paucos adoriuntur. Quam rectissime diduci solent in *epidemicos*, et *sporadicos*. Sporadici generatim a Mortono, qui de hujusmodi morbo cumulatissime scripsit, reputantur *benigni*, et *genuini:* epidemici contra *maligni*, et *spurii*. Sed non omnes sporadici benignitatis lau-

dem merentur; nec epidemici semper infamantur nota malignitatis. *Benigni* sane fuerunt, licet epidemici, qui anno 1670. Londini a SYDENHAMIO observati sunt. *Benigni* pariter, qui Upsaliæ ann. 1752. epidemice (*a*) dominatum tenuere. Hinc omnes, sive sporadici, sive epidemici, tribui debent in *benignos*, et *malignos*, ut ceteri exanthematici morbi. Illi a SYDENHAMIO dicuntur *regulares*, hi *irregulares*, sive *anomali*. Ut vero benignorum synonyma sunt *genuini*, et *regulares*; sic malignorum *spurii*, et *irregulares*. Ut ut res sit, inter eos tamen *anomali* nobis vocandi ii potius videntur, qui a communi, et regulari cursu quam longissime discedunt, ut postea exemplis perspicuum faciam.

Benigni et genuini quinam? Quinam maligni, et spurii?

Quinam regulares, et irregulares? Anomali quinam rectius?

(*a*) ROSEN. *L. c.*

§. 115. In quolibet autem morbillorum genere sive benigno, sive maligno tria stadia, sive tempora, uti in plerisque aliis exanthematicis morbis, distingui solent. *Primum* a MORTONO (*a*) vocatur *apparatus efflorescentiæ*, ab aliis (*b*) *stadium contagii*. Id in benignis, et regularibus ab invasione febris ad morbillorum eruptionem usque producitur; quæ in benignis, et regularibus circa diem quartam plerumque (*c*) contingit, quanquam alii (*d*) citius etiam eam contingere, scilicet post viginti quatuor horarum, aut bidui, aut tridui spatium, posse tradant, immo interdum paullo serius, nempe quinta tantum die. In malignis vero et anomalis quia eruptio modo præmaturius, modo etiam multo serius contingit, idcirco etiam hujus stadii duratio indefinita omnino est. SYDENHAMIUS (*e*) breviori eam tempore, quam in benignis, et regularibus, coercet; MORTONUS vero ad longius spatium, et quandoque ad septimam, aut octavam diem extendit (*f*). At in anomalis

Tria morbillorum stadia. Stadium primum.

interdum eruptio ad vigesimam tertiam usque diem retardari (g) visa est. *Secundum* stadium *status morbi* a MORTONO, ab aliis *stadium eruptionis*, sive *eruptio* dicitur. Incipit ab ineunte efflorescentia, et producitur ad perfectum ejusdem complementum. In benignis bidui, aut tridui spatio plerumque continetur, nam tum febris, ut ut diris symptomatibus stipata, perfecta tamquam crisi solvitur, et cum ipsa efflorescentia evanescit. In malignis vero longius hic status perdurat, et quandoque ancipiti eventu, quia exanthemata modo apparent, modo evanescunt, et imperfecte prodeunt, ad decimam septimam, aut etiam vigesimam diem protenditur. *Tertium* stadium *crisim*, sive *declinationem*, vel *desquamationem* appellant. Exorditur a decoloratione exanthematum, et terminatur, cum ea ex toto evanuerunt, et epidermis desquamatur, superveniente ut plurimum alvi fluxu, qui in benignis sæpe salutaris est, atque hinc brevissimo tempore febris desinit, et intra paucas horas integritas omnium redit functionum. At in malignis, atque anomalis res aliter habet. Decedente enim efflorescentia febris non modo persistit, verum etiam augetur; et multa gravia symptomata sibi adsciscit, quibus enecat ægrotantes, aut in lentos, chronicosque morbos præcipitat, ut deinceps dicetur, nisi auxilium cito afferatur.

Stadium secundum.

Stadium tertium.

(a) *De morbill. p.* 14. (b) ROSEN. *loc. cit.*
(c) SYNDENHAM. *l. c. sect. V. cap. IV.*
(d) MORT. *l. c.* HOFFM. *l. c.* (e) *L. c.* (f) *L. c.*
(g) TARGION. TOZZETTI *Prim. Raccolt. d' osservazion. p.* 101.

§. 116. Antequam vero ad singulorum generum historiam tradendam provehar, illud animadverti debet, quod *tusses ferinæ*, sive *convul-*

sivæ pueros aliquandiu, et epidemice discruciare solent, quasi morbillosæ constitutionis, quæ non multum apparere cunctabitur, prænunciæ. Interdum etiam citra epidemicam labem tussis ferina per dies saltem quatuordecim antecedit, quam deinde morbillorum subsequitur eruptio (*a*). Quandoque morbilli variolarum prodromi sunt, nam ab his convalescentes paullo post variolis corripiuntur, aut vicissim variolis exsiccatis, et decidentibus succedunt morbilli, nam sæpe uterque morbus eodem tempore (*b*) se mutuo excipit. Immo non desunt observationes quæ doceant, morbillos, et variolas uno tempore, eodemque in ægrotante interdum (*c*) complicari.

Tusses ferinæ interdum præcedunt.

Quandoque Variolarum prodromi, et vicissim.

(*a*) Hoffman. *l. c. sect. I. cap. VIII.* §. 2.
(*b*) Storck. *Instruz. med. Pratic. T.* 1. *p.* 304. Rosen. *l. c. p.* 261.
(*c*) Haen. *Febr. Divis. divis. VI.* §. 6. *P.* 107. *& seq.*

MORBILLI BENIGNI.

§. 117. Itaque ab iis, quos *benignos*, sive *regulares* diximus, exordium faciam. Horum descriptionem a Sydenhamio nobis relictam (*a*), cum naturæ omnino consentanea reperta sit, uti perfectissimam reliqui fere omnes scriptores persecuti sunt, ideoque nobis quoque, quoad videbitur, persequi licebit. Quando epidemicorum morem assumunt, initio plerumque Januarii proserpere incipiunt; deinde paullatim se se diffundunt, et magis invalescunt. Instante porro verno æquinoctio jam ad summum incrementum attingunt. Postea per gradus minuuntur, et defervescunt, donec sic rariores, mitioresque facti Julio tandem mense extinguantur, et cessent. Nihil tamen obstat, quo minus aliis etiam anni temporibus invadant, progrediantur eodem ferme, quem dixi,

Quo anni tempore magis ingruant.

ordine, et demum desinant. Frequentius infantes, et pueros, rarius adolescentes, atque adultos, rarissime senes adoriuntur.

(a) *Op. sess. IV. cap. V.*

Descriptio primi stadii.

§. 118. Morbo autem sive sporadice, sive epidemice invadente, ægri mox horrent, et rigent, ut initio aliarum febrium acutarum, atque inter crebras cum caloris, tum frigoris vices totam PRIMAM DIEM transigunt. SECUNDA DIE jam manifesta febris se se expandit cum vehementi ægritudine, magna siti, lingua alba, sed humida; appetitu dejecto, tussi sicca, capitis atque oculorum gravitate, et assidua in somnum propensione. Interdum vero capitis dolor eos, in primis adultos, angit; fauces ardent, et glutientibus dolent; dolent lumbi; pectus constringitur; respiratio cita, et frequens fit, immo suspiriosa; scrobiculus cordis, et totum epigastrium molesto ponderis sensu afficitur: oculi rubent, et illacrymant, et punctionibus subinde pertunduntur; lucemque ita aversantur, ut vix aperiri queant. E naribus quoque tenuis, acerque humor exstillat, crebra sternutamenta conciens; nec rarum est, sanguinem inde etiam abunde manare, quo caput, oculi, et fauces plerumque sublevantur. TERTIA DIE celeriter hæc omnia ingravescunt non sine aliquo manuum tremore, et subsultu, calore cutis intenso, et acuto, quandoque etiam delirio, et frequenti anxietate. Nec absunt interdum vigiliæ, aut certe si somnolentia tenet, sæpe hæc comatis vigilis speciem refert. Nausea, et frequens eorum omnium, quæ assumuntur, vomitus accedit, sed vomitu frequentior est diarrhœa (*a*), sæpe biliosa, in qua subviridia, præsertim in dentientibus, egeruntur. Quo fluxu, ubi supervenit, vomitus, et vomituritio fere se-

datur, et sistitur; nec ab eo, dummodo non immodicus fuerit, et dummodo aptum intercedat regimen, exanthematum eruptio impeditur. Aliis vero alvus per totum morbi cursum clausa est, nec mali quidquam affert. Interea ægri fessi, difficiles, et morosi fiunt. Nonnulli etiam sudoribus diffluunt. Hoc stadio aliquando eclampsiam supervenire notat ROSENIUS (*b*), eamque prævideri posse ex sudoribus immodicis, et parcitate aut defectu urinarum. Tandem palpebræ, et tota facies intumescunt, et oculi circum magis rubent, et ardent, idque evenit imminente jam morbillorum eruptione. Atque hæc symptomata, nisi sub finem tertiæ diei morbillorum eruptio contingat, producuntur sine ulla remissione ut plurimum ad QUARTAM usque diem, raro ad QUINTAM.

(*a*) HAEN. *Febr. Divis.* p. 104.
(*b*) *Des malad. des Enfans Chap.* 14. *p.* 261.

Descriptio stadii secundi.

§. 119. Tunc temporis circa frontem, et reliquam faciem punctula rubra lenticularum instar, sive potius papulæ parvæ, rubræ, distinctæ pulicum morsibus similes prodire incipiunt, quæ paullatim numero et magnitudine auctæ, et in racemos collectæ faciem vario modo, et varia forma commaculant. Constant autem rubri hujusmodi racemi, sive corymbi ex parvis, nec valde dissitis pustulis, cutis superficiem paullulum excedentibus: quarum prominentia non solo tactu, sed oculis etiam propius admotis percipitur. A facie porro, quam primo occupant, sensim ad pectus, dorsum, ventrem, brachia, et crura se se diffundunt. Fereque eæ, quæ trunco, et artubus insident, latioresque sunt, et frequentissimæ, rubore se potius produnt, quam protuberante elatione; quanquam earum aliquæ, si bene examinentur, inæqualem, asperamque cuticulam redde-

re nonnihil videantur. Pro varia vero ægrotantium constitutione, sanguinisque natura in aliis latiores, in aliis minores, in quibusdam rubicundæ, aut pallidiores, aut etiam ad plumbeum colorem vergentes ab HOFFMANNO (*u*) perhibentur. Morbillorum eruptione facta, pleraque symptomata graviora sæpe mitigantur, immo interdum etiam cessant. In primis calor acer, lumborum dolor, delirium, spasmi, et vomitus sedantur. Interdum post eruptionem multa biliosa cacochylia vomitione rejecta ægros insigniter levat. Ceterum tussis, quæ a principio ad finem usque morbi vexare solet, si non exasperatur, quod sæpe ob morbillos in larynge, et trachea exortos (*) accidit, eadem saltem remanet, ejusque ope plerumque excreantur mucosa multa cum pectoris levamine. Præter tussim aliquandiu adhuc persistunt non raro, etsi mitiora, spirandi difficultas, oculorum rubor, lucis impatientia, lacrymatio, somnolentia, et cibi fastidium, brevi tamen desitura. Neque semper febris mox remittitur, nisi papularum fervore, et phlogosi subsidente. Die autem SEXTA, aut eadem inclinata pustulæ circa frontem, et faciem pallescunt; facies ipsa detumescit, et, cuticula arente ac disrupta, asperatur. Interea maculæ, quæ in reliquo corpore extant, latissimæ, et ruberrimæ apparent. SEPTIMA dein die prope jam desinit febris, atque in facie morbilli evanescunt. OCTAVA in reliquo etiam corpore diffugiunt, sudore universali; aut urinis multis subsequentibus, aut etiam alvi fluxu, qui plerumque naturam levat. Interdum tamen accidit, ut fluxus hic facile in diarrhœam symptomaticam, torminosam, colliquantem, et funestam, MORTONO observante, degeneret. NONA æger optime habet, et plerumque e febre vacuus est. Facies, pectus, artus, et reliquæ partes quasi farina conspersæ vi-

Tertii stadii initium.

dentur, frustulis disruptæ, et siccatæ epidermidis secedentibus, et vix cohærentibus, quæ squamatim decidunt, pruritum ubique relinquentia, non vero labem, aut vestigium ullum. At incidit quandoque, ut evanescentibus morbillis eo, quod dixi, tempore etsi naturæ legibus consentaneo, febris tamen repente cum difficili spiritu, et tussi molestiore augeatur, somnumque omnem tam die, quam nocte procul arceat. Non semper a metastasi, sive regressu morbillorum id oritur. Frequentius repetendum est ab imperfecta materiæ morbillosæ ad cutim propulsione, qua de caussa reliquiæ ejus ad pulmones delatæ peripneumoniam facile excitant. Huic infortunio eos in primis subjici censet Sydenhamius, qui regimine, et medicamentis calefacientibus usi sunt, et sic sanguinem nimium exagitando effecerunt, quo minus tota materies morbillosa secerni, et ad cutim propelli posset. A reliquiis hujusmodi materiæ intus restantibus non raro tussicula, febris lenta, alvi fluxus exsiccationi morbillorum succedunt. Ab his tamen incommodis liberi fiunt, et perfecte convalescunt, ut animadvertit Tissotius (*b*), qui in reliquo morbi cursu, aut sub ejus finem notabilem aliquam evacuationem habuerint, uti vomitum, diarrhœam, in primis biliosam, urinam, aut sudorem largum. Harum enim ope excretionum febris omnino solvitur, æger vires resumit, et perfecte sanatur. Concedit tamen, interdum sola insensibili cutis exspiratione reliquias veneni penitus difflari.

(*a*) Hoffm. *loc. cit.*

(*) Non modo cutis, fauces, nares, oculi, & larynx morbillis occupantur, verum etiam dissectionibus anatomicis compertum est, viscera præterea thoracis, atque abdominis similibus pustulis obsideri, Lieutaud *Prec. de Med. l. c. p.* 604.

(*b*) *Avis au peupl. P. I. Chap.* 24. §. 223.

DIAGNOSIS.

Quomodo morbilli prænosci possint.

§. 120. Atque hæc est benigniorum, et regularium morbillorum historia, ex qua eorum diagnosis facile profluit. Inter initia tamen, antequam morbilli erumpant, eos prænoscere, et prædicere, res est aliquanto difficilior, atque obscurior. In stadio enim *contagii*, sive *effervescentiæ*; morbilli ne, an aliud exanthematum genus impendeat, non satis perspicuum est. Tunc disquirere oportet, num epidemica constitutio morbillis faveat; num is, qui febri correptus est, eos nondum passus sit; an alii ex ejus consanguineis hoc morbo laborent, utrum consuetudinem, et familiaritatem cum aliquo morbillis laborante habuerit, et demum an febricitans oculorum rubore, lachrymatione, coryza humida, sternutamentis, dolore, aut ardore faucium, tussi sicca, et molesta, et somnolentia simul afficiatur? Si ista consentiant, de morbillis tutius conjecturam facies. Apparentibus vero papulis, ne putes, omnem dubitationem ablatam esse. Prima enim morbillorum apparitio magnam habet cum variolis cognationem, sic ut primo statim intuitu, uter morbus sit, decerni nequaquam liceat. Si qua tamen differentia est, hanc esse existimat LIEUTADIUS (*a*), quod pustulæ morbillorum in racemos collectæ, numerosiores omnino reperiantur, quam variolarum, etiam maxime confluentium. Præterea morbilli etsi in facie et fronte promineant, qui tamen in pectore, et artubus efforescunt, rubore potius, quam elatione distinguuntur; quo sane discrimine dissentiunt a variolis recens prodeuntibus, quæ semper, atque ubique protuberant, et cito adolescunt (*b*). Id etiam peculiare morbillis est, ut calor, febrisque

Morbilli et variolæ valde similes in prima eruptione videntur.

Quænam differentiæ distinguantur.

citius, et velocius in ipsis invalescant, et symptomata ut plurimum vehementius urgeant, quam in variolis (*c*), saltem benignis.

(*a*) *Prac. de Med. l. 2. sect. IV. p.* 603.
(*b*) Sydenh. *loc. cit.*
(*c*) Tissot *Avis au Peuple P. I. chap. XIV.* §. 222.

Discrimen inter morbillos et variolas.

§. 121. Præterea natura ipsa discrimen inter morbillos, et variolas posuit, ne una confunderentur; quod tamen nonnulli perperam facere consueverunt. Discrepant autem inter se, 1. quod virus morbillosum non ita causticum neque ita exulcerans sit, ut variolosum; 2. quod pulmonibus magis officiat; 3. quod pustulas multo mitiores pariat; 4. quod hæ nunquam pus gignant, sed siccentur, et desquamentur tantum, nec ulcus ullum, aut cicatricem relinquant; 5. quod plus epidermidem lædant quam cutim; 6. quod affectibus catarrhalibus, tussi videlicet, coryza, sternutamentis, oculorum lacrhymatione, contra quam variolæ, stipentur; 7. quod hæmorrhagiæ narium, aut uteri frequentius morbillis, etiam inter initia superveniant (*a*), quam variolis. Majori vero affinitate cum morbillis certare videtur Purpura Scarlatina, de qua supra retulimus. Ab ea tamen dissident, 1. quod ipsi supra cutim se efferunt; 2. quod affectus catarrhales modo memorati, illorum veluti proprii, et perpetui comites sunt; 3. quod spatia morbillis interjacent alba, oblonga, quadrata, multangula (*b*), dum contra in purpura scarlatina plana, æqualis, et continuata rubedo cutim ferme totam, aut maculis saltem latioribus, et erysipelatis similibus eam inficit; 4. quod epidermis farinæ instar secedit, et decidit, in scarlatina vero frustulatim abscedit; 5. quod tumor leucophlegmaticus, qui in scarlatina die vigesima prima aut vigesima secun-

Quo different a Purpura Scarlatina?

da tantum supervenit; in morbillis aut non cernitur, aut si unquam accedit, statim in fine tertii stadii se exhibet. Non prætermittam demum adjicere, qua ratione morbilli a peticulis, atque ab exanthematis miliaribns internosci possint. A primis differunt elevatione epidermidis, et macularum amplitudine, figuraque multiplici, et varia: ab alteris discriminantur, quod in facie prodeunt, quod nullum humorem conspicuum in papulis ostendunt, dum miliaria faciei fere semper parcunt, et sensibilem humorem continent, qui quandoque etiam in verum pus convertitur.

(a) HOFFM. *de febr. sect. I. Cap. VIII.* §. 2.
(b) MORTON *loc. cit.*

PROGNOSIS.

§. 122. Morbilli benigni, et regulares in pueris, et adolescentibus plerumque periculo carent, et feliciter cedunt; nisi inepte curentur, aut malo regimine pervertantur. In adultis vero aliquanto gravius malum est, et quandoque periculosum. Qui ex ægris, antequam morbillis corriperentur, diu male habuerunt, hi acutius ægrotare, et magis periclitari (*a*) solent. Morbilli opportuno, et regulari tempore exorti, et prominentes, bene ominantnr. Contra præmatura eorum eruptio, aut justo tardior suspecta haberi debet. Facta eruptione, si æger relevatur, et viribus valet, alacriorque evadit; si maculæ dilutæ rubent; si cutis æqualiter calet, et nonnihil tensa renititur, bonum (*b*), et contra. Infida esse solet pustularum duratio ultra quatuor dies protracta. Quod si earum color ad nigrum vergat, et cutis flaccescere simul videatur, gangrænam, et mortem appropinquari significat. Huic malo ii, qui calefacientibus medicamentis indulserint, et præ ceteris adulti, magis subjiciuntur. Subitus pustu-

larum ex frigore admisso regressus ob metastasim semper metuendus est. Interdum (c) enim necem attulit. Diarrhœa tamen superveniens perniciem quandoque (d) avertit. Si pustulæ debito tempore, id est, tertio, vel quarto ab eruptione die incipiunt pallescere, resolvi, et exsiccari, et simul febris minuitur, et respiratio liberior cum facili excreatione sit, morbum feliciter solutum iri, indicium est. Tussis assidua cum alvi profluvio, et magna inquietudine infaustam præsagitionem (e) habet. Inflammationem enim pulmonum, in primis ubi calido regimine eruptio accelerata est, inducere potest, et demum in phthisim desinere (f). Hæmorrhagiæ immodicæ discriminis (g) plenæ; mali quoque sudores largi, et assidui in adultis, nam ex levissima tum caussa morbilli intro (h) vertuntur. Qui ex morbillis occumbunt, præsertim infantes, nono plerumque die, evanescentibus nempe exanthematibus, infarctu bronchiorum, et pulmonum oppressi (i), aut peripneumonia præcipue ii, qui calidiore regimine usi sunt (k), suffocantur fere inopinato. Diarrhœa quæ post morbillos exsiccatos, et depulsa reliqua symptomata accedit, si diu persistat, et ad plures hebdomadas protrahatur, vires prosternit (l), et tabem, et demum mortem (m) affert. Aliis post morbillorum ultimum stadium succrescit lenta febris cum abdominis tumore funesto. In his post mortem glandulæ meseraicæ obstructæ, et mole auctæ, pulmones vero vomicis referti (n) inveniuntur. Nonnullis remanet tussicula cum raucedine, quæ facile in phthisim (o) terminatur.

(a) Hoffm. *loc. cit. enarrat. morb. obs.* 2.
(b) Storck. *l. c.* (c) Hoffm. *l. c. observ.* 6.
(d) *Id. ib. observ.* 2.
(e) *Id. loc. cit. sect.* 1. *cap. VIII.* §. 5.

(f) LIEUTAUD *Prec. de med. l. 2. sect. IV. p. 604.*
(g) HOFFM. *l. c. in cautel.* §. 6. (h) *Idem ibid.*
(i) *Id. ib.* (k) SYDENH. *l. c.* (l) *Idem ibid.*
(m) HOFFM. *l. c.* §. 6. (n) *Idem ibid.*
(o) *Idem ibid.* §. 5.

Venenum Morbillosum est peculiari acrimonia præditum.

§. 123. Absoluta diligentissime, quod per me licuit, morbillorum historia, indaganda nunc est morbillosi veneni (§. 113.) natura, quo facilius, et rectius eorum curatio institui possit. Et primo quidem peculiari, et calida, ut loquuntur, acrimonia illud præditum esse videtur, quod ubicunque se defixerit, aut quocunque se contulerit, partes vehementer irritat, inflammat, convellit, easque ad uberiores secretiones, atque excretiones, prout uniuscujusque organica structura fert, continenter sollicitat. Hinc profecto in oculis rubor, calor, lucis impatientia, lacrymatio; in naribus coryza, sternutamenta, catarrhus; in faucibus sitis, ardor, tumor, difficilis deglutitio; in larynge, et pulmonibus tussis sicca, assidua, raucedo, respiratio cita, difficilis, pectoris constrictio; in ventriculo cibi fastidium, nausea, vomitus, ponderis sensus, anxietas; in intestinis diarrhœa, tormina etc. potissimum enascuntur.

Ejus effecta.

Cur certas partes afficiat.

Num vero hæ in primis partes afficiantur, quod ore, et naribus virus intro suscipitur, ut quidam (a) existimaut, an potius in iis consistat ob affinitatem, et sympathiam, quam habet cum lymphaticis, mucosisque humoribus, liberum cuique esto pro arbitratu suo judicare. Qui primæ opinioni adhærent, hoc præcipue argumento utuntur, quod ii, quibus inoculatione morbus insertus fuit, plerique tussi caruerunt, aut certe multo mitior, quam soleat, exstiterit. Qui vero alteram sequuntur; ore et naribus reliqua etiam venenata miasmata plerumque excipi perpendunt, quin tamen hujusmodi loca acerbe, insigniterque

Duplex opinio.

affligantur. Quæ res utcunque se habeat, illud certissimum est, sanguini infundi venenum istud, et febrem admodum ardentem ciere, donec paullatim resolutum ad summam cutim feratur, ibique sub epidermide sparsim consistens, tandem desquamatione ejusdem, sudore, atque insensibili exhalatione diffletur. Quare alia hinc hujusce veneni proprietas manifestatur, subtilis nimirum, ac volatilis ejus natura. Quam insuper talem esse apparet, 1. quod papulæ, quas procreat, etsi rubræ, et inflammationis cujusdam participes, nunquam in suppurationem desinant; 2. quod facilis sit earum metastasis, et repulsio; 3. quod sanguis ita rarescat, et diffluat, ut non solum in primo morbi stadio, sed etiam in altero, et tertio hæmorrhagiæ crebræ, et largæ subsequantur, interdum irreparabiles.

Venenum istud cum sanguine commiscetur.

Facilis ejus difflatio.

Ergo subtile, et volatile est. Tale ostenditur tribus aliis phænomenis.

(*a*) Rosen. *l. c. p.* 261.

CURATIO BENIGNORUM.

§. 124. Experientia sæpissime demonstravit, morbillos benignos, et regulares plerumque sola naturæ ope ad faustum finem produci, immo esse interdum ita mites, et faciles, ut ægrotantes vix lecto obligentur. In universum igitur, si benignus et regularis morbus videatur, si febris non vehementior sit, si non ingens pectoris angustia, si æger alioquin sanus, nec ulla anteriore pulmonum labe affectus cernatur; res tota naturæ committatur, imperato tantum diætetico regimine, quod temperatum sit oportet, nec calidum nimis, nec nimis frigidum: nocet enim utrumque extremum. Victus ratio non alia esse debet, quam tenuissima; qualem nempe cibi cujusque fastidium, atque aversatio suadet. Quæ tanta plerunque est, ut ægri per aliquot dies ab

Sæpe sola natura sufficit.

Quando, et quomodo naturæ relinquendi.

Diæta.

omni alimento abstinere cogantur. Ad summum potui danda aqua ex hordeo aut oryza, aut ex pane decocta, quæ diluit, demulcet, temperat, et tenuiter alit. Eo spectat serum lactis, cremor hordei, emulsa ex amydgalis dulcibus, et fructus acido-dulces, ut pruna, cerasa, pyra, mala, et similia. Primis diebus subinde lectum deserere possunt, ne nimium incalescant; sed caveant ab aere frigido, et quieti se dedant, et bis, vel ter in die dilutum aliquod florum sambuci, aut tiliæ, aut papaveris erratici tepide hauriant, ut conatus naturæ versus cutim adjuvetur. Quam primum vero eruptio in facie incipit apparere, lecto se committant, et in assiduo, blandoque tepore conquiescant. Cum enim morbillosa materies mobilior, et fugacior sit, quam variolosa, majore cautione opus in morbillis est, quam in variolis, ne intro vertatur. Hinc amovendæ sunt omnes caussæ, quibus quies tam animi, quam corporis perturbari potest. Soli custodes necessarii ægrotanti assideant. Occlusis fenestris solis radii arceantur, ne oculi nimia luce percellantur. Noctu vero cubiculum exiguo lumine, et languida flammula illustretur, eo etiam consilio, ne aer noxio vapore, atque fumo depravetur. Incepta, et perfecta eruptione pergant duos, tres, vel quatuor dies se lecto continere, quo facilius per cutis spiracula exhaletur morbidus fomes; sed nec cubiculum calefiat, nec stragula augeantur, ultra quam sani utebantur. Decedentibus porro pustulis, et desquamatione incipiente, abeuntibusque reliquis symptomatibus, alvus, nisi sponte laxata sit, leni eccoprotico ex manna, nitro, et tamarindis, aut simili alio semel, aut bis ad intervalla ducatur, et paullatim ad victum et regimen convalescentium gradus fiat. Hinc absoluta desquamatione iterum

ægris interdiu licebit e lecto surgere, dummodo tamen ab aere frigido religiose caveant. Nam si exspiratio cutanea supprimatur, aut asthma periculosum, aut pertinacissima tussis, aut diarrhœa vires dejiciens, aut leucophlegmatia (*a*) facile consequitur. Toto morbi processu, si alvus non respondeat, quod sæpe evenit in mitissimis morbillis sine noxa, solis enematibus, si res postulet, eam molliri subinde licet.

(*a*) Storch. *loc. cit.* p. 307.

§. 125. Sed non omnium morbillorum, etsi e benignorum genere, est una, eademque, quam dixi, ratio, præsertim in adolescentibus, aut adultis, in quibus sæpe aut caussarum complicatio, aut major veneni vis, aut corporis, humorumque constitutio, aut ætas, aut vitæ genus, aut aliæ conditiones faciunt, ut morbus non modo aliquanto magis furiat, atque insolescat, verum etiam in quovis stadio quædam graviora symptomata exhibeat, quibus nec satis natura, nec solum regimen prospicit, sed aliis opus est artis auxiliis. Itaque cum *primo* statim *stadio* interdum febris valde vehemens sit cum pulsu duro, et valido, magna pectoris oppressione, tussi permolesta, et reliquis symptomatibus pariter gravioribus, uti veterno, faucium dolore, oculorum inflammatione etc. tunc semel sanguis pro ratione virium mitti debet; atque etiam iterato, si prima sanguinis missio non satis morbi impetum (*a*) fregerit. Raro tertia opus est, ut admonet Lieutaudius (*b*), a quo in hoc stadio damnantur numerosiores phlebotomiæ tanquam inutiles, aut etiam noxiæ. At in adultis, quamquam reliqua memorata symptomata deficiant, si tamen signa redundantis dumtaxat sanguinis adsint, primis mox diebus eum detrahendum esse,

Quando artis ope egeant.

Ubi sanguinis missione opus sit.

auctor est HOFFMANNUS (c); imminuta enim vasorum plenitudine, hæmorrhagias averti, anxietates, inquietudinesque sedari, et facilius exanthemata deinde prodire, merito confidit. Nec a sanguine mittendo, ubi plethora ingens, aut hæmorrhagia gravis, aut aliud aliquod symptoma urgeat, abhorret ipse MORTONUS, qui ceteroquin in hoc stadio, ante videlicet morbillorum eruptionem, sive *efflorescentiam*, generatim negat, venæsectioni locum ullum esse.

(a) TISSOT *Avis au peuple P. I.* §. 225. *num.* 1. STORCK. *T. I. p.* 306.
(b) *Prec. de med. l.* 2. *p.* 604. 605.
(c) *L. c. observ. Clinic.* §. 1.

Quæ sanguinis missionem suppleant.

§. 126. Ubi vero sanguinis mittendi indicatio non admodum perspicua est, aut sanguine jam misso, symptomata eadem perstant; prudentis medici est temperantia, et antiphlogistica, uti potum largum ptisanæ cum nitro, melle, et aceto, aut seri lactis leviter Tamarindis, aut Cremore Tartari imbuti prius tentare, quam ad phlebotomiam propere nimis instituendam, aut iterandam procedere. Sanguinis fervorem nimium, febrisque concitatiorem motum sæpe temperant, et compescunt sola enemata mitiora, et refrigerantia. A capite egregie revellunt, sicque cephalalgiæ, sopori, eclampsiæ, oculorum, et faucium inflammationi solamen afferunt balnea tepida pedum, et crurum, quibus etiam efficitur, ut universa cutis laxetur, et eruptioni exanthematum recipiendæ paratior evadat. Mirifice etiam dolorem faucium et tussim lenit, et pectoris oppressionem minuit vapor aquæ tepentis ore inspiratus (*a*), præter eclegmata demulcentia, et oleosa, et potiones pectorales et anodynas. Ut vero calefacientia in quovis hujus morbi stadio, acriorem,

et subtiliorem materiam reddendo, atque æstuationem, anxietatemque augendo, et vires dissipando maxime nocent: sic nimium refrigerantia, et nitrosa, præsertim in infantibus, non parum suspecta videntur HOFFMANNO (*b*); quia eruptionem retardant, et retenta interius morbillosa acrimonia visceribus sphacelum, aut gangrænam minatur. In refrigerantium ergo usu medicum considerare, prudenterque se gerere oportet, ne modum unquam excedat, necessariamque effervescentiam, qua in hocce stadio natura utitur ad morbidum virus expellendum, nimium cohibeat.

(*a*) TISSOT *l.c.* (*b*) *L.c.*

§. 127. Alvus etiam præter modum compressa, et multo magis, si ab aliquot jam diebus nihil dejecerit, inter initia protinus, quia anxietatem, et inquietudinem auget, laxanda est enemate blando, et molliente, aut etiam lenissimo eccoprotico. Valentius vero agere convenit, si cum morbillis saburra primas vias prægravans complicetur, suique ablationem petat. In eam autem sic inquirere oportet, ut certo de ejus præsentia constet. Nam lingua albicans, nausea, vomituritio, ponderis sensus in epigastrio, anxietas, quæ alias saburræ gastricæ indicia habentur, in hoc *contagii*, sive *effervescentiæ* stadio sunt plane ambigua, et fallacia; possunt quippe febris aliquanto vehementioris, et nervosæ perturbationis a morbilloso veneno inductæ effecta, et symptomata esse sine ulla cacochyliæ gastricæ culpa. Quo casu nemo non videt, linguæ albidum colorem a febrili calore, nauseam, vomiturıtionem, et præcordiorum anxietatem, et reliqua a solis ventriculi, duodeni, diaphragmatisque spasmis proficisci; quod proprium omnino est omnium fere morborum exanthematicorum, in quibus ple-

Alvus compressa enemate laxanda.

Saburra gastrica sui ablationem postulat.

Lingua albida, nausea, vomitus signa fallacia.

itaque ista, eruptione demum facta, idest caussa eorum materiali ad cutim protrusa, cessare, atque evanescere consueverunt. Ne igitur praepostere eo in casu emetica, aut cathartica adhibeantur, paullo diligentius quærendum est, an certiora cacochyliæ gastricæ signa cum illis concurrant; nempe an pravus, amarusve oris sapor adsit, an quæ vomitu rejicitur materies, pituitam acidam, aut bilem flavam, viridem, porraceam, aut nigricantem, aut alia corrupta recrementa referat; an antecedens victus ratio, vitæ genus, annique tempus hujusmodi fuerint, quæ colligendis circa ventriculum sordibus apta sunt, an cruditates, dyspepsiæ, anorexiæ, alvi tarditas præiverint, an oris halitus fœteat, an color faciei, aut urinarum subictericus videatur, an egestiones putridam indolem ostendant, an epigastrium, et hypochondria tumeant, an flatibus, et borborygmis intestina distenta obmurmurent, aut inutilis desidendi cupiditas adsit? Si ex his manifestior fiat primarum viarum saburra, danda est opera, ut quam citissime expellatur. Vomitus igitur, qui ad quævis assumpta instat, aqua tepida mellita, aut levi cardui benedicti, aut chamæmeli decocto tepide hausto, et si satis non sit, oleo olivarum addito primum leniter promoveatur; si hoc non satis evacuatum sit, ad leve aliquod emeticum progredi licet, ex Ipecacuanha (*), aut Tartaro emetico depromptum. Si vero vomitui locus non exsistat, aut saburra intestina magis, quam ventriculum oppleat, cathartico uti expedit ætati, viribus, temperamento, corporis habitui accommodato. HOFFMANNUS syrupo cichorei cum Rhabarbaro (*a*) addendum præcipit Tartari emetici granum dimidium, quo medicamenti vis aliquantulum acuatur.

Certiora cacochyliæ signa.

Saburra detecta quomodo evacuanda.

(*) Pro Bimulo, aut Trimulo ROSENIUS utitur se-

quenti formula. *Rec. Ipecacuanhæ grana tria, sacchari albi grana sex. M. f. pulv. dividend. in tres part. æquales*. Danda est una ex cochleari aquæ, aut syrupi alicujus gratioris. Si intra quadrantem horæ non edit suum effectum, detur altera, & si intra sesquihoram nihil præstiterit, detur etiam tertia, quæ effectum certum, nempe vomitum satis lenem, pariet. Pueri facilius, & tutius vomunt ob fibrarum laxitatem, & humidiorem corporis habitum. Inter eccoprotica idem Auctor præfert Rhabarbarina. Pro Trimulo satis esse putat Tincturæ Rhabarbari cochlear unum, vel ejusdem dilutum aquosum ex Rhabarbari drachma dimidia per noctem in tribus cyathis aquæ communis infusa, in tres haustus dividendum.

(a) *L. c. Observ. Clin.* §. 1.

§. 128. Infantes, et pueri si eclampsia, aut convulsionibus ante eruptionem morbillorum corripiantur, ni sponte, et cito id mali desinat, quærendum, utrum a nimia nervorum mobilitate, vel a dentitione, vel a vermibus, vel a plethora, vel a difficili eruptione gravius ægrotent. Nimiam mobilitatem sedat liquor cornu cervi succinatus ad paucas guttas ex aqua florum Tiliæ datus, aut liquor anodynus mineralis HOFFMANNI, aut syrupus papaveris albi aquæ cerasorum nigrorum, aut Melissæ additus. Hæc ipsa dentientibus quoque prosunt, in primis si enemate blando, et mollienti intestina eluantur. Vermes vero si in suspicionem venerint, anthelminthicis, uti corallina, semine santonici, radice valerianæ silvestris, similibusque oppugnandi, et evacuantibus, uti syrupo florum persici, cichorei cum Rhabarbaro, mercurio dulci expellendi sunt. Plethora si in caussa videtur, minuatur sanguinis detractione per venam incisam, vel hirudines locis idoneis applicitas. Cunctantibus vero erumpere exanthematibus nihil potest Eclampsia quomodo curanda.

esse opportunius utiliusque, quam diaphoresim leniter ciere diluto florum sambuci, aut papaveris erratici, vel decocto radicis Scorzoneræ moderate calido, identidem sorbillato, atque interim crura, et pedes pannis laneis ex calida expressis involvere, ut vapore aqueo laxata cutis humorem morbillosum alliciat extrorsum. Nec aliena quandoque sunt vesicantia, ubi languida vitæ actio eruptionem retardet (*a*).

(*a*) Forstenius *de Cantharid. p.* 167. *Argentorat.* 1776.

Qua ratione in lactantibus spasmi profligandi.

§. 129. Lactentes spasmis quoque, et anxietatibus sæpe ex saburra primarum viarum, vel lacte acescente obnoxii fiunt. Eccoproticis, et enematibus illa protinus subducenda est. Hoffmannus sextam grani partem tartari emetici ex duabus drachmis aquæ florum Tiliæ propinare (*a*) non dubitat, ut protinus liberentur. Viri hypochondriaci, et mulieres hystericæ morbillis laborantes sæpe in spasmos, animi defectiones, spiritus difficultatem, præfocationesque cum gutturis constrictione, et ingenti præcordiorum anxietate incidunt. Quibus fit, ut exanthematum eruptio quam maxime retardetur. Caveto tunc, ne temere saburræ gastricæ symptomata ista putes. Nocerent enim quævis medicamenta, quæ per superiora evacuationem moliuntur. Nam tum antispasmodicis, atque enematibus partim paregoricis, partim carminativis opus est. Ubi vero menstrua, vel hæmorrhoidum fluxus substiterint, aut immineant, vena in pede secta remedio est. His enim efficitur, ut brevi post morbilli feliciter (*b*) efflorescant.

Item in hypochondriacis, aut hystericis, quid conveniat.

(*a*) *Loc. cit. Observ. IV.*
(*b*) Hoffm. *l. c. caut. & observ. Clinic.* §. 3.

§. 130. Tanta quandoque est humoris acris in fauces distillatio, ut non modo in laryngem depluens tussim, quæ jam assidue vexat, molestiorem reddat, verum pharyngem etiam, œsophagumque vellicando ad vomendum sæpe provocet. Hoc incommodum leniunt egregie gummi arabicum, aut Tragacantha aqua in mucedinem subactum, cremores oryzæ, hordei, aut avenæ cochleatim crebro sumpti, et gargarizationes ex lacte, aqua florum sambuci, et melle, ut demulceant, et abstergant; quorum etiam usus faucium dolori, atque inflammationi non infrequenti egregie medetur, præsertim si simul externe fomenta, et cataplasmata mollissima, et anodyna admoveantur. Ratione tussis, quæ non in hoc solum stadio, sed etiam in reliquis permolesta esse solet, acida quæcunque sive in potionibus, sive in eduliis, quamquam in aliis exanthematicis morbis liberali manu concedantur, in morbillis tamen, quia tussim valde exasperant, parcius, et cautius adhibenda esse cum ROSENIO arbitramur. Tussis pariter leniendæ caussa hypnotica a multis proponuntur. SYDENHAMIUS multis de caussis singulis noctibus ab ineunte morbo ad finem usque diacodium dabat. Idem fecerunt postea, qui Sydenhamianis præceptionibus institerunt. Sed ad hujusmodi remedia non deveniendum esse, nisi urgente necessitate, vult MORTONUS; et si ob tussim, vigilias, deliriumque interdum somniferis, et ex opio paratis medicamentis aliquando locum aliquem concedat, parca, et cauta manu ea adhibenda præcipit. Cautione eadem utitur LIEUTAUDIUS, immo cavet, et vetat, ne infantibus ullo modo propinentur. Multa etiam passim dicuntur a Cl. TISSOTIO contra improvidum eorum usum. Febrem enim, et soporosos affectus augere solent. Prudentis igitur medici erit in hoc morbi stadio

Distillationi acri in fauces cadenti quænam succurrant.

Quæ dolori faucium, et inflammationi conveniant.

Acida tussim exasperant.

Cautiones circa hypnotica.

ab iis abstinere, aut certe, si quid ea postulare videatur, uti si alvi fluxus nimius cohibendus sit, quam parcissime, et rarissime iis uti, et semper mitissimis. Vesicantia quoque eamdem prope animadversionem requirunt. Hinc in benignis morbillis, atque in eorum *effervescentia* reprobantur generatim; et si unquam admitti debeat, tum sane id erit, cum spasmi, eclampsia, coma grave perniciem minantur. Quandoque etiam tussis permolesta nulli alii remedio cedere visa est, quam vesicantibus, avocato scilicet extrorsum acri humore, qui faucibus, laryngi, pulmonibusque pertinaciter adhærebat (*a*).

De vesicantibus animadversio.

(*a*) Forsten. *Disquisit. med. cantharid. p.* 167.

Quædam animadversiones circa secundum stadium. Cunctanti eruptioni quomodo succurrendum.

§. 131. Exacto primo stadio, et eruptione jam adveniente, quædam interdum incidunt, consideratione digna, quorum breviter hic mentionem faciam. Ac primum scire licet, morbillorum eruptionem, quamquam æger, ut debet, quieti, et leni diaphoresi, quoad potest, det operam, nihilominus diutius, quam par est, interdum cunctari, et lente procedere. Tunc quærendum diligenter est, utrum plethora, aut concitatior febrilis motus, aut contra languidior vis vitæ impedimento sit. In primo, atque altero casu plethoræ imminutio, et febrilis æstus temperatio per diluentia, et refrigerantia eruptionem accelerabunt. In tertio vero præter potum largiorem leniter cardiacum, et alexipharmacum, et prudentem vesicantium applicationem supra propositam (§. 128.) camphora, aut moschus primas tenent. Vires enim vitæ sic eriguntur, et humorum ad cutim propulsio mirifice promovetur. Huic quoque fini favent spiritus corni cervi succinatus, spiritus Mindereri aut vini haustulus. Nonnulli lene emeticum proponunt, utpote excitans vim vitæ, et sudores

proliciens. Sed, nisi simul ventriculi cacochylia extundenda sit, præstabit, eo omisso, per mitiora, et tutiora, quæ modo indicavi, medicamenta naturam excitare.

§. 132. Si efflorescentia, postquam apparuit, modo rubeat, modo palleat, aut partiatim tantum, et successive se ostendat, vel quædam papulæ rubræ videantur, dum aliæ pallidæ conspiciuntur, tunc cardiacis, et alexipharmacis leniter earum eruptio adjuvanda est. In primis camphora ad id maxime valere perhibetur. Eo quoque spectat vesicantium prudens applicatio, quamquam id auxilii in malignis, et ubi vires vitæ multum languent, præstare videatur. Quod si repente exanthemata se subduxerint, et timor sit, ne intro versa materies alicubi lethalem metastasim faciat, extemplo extrorsum avocanda sunt iis auxiliis, quæ ad lentam, atque imperfectam eruptionem supra commendavimus, præsertim diluto florum sambuci abunde hausto, camphora, moscho, cucurbitulis siccis, fricationibusque adhibitis, atque epispasticis cruribus, aut cervici, si capiti malum impendeat, celeriter admotis; immo sunt qui suadent ægrum in balneum tepidum illico demittendum esse. Ne vero hujusmodi infortunium obveniat, danda opera est, ut frigus, mœror, pavor, aut alii animi subiti motus solertissime arceantur.

Eruptio inæqualis quibus adjuvanda.

Subitus exanthematum regressus, quid postulet.

§. 133. Si in hac periodo magna adsit inquietudo, et vigilia, syrupo diacodii, in primis vesperi, ægri ad quietem, et somnum componendi sunt, ut absolutior, et perfectior exanthematum expulsio consequatur. Neque hoc tempore MORTONUS, qui hypnotica, et opium habentia in primo stadio reprobavit, ab iis valde abhorret, dummodo respiratio libera sit, et nullus instet præfo-

Quando opiatis, et somniferis uti liceat.

cationis metus. Immo in alvi fluxu immodico non
Diarrhœa quomodo moderanda.
dubitat ad paregorica confugere. Ipse tunc præ-
fert reliquis Laudanum liquidum Helmontii, cu-
jus guttas tres, vel quatuor, vel sex, vel decem,
vel duodecim pro ratione ætatis dandas jubet, do-
nec alvi profluvium decrescere incipiat. Moderan-
dam enim, non sistendam ejusmodi evacuationem
tradunt cum MORTONO plerique. Quem in finem
decoctum album etiam, tincturam rosarum, lac
aqua plus minus dilutum, atque alia hujus ge-
neris adhiberi volunt. At HOFFMANNUS, cum ple-
rumque hac via morbidam materiam utiliter e-
mendari viderit, adstringentia quæque hic reje-
cit, et solis clysteribus demulcentibus intestina
eluenda (*a*) subinde esse autumat. Sunt præterea
quædam alia symptomata, quæ, quia in hocce
stadio vel increscunt, vel valde molesta atque in-
commoda esse pergunt, aliquod solamen requi-
runt; cujusmodi est tussis, oculorum rubor, et
Tussi, lacrymationi, et sternutamentis, quæ medeantur.
lacrymatio, et frequens sternutamentum. Tussi
leniendæ quid conferat, jam supra (§§. 126. 130.)
memoravimus. Dulcia generatim, uti syrupus al-
theæ, capillorum veneris, violarum, papaveris er-
ratici, succus glycyrrhizæ hispanicæ, trochisci ra-
dicis altheæ, saccharum candi, atque ex his pa-
rati, additione olei amygdalarum dulcium recen-
tis, linctus celebrantur. At temperamentum ali-
quod in eorum usu adhiberi oportet, ne diar-
rhœam inferant, aut præsentem adaugeant in æ-
gri detrimentum. Oculorum ruborem, ardoremque
mitigant collyria ex aquis rosarum, et plantagi-
nis vel solis, vel lacti admixtis; quibus etiam
addi solet interdum aliquid ex trochiscis albis
Rhasis. Sternutamenta vero tollit, aut certe mi-
nuit lac tepens in nares attractum, aut injectum.

(*a*) *Loco citat. observat.* 5.

§. 134. In tertio demum stadio, quod exsiccationis, sive desquamationis vocatur, morbi judicium decernitur. Igitur in eo vel sanitas, vel mors, vel transitus in alium morbum expectandus est. Sanitas obtinetur leni diaphoresi, vel sudore, quo febris solvitur. Futuram hujusmodi criticam excretionem indicat pulsus pacatior, et cutis mollior, atque humidior. Hisce signis apparentibus, satis est naturæ potu copioso obsecundare. At si diaphoresis, aut sudor sponte non accedat, aut cunctari videatur, nec tamen ulla indicia exstent futuri alvi fluxus, uti sunt hypocondriorum tensio, elatio, ventrisque borborygmi, natura tum potu diapnoico, et calente, camphora, aliisque lenibus diaphoreticis sollicitari debet ad diaphoresim, hæcque iisdem sustineri, donec febris omnino cessaverit. Contra si epigastrium tumeat, hypochondria tendantur, si cutis arida deprehendatur, si venter torminibus aut borborygmis turbetur; non sudore, sed alvi fluxu morbum solutum iri, cognoscitur. Hic autem alvi fluxus interdum ita præceps supervenit, ut decies, aut duodecies intra breve temporis spatium venter laxetur. Cavere tum oportet ab iis, quæ hasce dejectiones cohibeant; nam criticæ, salutaresque esse consueverunt. Salutares autem revera esse conjicies ex virium constantia, majore ægri alacritate, tussis mitigatione, oculorum nitore redeunte, epigastrio, et hypochondriis detumescentibus. Quandoque alvi fluxum comitantur dolores intestinorum molesti. Si hi fomentis calidis ventri applicitis non conquiescant, enemate demulceri possunt, aut theriaca abdomini imposita, aut etiam dato Rhabarbari diluto, aut sero lactis tamarindis alterato, aut oleo dulci olivarum, quod tutius est, cochleatim subinde propinato, ut citius intestina a no-

De tertii stadii vicissitudinibus.

Diaphoresis et sudor, quando conferat.

Qua ratione promoveri debeat.

Alvi fluxus Criticus.

Cautela circa eum.

Si cum torminibus jungitur, quid agendum.

cua materia restitante, adhærenteque liberentur. Quod si alvi profluvium diutius, quam par est, persistat, vires prosternat, et colliquans videatur, tunc protinus comprimi debet Diascordio Fracastorii, Laudano cydoniato, Theriaca, decocto albo, cascarilla, cortice peruviano, pulveribus alcalicis, aliisque (*a*) sistentibus.

Quando compescendus.

(*a*) ROSEN. *l. c.* LIEUTAUD *l. c.* HOFFMANN. *l. c.* §. 5. *in cautel.*

Peripneumoniæ in fine tertii stadii supervenientis curatio.

§. 135. In summum vitæ periculum adduci ægrotantes, immo repentino quasi fato suffocari nono fere die, evanescentibus nempe morbillis, et febre recrudescente cum peripneumoniæ, aut pleuritidis signis, supra (§§. 119. et 122.) jam notatum est. Quod ubi incidit, protinus sanguinem e vena brachii vel in tenerrimis infantibus mitti, quod semper felicissimo eventu fieri affirmat SYDENHAMIUS (*a*), cantharidibus dorsi partem, quæ scapulis interjacet, et latus, quo dolor percipitur, exulcerari, multum aquæ cum nitro, atque oxymelæ potui dari, et camphoræ aliquid intrinsecus præberi oportet. Finem vero sanguinis missioni iterandæ imponat respiratio liberior facta, et sputum facilius, et promptius. Tunc, omissa camphora, solo decocto hordei mellito, aut sero lactis uti expedit, injecto bis in die molli enemate, ut alvus aperta servetur. Interdum tamen nec febris, nec spirandi difficultas, nec pectoris oppressio adeo urget, ut sanguinis missione opus sit. Tunc omitti eam posse, auctor est TISSOTIUS (*b*). In habitu pinguiori præditis, in quibus fibrarum laxitas, humorumque lymphaticorum copia excedere videtur, idem vir doctissimus suadet, vesicantia cruribus admovenda esse, et dandum intrinsecus oxymel scilliticum. Sin vero ista ne-

Quando sanguinis missio omitti possit.

gligi contingat, vel suffocatione pereunt ægri, vel suppurato pulmone in phthisim labuntur. Tanta autem est sanguinis missionis utilitas, ut ea diarrhœam ipsam morbillis supervenientem curari dicat SYDENHAMIUS. Revertitur enim sic ab intestinis morbillosa materies, quæ ad intestina delata sua acrimonia alvi fluxum exciverat. Qua ratione demum aliis symptomatibus succurrendum sit, vel morbi secundarii, qui morbillos interdum subsequuntur, præcaveri, aut jam præsentes tolli debeant, peculiari capite, postquam de malignis sermonem absolvero, quoniam in his frequentius eveniunt ejusmodi successiones, infra demonstrabo. Nunc hoc unum addam, pleraque ista mala anteverti, si ab initio regimine antiphlogistico (*), et diluentibus febris impetus fuerit retusus, atque evacuationes, quas natura molitur, prudenter (c) et blande promotæ, et demum si cessante febre, arefactisque morbillis alvus leni medicamento ducatur, idque interjectis aliquot diebus iteretur bis, vel ter, ut si quæ morbidi fomitis reliquiæ supersint, paullatim e corpore deturbentur.

Diarrhœa etiam venæsectioni obtemperat.

De aliis symptomatibus, et morbi successionibus postea.

Quomodo præcaveri possunt.

(a) *L. c.* MORTON. *l. c.* ROSEN. *l. c.*
(b) *Loc. cit.* §. 226.
(*) THOMAS DICKSON defendit methodum simplicem, & antiphlogisticam SYDENHAMII contra MORTONUM, & MEADIUM, *Comm. de reb. in med. & scient. nat. gest. Vol. XVIII. P. 3. p.* 401. Non reticenda est methodus morbillos curandi, qua in quadam epidemica constitutione usus est GONTARDUS (vid. *Journal. de Medec. T. VIII. p.* 338.). Is morbillos pro inflammatione erysipelatode, quæ internas, externasque partes afficiat, habet. Hinc resolvere eam parat sanguinis missionibus, emeticis, & demulcentibus. Hac ratione morbillos epidemicos ann. 1756. feliciter se curasse narrat, adductisque historiis rem comprobat. Video ejus methodum a SAUVAGESIO expositam, commendatamque. Sed ve-

nia & pace ejus non possum dissimulare, nimium mihi videri & venæsectione, & emesi, & alvi ductione esse abusum in morbo, qui ut plurimum solo idoneo regimine eget, &, si quando majore artis auxilio opus habet, non sine deliberatione, & maturo consilio licet ad sanguinis missionem, ad emetica, aut cathartica, ad generosiora nimirum præsidia in eo devenire. (c) TISSOT. *l. c.* §. 224.

MORBILLI MALIGNI.

Multa communia cum benignis.

§. 136. Hi multa cum benignis habent communia; qua de caussa a plerisque una describuntur utrique. Sunt enim et ipsi plerumque epidemici, raro sporadici. Ingruunt fere, ut benigni, Januario, et Februario mense; invalescunt ad vernum usque æquinoctium: deinde successive decrescunt, donec appetente solstitio æstivo, aut paullo post penitus desinant. Epidemici maligni exstitere morbilli, quos anno 1674. Londini vidit SYDENHAMIUS (*a*). Modo præcedenti insalubrium temporum, aerisque constitutioni, modo aliis caussis fortuitis, et præsertim regimini calefacienti, aut omissæ rectæ curationi suam originem (*b*) debent; processumque eumdem servant, quem benigni in tria videlicet stadia distinctum, cum plerisque symptomatibus parum dissimilibus. Nihilo tamen minus sunt quædam malignorum propria, quibus a benignis discernuntur, et reapse sejungendi videntur.

(*a*) *Oper. sect. V. cap. III.*
(*b*) HOFFMAN. *l. c. cap. VIII.* §. 5.

Propria malignorum.

§. 137. Ac primum in malignis aut multo citius, aut multo tardius, quod frequentius est, quam in benignis, exanthemata efflorescunt, nimirum ante tertiam vel quartam, vel post quintam, sextam, septimam, immo interdum octa-

vam diem tantum. Quando igitur tardius eruptio contingit, ideo id evenit, quod ab initio vires vitæ pene obruuntur, longiorique tempore egent ad secernendum, expellendumque virus morbillosum. Hinc in primo stadio, quando longius est, plerumque symptomata non admodum vehementia sunt, nec adeo velociter, ut in benignis, invalescunt. Invalescunt vero vehementius omnia, paullatim viribus exstimulatis, atque erectis, post eruptionem morbillorum, contra quam in benignis fieri consuevit; nam in his potius ab eruptione nonnulla sedantur, et conquiescunt. At quando primum stadium brevius est, et citius solito eruptio contingit, morbus ut plurimum pessimis statim cum symptomatibus exorditur. Pustulæ præterea non primum in facie, sed circa humeros, et pectus se exserunt, deinde in reliquis partibus; vel certe non generatim, ac universim erumpunt, sed successive, partem unam post alteram occupantes. Hinc, ut primum stadium longius plerumque est quam in benignis, sic hoc alterum etiam multo diutius protrahitur. Non raro ancipiti eventu ad decimum septimum, et vigesimum usque diem producitur (*a*). Neque color earum constans est, nam modo viget, modo pallet, modo livet; aut ex rubro etiam nigricat, et sæpe cutis ipsa flaccescit (*b*). Interim eruptione facta plerumque omnia symptomata ingravescunt. Febris intenditur cum pulsu validiori, et crebriori, et duro, tussi frequentiori, sicca, et pene continua, spirandi difficultate majori, anhelitu, anxietate, pectoris oppressione, dolore laterali lancinante, et quandoque motibus convulsivis. Cutis a materia morbi vellicata rubore suffunditur, et leviter sudat. Urinæ contentis, et colore saturantur. Fauces dolent, et tument; oculi acrius irritantur. Hinc ophthalmia,

angina, peripneumonia, pleuritis, aliaque mala inflammatoria consequuntur (c). Demum observatio SYDENHAMII est (d), malignos morbillos rarissime desquamatione terminari; quod alias in benignis perpetuum est. Interdum nova eruptio succedit antecedenti, aut morbillis miliaria exanthemata, vel particulæ superveniunt (e). In eorum porro exsiccatione, et discessu multo frequentius, et sine evidenti caussa febris, et tussis, et spiritus difficultas cum ardore, siti, calore intensioribus recrudescunt, et peripneumoniæ lethales, aut alii morbi acuti inducuntur, qui nisi cito enecent, in lentos facile transeunt.

(a) MORTON. *l. c.* (b) STORCK. *T. I. p.* 514.
(c) MORTON. *l. c.* STORCK. *l. c.*
(d) *Oper. sect. V. cap.* 3.
(e) HOFFMAN. *l. c. enarrat. morb. obs.* 1. & *l. c. cap. VII.* §. 5.

Alia signa Diagnostica.

§. 138. Ex his facile liquet discrimen, quod inter benignos, et malignos morbillos intercedit. In universum vero illud probe tenendum, omnia symptomata, quæ benignos comitantur, in malignis multo graviora, et pertinaciora esse. Præterea horum certiora, et solemniora signa passim habentur ingens jam a morbi ingressu virium prostratio, oscitationes, et pandiculationes crebræ, inquietudo summa, interdum extremorum frigus; capitis, lumborumque dolor; vertigo; pulsus celer, inordinatus, et parvus, et urinæ tenues et pallidæ in primo stadio; deinde in altero ille magnus, et vehementior, hæ vero turbidæ, et coloratiores; nausea, et vomitus molestiores, deglutitio dolorifica, et difficilis, respiratio frequens, et parva, aut inæqualis, tendinum subsultus, somnolentia, mentis perturbatio, delirium, oculorum rubor intensior, vox rauca, tussis ferina, suf-

focationem ferre minitans, hæmorrhagiæ immodicæ, alvi fluxus, convulsiones, atque alia (*a*) hujusmodi.

(*a*) Hoffm. *loc. cit. sect. I. cap. VIII.* §.5. Meza *compend. med. Pract. Fasc. I. cap. XX.* §. 189.

PROGNOSIS.

§. 139. Signa prognostica, quæ supra (§. 122.) exposita sunt, huc quoque transferantur; nam cum benignis, tum malignis morbillis æque quadrare possunt. Speciatim vero maligni et præsertim epidemici exitiosiores sunt benignis, et sporadicis. Quo longiora stadia habent, eo majus periculum portendunt. Hinc tardior, et serior eorum eruptio, semper deterior est. Eruptionis ultra tres dies protractio malum significat; nam febris, quæ in malignis eam comitatur, cum intensior sit, si diutius protrahitur, pessimas inflammationes ciere potest. Nec meliora promittit eruptio lenta, et per vices rediens. Naturæ enim defectum, atque irritos conatus facultatis expultricis ostendit. Color præterea incertus, aut cito pallescens, aut nigricans triste augurium dabit. Eruptione jam ad finem vergente, aut exsiccari incepta, si febris nihil remittat, et æque persistat, non vacat (*a*) periculo. Discriminis magnitudinem augent maculæ scorbuticæ, aut peticulæ, aut miliaria exanthemata cum morbillis complicata, et multo magis, si tertio in stadio demum (*b*) superveniant. Morbo autem imperfecte soluto, quod superest morbillosi veneni retenti, tussim, dyspnœam, appetitus defectum, oculorum chronicos effectus, atque alia mala relinquit; immo sæpe fundamenta jacit diarrhœæ pertinacis, phthiseos pulmonaris, atrophiæ, lippitudinis, scrophularum, interdum etiam anasarcæ, aut hydropis (*c*). Sed hydrops,

anasarca, glandularum tumores strumosi frequentius a purpura scarlatina, quacum morbilli confundi quandoque solent, permanant.

(*a*) MORTON. *l. c.* (*b*) HOFFMAN. *l. c.* §. 5.
(*c*) MORTON. *loc. cit.*

CURATIO MALIGNORUM.

§. 140. Pleraque eorum, quæ morbillis benignis curandis (§§. 124. 125. et seq.) accommodata recensui, malignis quoque conveniunt. Omissa igitur eorum repetitione, tamquam supervacua, pauca quædam solum attingam, quæ huc propius spectant. Primum curandum est in primo stadio, ut ægri lectulo se addicant binos aut ternos saltem dies ante eruptionem, quo cutis viæ laxentur, et magis patulæ reddantur. Sed nec stragulis, nec calori, quibus sani assueverant, quidquam adjiciatur. Jura carnium, et multo magis carnes ipsæ e victus ratione ablegentur. Satius erit solis jusculis avenaceis, vel ex hordeo, aut oryza paratis sed dilutioribus, et pomo subinde cocto vesci, vel lacte cum triplo, aut quadruplo aquæ leniter decocto pro alimento simul, et potu uti (*a*). Quando emesi, aut catharsi opus sit, jam supra (§. 127.) declaravimus. Sed animum etiam ad epidemicam constitutionem advertere oportet, prudenterque tentare, conferatne, an noceat purgatio. Quod attinet ad sanguinis missionem, plerumque in primo stadio malignorum ob virium dejectionem, pulsuumque languorem, et parvitatem non videtur ea opus esse. MORTONUS certe eam tum generatim rejiciendam putavit. Sed hic quoque animadversiones, quas alibi (§. 125.) exposuimus, locum habere possunt, in primis ubi morbilli præmature erumpunt, eosque vehementior febris antecedit. Hunc

Regimen. Victus ratio. Emesis, et catharsis. Sanguinis missio in primo stadio.

esse casum putaverim morbillorum malignorum, in quo mittendum sanguinem censet ROSENIUS, etsi ipse nimis fortasse id auxilii ad omnes malignos extendere videatur. Quod vero de crusta pleuritica, quam in detracto sanguine semper apparere affirmat, retulit, perpetuum non est; sæpe enim eam deficere experientia compertum habetur. Ceterum cunctante eruptione ex languidiore naturæ motu, lenia potius alexipharmaca, et cardiaca a MORTONO adhibebantur, ut validius natura ad expellendum virus incumberet. Sed cautione opus est, ne fervor sanguinis nimium adaugeatur. Præter diluta florum tilia, sambuci, papaveris rhœados calide hausta, si eruptio apparere nimirum cunctetur, aliquid camphoræ, vel liquoris cornu cervi succinati, vel spiritus MINDERERI, vel liquoris anodyni minerali HOFFMANNI dari subinde convenit. His enim non modo vires vitæ eriguntur, sed etiam spasmi, quibus natura in hoc stadio opprimi maxime videtur, eximie sedantur. Tunc etiam ad cutim avocare cucurbitulis siccis, universo corpori admotis, et subinde opportune iteratis, balneis crurum, fomentis, sinapismisque utilissimum est. Nec vesicantibus tum locus denegatur.

Diaphoretico.

Cucurbitulæ siccæ, fomenta, balnea, sinapismi.

(a) SYDENH. *op. sect. V. cap. 3.*

Sanguinis missio in secundo stadio.

§. 141. In secundo stadio, nempe eruptione facta, quoniam febris cum omnibus symptomatibus vehementius excandescit; morbus inflammatoriam naturam inducere videtur MORTONO. Hinc quam ante eruptionem reprobavit sanguinis missionem, hic eam uti necessariam proponit. Revera hoc ipso tempore aut caput, aut fauces, aut pectus, aut omnes hæ partes simul atrocius afficiuntur. Inflammationis igitur signis accedentibus, cur non sanguis mittatur? Hoc in primis in perip-

neumoniæ metu opportunum est, etiamsi morbilli pulchre rubri appareant. Immo si post primam sanguinis missionem respiratio non fiat liberior, nec sputa prodeant, quæ morbum levent, iteranda sanguinis missio est ad tertiam etiam vicem, non omissis interea diluentibus, attenuantibus, antiphlogisticis, demulcentibus, et subinde enematibus. Si nihilominus difficultas spirandi persistat, aut caput impetatur, aut delirium se adjungat, vesicantia suris imponi necesse tum est (*a*). His etiam magnopere confidit MORTONUS, sic ut crebro ea applicanda velit cum ad vires, ubi langueant, excitandas, tum ad eruptionem, ubi lenta, et imperfecta, aut incerta, et vaga sit, provide adjuvandam. Scire autem convenit, malignos morbillos, præsertim in quibusdam epidemicis constitutionibus magis putridos esse, quam inflammatorios, et tum noxiam fore sanguinis missionem. Id evenit in constitutione epidemica anno 1763., et 1768., quam Londini observavit GUILIELMUS WATSON. Tam in primo, quam in secundo stadio pulsus erant celeres, debiles, et inæquales cum magna anxietate, dejectiones alvi crebræ, et demum delirium accedebat mortis prænuntium. Cadaverum sectio pulmones, aliaque viscera sphacelata ostendebat. Sanguinis missio (*b*) plerumque nocuit.

Vesicantia.

(*a*) STORCK. *l. c. T.* 1. *p.* 309. 310.
(*b*) *Medic. Observ. and. Inquiry by a Society of Physicians in London. Vol. IV. pag.* 132.

Eruptio imperfecta.

Bezoartica.

§. 142. At in eo casu, in quo eruptio lente procedit, aut imperfecta, et vaga est, aut per vices abit, et redit, præter ea, quæ tam intrinsecus, quam extrinsecus adhibita (§§. 140. 141.) ad cutim morbillorum virus alliciunt, Bezoartica sic dicta a multis commendantur. In his pulvis

e chelis cancrorum compositus, radix contrayervæ, stybium diaphoreticum non ablutum, atque alia hujusce generis numerantur HOFFMANNUS duo præ ceteris extollit, *Bezoarticum* nempe *Minerale*, et *sulphur auratum* antimonii; quibus et sudores blande elici, et morbillos protrudi ad cutim pollicetur. Illo interdum alvum laxari cum euphoria observavit. Sulphuris vero aurati dosim ad dimidiam grani partem, vel ad quartam tantum pro qualibet vice habita ætatis ratione perstringendam (*a*) esse admonet. Item ubi modo rubent, modo pallent morbilli, et multo magis, si intro reversi sint, cito ad ea omnia properandum est, quæ supra (§. 131.) proposita fuere. Livere eos interdum, immo nigrescere, paullo ante (§. 137.) memoravimus. Quando id evenit ob graviorem cutis inflammationem, quam induxit regimen calefaciens, et improvidus alexipharmacorum calidorum usus, tunc mittendum esse sanguinem, quo gangræna, summus inflammationis gradus, avertatur, experientia ductus suadet SYDENHAMIUS. Solet autem eo in casu cutis non modo rubere intensius, ut ad nigricandum inclinet, verum etiam tumere, et distenta reniti. Quod si nigricans morbillorum color cum cutis ipsius flacciditate jungatur, sic ut a prava potius humorum qualitate, atque a vi vitæ in vasis cutaneis fatiscente, quam ab inflammationis vehementia proficisci nigror ille videatur, protinus huic malo prospiciendum est antisepticis, et corroborantibus (*b*), præsertim cortice peruviano, camphora, elixirio vitrioli Pharmacopœæ Londinensis, serpentaria, et similibus, omissa sanguinis missione.

Bezoarticum Minerale.

Sulphur auratum Antimonii.

Morbillorum regressus.

Quando nigricant, aut livent.

S. missio.

Antiseptica, et roborantia.

(*a*) *Loc. cit. in Cautel.* §. 7.
(*b*) STORCK. *l. c. T.* 1. *p.* 314.

Hæmorrhagiæ. §. 143. Hæmorrhagiæ tam narium, quam aliarum partium morbillis, præsertim malignis, ut dictum est, non raro superveniunt, in primo speciatim et secundo eorum stadio. Has sinere præstat, quam propere nimis cohibere. Quare adstringentia, et ex opio parata remedia tum vitari debent (*a*). Si tamen sanguis immodice profundatur, ut jam facies, et labia palleant, extrema perfrigerari incipiant, pulsus langueant, aut æger imminentem vomitum, et animi deliquium queratur, tunc hæmorrhagia sistenda protinus est non modo iis, quæ extrinsecus posita id præstant, sed etiam quæ intrinsecus ad id valere creduntur (*b*). Hoffmannus suum liquorem anodynum mineralem hic non inutilem prædicat. Mixturam quoque usu comprobatam describit, quæ spiritum vitrioli, et Diascordium Fracastorii pro basi continet. Nos aquam spiritu vitrioli acido ad levem acorem imbutam, et dilutum corticis peruviani ceteris anteponimus.

Quando sistenda.

(*a*) Hoffm. *l. c. in cautel.* §. 6.
(*b*) Rosen. *loc. cit.*

Tussis sicca. §. 144. Tussi permolestæ, et siccæ, et suffocanti occurrimus decocto hordei, diluto radicis althææ, et florum violarum, verbasci, papaveris rubri, adjecta quarta vel quinta lactis parte, et vesperi paregoricis. Eclegmata etiam oleosa a plerisque hic commendantur (*). Si vero tussis humida sit, sed sputum viscidum nimis, et tenax difficulter prodeat, incidentibus, atque attenuantibus opus est, nimirum oxymele simplici, et scillitico, syrupo erysimi Lobelii, floribus sulphuris, et Benzoes, Kermes minerali et dilutis pulegii, hyssopi, veronicæ, tussilaginis (**). Ubi tussi ferinæ fluxus etiam alvi adjungitur ex parte materiæ morbillosæ, et aeris intestina irritan-

Tussis humida cum sputo viscido.

Alvi fluxus.

te, tunc quinta pars lactis diluto florum sambuci adjecta, calideque potui data utrumque symptoma lenire (a) dicitur. Quod si alvi fluxus, quocumque tempore accesserit, sed præcipue in hoc, in quo eruptionis regressum perpetrare potest, immodicus fiat, neque modum servet, compesci plane debet Diacodio, Laudano, Diascordio, Theriaca, Rhabarbaro tosto, pulveribus absorbentibus, cortice peruviano, cascarillæ, aliisque, tum in primis, cum diarrhœa post discussos morbillos remanet, et chronica ne evadat, timeri potest. Faucibus interius dolentibus, atque inflammatis, quæ prodesse possint, jam alibi (§. 130.) indicatum est. Hic addimus, gargarizandum esse leniter ex decocto emolliente, et circa collum extrinsecus dandum cataplasma cum sinapi, simul ac cutis rubeat, removendum (b). Faucium inflammatio.

(*) *Eclegma oleosum* ROSENII.

℞. *Vitell. ovor. n. j. ol. amygdal. dulc. s. i. express. & recentiss. unc. ij. bene subact. add. decoct. scord. mund. unc. ij. syrup. althææ unc. j.*

Aliud mihi usitatum.

℞. *Gumm. arabici dr. ij. solvantur in emulsion. semin. melon. un. iij. deinde addit. ol. amygdal. dulc. recentiss. sin. ign. expressi unc. j. ss. syrup. pap. albi a drachm. ij. ad unc. j. pro ratione ætatis. Detur subinde parvum cochlear.*

(**) *Formulæ Storchii.*

℞. *Nitri puri drachm. j. antimon. diaphor. non abluti drachm. j. oxymel. simplic. unc. j. ss. syrup. papav. erratic. unc. j. ss. Aq. flor. samb. unc. iij. M. Dentur duo cochlearia alternis horis, & desuper hauriatur vasculum infusi florum sambuc. & malvæ.*

Alia efficacior ejusd.

℞. *Nitri puri drachm. ss. stib. diaphoret. non abluti drach. j. ss. Oxymel. scillitic. unc. ij. syr. flor. Rhœad. unc. j. Aqu. fœnicul. unc. viij. M. d. ut supra.*

Alia ejusd.

℞. *Kerm. miner. gr. j.*
Sacchar. alb. gr. x.
M. fiat pulv. tenuissimus. Sumatur talis singulis duabus vel tribus horis.

(*a*) Rosen. *l. c.* (*b*) *Idem ibidem.*

Sudores.

Cautiones circa linteorum mutationem.

§. 145. Sudorum quoque, quibus interdum ægri diffluunt, ratio habenda est, præsertim in secundo, et tertio stadio. His si lintea, atque indusia madescant, ea caute mutari debent. Sicca, et leviter calefacta humidis substituantur; sed caute, ne frigus suscipiatur, aut calor ultra modum corpori super addatur. Utroque enim cutis corrugari potest, et expirans morbi fomes repelli. Eadem cautio circa lecti mutationem servetur. Sed speciatim cavendum est, ne quis subito ex calido in frigidum concedat. Ex neglecta enim ejusmodi cautione subitam mortem intra paucas horas natam vidit (*a*) Hoffmannus. Tertio stadio incipiente, evanescentibusque morbillis non desistendum est a laudato regimine, usque remediorum demulcentium, et blande diaphoresim promoventium, quemadmodum in benignorum curatione (§. 134.) dictum est; nisi alvi fluxus criticus accessurus prævideatur, qui morbum solvat (§. 134.). Subacta demum febre, et tussi mitiori, nisi penitus sublata, reddita, exsiccatisque morbillis, et desquamata cuticula, generatim ægri conquiescere adhuc, et ab aere frigido, qui summopere noxius est, cavere debent per aliquot dies (*b*). Immo ad aliquot hebdomadas perspirationem cutaneam diligenter curandam infusis diaphoreticis, victu tenui, et decoctis temperantibus, et diluentibus ex radice scorzoneræ, cichorei, glycyrrhizæ, chinæ, cortice ligni sassafras, interdum etiam sarsaperilla præcipiunt (*c*) nonnulli, non omissa inde, semel nempe in hebdomada,

per eccoprotica (§. 135.) ætati, temperamento, corporis habitui accommodata, alvi ductione.

(a) *L. c. in cautel.* §. 8. (b) STORCK. *l. c. p.* 310.
(c) HOFFMAN. *ib. in cautel.* §. 9.

MORBI SECUNDARII.

§. 146. Morborum, qui morbillis præsertim malignis succedunt, omnium frequentissimus est peripneumonia, eorum exsiccationi repente superveniens, quæ ægros in summum vitæ periculum adducit, et sæpe etiam occidit. Quando id accidit, protinus sanguinem mitti oportet, atque eam institui curationem, quæ peripneumonicis, et pleuriticis (§. 135.) accommodatior est. Defervescente vero febri, et pulmonum inflammatione profligata, hydrogala demum uti expedit, ut tussis cito mitescat, atque alia mala, quæ ab acrimonia morbillosa timeri possunt (*a*), arceantur. Interdum peripneumonia non resoluta in suppurationem terminatur. Tunc ægri assidue tussiunt, vesperi horrent, noctu calent, et mane sudore madent, et debilitantur. Sputa autem, quæ excreantur, purulenta sunt. Hi vero, ut suppurati, sero nimirum lactis, ptisana, et decocto corticis peruviani subinde hausto curandi sunt. Quod si ad sputa purulenta accedat vox rauca, macies, atque febricula continua lenta, jam de phthisi pulmonari non amplius dubitari licet. Tunc lac aqua aliqua pectorali dilutum sæpius hauriendum est, ut ad minimum tres libræ ejus quotidie absumantur, interposito aliquoties in die vasculo decocti chinæ chinæ, et, si vires permittant, deambulatione, aut vectione in aere campestri ac salubri adhibita (*b*).

Peripneumonia.

Suppuratio Peripneumoniæ.

(*a*) STORCK. *loc. cit. pag.* 314.
(*b*) *Id. ib. p.* 312. ROSEN. *l. c.*

Amphemerina. §. 147. Nec rarum est, exsiccatis, desquamatisque morbillis, febrim remittentem continuam, sive amphemerinam sine ullo suppurati, aut ulcerati pulmonis indicio relinqui, quæ, si negligatur, aut in acutam malo fato convertitur, et repente occidit, aut in hecticam facile degenerat, quæ lenta consumptione ægrotantem conficit. Illam cortice peruviano cito frænandam esse docet MORTONUS. Tussis quoque post morbillorum desquamationem valde pertinax quandoque remanet. Hæc etsi post benignos bechicis, et aura liberiore perdometur facile, aut paullatim sponte cesset (*a*); attamen, quando malignos subsequitur, et diuturnior, et gravior, et periculosior est; quia in phthisim pulmonarem persæpe migrat. Hinc primo sanguinis missione, interdum etiam iterata oppugnanda est, deinde bechicis, et cortice peruviano liberaliter dato, et vesperi paregoricis. Nec infrequens est, interpositis eccoproticis, eam quandoque (*b*) fugari.

Tussis.

(*a*) SYDENHAM. (*b*) MORTON.

Diarrhœa. §. 148. Nec minus molesta, et pertinax est Diarrhœa, a morbillis relicta. Hanc rhabarbaro tosto, myrobalanis, et pulveribus alcalicis fixis primum aggredi convenit, deinde paregoricis opium habentibus, cortice peruviano, cascarilla, aliisque roborantibus antisepticis (*a*). Oculos præterea sua mala manent. Hi sæpe in morbillorum discessu gravissima ophthalmia corripiuntur. In leviori casu egregie succurrunt hirudines temporibus, aut infra oculos (*b*) applicitæ; at in graviori venam jugularem incidi (*c*) oportet; deinde alvum etiam iterato duci. MORTONUS hic nihil proficere vesicantia existimat. Contra ROSENIUS iis non parum confidit, si parva utrique tempori imponantur. Cucurbitulas siccas cervici

Ophtalmia.

etiam utiliter affigi affirmat. Extrinsecus cataplasma ex pulpa pomorum dulcium sub cineribus coctorum, lacte subacta recenti, dolorem mirifice demulcet, et inflammationem resolvit. Adjiciunt nonnulli tantillum camphoræ; sed hæc non facile fertur, nisi inflammatione imminuta, et dolore penitus ablato.

(*a*) MORTON. *l. c.* (*b*) ROSEN. *l. c.*
(*c*) MORTON. *l. c.*

§. 149. Inter morbos, qui morbillis malignis, aut imperfecte solutis, sive, ut ajunt, male judicatis succedunt, referuntur a MORTONO etiam glandularum tumores, anasarca, atque ascites. Glandulis tumentibus, induratisque conveniunt resolventia, attenuantia, et sudorifera, nec aliena sunt quæ extrinsecus molliunt, et blande discutiunt. In illis præ cæteris celebrantur calomelanos, diagrydium, millepedes, et decocta sarsæparillæ, bardanæ, chinæ radicis, et similium. Anasarcæ, atque Asciti, post lenia cathartica, et diuretica, opitulari (*a*) dicuntur medicamenta e chalybe parata, quibus subinde interponi debent blanda eccoprotica per epicrasim data, uti rhabarbarum, tinctura sacra, pilulæ tartareæ Bontii, Becherianæ, scilliticæ Pharmacopœæ Edimburgensis, aliæque hujusce generis. Sed de his modo satis. Plura qui cupit, ad ea se convertat, quæ in peculiari cujusque morbi singularis tractatione uberius dicentur.

Glandularum tumores. Anasarca. Ascites.

(*a*) MORTON. *l. c.*

MORBILLI ANOMALI.

§. 150. Restat, ut de morbillis anomalis, quod supra (§. 114.) recepi, aliquid seorsim subjiciam. Quanquam enim ibidem ostensum est, ano- Quo differant anomali a malignis.

malos, sive irregulares a plerisque præ malignis accipi, nihilque inter ipsos discriminis esse; tamen, ut eodem in loco indicavimus, rectius id nominis tribuendum esse nobis videtur illis morbillis, qui a communi, ordinarioque processu quam maxime deflectunt. Neque semper, qui hoc sensu anomali existunt, reliquas malignorum notas ita præseferunt, ut cum malignis omnino consentiant. Observatum enim quandoque est, in quibusdam ex anomalorum hujusmodi genere, quam primum eruptio contigerit, omnia symptomata, febrimque ipsam continuo conquievisse, quod vere benignorum maxime proprium esse, ex superioribus patuit. Hinc non longe absum, ut credam, anomaliam ejusmodi in malignos æque, ac in benignos cadere posse, ac veluti utrorumque differentiam habendam esse.

Anomaliarum exempla.

§. 151. Quo vero res clarius appareat, nihil erit accommodatius, præstantiusque, quam anomalias in medium proferre, quas in constitutione epidemica annorum 1749. et 1750. non infrequentes ostendit Florentiæ Joannes Targionius (*a*), vir multiplici eruditione, dicendi copia, et medendi usu insignis. Is primum narrat, in septem ægris post solitum apparatum morbillos bene multos, et satis confertos erupisse; sed eadem ipsa die exortos quosdam mediocres in regione epigastrica dolores, qui spastici videbantur, et mox solutos alvi fluxu, copioso, tenui, et bilioso, qui duos circiter dies placide, et sine ullo alio symptomate perrexit. Simul ac diarrhœa accessit, continuo morbillos evanuisse; febrim, tussimque, quæ permolesta ante fuerat, omnino desiisse; nec, postquam alvi fluxus substitit, quidquam incommodi remansisse præter aliquam virium debilitatem. Deinde observatione didicit, febrem, quæ

morbillorum eruptionem præcedit, modo tertianæ duplicis typum referre, atque eruptione facta penitus decedere; modo eamdem ad plures dies suos circuitus periodice repetere, antequam morbilli efflorescant; idque in adultis præsertim obtinere. Præterea vidit quandoque in aliis febrem primi stadii, sive contagii more catarrhalium, et quidem acutarum, tumore, et rubore faucium, tussique ferina comitatam decurrisse ad septimam usque diem, antequam morbilli prodirent (quod malignorum quandoque proprium esse diximus); neque deseruisse ægrotantes, nisi post alios quatuor, aut quinque dies, cum nempe morbillorum exsiccatio, et resolutio consequeretur.

(a) *Prima Raccolta d'osserv.* p. 101.

§. 152. Historiam demum refert morbillorum exlegum, atque abnormium ut raram, sic memoratu plane dignam. Maria Brigida Dandini lectissima mulier cum ruri esset, ubi morbilli vagabantur, timens, ne eisdem ipsa quoque, ejusque filii corriperentur, quod nondum eos perpessi essent, se die 4. Novembris ann. 1750. Florentiam contulit. Nocte ejusdem diei, quo ad urbem venerat, hora prima post mediam noctem adamussim eam invasit febris magno cum frigore, quam subsequuta est alia similis accessio diei insequenti hora itidem prima post meridiem; ita ut binæ accessiones intra nychthemerum non modo exstiterint, sed eodem omnino ordine, et typo deinceps per dies viginti quatuor periodice redierint, quotidianæ duplicis remittentis speciem omnino imitantes. Accessiones singulæ semper exordiebantur a frigore, quod tamen in nocturnis majus erat, quam in diurnis, semperque tussi convulsiva, atque aliqua spirandi difficultate stipabantur. Quædam mitiores, immo etiam breviores reliquis ita

Historia Morbillorum exlegum, sed benignorum.

fuere, ut quandoque intermissionem habuisse aliquam viderentur, quanquam ut plurimum sibi mutuo sine ullo integritatis intervallo succedentes continuam febrim prorsus efficerent. Cum autem nulla morbillorum indicia se proderent, febris ista oppugnata est, sed frustra, duabus sanguinis missionibus, magna diluentium, et temperantium copia, et cortice demum ipso peruviano. Neque quidquam profuere catamenia, quæ circa medium morbi tempus profluxere. Itaque cum intra quatuor et viginti dies ægra accessiones exacte duodequinquaginta sustinuisset, ineunte vigesima quinta die, hora prima adamussim post mediam noctem de more accessio magno cum frigore, motibus convulsivis, summa agitatione, anxietate, et tussi assidua pene præfocanti ita vehemens repetiit, ut ob jam impendentem gravissimam peripneumoniam TANGIONIUS medicus idem, et maritus ægrotantis, animum desponderet. Quamobrem cum prima luce de iteranda venæsectione cogitaretur, universa cutis inventa est morbillis referta. Spes tum affulsit, morbum hac excretione critice solutum iri. Ac quidem prout morbillorum eruptio, quæ plenissima, et confertissima fuit, perficiebatur, omnia terrifica, quæ memoravi symptomata paullatim sedata sunt, et sub finem quartæ diei ab incepta eruptione, morbilli exsicari, et desquamari cœperunt, et febris, et tussis, atque aliud quodvis incommodum evanuerunt, superstite dumtaxat virium consueta imbecillitate. Anomalos hos quidem morbillos, exleges, tardos, atque inexpectatos dixeris, non vero malignos, quod, ut benignis contingit, secundo stadio, eruptione nimirum facta, febris cum reliquis omnibus symptomatibus deferbuit, et placata est.

Historia morbillorum anomalorum, sed malignorum.

§. 153. Ne vero exemplum anomalorum malignorum quis desideret, en aliam historiam morbillorum non minus irregularium ex eodem Scriptore depromptam (*a*), quorum non modo primum stadium longissimum, atque insuetum fuit, verum etiam secundum, in quo eruptio contigit, et circa dorsum primum, ut fere malignorum mos est, se prodidit, multo gravius, et quale in malignis post eruptionem esse consuevit. Sacra quædam Virgo annos nata viginti quatuor, temperamento valde firmo ac valido prædita mense februario ann. 1750. incidit in tussim convulsivam, quæ in dies ingravescebat. Sub finem ejusdem mensis cœpit quibusdam febriculis laborare, in quarum accessionibus querebatur capitis confusionem, pectoris insolitam siccitatem, atque adstrictionem, qua respiratio difficilis reddebatur. Invalescentibus demum ejusmodi febribus, et tussi ita exasperata, ut die septima Martii magnam sanguinis copiam e naribus eliceret, vena ei pedis secta est, quin tamen quidquam minuerentur ejusmodi mala. Immo his quotidie gravioribus factis, tandem die decima tertia ejusdem mensis pustulis quibusdam rubris conspersum ejus dorsum apparuit. Medicus suspicari cœpit de morbillis, quanquam bis eisdem ipsa jam laborasse diceretur, eoque major suspicandi locus erat, quod eodem tempore eodemque in cœnobio aliæ contubernales, secundo, et tertio in eumdem morbum reciderant. Sub vesperam diei decimæ quartæ, cum maculæ distinctæ, et discretæ conspicerentur, etsi pustulis aliis, quibus ægra alias obnoxia fuerat, intermixtæ essent, certo de morbillis constitit. Facies in primis refertissima iis erat. Cutis color sparsim ad violaceum, rubrumque vergebat. Febris admodum furebat. Tussis vehementius urgebat cum anxietate, et dolore

pectoris intolerabili. Cum hæc nihil remitterent postero die, qui erat decimus quintus mensis, e brachio sanguis ad uncias septem mittitur, qui repertus est valde phlogisticus. Die decima octava maculæ cœperunt pallescere, urinæque, quæ antea parcissime per plures dies fluxerant, copiosiores reddi. At febris valida perstitit usque ad vigesimam primam, quin aliquantum mitesceret; tussis vero, et pectoris dolor ad vigesimam nonam usque, repullulantibus identidem, etiam deinceps, exanthematibus. Convaluit quidem ex hoc morbo, sed lente et non sine tædio minus prosperæ valetudinis, et diuturnioris adhibitæ curationis.

(a) *Id. ib. p.* 105.

MORBILLI SINE MORBILLIS.

Morbilli interdum sine exanthematibus.

§. 154. Quemadmodum variolæ sine variolis, nempe sola febris variolosa sine exanthematibus a medicis exercitatissimis visæ et observatæ sunt, quod suo loco demonstrabitur: sic febris morbillosa, sive morbilli sine exanthematibus, si clinicis fides habenda est, interdum epidemicis morbillis intercurrunt. Immo frequentes hujusmodi febres esse, testatur HAENIUS experientia convictus, morbillosasque jure vocari, quod eodem modo, eisdemque symptomatibus invadunt, decurruntque, ac si morbilli erupturi essent, nec tamen erumpant (a). Tales revera eas habendas esse, non solum argumento sunt morbillorum præsens epidemica constitutio, et symptomata omnia primi stadii, sive contagii propria, quæ eas comitantur, verum etiam ipsa curandi ratio, cui obtemperant, quæ non alia est, quam illa, quæ morbillis accommodatur. Res autem in facto, atque observatione ita posita, et locata est, ut ne-

gari a quopiam, nisi temere possit. Neque ea est, cujus ratio probabilis reddi nequeat; nam si miasma morbillosum, quod intus receptum febrim genuit, ad cutim protrusum vias patentiores inveniat, per quas sine ulla mora exhalari possit, vel per se satis tenue, et fortasse etiam humore aqueo ita dilutum sit, ut sine exspirantium meatuum offensione evaporetur, vel, prætérita cute, ad alvi, urinæque organa conversum quasi latenter effugiat, excernaturque: facile quisque intelliget, quamobrem interdum morbillì sine morbillis, sive febris morbillòsa sine exanthematibus esse possit.

Cur interdum morbilli non erumpant?

(a) Haen. *Febr. Divisiones*, *division. VI.* §. 6.

FEBRIS MORBILLOSA SYDENHAMII.

§. 155. Anno 1674. dum Londini epidemici Morbilli maligni, sive anomali sæviebant, sparsim vagabatur febris quædam, quam morbillosam vocavit Sydenhamius (*a*). Erat autem hæc immitis, sed ejusdem plane generis, ut in morbillis, protrahebaturque ad dies quatuordecim, immo nonnunquam etiam ulterius. In hac exanthemata morbillis similia prodibant circa truncum corporis, et colli præsertim posteriora, humerosque. Præterea ista febris eamdem omnino postulabat curationem, cui morbilli parebant. Quia vero non universim corpus occupabant, ut morbilli regulares solent; idcirco discrimen aliquod visum est, quo ab iis illa sejungenda crederentur. Verum tam leve, exiguumque videtur hujusmodi discrimen præ reliquis, quæ recensui, signis morbillorum propriis, ut nullus dubitem, quin anomalorum, et malignorum varietas quædam vere exstiterit.

Febris morbillosa.

Non differt a morbillis nisi ad speciem.

(*a*) *Oper. sect. V. cap.* 5. *p.* 267.

Rubeola variolodes Sauvagesii. §. 156. Minime vero ad morbillos pertinet *Rubeola variolodes* SAUVAGESII (*a*), cum non solum ipse ad credendum propendeat, hanc variolarum speciem, aut varietatem quamdam esse, verum etiam talem reapse habendam demonstret descriptio, quam scripto tradidit BUXERIUS (*b*), quamque SAUVAGESIUS idem allegat; ex ea enim continuo elucescit, hujusmodi morbum quam maxime a morbillorum natura abfuisse, proximius vero ad variolarum genus accessisse. Morbus item a DOUGLASSIO observatus, ac descriptus (*c*), quem SAUVAGESIUS nominavit *Rubeolam anginosam*, rectius mihi videtur angina aphthosa, exanthemate miliari comitata, quam morbillorum species ulla.

Rubeola anginosa ejusdem.

(*a*) *Nosolog. method. cl. 3. ord. I. Gen. IV. spec. 3.*
(*b*) *Journal de Médec. Tom. IX. p. 81.*
(*c*) *Essays de médecin. d'Edimb. T. IV. p. 617.*

MORBILLORUM INSITIO.

§. 157. Exemplo a variolis ducto insitio quoque morbillorum tentata est. Primum omnium, qui eam adhibuit, fuisse fertur FRANCISCUS HOMIUS Medicus Regius, et Collegii Medicorum Edimburgensis socius (*a*). Instituitur autem sine ulla corporis præparatione. Sanguine ex aliqua parte morbillis obsita per levem incisionem educto imbuitur gossypium. Hoc vulnusculo, quod utrique brachio ejus, cui inserendi morbilli sunt, inflictum sit, imponitur, et deligatur. Fortasse etiam, non incisa prius cute, gossypium sic infectum, nudis brachiis alligatum contagionem æque certo communicat. Alii sanguinis loco utuntur saliva, aut lacrymis, tempore criseos stillantibus, aut squamulis cutis defluentibus ab ægrotantium corpore (*b*); nam omnibus hisce modis contages communicari cum sanis dicitur. *Sexto* ab incisio-

nis *die sub vesperam plerumque febricula* exoritur, *mitissima tussicula sine insomnio*, *et inflammatoriis symptomatibus concomitante*; neque febris *hectica*, neque *tussis*, neque oculorum *inflammatio* subsequi consuevit (c). Benignissimum ergo morbum, et levissimis symptomatibus conjunctum inde gigni contendunt. Nihilo tamen minus morbillorum insitio paucos admodum sectatores habuit, sic ut pene jam desueverit. Caussam DUBOSQUIUS de la ROBERDIERE (*d*) putat, quod morbilli pluries in eodem homine reversi narrantur. Non tamen inutilem, nec spernendam eam existimat VOGELIUS (*e*) in epidemicis morbillorum pestilentium constitutionibus, in quibus ut vitæ periculum summum est, sic omni conatu et studio eniti expedit, ut mitior, benigniorque morbus reddatur; id quod obtineri per insitionem posse, probabile omnino videtur.

(*a*) *Princip. Med. l. 2. sect. VIII.*
(*b*) ALEX. MONRO *jun. de Ven. lymphat. pag.* 58. VOGEL. *De cogn. & curand. hum. corp. affect.* §. 135.
(*c*) HOM. *loc. cit.*
(*d*) *Journal. de Medec. T.* 47. *p.* 254. (*e*) *L. c.*

CAPUT IX.

DE VARIOLIS (*).

§. 158. Disceptatum acriter est superioribus præsertim temporibus, utrum Variolæ HIPPOCRATI, GALENO, aliisque antiquioribus medicis notæ fuerint, affirmantibus aliis, aliis negantibus, sic ut hodie non expediat in hujusmodi controversia (*a*) oleum et operam perdere. Verosimillimum vero plerisque videtur, variolas dilucide a quopiam descriptas non esse ante Arabes, quibus etsi eas an- Quæstio de variolarum antiquitate.

Arabes medici de iis primum loquuti.

no Christi 572. aut saltem 625. innotuisse suspicari liceat (*b*), tamen communior sententia est, in Ægypto, atque interioribus Arabiæ locis primum exortas, a Saracenis in Hispaniam, Europamque sub finem tantummodo sæculi XI. et principium XII. perlatas (*c*) fuisse. Ab hoc enim tempore adeo se diffudit ejusmodi lues, ut non modo pro morbo inevitabili, et cuilibet semel saltem in vita, nisi quis eo in utero matris affectus fuerit, subeundo habeatur, verum etiam qualis, quantusque sit, neminem nunc prorsus lateat.

Quando ad nos perlatæ.

Morbus omnibus ferme communis.

(*) SYNONYMA.

Variolæ Arabum MERCURIALIS, *de morb. Pueror. cap.* 2. BOERHAAVII, *de cognoscend. & curand. morb.* §. 1371. JUNCKERII, *Tabul.* 76. *& omnium pene recentiorum. Febris variolosa* HOFFMANNI, *de Febrib. sect. I. cap. VII.* VOGELII, *Gener. morb. gen. XXXV. Variola* SAUVAGESII, *Gen. morb. gen.* 92. LINNAEI, *Gen.* 3. CULLENII, *Gen. XXVI. Petite Verole Gallis, Italis Vajuolo.*

(*a*) Vid. HAEN. *Variol. antiquit. &* WERLHOF. *Disquisit. medic. & philologic. de Variol. & anthrac. & demum* GRUNER. *Morbor. antiquitat. cap. I. Variol. earumque insit.*

(*b*) MEAD. *de Variol. & Morbill. cap. I. de origin. variol.* HOME *Princ. Med. P.* 4. *sect. VII.*

(*c*) MEAD. *loc. cit.*

Quid variolæ?

§. 159. Variolarum autem morbus est exanthematicus, febrilis, contagiosus, brevis, sive acutus, semper primarius, pustulas in cute extima proferens exiguas, rubras, plerumque phlegmonodes, varis similes, quæ primum in facie, et collo, itemque parte capitis capillata erumpunt, deinde ad pectus, humeros, manus, reliquumque deinceps corpus se se disseminant, paullatimque auctæ ad pisi fere minoris magnitudinem, quod frequentius accidit, intra paucos dies suppurant, et brevi in crustas deciduas desinunt, vestigia

rubra sensim delenda, et quandoque foveolas, aut cicatriculas post se relinquentes. *Febrilem* eum voco, quod plerumque febrem comitem habet. Dico *plerumque*, nam interdum adeo mitis est, et benignus, ut nulla febris eum antecedat, aut comitetur, aut, si qua cum eo conjungitur, vix sensibilis ipsa sit, neque continua ejus comes; sed modo accedat, modo recedat (*a*) excepto graviori casu, et malignitatis non experte, in quo febris plus, minus acuta, atque assidua locum habet, et tenet. Quam ob rem veniam petimus, si minime iis assentimur, qui ad febres, et speciatim ad *Synochas contagiosas* id mali genus, referunt.

Febris modo abest, modo adest.

Non spectant ad febres.

(*a*) SYDENH. *op. sect.* 3. *cap.* 2. HUXHAM. *Essays sur la petit. verol. p.* 165.

(*) MARCELLUS DONATUS variolas sine febre vidit; easdem quoque leves, & paucas sine febre observavit PHILIPPUS INGRASSIAS, teste CÆSARE MARESCOTTO, qui præterea refert, se duos pueros variolis sine febre laborantes curavisse. MARESCOT. *de Variol. p.*20. Variolas, sive pustulas variolosas, quæ sine manifesta febri eruperint, maturuerint, & plane exsiccatæ sint, vidit etiam Joh. FANTONUS, *Dissert. de antiq. & progress. febr. miliar. pag.* 70. Tales tam sporadicas, quam epidemicas ostendit DERELINCURTIUS, & quædam similia exempla ex FORESTO, EPIPHAN. FERDINANDO, & JOH. RHODIO, aliisque deprompta adducit, *Diss. de variol. & morbil.* Id in benignissimo morbo tam spontaneo, quam insititio complures alii contingere tradunt. Obvium vulgatissimumque est pus variolosum contactu immitti in cutim eorum qui variolas jam passi sunt, indeque pustulas exoriri, quæ forma, durationis tempore, inflammationis, suppurationis, exsiccationisque modo veras omnino variolas referunt. Sed, quoniam interiora ab eo fortasse ob corporis ablatam dispositionem non afficiuntur, nulla eas febris comitatur, nec antecedit, nec subsequitur. Hoc sæpe experiuntur mulierculæ, quæ variolas habentibus famu-

lantur, assident, aut eos brachiis nudis sustinent, aut faciem faciei aliquandiu applicant, in primis si delicatiore cuti præditæ sint. Frequentissimum vero hoc deprehenditur in inoculatis variolis. Pus enim insertum persæpe solam cutim afficit, in eaque pustulas excitat, quin ulla febris moveatur; ut omnes norunt, diceturque deinceps suo loco. Vid. HUXHAM *de la petite verole*.

Quot modis communicantur.

§. 160. *Contagiosum* porro hujusmodi morbum (§. 159.) esse, posuimus; quia variolis sani inficiuntur accessu ad ægrotum, ejusdem attactu, contrectatione vestimentorum, linteorum, aliarumque rerum, quibus ille usus est, inspiratione aeris halitibus variolosis referti, eisdem cum saliva haustis, cute attractis, puris inoculatione, phlebotomo non satis deterso, quo sanguis variolis laboranti missus (*a*) fuerit, atque ad venam incidendam incaute adhibito. Non videntur igitur variolæ ab erroribus diæteticis, neque a temporum, aerisque mutationibus (*), sed a peculiari quodam veneno, sive miasmate oriri, quod subtile admodum sit, volatile, inflammare, atque irritare aptum, quodque semel natum, aut evolutum diu persistat integris viribus, fortasse per aera volitans, aut corporibus adhærens, sicque sensim in sanos ingrediatur, atque eos (*b*) quasi clanculum inficiat. Id autem fieri probabile est, cum variolæ epidemice vagantur, et plurimos indiscriminatim corripiunt, eosque etiam, qui nullam cum variolosis ægris consuetudinem habuerint.

Non gignuntur variolæ ab erroribus diæteticis; sed a veneno peculiari.

(*a*) HOM. *Princ. Med. P. 4. sect. VII.* STORCK. *Instruz. med. pract. P. I. p.* 255. MEZA *Comp. med. pract. cap. XXI.* §. 211.

(*) Contrariam tuetur sententiam CASIMIRUS MEDICUS, qui Variolas pro morbo spontaneo habet, nec eas putat ab occulta caussa profluere, quamvis contagione propagantur. Comparat ipse variolas cum

scabie, quæ licet sponte ex humorum vitio orta, in sanos tamen contagione invehitur; vimque contagii variolosi exiguam esse contendit. Epidemicas autem, ut reliquos morbos epidemicos temporum tribuit vicissitudinibus. Vid. *Comment. de reb. in scient. natur. & med. gest. supplem.* 2. *ad Decad.* 2. p. 225. Sed scabiei contages solo contactu contrahitur, non ex aeris infecti usura, non mora apud ægrotantes, non sola propinquitate: quæ omnia contagii non levem differentiam, & variolosi vim non exiguam, sed prope pestilentem commonstrant. Nec facile concedam, epidemicos morbos omnes a solis temporum vicissitudinibus repetendos esse, cum horum non pauci sæpe sub contrariis, oppositisque tempestatum constitutionibus ingruant, invalescantque, & magnum discrimen intersit inter vere *epidemicos*, & *stationarios*, sive a temporum, aerisque perturbationibus profectos. CASIMIRI MEDICI modo laudati sententiæ favent viri clarissimi, qui veterem, obsoletamque opinionem restituere videntur, dum variolas a sanguine funiculi umbilicalis non satis expresso derivandas volunt. Quid de eorum tentaminibus ad præcavendas variolas feliciter, ut ajunt, institutis sentiendum sit, temporis esto judicium. Interim tamen petam ab ejusmodi prophylacticæ methodi fautoribus, cur, quoniam ejusmodi caussa ita antiqua est, ac genus humanum, Europa, & America tot sæcula sine ea liberæ a variolis manserint? cur Sinenses, a quibus inventa, & ad nos transmissa ista prophylactica methodus dicitur, non potuerint huc usque effugere variolosam contagem, a qua frequentissime, & gravissime plectuntur? cur nostris diebus, postquam ars obstetricia aucta, & prope perfecta est, universimque exculta, ut funiculus umbilicalis hodie a nemine vinciatur, recidaturque, quin omnis ab eo sanguis expressus sit, adhuc tamen variolis, ut antea, subjiciamur? Quod postremum cum jam ante sexaginta annos, & amplius Bononiæ a peritioribus obstetricibus fieri videret Cæsar Marescottus publicus Medicinæ Lector, quin aut numerus variolis ægrotantium, aut variolarum perniciosa indoles quidquam minuerentur, in suo *Tractatu de Variolis* vanam, falsamque Sinensium, etsi plurimum

jactatam, præservandi a variolis rationem reputavit, despexitque. Nuper, mense nimirum Decembri anni 1783. Jo. Baptista Frambaglia infantulæ cuidam vix editæ diligentissime expressit ab ejus funiculo umbilicali omnem sanguinem, sic ut inter vincturam, & umbilicum vacuus omnino esset. Vere insequenti narratum est a Nutrice, infantulam variolis paucis, discretis, & febris expertibus feliciter perfunctam esse. Mense Julio variolæ grassari epidemice cœperunt, maxime malignæ. Augusto ad finem vergente Nutricis filiola quædam variolis correpta est discretis; quæ cum ad exsiccationem jam pervenissent, infantula lactens, de qua supra locuti sumus, incidit & ipsa in variolas minutas, crystallinas, corymbosas, quibus die 23. Septembris anni 1784. proxime elapsi rapta est. Doluit vir eruditissimus, hoc primum experimentum adeo infelix, inutileque fuisse, ut ne benignum quidem morbum reddidisset, quem omnino evitasse speraverat.

(a) Hom. *l. c.* Tissot. *Epist. var. argument. ad* Haller. *p.* 6. Ludwig. *Adversar. med. pract. P.* 3. *Vol. I. p.* 473.

An aeri semper venenum insideat?

§. 161. Quamquam fatendum est, semina morbi (§. 160.) non soli aeri insidere, neque in eo vagari semper, cum satis constet, ut supra animadversum est, illa pannis, linteis, vestimentis, aliisque rebus adhærere, ut diu in ipsis integra exsolvantur, atque halitu, aut contactu integra latitare posse, donec caussa accesserit corpora sanorum immissa contagionem pariant. At interdum variolæ sporadice tantum, immo singularem aliquem hominem inespectatæ adoriuntur. An latuit jamdudum in corpore venenum istud, et tum solum intercedente aliqua caussa procatarctica erumpit, et manifestatur? An vero tum etiam in aere, ut dictum est, jam existebat, nec communicari poterat, quod corpus ad illud suscipiendum minus paratum esset? Certa quadam fortasse eget temporum, aerisque constitutione, ut se

An in corpore latet data occasione extricandum?

exserat, aut ut eam nocendi potestatem acquirat, qua uno potius tempore, quam alio emicet, et propagetur; aut ut corpora nostra habitudinem, diathesimque sibi comparent, qua miasmatis vim, contagionisque persentiant efficacitatem. Atque hinc plane intelligi potest, cur pro diversa hujusmodi temporum, corporumque constitutione modo universim, sive epidemice, modo sparsim, sive sporadice variolæ proserpant. Miasma enimvero variolosum sine ejusmodi conditione variolas nequaquam ingenerat, ne inoculatum quidem, ut frustra tentatæ in quibusdam insitiones sæpe ostenderunt.

Miasma sine præcedente dispositione non communicatur.

§. 162. Prout vero ista corporis, humorumque diathesis (§. 161.) ad virus excipiendum, explicandumque necessaria citius, aut serius comparatur, in variolas etiam incurrimus modo infantes, aut pueri, modo adolescentes, aut adulti. Immo nec fœtus ipsi in utero materno abditi ab hac labe satis tuti existunt; quandoquidem negari haud potest, eos in lucem editos pluries variolas in cute extantes, aut earum vestigia satis conspicua habuisse, tum etiam, cum matres, quod sane rarius est, dum utero gestarent, variolis non (*) laboraverint. Videtur igitur miasma in eos, dum in utero degerent, illæsa quandoque matre, aut una infecta, irruisse: qua re edocemur, prægnantes recte, prudenterque ab hoc morbo affectis arcendas esse, ne ipsæ, aut fœtus, quos gerunt, contagione occupentur. Neque ætate quis adultiore ita confidat, (nisi in utero matris forte variolas passus sit) ut sibi persuasum habeat, non amplius, quod antehac contagem effugerit, variolis obnoxium fore; nam non solum provecti, senesque, verum decrepiti etiam, et prope annis confecti ex hac pestilentia nonnunquam perierunt.

Cur alii citius, alii serius inficiantur.

Fœtus etiam variolis corripiuntur.

Neque senes ab iis immunes.

(*) LUDWIGIUS *Adversar. med. pract. P. 3. Vol. I.* p. 496. ubi inquit : Matre e variolis evadente, post mensem fœtus abortu dejicitur, qui vestigia variolarum depressarum in corpusculo ostendebat. FOUQUETUS quoque (*De la petit. verol. T. I. p.* 299.) narrat, mulierem gravidam variolis correptam, & demum pristinæ valetudini restitutam peperisse infantem, in cujus cute manifesta variolarum vestigia cernebantur. GUILIELMUS WIRGTUS (*Philosophical Transact. Vol. I. pro anno* 1767. *Part.* 2. *n.* 2.) vidit infantem die decima quarta, ex quo mater variolis discretis laboraverat, natum, qui a capite ad pedes variolis discretis, & bene amplis; quales octavo aut nono die esse solent in benigno genere, contegebatur. Mater erat æthiops, & Jamaicæ incola. Infans vero triduo post obiit. In commentariis societatis Scientiarum Harlamensis T. XII. legitur observatio *de Variolis ante partum*, quam cum societate communicavit JOSUA VAN IPEREN. Sic eam referunt auctores Commentarior. Lipsiens. *de reb. in Scient. natur. & medic. gest. Vol. XVIII. p.* 596. „ Uxor Cl. Auctoris gravida duos liberos variolis affectos absque omni incommodo curans, infantem „ sanum quidem, in quo tamen vestigia variolarum „ conspiciuntur, peperit. Paullo ante partum, ubi „ fœtus absque dubio laboravit variolis, anxia fuit. " PETRUS ORTESCHIUS, (*Giornal de Med. T.*2. *p.* 55.) non modo ex *Diario Medico Bullion. ann.* 1763. historiam infantis nati cum variolis in facie, collo, atque humeris exstantibus depromptam recenset, verum etiam narrat, suum fratrem Joannem Baptistam in lucem editum; in cujus corpore multæ variolæ distinctæ; pleræque vero pure jam plenæ, nisi magnitudinem æquantes conspiciebantur. Mater ejus ultimo graviditatis tempore cum alio filio variolis laborante cubuerat. ROSENIUS (*Malad. des enfans chap. XII. p.* 183.) memorat alium infantem qui natus est cum cicatricibus, & crustis variolosis. Ejus mater sub finem graviditatis filiolo natu majori, qui variolis laborabat, assidue adstitit. Sexennio post reliqui ejus filii in variolas inciderunt; at natu minimus; qui morbum in utero passus fuerat, immunis ab eis omnino mansit. Ad hunc locum FEBURIUS

subjicit, se vidisse natum pariter infantem, cujus corpus conspersum erat pustulis variolosis, quæ adamussim sua stadia percurrerunt. Mater autem jamdiu variolas experta fuerat. MURRAYUS (*Hist. insit. variolar. P. I.*) mentionem & ipse facit infantis cum variolis nati, cujus mater in fine graviditatis cum alio filio ex variolis ægrotante versata erat. Infantem mortuum veris variolis obsessum a Matre nondum hunc morbum perpessa vidit FRID. CHRISTIANUS Holler (*Observ. med. Chirurg. Obs. IX.*) Similem casum refert etiam MEADIUS, *de variol. c. IV.* Ex his ergo evincitur, non negandum esse, fœtus variolis quandoque corripi, etsi in liquore quodam versentur, a quo eos præservari COTUNNIUS opinatus est, nec semper variolas contrahant, matre iis correpta. Cl. GERMANUS AZZOGUIDIUS (*Lettera sopra il Vajuolo pag. VI.*) quædam habet ad hoc argumentum ita accommodata, ut hic transcribenda duxerim latine reddita: „ Doctus quidam medicus Neapolitanus aggressus est ad pollicendum mulieribus „ gravidis, eorum fœtus variolis subjici non posse. „ At quædam observationes hominum medicinæ scientia excellentium, atque longo anatomes usu præstantium, MEADII videlicet, HILDANI, RUYSCHII, aliorumque complurium, quas ipse examine fortasse minus diligenti rejecit, suspectam ejus „ opinionem reddunt; quæ oppugnari etiam valide „ potest, non solum ex eo, quod strenuo viro FERDINANDO MARCHESINIO nostro contigit videre, „ verum etiam ex observatione quadam Monspellii „ anno, ni fallor, 1773. evulgata, ubi nata est infans, quæ in ipso nascendi momento apparuit „ conspersa variolis perfectam suppurationem adeptis, quin parens toto graviditatis curriculo obnoxia iis fuerit.

§. 163. **A vero etiam aberrant qui existimant, in nobis, postquam semel variolis genuinis perfuncti fuerimus, destrui habilitatem, sive diathesim corporis, qua uti dictum est (§. 161.) ad eas recipiendas idonei, aptique reddimur. Nam certissimis ex factis, observationibusque medico-** Variolæ secundo, et tertio redeunt.

rum probatæ fidei, et summæ auctoritatis cognitum est; non paucos, qui jam spontaneas, et naturales, aut insititias, artificialesque, et quidem veras, et legitimas pertulissent, secundo, et tertio in easdem incidisse. Atque hinc planum, perspicuumque fit, diathesim illam non semper omnino post toleratas semel variolas in nobis aboleri; aut certe iterum suscitari quandoque posse. Et primum, ne qua de rei veritate dubitatio cuiquam supersit, scire licet, DIEMERBROECKIUM complures variolis copiosissimis affectos deprehendisse, qui bis, terque intra semestre spatium in easdem reciderint (*a*). At, ne forte credas in his morbum repullulasse potius, quam ex integro rediisse, animum advertas velim ad ea, quæ suppetunt ex aliorum observationibus, nullum dubitandi locum relinquentibus. CÆSAR MARESCOTTUS de duobus pueris, quorum alter bis, ter alter variolis laborarunt, mentionem (*b*) facit. Variolas autem in eodem ægro secunda, et tertia vice nonnunquam reversi cum ex sua, tum ex aliorum experientia confirmat GUALTERUS VON DOEVEREN. Ipse præsertim exemplum adducit propriæ suæ uxoris, in qua bis, tempore novem annorum interjecto, morbus erupit, et testes appellat CAMPERUM, GUMMERUM, BRILLUM, et SWYGHUSIENIUM medicos oculatissimos. Puerum quoque, qui anno 1754. veris variolis correptus ab EDINGIO curatus fuerat, in easdem anno 1759. relapsum (*c*) commemorat. Demum profert aliud exemplum ex communicatione SWYGHUSIENII alias mordicus variolarum reversionem negare soliti, quod ita invicte eum ab errore, in quo versabatur, revocavit, ut postea non amplius de variolis iterum redeuntibus dubitaret. Simile fatum subierunt puer quatuor post hebdomadis, quam prima vice variolis laboraverat, et binæ puellæ, quæ anno 1744. eas

perpessæ erant, in easdem anno 1760., ut refert SERVANS VAN DE COPELLO (*d*), reciderunt. Meminit etiam J. FR. DRYFHOUTIUS (*e*) de muliere, quæ anno 1755. inoculatione variolas contraxit, iterum anno 1764. hac lue correpta. Reditum item variolarum a se visum exponit in *Collectaneis Soc. med. Hauniens.* (*f*) V. B Aaskowius, qui alioquin de aliorum observatis valde dubitaverat. Mulierem quoque variolis iterum affectam vidit THEOPHILUS MEZA (*g*) cum BUCKWALDO, qui eam antea ab eodem morbo liberaverat. Demum testatur ROSENIUS ex historia a duobus illustribus medicis subscripta sibi constare, quemdam variolis spontaneis prehensum, qui eas sibi inoculatas jam (*h*) persolverat.

(*a*) *De Variol. & morbill. labor. Histor. Hist. I.* p. 346. & *Hist.* 8. (*b*) *De variol. p.* 128.
(*c*) *De Variol. veris eumd. ægrum adgressis. Vid. T. XII. Comm. Soc. scient. Harlem. ad ann.* 1770. *itemque Comm. Lips. Vol. XVIII. P. 4. p.* 586.
(*d*) *Comm. Societ. scient. Harlem. T. VIII. P.* 2. p. 209. *ad* 216. (*e*) *Ib. p.* 260. (*f*) *Vol.* 2. p. 91.
(*g*) *Compend. med. pract. Fasc. I. Cap. XXI.* §. 210.
(*h*) *Malad. des Enfans* p. 250.

§. 164 Sed intermissis, brevitatis caussa, reliquis exterorum testimoniis bene multis, pauca quædam tantummodo nostratium adhuc perstringam, ne nimium aliena, et peregrina conquirendo domesticorum prope, atque inquilinorum videar oblitus. Non rarum sane est, ut ex SARGONIO (*a*), et MOSCA (*b*) viris integerrimis accepimus, in civitate Neapolitana eumdem hominem variolis, et quidem confluentibus secundo, et tertio conflictatum videre. Apud Florentinos eadem prorsus observatio obtinet; nam Jo. ALOYSIUS TARGIONIUS (*c*) fœminam bis variolis naturalibus comprehensam anno 1775. ostendit, et anno insequen- Alia variolarum reversarum exempla.

ti aliam historiam variolarum secundo reversarum evulgavit. Tres sorores eodem tempore variolis laborantes curandas suscepit DOMINICUS JUVANNELLIUS, quæ alia vice (*d*) ex eisdem pro veris et genuinis a Medico, qui tum illis opem tulerat, recognitis ægrotaverant. Duas pariter historias omnibus numeris absolutas anno 1777. protulit HERCULES LILIUS, quibus morbi hujusce (*e*) reversionem comprobaret. Cum his prope consentientem video GERMANUM AZZOGUIDIUM apud Bononienses publicum Medicinæ professorem ingenii laude, et doctrina præstantissimum, qui (*f*) non contentus duos ægros bis varioloso contagio perculsos memorasse, ad vetulam illam se convertit, quæ, ut narrat PETRUS BONELLUS (*g*), annos octodecim supra centum nata ex variolis octavo redeuntibus obiit; nec prætermittit demum coronidis loco LUDOVICUM XV., cui anno ætatis decimo quarto primum, deinde sexagesimo quarto hæc calamitas obtigit. Possem MICHAELIS GIRARDI apud Patavinos tunc degentis observationibus editis (*h*) rem confirmare, aliisque etiam testimoniis, nisi me contineret exorta paullo post de illis non parva (*i*) altercatio.

(*a*) *Istor. de' mali osservati in Napoli p. I. p.* 58.
(*b*) *Dissert.* 2. *sull'aria p.* 106.
(*c*) *Avvis. sopra la salut. uman. ann.* 1675. *N.* 17.
(*d*) *Avv. sopra la salut. uman. ann.* 1776. *N.* 9. p. 71. *N.* 10. *p.* 79.
(*e*) *Avv. sud. an.* 1777. *p.* 167. & 1778. *N.* 36. *p.* 281.
(*f*) *Lettera sopra il Vajuolo ec. p. VII.*
(*g*) *Cent.* 3. *observ.* 10.
(*h*) *Ritorno del Vajuolo ec.* 1776.
(*i*) *Giornale di Medic. di P. Orteschi T. IV.*

Variolarum differentiæ unde?

§. 165. Certum præterea est, constantique experientia confirmatum, in una, eademque epidemica constitutione, immo in eadem familia, et domo

uti alios quoscunque morbos, sic quoque variolas multiplici ratione, symptomatumque gravitate variari. Multæ enim sunt, ut postea clarius apparebit, earum differentiæ, et varietates aut a pustularum numero, forma, colore, aut ordine, modoque procedendi, aut periculi magnitudine, malignaque natura ductæ. Hoc etiam patet in variolis inoculatione progenitis, quæ, etsi una, eademque variolosa materies ad insitionem adhibita fuerit, non parum quandoque inter se differre visæ sunt. Immo ex *confluentium*, quas vocant, pure *discretas* et *benignas*; ex discretarum, benignarumque contage *confluentes*, *malignasque* non raro procreatas novimus, norunt ingenui, atque a partium studio alieni Clinici, inoculatoresque. Hinc necessario consequitur, venenum variolosum unum natura esse, et si quid interdum differat, omne ejus discrimen in majore, vel minore virulentiæ gradu consistere; quamquam usu didicerim, ejus effecta pro quantitatis etiam ratione, aut viarum, quibus recipitur, diversitate non parum intendi, et variari; differentias vero variolarum potissimum ex temperamento ægrotantis, habitu, ætate, humorum indole, victus ratione, vitæ genere, hæreditaria labe, anni tempore, epidemica constitutione dominante, aut morborum complicatione manare. Quamquam Cl. Gatti aliter, quod ad temperamenta, et habitum corporis attinet, sentire videtur, ubi scripsit, *hunc morbum levem, aut vehementem, periculosum, aut benignum tam in robustis, quam in debilibus, in macilentis, quam pinguibus, in temperamentis calidis, quam frigidis, in cholericis, quam phlegmaticis, in habitu humido, quam sicco indiscriminatim observari* (a). Rationi etiam consonum est, constitutiones variolarum epidemicas, modo benignas, modo malignas magna ex

parte deberi præcedentium tempestatum, aerisque ingenio; peculiari solidarum, fluidarumque partium statui; morbis stationariis, et quandoque annonæ caritati, et calefacientium abusui, aut etiam ineptæ medelæ, et regiminis (*b*) adhibitioni.

(*a*) *Nouvell. reflexions p.* 25.
(*b*) STORCK *Instruz. Pratic. P. I. pag.* 255. CASIM. MEDIC. *Conun. Lips. citat. Suppl.* 2. *Decad.* 2. *pag.* 225. SYDENHAM. *l. c.*

Differentiæ Variolarum. §. 164. E multis vero, variisque variolarum differentiis, quas Scriptores statuerunt, præcipuæ nunc a nobis enumerandæ sunt, eoque ordine, qui opportunior videbitur, disponendæ. De illa in *sporadicas*, atque *epidemicas* distinctione, utpote cum aliis quibusque morbis acutis communi, et jam supra (§. 161.) indicata, nihil attinet dicere. Ad proprias earum, atque ex ipsa morbi origine, aut natura petitas præstabit descendere. Itaque cum variolæ vel sponte, sive naturaliter oriantur, vel arte, sive insitione procreentur, recte primum in *spontaneas*, sive *naturales*, et in *artificiales*, sive *insititias* tribuuntur. De primis nunc potissimum agimus, de alteris postea seorsum pauca dicentur. Utræque tamen considerandæ veniunt vel ut *veræ*, *genuinæ*, et *legitimæ*, vel ut *spuriæ*, *nothæ*, sive *illegitimæ*. Veras igitur oportet prius describere, quam de spuriis verba fiant, ut discrimen, quo secernuntur, clarius, commodiusque patescat. *Veræ* autem, sive *spontaneæ* sint, sive *insititiæ*, rursus ex pustularum modo, sejunctione, cohærentia, communicatione, et majore, vel minore ad suppurandum propensione dividuntur aptissime in *discretas*, *cohærentes*, et *confluentes*. Illæ dicuntur *discretæ*, sive *distinctæ*, quæ, sive paucæ, sive multæ, ita in-

Sporadicæ, et epidemicæ.

Spontaneæ et insititiæ.

Veræ, et Spuriæ.

Veræ dividuntur in discretas, cohærentes, et confluentes.

Discretæ quænam?

ter se dissident, ut spatium in cute vacuum et liberum inter singulas remaneat; sejunctæque sic elevantur in exiguos tumores, ut supra cutim emineant, ac protuberent. Proximæ discretis sunt *cohærentes*, variolæ scilicet forma discretarum simillimæ, sed ita attiguæ et quasi racematim hic illic congestæ, ut multæ cohæreant mutuo, et quosdam fere corymbos imitentur. Ubi vero pustulæ hujusmodi discretis planiores, minoresque prodeunt; earumque complures in unum coalescunt, et quasdam majores quasi vesicas forma, et figura varias; et parum exstantes, in primis faciem occupantes exhibent, *confluentium* nomen acquirunt. Medio se habent loco inter *discretas* et *confluentes*, ut patet, *cohærentes*, vel ad summum varietatem quamdam *confluentium* efficiunt, quæ communior est clinicorum opinio. Omnes tamen hæ differentiæ, *discretæ* in primis, et *confluentes* etsi *essentia*, sive natura omnino non discrepent, habent tamen quædam insigniora symptomata, per quæ facile (*a*) distinguantur et discriminentur. Discretæ autem, cohærentes, et confluentes generatim cognoscuntur ex pustularum præcipue, quæ in facie se monstrant, numero, multitudine, frequentia, distinctione, contiguitate, confluentia; atque hinc morbi majus, aut minus periculum (*b*) desumitur.

Cohærentes.

Confluentes.

(*a*) SYDENH. *Oper. Sect.* 3. *cap.* 2.
(*b*) HAEN. *febr. divis. p.* 93.

§. 167. Ante vero e re fore existimo illud, quod alibi (§. 11.) traditum est, in mentem revocare, videlicet quatuor distincta tempora generatim in variolarum morbo constitui. *Primum a* SYDENNHAMIO nuncupatur *separationis* (*a*), ab aliis simpliciter *apparatus exanthematum* (*b*), aut *status Contagii* (*c*), aut *ebullitionis*, aut *effervescentiæ* (*d*);

Quatuor variolarum stadia.

aut *germinationis* (e). Id comprehenditur toto illo tempore, quod antecedit eruptionem, initio facto a prima febris accessione. Interdum tamen incertum hoc stadium est, et sæpe deficit, quod sine ulla notabili febre, aut alio incommodo contagii tempus transigitur, et morbus mox ab ipsa variolarum eruptione (f) exorditur. *Alterum* communiter dicitur *stadium eruptionis*, itemque *inflammationis* (g), idque modo altero morbi die, modo triduo exacto, modo serius, primis se pustulis prodit. HAENIUS vidit puellam inter variolas laborantes diu, noctuque versatam, quæ febre, symptomatisque *Contagii* quatuordecim dies conflictata ante fuit, quam pustularum eruptio(h) se manifestaret. Quamquam igitur generatim certum tempus, quo eruptio exspectanda sit, definiri nequeat, illud tamen perpetuum est, secundum stadium tum incipere, cum variolæ in facie, et reliquo corpore primum erumpunt. *Tertium* autem est, quando pustulæ inflammantur, increscunt, qua de caussa nomen obtinet *suppurationis* (i), vel *maturationis* (k). Absoluta demum suppuratione, sive pure confecto, si tamen variolæ ejus sint generis, in quo suppuratio locum habeat, exsiccantur, in crustas abeunt, et sensim decidunt, et tum *quartum* stadium, cui *exsiccationis*, aut *declinationis* (l), aut *prolapsus* (m) nomen est, morbi finem facit.

(a) *l. c.* (b) MORTON. *exercit.* 3. *cap.* 6.
(c) HAEN. *rat. contin. T. I. cap. V.* §. 3. & 6. SCHACHT. *Inst. med. pract. cap. XIII. p.* 51.
(d) M'EZA *comp. med. Fasc. I. cap. XXI.* §. 207.
(e) SIDOBRE *de Varior.* (f) HAEN. *l. c.*
(g) SCHACHT *l. c.* (h) *l. c.* §. 7. *n.* 3.
(i) SCHACHT. *l. c.* (k) MORTON. *l. c.*
(l) *Id. ib.* (m) SCHACHT. *l. c.*

§. 168. Discretæ, sive *distinctæ* (§. 167.) Var-

riolæ a plerisque reputantur *benignæ*, et *regulares*; contra confluentes *malignæ*, atque *anomalæ*. Regulares autem vocant eas, quæ consuetum, mitioremque ordinem servant; anomalas, quæ ab eo tam febre, eruptione, et natura pustularum, quam colore, crustis ipsis, majoreque symptomatum malignitate recedunt, et stadiorum tempora multimodis, atque inordinate (*a*) permutant. Primi generis variolas observavit Londini anni 1667. 68. et 69. SYDENHAMIUS (*b*), secundi anni 1670. 71. 72. et diligentissime ad naturæ exemplar eas (*c*) expressit. Verum sedula, attentaque Clinicorum indagine compertum est, discretas interdum perniciosiores ipsis confluentibus (*d*), maligniorcsque existere; neque anomalias ita confluentium proprias esse, ut in discretas aliquando non cadant, aut ab ipsis confluentibus abesse non possint; quod ubi incidit, *benignæ* quodammodo, et *regulares* apparent. Itaque melius utræque subdividi possunt in *benignas*, sive ut appellat MEADIUS (*e*), *simplices*, et in *malignas*. Illæ, eodem MEADIO docente, *cum febre simplici, et cito desinente prorumpunt, facile maturescunt, in pus sincerum post paucos dies vertuntur, et in crustas tandem decidunt*. Hæ *cum febre maligna* (*) *se ostendunt, ægre ad maturitatem perveniunt, et prorsus non suppurant, aut si aliquatenus id eveniat, calore febrili nunquam se remittente, non sine magna molestia in crustulas abeunt* (**).

Discretæ et Confluentes vel benignæ, vel malignæ.

(*a*) HAEN. *Divis. febr.* p. 91. 99.
(*b*) *Oper. sect.* 3. *cap.* I. (*c*) *Sect.* 5. *cap.* 4. & *Dissert. Epist. ad Guil.* COLE.
(*d*) MEAD. *de Variol. cap.* 2. HAEN. *l. c.*
(*e*) MEAD. *ibid.* HAEN. *l. c. p.* 100.
(*) Animadvertendum est, MEADIUM hic febrem ut a variolis distinctam sumere, atque ab ejus malignitate malignitatem variolarum deducere; dum con-

tra res se habere videatur; nam probabilius existimamus a variolarum malignitate febrem ipsam effici, & produci.

(**) Malignas variolas in universum describens Tissotius, *sit satis*, inquit, *summam debilitatem, pulsum minimum, febrim indesinentem, & anomale exacerbantem, leve, sed continuum delirium, pustulas minimas, aquosas, ichorosas, nigras, maculas cutaneas, hæmorrhagias ubique pororum, & colorum, anxietatem continuam, fastidium, apathiam malignitatis in variolis esse criteria non æquivoca*. Epist. var. argument. p. 53. Edit. Ven.

VARIOLÆ DISCRETÆ BENIGNÆ.

§. 169. Sed non melius benigna, aut maligna variolarum natura innotescet, quam si singulas earum differentias, quas paullo ante indicavi, describens, sic cujusque notas, et proprietates exposuero, ut benignæ a malignis facile, et distincte internoscantur. Itaque a *variolis discretis* Primum stadium. *benignis* exordiar. Hæ interdum ita mites, et faciles sunt, ut sine ulla febre tam ante, quam post eruptionem, aut certe cum perexigua, et vix sensibili, et nullo prope symptomate efflorescant, et progrediantur (*a*); idque speciatim evenire *in laxiori sanguinis diathesi* animadvertit, in qua sæpe tota *separationis* periodus sine aliqua insigni ægritudine, ut ipse ait, sensim, et gradatim transigitur (*b*). Frequentius tamen præcedit per aliquot dies incerta, et labens (*c*) valetudo; deinde morbi initium facit febris, modo major, modo minor, prout ad eam ætas, temperamentum, sanguinis diathesis, habitus corporis, vires, aliæque, res circumstantes magis, vel minus propendent. Ægri primum rigent, atque horrent, tum vehementer incalescunt, et sitiunt, anxii, atque irrequieti fiunt; capite, dorso, atque etiam interdum artubus, sed non fixo, nec

stabili cruciatu, dolent, nauseant, vomituriunt, vomunt, et doloris sensum in epigastrio, et sub cartilagine ensiformi, si manu locus prematur, percipiunt. Ad hæc accedunt stupor quidam, aut somnolentia, ingens ad sudores in adultis propensio, in infantibus vero, et pueris ad epilepticos insultus, aut convulsiones. Si convulsionibus, aut eclampsia infantes, aut pueri corripiantur, jam dentitione perfuncti, pro certo habeto, SYDENHAMIO asseverante (*d*), variolas prope instare, et plerumque intra paucas horas erupturas esse, nempe aurora subsequente, si pridie ad vesperam, ut solent, motus convulsivi extiterint, talesque variolas benignas, et magnitudine conspicuas, discretasque ut plurimum esse, rarissime confluentes. Verum fallax ab aliis (*e*) ejusmodi præsagium habetur, præsertim in quibusdam epidemicis constitutionibus, et tum præcipue, cum epileptici motus diutius protrahantur, nec cito cessent; nam sæpe, antequam variolæ erumpant, vitæ filum recidunt. Quæ vero soporosos affectus consequuntur variolæ, plerumque confluentes esse consueverunt.

(*a*) HUXHAM. *Essays sur la petite Verole* p. 165.
(*b*) SYDENHAM. *sect.* 3. *cap.* 2.
(*c*) TISSOT. Epist. var. argum. ad Haller. p. 6.
(*d*) SYDENH. *l. c.* (*e*) HAEN. *Divis. febr.* p. 98.

§. 170. Quod vero ad febrem attinet, hæc a primo ejus ingressu continuæ remittentis typum servat, et statas quasdam accessiones, et remissiones habet; plerumque matutinis horis se se remittit, pomeridianis vero, et vespertinis cum omnibus symptomatibus exacerbatur, et recrudescit, donec paullo ante eruptionem, aut quod frequentius est, eruptione inchoata non amplius excandescat. Nonnunquam hæ accessiones, re- Febris typus qualis.

missionesque aut desunt, aut non ita manifestæ sunt; sed tum æqualis quidam pulsus validi et magni tenor adest, calor item æqualiter viget, urina rubet, et contentis saturatur, quæ omnia naturæ prævalentis indicia sunt. Præterea a quibusdam alia quædam symptomata huic stadio tribuuntur, uti vigiliæ, delirium, oculorum splendor, lacrimatio, tussis, sanguinisque (*a*) e naribus stillicidium. Addunt alii coma, subsultus tendinum, jactationes, ægritudinem (*b*), immo sternutamenta quandoque, menstruorum fluxum, sanguinis acrem tenuitatem, dissolutionem, alvi in adultis adstrictionem, in pueris diarrhœam (*), et nonnunquam, etsi rarissime, dolores colicos, nephriticos, aut pleuriticos (*c*). Verum hæc graviori ut plurimum in morbo contingunt, et tum maxime cum variolæ ancipitis et dubiæ indolis sunt, aut aliquid malignitatis recondunt, ut recte docet (*d*) MORTONUS.

Symptomata quędam, non constantia.

(*a*) PONTICELL. *Infortun. del Vajuolo cap. 2.*

(*b*) MORTON. *loc. cit. exercit. 2. De appar. variol. cap. VII.*

(*) In quadam constit. epid. variolas observavit CAROLUS RICHT, quæ cum alvi fluxu incipiebant, & eumdem ad finem usque comitem habebant, bono cum eventu, sive id a saburra primarum viarum complicata eveniret, sive a materiæ variolosæ portione, quæ hac via excerneretur. *Constit. epid. Taurin.* an. 1720. §. 15. VOGELIUS etiam diarrhœam salutarem ab initio ad undecimum usque diem vidit, lethalem vero eam, quæ postea supervenerit. Vid. Comment. *Lips. Vol. 7. P. I.* p. 125.

(*c*) SCHACHT. *Instit. med. pract. cap. XIII.* §. 4.

(*d*) *Loc. cit. exerc. 3. cap. VII.*

Secundum stadium.

§. 171. Sæpe die tertio ad finem properante, sæpissime quarto ineunte, nonnunquam paulo serius, ante vero hosce terminos rarissime, incipiunt sparsim *Variolæ* discretæ, primum in fa-

cie, collo, genis, fronte, labiis, pectore, brachiis sub specie punctulorum, acicularum puncturas magnitudine plerumque æquantium, et rubentium, quæ mox in pustulas exiguas, sed sejunctas, et distinctas exsurgunt, epidermidem ipsam elevantes speciatim sub finem diei quarti, et multo magis die quinto. A facie deinde ad ventrem, dorsum, humeros, manus, inferiorisque artus successive se produnt, sed placide, et tranquille. Rotundam figuram assumunt, et retinent; tactui tuberculum exhibent duriusculum, renitentem, et saturatius rubentem. Ut plurimum intra unum diem naturalem toto fere corpore se proferunt. Raro accidit, ut reliquis insequentibus diebus numero augeantur. Altero ab incepta eruptione die suas bases ampliant, et dilatant; tertio, ultra quem raro excurrit eruptionis stadium, in summis apicibus acuminantur (*a*). Hoc eodem tempore etiam fauces leviter dolent, atque inflammantur, pustulis ibi quoque innascentibus. Earum vero dolor increscit, prout variolæ ipsæ adolescunt. Adolescunt autem, ut dixi, paullatim, et dum pleræque mole augentur, atque attolluntur, minores quædam aliæ, quæ mox ab initio eruperant, sensim delitescunt, delenturque, materia veluti ad alendas, implendasque majores pustulas emigrante, nec amplius redeunt, eodem saltem in loco (*b*). Ac dum variolæ in majus fastigium assurgunt, et basim dilatant, circumposita cutis intenditur, et rubore aliquo suffunditur. In apicibus sæpe vesiculæ quædam cernuntur liquorem tenuem, et pellucidum continentes, qui paullatim flavere deinde solet, ut suo tempore in verum pus convertatur.

(*a*) MORTON. *loc. cit. eruptio Variol. cap. VIII.*
(*b*) HAEN. *loc. cit.*

Præcipuum benignitatis signum febris cessatio.

§. 172. Inter notas vero benignitatis in hujusmodi variolis (§§. 170. 171.) illa præcipua, et veluti propria est, quod eodem eruptionis die, tertio nempe, aut quarto a morbi exordio, febris quasi repente cum omnibus symptomatibus cessat, vel certe ita defervescit, ut vix amplius quinto, et sexto die advertatur. Nec mirum est, materie variolosa ad cutim critice, et integre propulsa, interiora ab ejus irritatione liberari, et febrim, et reliqua symptomata penitus evanescere. Hinc ægrotantes a febre, doloribus, ægritudine, vigiliis, delirio, aliisque symptomatibus, quæ forte febrim comitabantur, liberi non modo sibi bene habere videntur, verum etiam appetitum, et vires adepti, hilares, et læti jocantur; nisi quod adulti sudoribus diffluere pergunt, etiamsi levibus tegumentis utantur, atque eos evitare studeant. Sudores autem isti non penitus desistunt, nisi suppurantibus, et maturescentibus pustulis. Tunc solum sua sponte (*a*) sistuntur, exspirationis, sudorisque viis, meatibusque ab inflammatione, et tumore cutis fortasse compressis, atque occlusis.

(*a*) Syden. *loc. cit.* Ponticell. *loc. cit.*

Tertium stadium.

§. 173. Circa finem sextæ, aut initium septimæ diei, computatione ab ingressu morbi facta, id est, tertia, aut quarta inceptæ pustularum eruptionis (*) die, pulsus validius, citatiusque, in primis vespere, micant, et cutis calor intensior evadit, sic ut febrim, quæ prorsus decesserat, redire, aut si tantum conquieverat, recrudescere diceres. Immo quandoque tanta est commotionis vis, ut ægri nocte post brevem somnum evigilent, obloquantur, et huc illuc se revolvant. Sed hæc febrilis exacerbatio ab incipiente variolarum suppuratione proficiscitur, et, hac absoluta, protinus cessat. Nam tunc pustulæ inflammantur, incre-

mentumque capiunt, intervalla earum manifestius rubere, et tumere incipiunt, non sine tensionis, et lancinantis doloris molestia. Hinc animi ægritudo, corporis jactatio, et caloris interni, externique perceptio consequuntur. Variolæ autem exactissime rotundæ, et distinctæ, nullisque aliis maculis, aut exanthematibus stipatæ primo suppurationis, sive maturationis die marginem rubrum exhibent, turgent, atque in summo fastigio albicant tenui humore refertæ; secundo circa basim latiores fiunt, in summitate acuminantur, et minus pellucent; tertio demum, scilicet ultimo fere hujus stadii die, humore in pus converso flavescunt, mox in crustam abituræ, cessante interim ægritudine, et quocunque alio suppurationis molesto symptomate (*a*).

(*) In benignissimis discretis Variolis singula stadia breviora esse consueverunt, nec plerumque unumquodque eorum tres dies excedit, sic ut nono jam morbi die exarescere pustulæ incipiant, & decidant, in facie potissimum.

(*a*) Mort. *exerc.* 3. *cap.* 9. *p.* 106.

§. 274. Cum autem prima suppurationis indicia pustulas faciei occupent, extemplo, ea incipiente, facies tota enormiter intumescit; sensimque, progrediente hocce stadio, palpebræ etiam turgent, inflanturque, ut simul ad se adductæ oculos omnino occludant, quasi vesicam inflatam, et translucidam super eos extensam repræsentantes. Interdum accidit, ut oculi jam ante claudantur, cum videlicet confertæ, multæque pustulæ in illas, aut etiam in oculos ipsos primo jam eruptionis tempore impetum fecerint. Proxime a facie intumescunt manus, et digiti ipsi ob pustulas inflammatas tenduntur. Atque hæc ita eveniunt, quando variolæ multæ sunt; nam ubi paucæ fuerint, nec

Faciei tumor palpebras claudens.

febrim, nec ullam ferme molestiam afferunt, nec oculos tumore faciei, et palpebrarum occludunt. At ubi copiosissime eruperint, tunc pustulæ non valde prominere solent, sed paullo planiores, atque in centro aliquantulum depressæ conspiciuntur. Alioquin æqualiter in quamcumque partem turgescunt (*a*), et ad perfectam magnitudinem evectæ pisum quandoque grandiusculum adæquant. Liquor eas demum replet flavus, vere purulentus, rubro circulo earum basim ambiente, quod optimum suppurationis indicium est, et molesto sæpe pruritu comitante, qui in caussa est, ut sacculis mollissimis, et laxioribus puerorum manus induendæ sint, ne unguibus pustulas, et cutim ipsam sibi dilanient.

(*a*) Haen. *loc.cit. p.* 94.

Suppurationis terminus.

§. 175. Octavo, et nono morbi die primum in facie, deinde in proximis partibus pustulæ occipiunt obfuscari, præsertim in centro, sive summo apice, ibique dehiscentes flavam glutinosam materiam effundunt, colore et consistentia melli, aut palpebrarum lemis non absimilem (*a*), qui paullatim concretus gummi arabici frustula repræsentat. Hinc ex glabris fiunt asperæ, et quidquid in eis rubebat, jam albicat, subpallescit, et flavet, absolutæ, perfectæque suppurationis terminus. Tunc febris, si qua ex suppuratione remittentis, aut intermittentis in modum resurrexerat, cessante jam caussa iterum et ipsa evanescit, blando sæpe sudore universo e corpore emanante. Dum in facie, et trunco obfuscantur, flavent, et scabræ fiunt reliquæ in artubus albido pure plenæ, et nonnihil depressiores cernuntur, nec asperitudinem acquirunt, neque siccescunt. Scire autem interest, tempore suppurationis, quo magis genuinæ, benignæque sunt variolæ, eo interstitia earum, cutim-

que circum positam colore, qualem rosæ Damascenæ exhibent, vividiore (*b*), et nitidiore rubescere.

(*a*) SYDENHAM. *loc. cit.* PONTICELLI *loc. cit.*
(*b*) SYDENHAM. *ib.*

§. 176. Suppuratione sic absoluta, facies detumescit, quod decimo, aut undecimo ad summum die fieri solet. Sed tum a facie tumor ad manus, et pedes transit, quia in his ut tardior plerumque eruptio, sic quoque pustularum inflammatio, et suppuratio reliquis posterior est. Interea faciei pustulæ, et superiorum partium maturitatem adeptæ jam arescunt, earumque crustulæ decidere incipiunt, ita ut multæ jam die duodecimo, aut decimo tertio, aliæ decimo quarto, aut decimo quinto penitus exaruisse videantur, et in crustulas omnino transmutentur. Artuum vero pustulæ, ut jam indicavi, quia serius reliquis et erumpunt, et suppurant, uno vel altero die adhuc egent ad arescendum. Ut plurimum tamen puris plenæ, atque albidæ disrumpuntur potius, quam siccantur, contra quam in facie, alibique evenire solet. Pustulis demum exsiccatis, et delapsis succedunt squamulæ quædam furfuraceæ, qui ubi secesserint, deciderintque, foveolas aliquando relinquunt in cute. Cum enim primum variolarum crustæ abscesserint, nulla in cute excavatio deprehenditur; sed potius in earum sedibus quidam veluti clivus remanet. At squamulis, quas dixi, excidentibus non modo clivus iste exiguus evanescit, verum etiam cutis ipsa foveolis incavata reperitur, quamquam in discretis, benignisque variolis raro admodum vestigia ejusmodi conspicua, aut diu permansura inurantur; exceptis maculis quibusdam rubris, quæ in omnibus ad duos circiter menses supersunt, antequam albidum consuetumque co- Quartum stadium:

lorem cutis (*a*) adipiscatur. Notandum demum est, toto morbi curriculo ægrotantes in discretis, et benignis variolis alvum vel compressam habere, vel rarissime dejicere, nec quidpiam mali inde eos (*b*) pati.

(*a*) Sydenh. *loc. cit.* (*b*) *Id. ib.*

Animadversio de earum varietatibus.

§. 177. Hæc est communissima variolarum discretarum, et benignarum ratio. Fatendum tamen est, quandoque eas levibus quibusdam varietatibus subjici, atque a consueto procedendi more aliquantulum desciscere. Sed non ideo earum sive natura, sive exitus quidquam mutatur, si recte curentur. In primis observantur interdum variolæ discretæ, quæ etsi benignarum morem retineant, eandemque naturam sortiantur, ab his tamen aliquantulum deflectere videntur, quod maturationis stadium longius, et lentius percurrant. Nam earum pustulæ primo quidem, vel secundo suppurationis die albescunt, verum apices ob minorem humoris copiam susceptam aliquanto depressiores ostendunt; nec nisi tertio, aut quarto die turgescunt, et acuminantur, et quinto demum flavescere incipiunt. Hæ autem, uti benignæ, febre, ptyalismo, urinæ profluvio, vel extremorum tumore, quæ malignarum, et confluentium fere propria sunt, prorsus vacant, et solo maturationis tempore hujusmodi vicem subeunt, seque produnt. Sciendum præterea est, ptyalismum, qui alias confluentibus quasi proprius, ineunte eruptione, supervenire solet, in discretis quandoque, ut ex Sydenhamio (*a*), et Haenio (*b*) compertum habemus, observari, et ubi is accesserit, per eum suppleri diarrhœæ defectum, utilemque (*c*) esse consuevisse. Sed utrumque vere dici videtur de variolis discretis non benignis;

nam malignas tantum alvi fluxus exercet, et si is deficiat, ptyalismo facile supplebitur.

(a) *Op. sect. 3. cap. 6.* (b) *Loc. cit. p. 97.*
(c) Tissot. *loc. cit. p. 44.*

VARIOLÆ DISCRETÆ MALIGNÆ.

§. 178. Hactenus de variolis discretis benignis: nunc de eisdem, sed malignis; nam discretæ nonnunquam, quod alibi (§. 168.) dictum jam fuit, malignitatis notas habent, et perniciosæ deprehenduntur. Quando tales occurrunt, eadem febre symptomata, quæ in benignis (§§. 168. 169.) descripsimus, generatim sibi vindicant, sed graviora pleraque, et vehementiora. In primo *stadio* dolor capitis, et lumborum atrocius discruciat; major est virium debilitas, anxitudo, inquies, mentis stupor, atque aberratio, itemque nausea, et cibi fastidium, et reliqua omnino aut molestiora, aut magis insueta, et inter se repugnantia, ut continuo de perniciosa, et maligna morbi insolentia suspicio oboriri debeat. Suspicionem vero hanc augent, et prope certam faciunt in primis vigiliæ pertinaces, et delirium, aut contra coma profundum, tendinum subsultus, tremor artuum, languores, ad lipothymiam proclivitas, et speciatim respiratio inæqualis, cita, laboriosa, cum crebris suspiriis. Febris quoque longe alia est, quam in benignis. Nam vel ardentior est, et continentis in modum magis assidua cum pulsu statim validiore, et frequentiore (a); vel contra specie levior apparet cum pulsu non admodum crebro, sed parvo, inæquali, calore miti, siti aut nulla, aut exigua, quamquam lingua facile arescat. Interim secundo, aut tertio morbi die exanthemata miliaria, aut peticulæ, aut maculæ lividæ prodeunt circa collum, p[illegible]

In primo stadio quænam symptomata.

ctus, et brachia, atque hæc manifestius declarant malignitatem, gravitatemque mali, quocum variolæ complicantur. Quod si in hac prima periodo exanthemata illa non prodeant, certe non deerunt in altera insequenti, nempe in ipsamet variolarum eruptione. Ad hæc accedunt urinæ multæ, aqueæ, percolatæ, interdum acres, vesicam, urethramque irritantes (*b*), vel turbidæ, confusæ, non subsidentes.

(*a*) Ponticelli *Infort. de vajuolo cap.* 3.
(*b*) *Id. ib.*

Secundi stadii phænomena.

§. 179. Die quarto incipit quidem, ut in discretis benignis, variolarum eruptio, sed pustulæ lente, et difficulter se exserunt, neque ordinem, quem discretæ benignæ servare solent, prosequuntur; nam primis illis, quæ die quarta ad cutim prodierunt, aliæ atque aliæ die quinto, et sexto pedetentim, et interrupte succedunt; dum contra in benigno genere eruptio fere universa plerumque intra nychthemerum perficitur. Sed variolæ ipsæ, etsi discretæ, inter se tamen plurimum magnitudinis, formæ, et coloris ratione dissentiunt. Nam aliæ sunt majores, aliæ minores; quædam acuminatæ, obtusæ aliæ, et medio depressæ, quas ideo umbilicatas vocant; hæ subpallidæ, aut subfuscæ; illæ pellucidæ, et tenuissimum humorem continentes. Pleræque earum nullum, aut plane exiguum dolorem pariunt, contra ac benignæ; cujus loco pruritum potius intolerabilem sæpe comitem habent. Quemadmodum vero ægre, lente, et inordinatim efflorescunt, sic etiam serius augmentum capiunt, et suas bases dilatant, et in fastigium elevantur. Nec febris, ut in benignis, post eruptionem cessat, neque se se insigniter remittit, sed assidua perstat; immo sæpe ingravescit cum omnibus

symptomatibus; in quo præcipua variolarum malignarum nota consistere videtur, nec sine caussa. Probabile enim est, tantam esse vel veneni copiam, vel sanguinis, aliorumque humorum depravationem ab eo inductam, ut exanthematis variolosis, etsi multis et valde crebris, frequentibusque ad cutim exortis, non tamen tota lues expulsa sit; sed magna pari intus remanens solidas partes omnes, et viscera (*) ipsa afficiat, humoresque fere universos corrumpat; quo sane fit, ut non modo febris persistere debeat, verum etiam teterrima symptomata oriantur, aut vehementius increscant.

(*) Quæri solet, an viscera variolis obnoxia sint? HALLERUS in *Historia constitutionis variolosæ anni* 1735. sub finem, *nunquam*, inquit, *in cadavere reperi pustulas ultra pharyngem altius fuisse, aut ventriculum, aut intestina, aliave viscera obsedisse*. TISSOTIUS etiam (*Epist. var. argum. ad Hallerum p.* 46. *edit. Ven.* 1774.) in quatuor cadaveribus nihil invenire potuit, quod interiora variolis corripi ostenderet. At HAENIUS (*Rat. contin. T. I. Cap. V. §. 8. N. V.*) Variolas internas dari, etsi non in omnibus cadaveribus reperiantur, experientia fultus arbitratur. Ac revera ab aliis doctis æque & solertibus viris quandoque repertæ narrantur. FERNELLUS (*lib.* 2. *de abdit. rer. causs. cap.* 2.) *sæpe*, inquit, *deprehensum, quosdam ab interitu fuisse dissectos, quibus jecur, lien, pulmones, omniaque interiora, haud secus atque cutis fœdissimi populis manantibus scaterent*. BALLONIUS in equite torquato ex variolis denato *echymata interna* vidit (*Epid. & ephem. l.* 2. *pag.* 207.) In principe viro non tantum exterius undique corpus variolis obsitum, sed interius etiam ipsa viscera ejusmodi pustulis scatentia reperta esse refert HORSTIUS (*Instit. med. Disput.* 3. *Addit.* 1. *Epist. ad Henric. Arnissæum Oper. T. I. pag.* 140.). PARÆO etiam contigit videre in duabus puellis *interiora viscera crustosis pustulis obsita, quales in cute erumpunt* (*Lib.* 19. *Cap. I.*) Hæc demum confirmantur a MEADIO (*De Variol. cap.* 3.)

qui pulmones, cerebrum, jecur, intestina pustulis interdum conspersa invenit. Ex utraque parte video summos viros, nec audeo, utris magis credendum sit, definire.

Alia signa malignitatem denotantia.

§. 180. Quod si, ut aliquando accidit, magnitudine, forma, et colore benignas imitari videantur; fluxu tamen alvi immodico, sudore inutili, delirio, et vigilia, aliisque alienis symptomatibus metum incutiunt, ne sub initium suppurationis, sive tertii stadii spasmis repentinis, vel comate profundo, vel diro alio symptomate superveniente, quod non raro (proh nimium!) usuvenit, ægri corripiantur, et pereant. Aut etiam, nisi priore in stadio peticulæ, aut maculæ lividæ, aut pustulæ miliares jam apparuerint, ut supra (§. 178.) posui, secundo mox eruptionis die se variolis adjungunt hujusmodi exanthemata, quibus variolarum interstitia in collo præsertim, pectore, et brachiis, si loca attente lustrentur, scatere inveniuntur. Neque ab his absunt alia malignitatis indicia, uti pulsus debilis, virium languor, lipothymiæ, spasmi, desipientiæ, atque alia (a) quæ exitium sæpe portendunt. Nec mirum, cum præter variolosum virus etiam peculiare, aut utrumque simul jungantur, et periculi magnitudinem augeant. Illud quoque scire convenit, in discretis hisce malignis faciem, et palpebras interdum ita intumescere, ut oculi citius, quam in benignis, omnino claudantur; vocemque multo magis raucam reddi.

(a) MORTON. *exercit.* 3. *cap. VI. VII. & VIII. pag. mihi* 45. 54. 80. 85.

Tertium stadium.

§. 181. Interea variolosæ pustulæ febri plus minus magna, et assidua comitatæ paullatim ad octavum usque diem augentur, atque adolescunt;



deinde suppuratio, sive tertium stadium insequitur. Tunc sæpe, ut paullo ante dictum est, repente spasmi, et nervorum distentiones, aut veternus, aut alia perniciem minantia symptomata accedunt (*a*). Fereque harum variolarum proprium, et peculiare est, quod raro, ac sero admodum ad maturitatem (*b*) perveniunt. Et quamquam hoc ipso suppurationis stadio interdum inflammentur ingenti cum febre, et doleant acriter, et crebris intus punctionibus pertundantur sic, ut in suppurationem certo niti videantur; non tamen ideo maturescunt; frustrato penitus naturæ molimine. Quando hæc accidunt, quin bona suppuratio obtineatur, tunc delirium, aut coma, aut anxietas cum pectoris oppressione peripneumonica, aut anginosa faucium præfocatio, et demum mors quasi repentina (*c*) plerumque subsequuntur. Nonnunquam tamen febris moderata est, et suppuratio, ut ut lenta, et tarda, bene procedit, perficiturque. Hac absoluta, laudabilis tandem exsiccatio, ut in benignis, contingit, sicque ægri (*d*) servantur, et convalescunt. Ad malignarum discretarum genus referendæ mihi videntur Variolæ *anomalæ annorum* 1670. 71. 72. a SYDENHAMIO (*e*) descriptæ, et *nigræ* ab eodem appellatæ. Hæ discretæ erant, sed plerumque die tertio erumpebant, nec ad eam magnitudinem procedente morbo assurgebant, ut discretæ benignæ, sed magis exasperabantur *in minori mole*; et præterea sub diebus ultimis, ubi jam maturuerant, *nigræ* frequentius fiebant. Interdum, paucissimæ licet essent pustulæ, cum ptyalismo tamen conjungebantur.

Quartum stadium.

Variolæ nigræ Sydenhamii.

(*a*) *Idem loc. cit. p.* 80. (*b*) *Idem ibid.*
(*c*) PONTICELLI *l. c.* (*d*) *Idem ibid.*
(*e*) *Opp. sect.* 3. *cap.* VI. *p.* 228.

Discreta mediæ naturæ.

§. 182. Præterea est quoddam discretarum genus mediæ quasi naturæ, partim videlicet benignum, partim malignum. In hoc variolæ initio eruptionis non modo discretæ, verum etiam forma, colore, atque ordinato exitu benignæ videntur; neque ullum malignitatis signum in primo stadio eas antecessit, neque postea erumpentes comitatur. At, facta eruptione, novam induunt naturam, malignæque evadunt. Tunc enim fiunt sessiles, et deprimuntur, immo in marginibus livescunt præter expectationem. Suppurationis vero stadium ingressæ mox exarent, albis apicibus distinctæ, atque humore vacuæ: nec earum defectionem, aut inanitatem supplet ulla subsidiaria evacuatio; nam ab his abest salivæ, aut urinæ profluvium, quo in confluentibus morbidi humoris pars exuberans, aut refluens intro, foras ejicitur, neque extremorum supervenit tumor, quo retenta materies utiliter congeri, deponique solet in aliis malignis. Interdum sine magna febri, ut notat (a) MEADIUS, et parvo omnino dolore hujusmodi variolæ efflorescunt, ut sine periculo esse videatur. Sed specie benignitatis fallunt. Cum enim in tertio stadio maturescere deberent; repente natura quasi deficiente, nulla fit eorum suppuratio. Hinc febris exacerbatur, increscitque, et accedente delirio, spiritusque difficultate intra breve tempus æger interimitur. Non raro peticulis, aut aliis mali moris exanthematibus implicantur, atque interpunguntur; unde malignitatem, qua per se caruissent, necessario incurrunt. Alias eruptione rite finita confluunt, aut mutuo saltem cohærent, et sic ex discretis, et benignis, quæ prius exstiterant, in confluentes, et sæpe malignas degenerant. Interdum etiam febris, quæ ante eruptionem benigna et mitis fuit, et post eam intermittere, aut certe multum

remittere, ut in benignis, visa est; sub finem ipsius eruptionis, jam deposita benignitatis simulatione, et vigilias, et deliria, et hæmorrhagias interdum, aut micturitionem, et reliqua maligniora symptomata sibi adjungit. In hoc tamen genere nec fatum adeo præceps, nec adeo inevitabile est, ut in variolis primario magnis; nam plures ex eo evadunt. Pauci vero ii, qui morbi vim sustinere nequeunt, plerumque circa diem undecimum, aut duodecimum, qui in confluentibus etiam funestus esse solet, occumbunt (*b*). Quod si quis eorum fortuna servetur, is variolis crudis, et nusquam maturatis, quartum stadium, sive declinationis ægre admodum, et ærumnose longius, et indefinito termino protractum, fere semper moribundo similis (*c*) absolvit.

(*a*) *De Variol. cap. IV.* (*b*) MORTON. *Exerc. 5. cap. I. p.* 107. (*c*) *Id. ib.*

§. 183. Ad malignum discretarum genus pertinent quædam variolarum species, quæ etsi discretæ, et distinctæ, nunquam tamen ad suppurationem perducuntur. Harum duplex statuitur differentia, *crystallinarum* videlicet, et *verrucosarum*. Crystallinæ a plerisque vocantur illæ, quæ ab humore quodam tenui, lymphatico, pellucido, acri, suppurationi inepto, immo caustico, et rodente (*a*) conflantur. Hinc a quibusdam *lymphaticæ* etiam dicuntur. Has fatemur non semper discretas esse, sed aliquando confluentium modo erumpere, et (*b*) progredi. Sed tum a discretis, de quibus hic disserimus, confluentia, et complicatione facile distinguuntur. A *spuriis* etiam *variolis*, cum quibus aliquam crystallinæ similitudinem habent (*c*), ut suo loco videbitur, febre continua, et symptomatibus periculosis, et longiore durationis tempore discriminantur. Ad

Species discretarum malignarum.

Crystallinæ.

crystallinas porro veluti varietatem quamdam refert MEADIUS *siliquosas Freindii* (*d*), variolas nempe liquore vacuas, sive *vesiculas rotundas, molles, concavas*, inanesque, eo quod humor, qui eas replebat, vel absortus intro fit, vel ruptione (*e*) effusus, vel copia ptyalismi, ubi is non defuerit, quodammodo (*f*) exhaustus. Altera differentia scilicet *Verrucosarum* complectitur variolas item discretas, sed duras, verrucis simillimas, et supra cutim exstantes, ex densiori, tenaciorique muco (*g*) concretas. Non enim quidquam in eas lymphatici humoris illabitur, aut vacuum spatium ullum cernitur. Sed rubræ, et duræ a quarto die ad extremum usque morbi decursum *eumdem faciem, eamdemque figuram* constanter tuentur (*h*). Hæ quoque e discretarum ut plurimum genere, et quidem malignarum (*i*) esse solent, et suppurationis incapaces; quamquam non negaverim eas inter benignas interdum, aut spurias recenseri (*k*), sed tum malignitatis signis, febre, et diris symptomatibus alii, quæ discretas malignas exercent, facile carent. Quando vero malignæ sunt, nequaquam suppuratione solvuntur, neque in crustas fatiscunt, aut decidunt, sed paullatim (*l*) tantummodo desquamantur. Pejores crystallinis eas existimavit MEADIUS, quamquam id alii negent, quod fortasse eas benignas, uti HAENIUS (*m*), viderunt.

Siliquosæ Freindii.

Verrucosæ.

(*a*) HAEN. *Divis. febr. cap.* 2.
(*b*) MEAD. *de Variol. cap.* 2.
(*c*) HAEN. *loc. cit. p.* 99.
(*d*) *De quibusd. Variol. gener. ad Cl.* MEAD. *Ep.* 2.
(*e*) MEAD. *loc. cit.*
(*f*) SAGR. *de Variol. Iglaviens. p.* 29.
(*g*) MEAD. *l. c. p.* 18. SAGR. *l. c. p.* 28.
(*h*) FREIND. *De quibusd. variol. gener. ad Cl.* MEAD. *Epist.* 2. (*i*) MEAD. *ib.* Exemplum mali-

gnarum videre est apud FREINDIUM *l. c.* ubi fatalis morbi historia perdiligenter descripta est.

(k) HAEN. *l. c. pag.* 92. qui dubitat, an variolæ *crystallinæ* MEADII, & *siliquosæ* FREINDII, itemque *verrucosa*, aliæque ad anomalas, malignasque vere spectent, quia eas terminari sine molestia, & periculo observavit. Sed tum benignarum, aut spuriarum varietatem eum dumtaxat vidisse censerem.

(l) *Idem l. c.* (m) *Idem p.* 100.

VARIOLÆ CONFLUENTES BENIGNÆ.

§. 184. Discretas proxime sequuntur Variolæ *confluentes*, sed inter utrasque medium quasi locum tenent illæ, quæ *cohærentes* (§. 166.) nominantur. In his pustulæ discretarum more prodeunt, hoc a discretis tamen discrepantes, quod denso agmine cutim replent, atque ita sibi mutuo incumbunt, ut plurimis in locis se tangant, et quasi racematim aliæ aliis adhæreant. In primis vero ad pustulas, quæ in facie exstant, respicere oportet; nam ab his potissimum, non ab aliis in reliquo corpore existentibus *discreta*, aut *cohærens*, aut *confluens* variolarum indoles desumitur. Hinc si quæ faciem occupant, discretæ fuerint, etsi reliquis in partibus cohæreant, aut confluant, *discretarum* nihilo secius naturam retinent: et contra, si in facie cohæreant, aut confluant, licet discretæ alibi appareant, *cohærentium* tamen, aut *confluentium* pravitatem sequuntur. *Cohærentes* præterea febrem majorem gignunt, et serius, quam discretæ benignæ, ad maturitatem perveniunt; nam valde rarum est, eas octavo die suppurare, et maturescere. Hinc tardius etiam in crustas arescunt, et tardius itidem decidunt. Rarius etiam *cohærentibus* supervenit ptyalismus, qui alioquin confluentium comes fere inseparabilis est, quique a discretis, saltem be-

Cohærentes.

nignis, abesse generatim solet. In universum *cohærentes* confluentibus benigniores (*a*) habentur; quamquam et ipsæ malignæ, et perniciosæ esse possint, velut nimirum eruptione facta febris vel desinit, vel continuat, et malignitatis symptomata vel absunt, vel cum ea copulantur. Quia vero propius ad confluentes, quam ad discretas ratione numeri, formæ, et gravitatis accedunt; idcirco petimus, ut nobis integrum sit eas sub uno confluentium genere cum PONTICELLIO (*b*) comprehendere.

(*a*) HAEN. *Febr. divis. p.* 98. (*b*) *L. c. cap. VI.*

Confluentes.

§. 185. Cum igitur confluentes universim discretis, saltem benignis graviores, periculosioresque sint, male hæ ita audiunt, ut pro malignis, atque anomalis vulgo reputentur. At nonnunquam sine magno periculo, etsi discretis benignis aliquanto graviores, suum curriculum absolvunt, felicique exitu terminantur, ut benignæ præ discretis malignis, quod supra animadversum est, ipsæ dici possint. Quare satius existimo eas dividere in *benignas*, sive minus perniciosas, et in *malignas*, sive perniciosiores. De utrisque autem hic acturum me ordinis ratio admonet, ut initio a *benignarum* expositione facto paullatim ad malignas gradus fiat, hac tamen venia, ut multa, quæ ad alterutras opportune illustrandas pertinent, subinde, ubicunque res postulaverit, interserere liceat.

Divisio in benignas, et malignas.

Confluentes benignæ quales in primo stadio.

§. 186. Tempus contagii, sive primum stadium confluentium benignarum, eodem ferme modo transigitur, ac in discretis benignis (§. 169.), nisi quod febris, et symptomata, uti anxietas, ægritudo, vomituritio, vomitus, sitis, dolor capitis, dorsi, et lumborum, et reliqua ut pluri-

mum sunt aliquanto graviora; minor vero, aut certe rarior ad sudores in adultis (*a*) proclivitas, frequentior tamen in pueris diarrhœa (*b*), quæ non modo eruptionem antecedit, sed etiam ab ipsa eruptione per unum, vel alterum diem quandoque protrahitur; quod nunquam in discretis SYDENHAMIUS animadverterat. Febris autem etsi a primo statim insultu assidue, et graviter ad eruptionem usque pustularum teneat, non tamen acutissima est, neque ea virium dejectione, aut spirandi difficultate, aut mentis perturbatione, aut pulsuum pravitate, et debilitate stipatur, quam in discretis malignis (§. 178.) memoravimus. Immo facta eruptione, mox aliquantum mitescit, quasi inducias datura, et sæpe, ut in discretis benignis, matutino præsertim tempore intermittit ad suppurationis usque stadium. Tunc vero resurgit quidem iterum, sed, pure confecto, mox evanescit, et cessat. Contra in confluentibus malignis assidua est, et vespertinis, nocturnisque horis cum omnibus symptomatibus exacerbatur, intenditurque (*c*) non leviter. Quod probe animadvertendum est; nam ex hoc potissimum signo variolarum benignitas, aut malignitas manifestatur. Absunt demum a confluentibus benignis in hoc ipso stadio *contagii* peticulæ, maculæ lividæ, atque exanthemata miliaria, itemque tremores, subsultusque tendinum, qui malignas sive confluentes plerumque antecedunt.

Quales in secundo, et in tertio.

(*a*) SYDENH. *loc. cit.*
(*b*) *Id. ib.* HAEN. *Divis. Febr. p.* 95. 96. SCHACHT. *Instit. med. pract. cap. XIII.* §. 5. (*c*) SYDENH. *l. c.*

§. 187. Tertio die ineunte, immo etiam citius eruptionis stadium incipit, et longius quam in discretis præsertim benignis producitur. Quo vero maturius variolæ erumpunt, eo etiam magis con-

Secundum stadium earumdem.

fluere, et copiosiores esse (*a*) consueverunt. Interdum eruptio differtur ad diem usque quintum, sextum, aut septimum, et ultra etiam, sed malo semper omine; idque in confluentibus præsertim malignis accidit. Natura enim tum aut debilior, aut morbi malignitate oppressa, aut aliquo dolore non vago, nec versatili, qui minus periculi habet, sed defixo, et stabili, puta in lumbis nephritici æmulo, aut in lateribus pleuritico simili, aut in articulis, aut ventriculo cum ingenti ægritudine, et vomitu, arthritidem, cardialgiam, aut colicum affectum imitante excruciata, et quasi compressa ægre eruptionem molitur, seriusque consequitur. Ceterum multæ prodeunt, jam ab ipso exortu implicatæ, aut cohærentes, aut confluentes. Quandoque fit, ut prima apparitione distinctæ, et discretæ appareant, sed mox ipsæ vel una cohærent, vel in latiores vesiculas coalescunt, et confluunt. Generatim parvæ admodum, et magis minutæ, quam in discretis, atque ita crebræ, et densæ cernuntur, ut primo intuitu inter initia non facile eas a morbillis, aut ab erysipelate distinguas. Ab utroque tamen exanthematis genere discernuntur reliquis signis erysipelatis (§. 15.), aut morbillorum (§. 110.) propriis deficientibus, præsentis epidemiæ consideratione, et paullo post manifestiori vesiculari, variolosaque conformatione. Si igitur hujusmodi pustulæ faciem veluti confertissimæ arenulæ contegant, licet in reliquo corpore discretæ, et paucæ reperiantur, non ideo tamen a confluentium natura, et gravitate desciscunt, æque ac si magna frequentia omnia membra afficerentur. Contra si truncum, et artus crebræ, et densæ occupent; quæ vero in facie effloruerunt, rariores, majoresque fuerint, magis ad discretarum benignitatem accedunt, tutioremque

Quo differunt a malignis.

morbum significant. Magnitudo enim morbi, et benigna, aut maligna confluentium natura æstimanda potissimum est, ut supra dictum est, ex numero, et qualitate variolarum, quæ faciem corripiunt. Facta eruptione, ni febris cum suis symptomatibus cesset, ut in discretis benignis, plerumque tamen, ubi confluentes vere benignæ sunt, plurimum remittit; at si malignæ, ne remittit quidem (*b*).

(*a*) Sydenh. *l. c.* Haen. *l. c. p.* 96.
(*b*) Schacht. *l. c. cap. XXI.* Haen. *l. c.*

§. 188. Variolæ igitur confluentes postquam in cutem prodierint, de die in diem mole augentur sed vix unquam ad eam magnitudinem assurgunt, ad quam discretæ perveniunt, speciatim eæ, quæ faciem obsederint. Mutuo enim inter se communicantes vesicularum rubrarum instar universam faciem operiunt, et brevi deinde latam pelliculam albidam repræsentant, quæ toti vultui veluti agglutinata adhæret, parum supra cutim (*a*) prominens. At quo longius a facie descenditur, pustulæ sensim paullo majores fiunt, sic ut omnium maximæ in manibus, et pedibus existant, semper tamen discretis minores. Liquorem continent aquosiorem, tenuioremque, qui permolestum acritate sua pruritum creat. Facies universa citius, quam in discreto benigno genere, intumescit (*b*). Infantes, et pueros fere semper alvi fluxus premit, adultos (*) vero ptyalismus, qui statim cum ipsa eruptione exorditur (*c*), vel saltem postridie, aut biduo exacto supervenit, fereque constans confluentium in adultis symptoma censetur; quamquam in his interdum, ut verum fatear, omnino deficiat, quemadmodum fere semper deficit in discretis (*d*). Ptyalismo autem isto humor tenuis effluit, atque ad aliquot dies, nempe ad suppurationis

Eruptio confluentium quænam habeat cum malignis et benignis communia?

usque tempus ad minimum ita ubertim extillat, ut multa linteola tam die, quam nocte madefiant. Atque hæc quidem confluentium omnium, sive benignæ sint, sive malignæ, communia existimantur. Alia autem quæ in hoc ipso secundo stadio variolis confluentibus tribuuntur symptomata, uti phrenitis, coma, peticulæ, pustularum nigredo, narium hæmorrhagiæ, menstruorum intempestivus fluxus, hæmaturia, sive mictus cruentus, ischuria, sive urinæ suppressio (e) et tetra hujusmodi symptomata, vix in confluentes benignas unquam cadunt, cum earumdem, sed malignarum propria pene sint, ut postea ostendam.

Quænam malignarum magis propria?

(a) SYDENH. *l. c.*
(b) *l. c.* HAEN. *l. c. p.* 97. SCHACHT. *l. c.*
(*) Cl. SAGARIUS (*Ep. d. Igluvier. ann.* 1776. *pag.* 71.) vidit etiam in pueris ptyalismum huic stadio nonnunquam supervenientem; frequentius vero tertio stadio. Sed malignæ admodum erant variolæ in illa constitutione. Saliva autem, quæ tunc excernebatur, acerrima, & fere caustica erat, & ni cito expueretur, maxima mala inferebat. Nam deglutita dolores, & anxietates primum; deinde convulsiones, & mortem progignebat.
(c) SYDENH. *l. c.*
(d) HAEN. *l. c. pag.* 97. SCHACHT. *l. c.*
(e) *Idem ibid.*

Tertium earum stadium.

§. 189. Die porro circiter octavo ab inchoata (a) eruptione, nempe die totius morbi nono, decimo, aut undecimo, modo decimo quarto, modo decimo sexto, prout citius, aut serius variolæ prodierunt, incipit tertium stadium, sive suppurationis. Sed quo tardius hoc evenit, eo pejus. Tunc, si benignus est morbus, pustulæ maturescunt, pusque conficiunt; sed non multum elevantur, neque in fastigium attolluntur, ut discretæ benignæ solent. Ac quo minus confluxerint, atque adeo

Quid in benignis, quid in malignis accidat.

quo benigniores exstiterunt, eo citius maturitatem assequuntur, et magis flavescunt. Contra si malignus, vix unquam perfecte suppurant, et planæ, depressæque manent; et prout gravior, atrociorque fuerit, eo magis subfuscum colorem induunt, et lentius, si sibi relinquantur, pure replentur. Pellicula vero illa albida, de qua supra (§. 188.) retuli, asperior tactui redditur, sensimque non flava, ut in benignis; sed fusca (*b*) evadit, et tenditur. Interim saliva viscidior, et crassior facta, quod plerumque in regularibus die undecimo accidit, ægerrime profluit, et difficillime excernitur; ideoque suffocationem ægro intentat. Hinc ægri anxii fiunt, et siticulosi; vehementer subinde tussiunt inter bibendum, quod potus in laryngem delabitur, et tussi sic excitata per nares rejicitur; vox raucescit; somnolentia, et stupor accedit, et ptyalismo penitus suppresso facies detumescit, et subsidit, eodemque sæpe die, nimirum undecimo, pallidiore cute, et anhelosa reddita respiratione cum placida mentis aberratione mors celerrima, et quasi repentina vitam abrumpit. Scire vero oportet, ptyalismum qui circa hoc suppurationis tempus, ut dixi, sisti solet non nunquam post unum, vel alterum diem veluti postliminio reverti, et redintegrari feliciter. Quoties vero ipse non revertitur, nihil sane, ut modo dixi, est ejus cessatione perniciosius, nisi ejusmodi evacuationis defectum suppleat faciei tumor persistens; aliquam materiæ variolosæ portionem retinendo, impediendoque, ne ad interiora convertatur, aut nisi id, quod per ptyalismum excerni debuit, ad manus pedesque transferatur, tumorem ibi salubrem excitans, imminentemque perniciem avertens. Non enim propere nimis, nec repente facies detumescat, oportet, sed paullatim: sic, ut ad aliquot adhuc dies ejus tumor permaneat; ei-

De ptyalismo nonnulla.

De faciei tumore.

quae cessanti manuum, et pedum tumor succedat; necesse est; si ægri vita in tuto posita (c) dicenda sit. Quod si et ptyalismus desistat ex toto, et facies justo citius subsidat, nec manus, nec pedes in eorum locum tumefiant, unica spes est in largo urinæ, aut alvi profluvio, quo noxia variolarum materies extra feratur; ut in confluentibus benignis, et regularibus plerumque contingit. Quemadmodum ergo magnum momentum habet ad lætum variolarum exitum in adultis ptyalismus, si copiosus, facilis, et diutinus sit; sic in infantibus, et pueris, dum variolis confluentibus laborant, plurimum ad id confert diarrhœa, quæ etsi non ita mature eos interdum invadat, ut adultos salivæ fluxus; quocumque tamen tempore accesserit, ad finem morbi usque produci salutariter solet, nisi improvide per artem sistatur. Sisti vero haud debet, nisi profusior, et vires dejiciens. Utraque enim evacuatio, nempe ptyalismus adultis, diarrhœa infantibus, ac pueris non minus necessaria in hoc morbo videtur, quam pustularum præsentia, et maturatio, et faciei ipsius, manuumque, aut pedum tumor.

(a) HAEN. *l.c. p.* 97. (b) *Id. ib.* SYDENHAM. *l. c.*
(c) SYDENH. *l. c.*

Febris secundaria tempore suppurationis.

§. 190. Maturatione, ut indicavi (§. 189.) incipiente, febris plus minus ingravescit, prout variolæ frequentiores, copiosioresque sunt, et prout magis, vel minus confluunt, aut benignior natura est. Non enim a sola suppuratione, ut in benignis discretis, pulsus aliquantulum concitatur, et increbrescit, sed febris vehementius movetur, nec finita suppuratione evanescit. Attamen, quoniam hujusmodi febris numero (a) pustularum respondet, qui numerus ingens in confluentibus est, magna ex parte ab earum suppuratione pro-

ficisci videtur, aut certe a puris, ichorisque, quo illæ scatent, copia, et in sanguinem refluxu. Addunt etiam nonnulli retentæ, cohibitæque cutaneæ expirationis concursum, nec sine veri specie, quia universa cutis pustulis obsita expirare vix quidquam potest. Præterea probabile est, cum febris ista interdum etiam sine magna (*) suppuratione invalescat, et trahatur, a materia variolosa in sanguine relicta originem ducere, quod fortasse non omnis a cute excipi potuit, aut vitæ vires ad eam penitus expellendam non valuerunt. Id sæpe subsequentes pustularum eruptiones declarare videntur. Hæc febris *secundariæ* nomen recipit, et modo inflammatoriam indolem, modo putridam ostendit pro varia sanguinis, temperamenti, ætatis, habitus, anni, temporis, et constitutionis epidemicæ ratione. Gradu vero majore, vel minore invalescit secundum majorem, vel minorem caussarum numerum, et vim. Protrahitur ipsa etiam ad initium quarti stadii, in quo universa facies crusta densa, et plus minus fusca obtegitur, sub qua pus latitat, et fluctuat. Pus istud resorptum non modo febrim fovere videtur, ut supra posui; verum etiam in nobilissimas interiores partes metastatice migrat, ibique hærens periculosissimos morbos generat. Quod vero in ambitu exteriore corporis subsistit, subjectas cuti partes, atque in primis telam adiposam, cujus adeps fere totus computrescit (**), erodit, sæpe ad ossa usque sic, ut in his caries, et spinæ ventosæ interdum oriantur. In artubus interea rumpuntur pustulæ, nullam exsiccationem adeptæ; immo dorsum, aliæque partes cuticula exutæ nudam vivamque cutim exhibent.

(*a*) SYDENHAM. *loc. cit.*

(*) Supra (§. 189.) monui, variolas confluentes eo periculosiores esse, quo serius, difficiliusque ad

suppurationem deveniunt. Ad hoc maxime respiciens SYDENHAMIUS tres confluentium species constituit, *mitissimas* nempe, in quibus die a primo morbi insultu undecima *febris secundaria* accedit, partim ex suppuratione incipiente, partim ex resorpto pure orta; *mediocres*, in quibus die decima quarta suppuratio tantum incipit; *crudissimas*, quæ ad suppurationem duntaxat die decima septima perveniunt. *Dissert. epist. p.* 405.

(*) Pinguedinem in variolis hujusmodi corrumpi, atque in pus transmutari adeo perspicuum est, ut pus variolosum ad flammam incendi, atque exardere viderit HALLERUS *Histor. variol. ann.* 1735.

Quartum stadium.

§. 191. Tandem cuticula tam in facie, quam alibi latioribus laminis desquamatur; vel crustæ crassiores secedunt, et delabuntur; id quod die decimo septimo, vel vigesimo, vel etiam serius quandoque (*a*) contingit. Crustis, aut squamis delapsis rubicunda subter manet cutis, cui mox albicans pellicula succrescit; qua pariter desquamata nulla quidem scabrities in vultu percipitur, sed paullo post illam excipiunt squamulæ furfuraceæ indolis admodum erosivæ, quæ non solum foveas plus minus altas pro erosionis majoris, vel minoris modo relinquunt, verum etiam faciem fœdioribus, quam solent discretæ, in primis benignæ, cicatricibus (*b*) deturpant. Pus etiam resorptum quandoque per urinas, quandoque per alvi fluxum excernitur, quandoque parte sui aliqua in cellulosa tela hic illic congeritur, et abscessus, aut phymata rubra, dolentia, et cito in abscessum desinentia efficit; quæ opportune, matureque sectione aperta pus verum, aut saniem copiosam, interdum acrem, et erodentem effundunt. Idque plerumque crustis jam delapsis, variolisque finem adeptis evenit, febre interim non penitus discussa, sed mitiori reddita, et remittentis in modum adhuc accessiones habente, do-

nec et ipsa paullatim evanescit. Nonnunquam variolis jam exsiccatis, et delapsis aliæ quædam minutiores, et distinctæ variolæ succedunt morbidi contagii reliquias ad cutim proferentes, quas variolas *secundarias*, aut *repullulantes* vocant. Sed multa ex his, quæ modo exposita sunt, cum variolis etiam discretis mali præsertim moris communia (*c*) esse solent. Variolæ repullulantes.

(*a*) Haen. *l.c. p.* 97. (*b*) Sydenh. *l.* 1.
(*c*) Schacht. *l.c.* §. 54.

VARIOLÆ CONFLUENTES MALIGNÆ.

§. 192. Confluentium variolarum, quas *benignas*, sive *minus perniciosas* vocavimus, descriptionem dedimus. Fieri non potuit, quin in ea malignarum quoque mentionem subinde haberemus, ut utrarumque symptomatibus, et notis una collatis clarius singularum differentia patefieret. Insunt enim cuicumque variolarum confluentium generi quædam malignitatis quasi semina, et benignarum, malignarumque extrema ita se attingunt, ut maxime ardua res sit utras perspicue discernere; nisi *minus*, ut ita dicam, *perniciosæ*, sive *benignæ* cum *perniciosioribus*, sive *malignis* mutuo conferantur, comparenturque; quod supra quidem a nobis præstitum sane est. Nunc vero, ut melius inter utrasque discrimen liqueat, confluentes malignas specialiter, et distincte persequemur, retento malignitatis eo significatu, quem alibi (§. 6.) jam exposui, et quo uti deinceps mihi liceret, efflagitavi. Cum autem pleraque signa, quæ ad malignas variolas pertinent, a nobis supra pluribus in locis memorata sint, et ibi præcipue, ubi variolæ discretæ malignæ (§. 178. *et seqq.*) expositæ fuerunt; cumque multa in descriptione variolarum con-

fluentium benignarum (§. 184. *et seqq.*) obiter quidem, sed apposite hic illic intersperserimus, quæ ad confluentes malignas distinguendas plurimum faciunt, ea cuncta huc revocanda existimo, utpote his apprime spectantia, ne præter necessitatem quæ jam tradita, et communia sunt, hic repetantur ad nauseam. Qua de caussa etiam prætermittam referre, qua ratione confluentes malignæ invadant, erumpant, progrediantur, et suppurent, et exsiccentur; cum jam ista, quoad utriusque communia sunt, in benignarum confluentium recensione satis comprehenderimus. Satius igitur erit quasdam confluentium malignarum species, sive differentias malueris, quales a medicis peritissimis observatæ fuerunt, breviter describere; quo equidem confectum iri spero, ut omne confluentium malignarum ingenium per suas notas, et proprietates facile cuique pateat.

Prima species confluentium malignarum.

§. 193. Ordior autem a pessima, perniciosissimaque omnium *malignarum confluentium* specie, quam diligentissimus scriptor MORTONUS vivis expressit (*a*) coloribus, prout suis ipse oculis eam vidit. In primo ejus stadio æger vix, quod ad pulsum spectat, febricitare videtur, dum interim in summo languore versatur; arteriarum micatus, ut ut celeres, sunt tamen debiles, et parvi; urinæ tenues, claræ, et aqueæ; lipothymiæ languorum, et hystericarum suffocationum instar sæpe recurrunt; dolor capitis, et lumborum atrox, acutus et plane spasmodicus torquet; sitis vero exigua est, et calor moderatus; nausea, vomitus, atque ægritudo præter consuetudinem fere nulla, quibus symptomatibus si addantur reliqua malignarum signa, uti fluxus ventris debilitans, vigiliæ pertinaces, tendinum subsultus, aut aliæ spasticæ affectiones, coma profundum, peticulæ,

aut maculæ purpureæ, aut nigræ in summa cuti, aut miliaria exanthemata pellucida, et veluti crystallina in collo et pectore, itemque largæ hæmorrhagiæ vires magis magisque prosternentes, nulla amplius fallax mitioris morbi in reliquis imago incautos decipiet.

(a) *Exercit.* 3. *cap. VII. p.* 59.

§. 194. Secundi stadii initium facit ipsa variolarum eruptio, quæ modo præmatura est, ut plerumque in confluentibus evenire supra jam dixi (§. 187), vel tardior, quam in discretis, aut confluentibus benignioribus. Sub ipsa autem pustularum eruptione, quæ minus certe conspicuæ sunt, mox universa cutis momento fere temporis rubore erysipelatode, atque altius penetrante suffunditur, atque intumescit. Qui rubor toto triduo, quo eruptio absolvitur, perstat assiduus, æqualis, atque immutabilis, si excipias faciem, et labia, in quibus tumor iste toto hujus stadii cursu magis magisque increscit, manifestiorque fit ad primum usque maturationis diem. At protinus ab incepta hujusmodi eruptione Natura, quæ jam languida erat, propemodum fatiscit, viribus penitus destituta, febris nullo modo remittit, sed persistit ut antea, aut etiam, quod sæpius incidit, ingravescit cum deliriis, vigiliis, hæmorrhagiis, aliisque terrificis symptomatibus, quæ omnia invalescunt ad fatalem usque diem; qui in hoc effreni, ac funestissimo genere non differtur ultra hujus stadii finem, aut, quod longissimum est, non ultra initium stadii sequentis, sive primum, vel alterum suppurationis diem. Tum vero ante appropinquantem interitum universa cutis, sed præsertim faciei, plumbeo, alboque colore fœdata pergamenæ chartæ speciem exhibet, visu horridam. Hæc porro pes-

Ejus alterum stadium.

Hæc species dici potest erysipelatodes.

sima variolarum species, quæ vix stilum indicato tempori superstitem (*a*) relinquit, rarissime observatur, et non inepte dici posset *erysipelatodes*.

(*a*) Morton. *l. c. p.* 79.

Species altera, sive prioris varietas.

§. 195. Quod in superiore modo (§§. 193. 194.) descripta specie toti, universæque cuti obvenit, hoc in altera, quam describere instituo, soli vultui contingit. In hac enim sola totius faciei cutis æquali, plano, et erysipelatoso tumore crassescit, atque attollitur, dum in artubus, et trunco corporis exanthemata variolosa sunt ferme discreta, colore tamen, magnitudine, et figura a discretis regularibus, et benignis non parum discrepantia. Colorem enim habent, qualem morbilli, sed minus vividum; figuram incertam, et magnitudinem multo minorem. Hinc primo eruptionis die a morbillis non distinguuntur variolæ istæ, nisi duritie quadam renitenti. Secundo, et tertio depressæ, et sessiles adhuc remanent, et vix, aut ne vix quidem acumen proferunt, nec in fastigium elevantur. Interim colore quasi livescunt, non secus ac in iis sanguis stagnaret, atque immotus consisteret. Primo demum suppurationis die faciei cutis albescere chartæ pergamenæ instar, ut in priore specie, consuevit, morte paullo post subsequente, æque ac in toto corpore variolæ confluxissent (*a*). Hæc species *morbillosa* dici posset; estque æque maligna ac superior, sed frequentior, et magis obvia. Hujus propemodum generis fuerunt variolæ *confluentes anomalæ ann.* 1670. 71. 72. quas Londini sævientes vidit Sydenhamius (*b*). Quia tamen discrimen aliquod inter hasce, atque illas Mortoni intercedit, idcirco harum quoque descriptionem adjiciam. Secundo vel tertio die se

Morbillosa.

primum exserebant *specie tumoris subrubri, atque uniformis, vultum omnem contegentis, erysipelate quidem tensioris, nullo fere visibili pustularum discrimine*. In reliquo corpore sparsim cernebantur quædam latiora spatia innumeris prope pustulis rubris, et acribus in unam coalescentibus conspersa, inter quæ in femoribus potissimum vesiculæ satis conspicuæ, iis quas ignis excitat, persimiles, sero limpido plenæ eminebant. His subinde disruptis, et sero copiose effuso, nigra et veluti sphacelo affecta caro subter apparebat. Quando dirum hocce spectaculum occurrebat; rarum enim erat, et tum solum obvium, cum ferocius epidemica constitutio debacchata est; non diu post ægri mortem obibant. Ceterum die undecimo subrubrum faciei tumorem hic illic primum excipiebat alba pellicula splendens, quæ mox toti vultui obducebatur. Ex hac alba pellicula brevi post materia quædam splendescens, in crustas desinens colore saturate rubro concreti sanguinis speciem referente, qui maturescente pustula ad nigrum magis in dies vergebat, donec tandem tota facies, quasi fuligine tincta, atra appareret. In hac pestilitate qui gravius, et ferocius ægrotabant, paucis ab eruptione diebus, ut dixi, interibant. Reliqui non undecimum diem, qui communiter confluentibus malignis extremus est, sed decimum plerumque quartum, aliquando etiam decimum septimum, nisi malo regimine mortem accelerassent, fatalem experiebantur. Quem si effugissent, res in tuto erat. Febris, et symptomata omnia, quæ vel præcedebant, vel comitabantur hanc luem, solito graviora erant, et manifestiora igneæ cujusdam, et causticæ conflagrationis indicia exhibebant. Major quoque solito erat ad ptyalismum proclivitas. Pustulæ vero mole longe minores,

sed ita ardentes efferatæque, ut *non facile, ubi primum apparebant, ab erysipelate quis eas discreverit, vel etiam a morbillis.* Crustis demum decidentibus succrescebant furfures diutius hærentes, fœdioraque stigmata cuti inusta relinquentes. Tempore eodem dysenteria epidemice urbem peragrabat. Ab hac interdum variolæ in primis regimine calidiore provocatæ stipabantur, quod notandum erat, ne quis credat proprium variolarum symptoma fuisse.

(a) MORTON. *l. c. p.* 80.
(b) *Oper. sect.* 3. *cap. VI. p.* 229.

Tertiæ species. §. 196. Quæ sequitur variolarum confluentium species, maligna item est, sed minus feralis. In hac variolæ confertim erumpunt, parvæ admodum, et quasi discretæ, sed ubique, non excepta facie, cohærentes, et sine ordine dispositæ. Hæ quoque, postquam eruperint, toto reliquo eruptionis stadio, nunquam acuminantur, sed cutim tantummodo, veluti urticarum ictus, exasperant. Initio vero tertii stadii, sive suppurationis albescunt et ipsæ, et sic confluunt, ut speciem albidæ cujusdam telæ, præsertim in facie, exhibeant. Hæ quamvis binis prioribus minus perniciosæ, utpote quæ facilius suppurant, atque exsiccantur, egent tamen ptyalismo protracto, urinæ copia, atque extremorum diutino tumore, ut in salutem terminentur. Sin vero ptyalismus, qui a prima mox eruptione incipere solet, justo citius sistatur, aut eum in suppuratione suppressum non suppleat uberior urina, aut alvi fluxus, aut sudor largus, atque universalis, aut harum evacuationum quodammodo vices gerat citus, et permanens extremorum artuum tumor; vix quisquam ad decimum quartum, aut decimum quintum morbi diem vitam *(a)* producit.

(a) *Idem ibid.*

§. 197. Quarto loco referam illam variolarum confluentium et malignarum speciem, quas *sanguineas* vocant. Sunt enim vesiculæ sanguine veluti plenæ, quæ modo livescunt, modo maculas lividas conjunctas habent, aut purpureas intervallis liberis interspersas. Tales vero vel jam ab ipso initio apparent, videlicet minuta tubercula atro sanguine plena repræsentantes, iis profecto simillima sugillationibus, quas cutis aliqua particula forcipe comprehensa, et vexata relinquit: vel tales processu tantum morbi evadunt, cum nempe variolæ confertim jam natæ, tertio vel quarto ab eruptione die, quo suppurare deberent, nequaquam tum suppuratum eunt, sed lividæ, et subcruentæ fiunt, maculis simul nigris, vibicibus, vel peticulis per totum corpus obortis; quæ nihil aliud esse videntur quam parvæ quædam gangrænulæ, pleræmque intra unum vel alterum diem sequuturam mortem significantes. Tunc temporis sæpissime sanguis sic diffluit, liquatur, et corrumpitur, ut ex ore, naribus, oculis, vel ex quocunque alio corporis meatu, renibus præsertim, vesica, uterove quam attenuatissimus prorumpat. Atque id quidem non solum in eo, quod dixi, suppurationis stadio, verum etiam in duobus prioribus quandoque (*a*) usuvenit. Variolas hasce *sauguineas* brevi livescentes cum mictu sanguinis copiosissimo semel vidit HAENIUS; quinto morbi die (*b*) jam lethales. Si quis eas *gangrænosas*, et *putridas* vocare malit, præsertim cum livent, et nigras phlyctænas imitantur, jure eum quidem facturum ego putaverim.

Quarta species; sive variolæ sanguineæ.

Sanguineæ dicuntur etiam gangrænosæ et putridæ.

(*a*) MEAD. *de Variol.* p. 28. & SYDENH. *Disser. epistol.* (*b*) *Febr. division.* p. 100.

§. 198. Putridæ certe, et malignæ fuerunt variolæ confluentes plerumque cum peticulis, inter-

Descriptio putridarum confluentium Halleri.

dum cum exanthematis miliaribus, immo etiam non numquam cum utrisque complicatæ, quas grassari vidit magnus HALLERUS anno 1735. *Jam pluribus annis*, ut ipse narrat (a), *quieverant variolæ, sparsim paucis molestæ, et benignæ. Annus 1736. tota parte priori humidus, pluvius, et adeo aquilonius fuit, ut tota æstate tonitru semel aut bis sit exauditum, raro certe hisce in terris exemplo, et aquarum eluviones passim factæ sint. -- Martio mense prodierunt variolæ discretæ, et, ut in nostra regione plerumque, benignæ. Auctus paullatim ægrotantium numerus, ei majo, junio, augusto mense plane insolitus fuit, et pauci omnino homines immunes manserunt, qui prius id tributum naturæ non dependerant. Septembri morbus languere cœpit, et paullatim cessit febri miliariæ. Æstivis mensibus variolæ confluentes frequentes fuerunt, neque raro erumpentibus supervenerunt maculæ nigræ, et in adultis ægris exanthemata miliaria. Plurima ergo funera elata sunt, et gravius ægrotantium pauci evaserunt, iique post longum demum tempus. Gravius, diutiusque* ii laborarunt, solique *maculis nigris infestati* fuerunt, *qui* medicamentis, et victu calidioribus *morbum corruperant. Erumpebant maculæ nigræ simul cum confluentibus variolis die morbi quarto, quintove, ab eruptione adeo secundo, tertioque, copiosæ, planæ, ad duas lineas latæ, ex cæruleo nigræ, sæpe atramento nigriores. Eas præcedebant acres dorsi dolores, pleuritica puncta, sanguinis sputum: excipiebant deliria, tussis ferox, et octavo die, nonoque subsidentia pustularum funesta. -- Aderat summa humorum alcalescentia, inde fœtor horridus tum pustularum, tum animæ ægrotorum.* Qua ratione vir summus a tam terribili malo suos ægros servaverit, dicemus postea, ubi de variolarum curatione sermo habebitur.

(a) *Opusc. patholog.* p. 112. *Lausan.* 1755.

§. 199. Confluentium quoque malignarum species interdum sunt *Crystallinæ*, sive *lymphaticæ*, itemque *siliquosæ*, de quibus supra (§. 183.) memoratum est. SAGARIUS in ferali illa Iglaviensi Variolarum epidemia, quam memoriæ scripto prodidit, *plures confluentes lymphaticas sibi adjacentes* interdum coivisse *in vesicas magnitudine nucis myristicæ*, *vel Jobis*. Has *siliquosas* alii vocant, ipse *bullatas*. *Raro* eas *lympha aquea pellucida*, *sed plerumque semiopaca candida*, *aut subopaca gilba*, *vel pulla* repleri *penitus* vidit, *aut quod sæpius contigit*, *flaccidas vacuas* invenit. Præterea testatur, se nunquam *bullatas istas* solas per se in ullo ægrotante reperisse, *sed inseminatas verrucosis*, *herpetosis*, *purulentis seorsim*, *vel omnibus simul* (*a*). Concedit tamen, stadia omnia in eis de more fuisse longiora, et in primis illud, quod dicunt, suppurationis, si hoc nomine tamen dignum est, cum nulla suppuratione terminetur. Ampullæ enim vel a lympha contenta exesæ, atque arrosæ, vel disruptæ morbo finem faciunt (*b*). Mirum sane est, quod nonnulli ex variolis lymphaticis una cum *suppuratoriis* decumbentes, qui *ignavi*, et sui quasi *incurii* jacebant sine febri, sine ullo faciei tumore, et sine ullo ferme ptyalismo, repente ex latente caussa occumbere interdum visi (*c*) sunt. Probabile est, id ex metastasi humoris variolosi introversi evenisse.

Sexta species sive confluentes crystallinæ.

(*a*) *Dissert. de Variol. Iglav.* p. 10.
(*b*) *Id. ib. p.* 18. (*c*) *Id. ib. p.* 21.

§. 200. Omnes autem memoratas hasce species (§. 193. ad 199.) post variolarum etiam eruptionem febris continua mali moris cum pulsu debili, et crebro, aut celeri, lingua arida, calore ad tactum non magno, deliriis, comate, pervigilio, subsultibus tendinum, aliisque id genus pernicio-

Harum specierum symptomata in secundo stadio.

sis symptomatibus per totum secundum stadium prosequitur: non enim post eruptionem, quod jam notavi (§. 194.), ipsa cessat, aut remittit, uti in benignis, aut mediam naturam (§. 183.) habentibus (*a*). In his æque ac in reliquis confluentibus niti solet Natura se ab varioloso veneno, assimilatisque per ipsum humoribus liberare vel ptyalismo, vel diarrhœa, vel sudoribus, vel urinæ profluvio: verum non semper suo fine potitur; nam sæpenumero in inutilem, ac crebrum mingendi conatum omne ejus studium resolvitur, subsequente demum Ischuria lethifera.

(*a*) MORTON. *l. c. p.* 81.

Quando sub benignarum species sumunt. §. 201. Quando vero variolarum benignarum (§§. 196. 197.) more invadunt, erumpuntque, quod interdum fit, et fallacem quodammodo speciem assumunt; abdita tamen earum malignitas manifestatur ab efferato alvi fluxu, sudore colliquante, deliriis, agrypnia, aliisque malignis symptomatibus, aut peticulis, vesiculisve miliaribus interstitia variolarum occupantibus, quæ, uti jam diximus (§. 180.) secundo saltem ab eruptione die in collo, pectore, brachiisque se exserunt.

Species septima.

Confluentes mediæ naturæ.

Species octava.

Præterea quemadmodum discretas variolas mediæ inter benignas, et malignas naturæ interdum existere (§. 182.) supra comprehensum est; sic confluentes ejusmodi quandoque sunt, ut medium inter benignas, et malignas locum teneant. In his eruptio non adeo cita, et prompta est, et natura ad secundum, aut tertium fere ab incepta eruptione diem dubio pene marte dimicare videtur. Interea febris in eodem quasi statu manet cum vigiliis, delirio, aliisque symptomatibus, quibus in primo jam stadio stipabatur. At post hujusmodi spatium, naturæ vi superante, febris intermittit, vel saltem cum omnibus symptoma-

tibus manifesto remittit; pulsus, calor, atque appetitus ad naturalem prope modum redeunt; verum cum variolosa materies non omnis secreta, atque expulsa sit, partim ex hac caussa, partim ex incipiente suppuratione pustularum in tertio stadio febris invalescit, resurgitque in continentis acutæ speciem, quæ tamen ultimo demum stadio in remittentem, et mitiorem commutatur. Quia vero in secundo stadio non universa variolosa materies ad cutim, ut animadversum supra est, propulsa est, atque adeo febris non omnino cessavit; idcirco recentia quotidie exanthemata variolosa hic illic erumpunt. Non enim in hac specie uno, eodemque die, ut in discretis, et benignis, pustulæ cunctæ una prodeunt, sed primo faciem et manus, secundo brachia, et truncum, demum crura et pedes pervadunt. Immo interdum, trunco corporis præterito, sola facies, atque artus variolis admodum sequentibus, et fere cohærentibus obruuntur. Aliquando etiam inter pustulas primum ortas aliæ atque aliæ recentes succrescunt, sic ut quæ primo die discretæ, et distinctæ cernebantur, tertio mox die confluant, aut cohæreant, magnitudine, et forma plane incertæ, et variæ, nec probe rotundæ, nec colore vividæ, ut regulares. Sequentibus porro diebus lentius etiam suas bases protendunt ægriusque acuminantur, quodammodo sessiles, et depressæ, rectique minus retinentes. Tertio autem eruptionis die, antequam recrudescat febris, supervenit ptyalismus sine ullo tamen, præsertim si æstas sit, exanthemate in faucibus, et tonsillis, aut ore, quod salivæ fluxum proritet: si contra hiems fuerit, cute nimirum frigore obstricta, minusque patula, exanthemata in illis partibus se quoque produnt, et frequentem expuitionem, et tussim (*a*) concitant.

Febris secundaria.

Ptyalismus.

(*a*) MORTON. *loc. cit.* p. 82.

Quandoque in benignas mutantur.

§. 202. Nonnunquam variolæ istæ (§. 201.), quas mediæ naturæ vocant, veneno per eruptionem expulso, vel certe multum minuto, sicque sanguine ab eodem repurgato, in benignas prorsus vertuntur. Tunc, licet ægrius eruperint, figuram exacte rotundam assequuntur, et rubro margine circum cinguntur; et quamquam primo ineuntis suppurationis dies earum complures hic illic ostendant in medio foveolas, tertio tamen, aut quarto assurgunt, et apicem extollunt. Quinto demum die jam pure repletæ flavescunt, et siccari incipiunt. Hinc æger sine ptyalismo, sine febre secundaria, sine extremorum tumore, alias pernecessario, feliciter (*a*) convalescit. At si imperfecta variolosi humoris expulsio contigerit, reliquum per glandulas salivales amandare natura tentat. Sed tum serius, segniusque ad maturitatem variolæ perveniunt; quo fit, ut maturationis stadium incertæ omnino durationis sit, et modo ad quatuor, sex, octo, duodecim, modo etiam ad plures dies extendatur. Quo in casu pustulæ in medio depressæ ubique apparent, neque earum margines rubent; quamquam deinde paullatim eleventur, et exturgescant. Remanent nihilominus albidæ, et quasi pellucidæ, quia non pure, sed aqua limpida, aut aere replentur. Denique debitam jam adeptæ magnitudinem pus aliquod conficiunt, atque ex eo flavescunt, justo tamen flaccidiores, et pleræque, in artubus speciatim, confluentes. Ut vero lentissime suppurationem subeunt, sic valde sero exarescunt, et cutim cicatricibus sæpe deturpatam relinquunt (*b*). Ceterum tanta est ptyalismi in confluentibus variolis præstantia, ut quandoque eo omnis variolosus humor excernatur, ægro interim et a febre, et ab alio quocumque malo symptomate libero.

(*a*) *Id. ib. p.* 104. (*b*) *Idem ibid.*

§. 203. In tertio stadio quæ confluentibus variolis malignis obveniant, jam supra magna ex parte comprehensum est. In primis animadvertendum duximus variolas, quæ in stadio secundo symptomata maligniora (§. 194.) sibi adsciscunt, et præ ceteris ob universalem cutis rubedinem erysipelatosæ dici possunt, initio tertii, primo videlicet, vel altero suppurationis die mortem (*a*) ut plurimum afferre, ruboremque illum eo tempore in albedinem late diffusam, et prope universalem, visu teterrimam permutari. Nunc addimus quædam de illis, quas *morbillosas* ob magnam sub initium cum morbillis similitudinem appellari posse (§. 195.) diximus. Hæ igitur, etsi in pectore, aliisque corporis partibus fere discretis æquales videantur, atque in medio albicent, tamen in *tertio* hocce *stadio* non ambiuntur circulo rubente, ut veræ discretæ, nec elevantur, nisi quam minimum, et interjecta cutis spatia tantum abest ut rubeant, quin potius livent, aut pallent. Hinc pustulæ sessiles, et depressæ manent. Cuticula vero, quæ in earum summitatibus secedere visa antea est, iterum aridæ squamæ instar cuti agglutinatur. Illud autem fere commune omnium confluentium malignarum est, quod ptyalismus, qui singulas in *secundo stadio* præsertim in adultis, comitabatur, in hoc *tertio* exiguus omnino est, et cito sine capitis, faucium, aut extremorum tumore cessat. Tunc succedit molesta, frequens, atque ut plurimum irrita mingendi cupiditas. Quod ubi incidit, æger raro miserrimo in hoc statu ad secundum, aut tertium hujusce stadii diem vitam (*) protrahit.

Quæ in tertio stadio morbillosis variolis accidant.

(*a*) *Id. ib. p.* 102.

(*) Micturitionem hanc universum ceu signum fatale plerique damnant. At LUDWIGIUS (*Instit. med. clinic.* §. 198.) monet, non semper eam metuen-

dam esse, *dummodo reliqua signa bona sint, in primis si urina non prorsus aquosa; sed quodammodo tincta sit, & partem materiæ morbosæ subducat*. Sed tunc micturitio irrita non est, qualem supra reprobavimus.

Quæ in quarto stadio eisdem obveniant, quando superantur.

§. 204. Si quis tamen fortunatior, quod quidem rarissimum est, tamdiu, variolis nunquam maturescentibus, morbum sustineat, ut in *quartum*, sive ultimum *stadium* ingrediatur, quod decem, aut duodecim diebus tunc absolvitur; is febricitat continenter, et vigiliis, delirio, lipothymiis, aliisque pravis symptomatibus, quæ antea jam eum premebant, divexari pergit; donec artis, naturæque auxiliis febris vincatur, die videlicet morbi fortasse decima septima, aut vigesima, sanitasque tandem redeat. At si hæmorrhagiæ, quæ plerumque antea supervenire solent, adhuc persistant, fieri non potest, quin citissima mors eum tollat. Alii quasi hectice confecti, et lente consumpti ad tricesimum usque diem trahuntur quidem, sed tandem sphacelo quarumdam partium fere inopinato (a) correpti decedunt. Reliqua, quæ ad *tertium et quartum* stadium in qualibet specie attinet, missa facio, utpote vel jam in singularum recensione satis supra indicata, vel non dissimilia ab iis, quæ in confluentium benignarum historiis (§. 189. ad 191.) exposita fuere. Hoc unum adjiciam scitu non inutile, in quibusdam epidemicis constitutionibus non modo frequentius genus unum variolarum, quam aliud observari, sed etiam interdum species omnes seorsum vagari; immo etiam sic commisceri, ut simul in eodem quandoque ægro cernantur, discretæ nimirum, cohærentes, verrucosæ, crystallinæ, siliquosæ, morbillosæ, erysipelatosæ, sanguineæ etc. quod SAGARIUS in epidemia Iglaviensi ann. 1776. se vidisse testatur.

Exceptio.

Reliquarum symptomata jam tradita supra.

Additio de quibusdam epidemicis.

(a) MORTON. *l. c. p.* 105.

SYMPTOMATA

Nonnulla notatu digniora, discretis et confluentibus variolis communia.

§. 205. In præcipuis, et gravioribus symptomatibus, quæ variolis superveniunt, numeratur *Phrenitis*, quam adesse dicimus, quando æger caloris impatiens e lecto magna vi prosilit, furit, delirat, et vix ab assidentibus contineri potest. Id in quocumque variolarum stadio accidere observatum est. Pro diverso autem tempore, quo symptoma istud accesserit, variæ etiam caussæ ejus accusari solent. In *apparatu*, aut in *eruptione* ipsa plerumque eam efficit plethora, nimius sanguinis fervor, concitatior ejusdem ex febri motus, inflammatoria diathesis, acritas variolosa cerebrum irritans: in *suppuratione* vehemens, atque ingens pustularum, præsertim cum multæ, et frequentes sint, inflammatio, dolor molestissimus, nervorum ataxia, pervigilium; aut puris regressus, et metastasis. Similibus ex caussis oritur nonnunquam *coma somnolentum*, aut *lethargus*, somnus scilicet altus, e quo difficulter, et vi tantummodo ægri excitantur, in eumdem mox relapsuri. Pluries jam adnotavimus, maculas rubras, aut purpureas, aut lividas, peticulasve variolis internasci, quæ modo primariæ sunt, atque adeo cum variolis conjunctæ, ac complicatæ, modo secundariæ, et variolarum effecta, sive symptomata videntur. Primum accidit potissimum, quando peticulæ epidemice grassantur, aut stationariæ sunt; tunc enim morbi quicunque intercurrentes, aut subsequentes, itemque variolæ, si simul ingruant, aut superveniant, cum morbo peticulari complicantur, aut aliquid ejus naturæ participant. Alterum vero evenit,

Phrenitis.

Ejus caussa.

Coma utrumque, et lethargus.

Peticulæ primariæ, et secundariæ.

quando variolæ cum ea sanguinis dyscrasia, quæ ad ecchymoses, vibices, suggillationes, peticulasque gignendas pronior est, copulantur, aut regimine calidiori, medicamentisque alexipharmacis perperam curantur, sic ut sanguis præter modum effervescat, et vehementer in minima cutis vasa impellatur. Quod de peticulis dicimus, intelligatur etiam de exanthematibus miliaribus, aliisque affinibus, quæ pariter cum variolis complicari possunt, aut iis, ut symptoma, supervenire. Sed illud sciri etiam debet, quandoque in summis variolarum apicibus, qui in medio sæpe subsidunt, sparsim exiguas maculas nigras acicularum capita non superantes apparere. Hæ quidem vel a necrotica variolosi humoris natura, vel a prava sanguinis diathesi, vel ab inepto regimine proficiscuntur, et pro parvis gangrænulis vere habendæ sunt. Quando a posteriore caussa gignuntur, regimine in opportunis, temperatiusque mutato, niger illarum color paullatim diluitur, deinde in fuscum vertitur, et demum in flavum, qui bonæ et benignæ maturationis proprius est.

Caussæ. Exanthemata miliaria. Variolarum apices nigri; sive eorum gangrænulæ unde?

§. 206. Nec rarum est, variolas difficulter, atque imperfecte prodire, aut jam natas repente concidere, deprimi, flaccescere, utroque, ut ajunt, verti. Huic autem malo occasionem porrigit vel languida nimis vitæ vis, vel incauta frigoris susceptio, vel præpostera sanguinis missio, catharsis, aliave quæcunque nimia evacuatio, vel positio corporis erecta diuturnior, vel longior extra lectum mora, vel animi defectio, vel subitus terror, vel tristis nuntius, similesque caussæ, quæ vitales vires minuere, aut dejicere aptæ sunt, vel vascula cutis coarctant, humoresque ad interiora repellunt. Quacunque ex caussa fiat, peri-

Difficilis eruptio, aut natarum depressio. Caussæ. Effecta.

culosa, immo lethalia inde symptomata oriuntur, retenta videlicet in interioribus sedibus, aut intro translata variolarum materia. In adultis ex hujusmodi metastasi (*) sæpe diarrhœa profluit, perniciem non raro afferens. Negari tamen haud licet, interdum variolarum eruptionem a vehementiori sanguinis motu, aut a nimia vasorum plenitudine retardari, et quodammodo intercipi, et præpediri; paratam vero in pustulis materiam a nimio calore sive aeris, sive tempestatis, sive cubiculi, sive lecti, sive regiminis sic attenuari, et dissolvi, ut facillime absorbeatur, atque ad interiora remeet; flaccidis, inanibusque relictis variolis.

Interdum a contraria caussa oritur.

(*) Pus resorptum, & ad cerebrum perductum phrenitidem, convulsiones, soporem; ad pulmones, suffocationem cum pulsu deficiente, aut intermittente tempore præsertim inspirationis; ad oculos, visus extinctionem, eorumque corruptionem procreat. SAGAR *de Variol. Inglaviens. p.* 20.

Ischuria vera, et spuria.

§. 207. Frequens quoque symptoma est in Variolis quibuscunque, sive discretis, sive confluentibus, urinæ suppressio, aut retentio dolorifica. Supprimitur enim vel quod in renibus ejus secretio deficit, vel secreta retinetur, quod vesica, cum in ipsam descenderit, eam excernere nequit, sive id vesicæ resolutione, sive sphincteris spasmo, sive tumore, aut inflammatione cervicis ejus, urethræ, adsitarumque partium, sive meatu, itinereve per mucosam, purulentamque urinam obstructo id fiat. Juvenes in primis in hujusmodi malum incidunt. Quovis item variolarum tempore supervenit quandoque *hæmaturia*, sive sanguinis mictus, qui plerumque summum vitæ periculum intentat. Ei præcipue obnoxii sunt adolescentes, aut in ætatis flore constituti, et vi-

Ejus caussa.

Sanguinis sputum. Hæmorrhagiæ. no, fermentatisque liquoribus infarcti. Hi quoque, sed rarius, sanguinem exspuunt, aut extussiunt. Aliis vero uteri, narium, intestinorum, et ceterarum partium hæmorrhagiæ superveniunt; quæ omnes sanguinis evacuationes, quando ab ejus nimia tenuitate, et dissolutione proficiscuntur, ut plerumque evenit, quasi semper propinquam mortem præmonstrant. Cavendum tamen est, ne catameniorum eruptio tam in primo stadio, quam in sequentibus continuo vel in non amplius menstruatis cum vulgo pro malo, perniciosoque signo habeatur; nam sæpe sine ulla noxa hujusmodi evacuatio modum non excedens supervenire (a) visa est.

(a) *Journal de Méd. Janvier.* 1782. *p.* 86.

Oculorum morbi. §. 208. Quandoque a Variolis non leviter oculi plectuntur. Modo variolosa materies lympham lacrymalem inficit, atque hinc dolent, rubent, ardent, et lacrymas fundunt; modo palpebræ, vicinæque partes ita intumescunt, ut oculi penitus claudantur. Sed hæc sane leviora videntur. Longe deterius est, si in ipso oculi bulbo variolosæ pustulæ malo fato germinent: nam tum ophthalmias, dolores, abscessus hypopya, staphylomata, leucomata, cicatrices, sæpe indelebiles inferunt, immo interdum sic totum bulbum corrumpunt, ut oculis ægri orbentur. Nec aures ab Aurium noxæ. iis immunes linquuntur. Si earum interiora materies variolarum obsederit, non desunt otalgiæ, inflammationes sive otites, apostemata, ulcera manantia, surditates, aliaque harum partium pertinacissima incommoda. Vomitus. Sed inter symptomata cuicunque variolarum generi communia non reticendus est vomitus, de quo pluries in earum descriptione mentio facta jam est. Is plerumque a sola febrili commotione in tenellis, sensibilio-

ribusque corporibus, aut a varioloso miasmate nervos paris vagi, ventriculique membranas irritante in primo stadio, sive in apparatu concitatur. Quando ex hac caussa pendet, simul ac extrorsum omne virus pustularum forma prodierit, protinus conquiescere consuevit. Interdum gastrica, aut biliosa saburra, ingestorum depravatio, aut vermes eum fovent. Tunc antecesserunt cacochyliæ caussæ; adest malus oris sapor, linguæ fœditas, ciborum fastidium; bilis, aut corrupti alii humores vomitu prodeunt; vermes aut et ipsi expelluntur, aut suis se signis produnt, uti narium pruritu, sternutamentis, fugacibus alternisque faciei ruboribus, pavoribus in somno, dentium stridore, ventris doloribus, et hujusmodi aliis symptomatibus. Non raro hisce omnibus adjungitur alvi fluxus fœtens, cinereus, viridis, flavus, vitellinus, variegatus. Quando hinc vomitus oriri videtur, facile patet, variolas cum gastrica, et verminosa cacochylia complicari, atque multa anomala, insolitaque symptomata sibi adsciscere, quæ nullo modo varioloso miasmati adscribi debent.

Caussæ

Signa cacochyliæ.

Alvi fluxus.

§. 209. Febres etiam intermittentes quandoque se variolis admiscent, et propriam, peculiaremque curationem exigunt; quod opportune, et recte animadvertit (a) MEADIUS. Interdum etiam tussis variolis adjungitur, plerumque uti epigenomenon. Nam earum nequaquam propria est. Ipsa vero vel in principio, vel in progressu, vel in fine accedit. In primo casu vel catarrhalis est, vel symptoma peripneumoniæ; in altero a pustulis laryngem, et fauces obsidentibus gignitur. In tertio demum a variolosa materie ad pulmones delata. Neque interdum sternutamenta absunt, quæ a pustulis nares internas lacessentibus potis-

Febris intermittentes

Tussis

simum excitantur. Illud vero rarum omnino esse arbitror, quod a MICHAELE SAGARIO (b) observatum lego. Is in variolis Iglaviensibus epidemice grassatis, quarum historiam typis evulgavit, sub finem tertii stadii, aut sub initium quartit supervenire vidit dolorem osteocopum omnium artuum, qui duodecim, aut ad summum viginti quatuor horas perdurabat. Infantes, quos in primis hoc symptoma infestavit, ejulabant, contremiscebant, clamitabant, jactabanturque irrequieti, et morosissimi toto eo tempore. Quo exacto evanescebat dolor, succedente artuum ædemate, quod faciei jam collapsæ tumorem excipiebat bono omine. At ubi dolor ultra memoratum tempus producebatur, certum erat proximi obitus indicium. Vidit quoque idem SAGARIUS nonnullis pus variolosum adeo causticæ, exedentisque naturæ fuisse, ut fauces, uvula, velum pendulum, palatum, maxillæ, naresque penitus destruerentur, ipsique dentes ex alveolis (c) exciderent. Atque hæc præcipua sunt symptomata, quorum, ubi se in variolis exhibent, peculiaris sane ratio habenda est, ut recte iis medeamur.

Dolor osteocopus.

(a) *Loc. cit. cap. IV.* (b) *Loc. cit. p. 19.*
(c) *Ibid. p. 20.*

§. 210. Postremo restat, ut quædam de symptomatibus ipsis admoneamus. Hæc enim non solum seorsum, et singillatim, ut supra, consideranda sunt, verum etiam conjunctim, et simul sumpta, quo peculiaris totius morbi natura, unde curationis ratio præsertim promovenda est, clarius, distinctiusque internoscatur. Quando enim hæc talia sunt, ut variolas a regulari, miti, benignoque ingenio deflectere ostendant, si probe pendantur, non unius, sed multiplicis generis ea esse deprehenduntur. Potissimum vero ad tria

Symptomatum tria genera.

summa genera redigi solent, nimirum vel ad inflammatoria, vel ad nervosa, sive maligna et typhodia, vel ad putrida. Primi generis symptomata plerumque notantur in iis, qui validis, durisque fibris donantur, et multo, densoque sanguine turgent, victuique lauto, atque opiparo dediti sunt. In his variolosa contages magnum, vehementemque motum febrilem suscitat, quocum pulsus velox, plenus, durus, tensus; respiratio calens et magna, et difficilis, vel parva, brevis et frequens; faciei, oculorumque rubor insuetus; calor ardens; sitis ingens; dolor capitis, dorsi, lumborum, atque artuum acutissimus; lingua sicca, et rubra; urinæ valde coloratæ; carotidum, et temporalium arteriarum incitatior, altiorque micatus junguntur. Hinc sæpe pulmonibus, cerebro, oculis, faucibus, aliisque partibus non leves impendent inflammationes. Sanguis, qui in his educitur, crassamento est firmo, compacto, valde cohærente, serosæ partis inope, crusta rubra, aut flava, aut rubro-albida, tenaci, phlogistica (*) obtectus (*a*).

Inflammatoria, nervosa, et putrida.

Symptomata primi generis.

(*) *Ex lingua alba, subsicca, tumidula, calente, papillis eminentibus* distincta contendit SAGARIUS prænosci posse crustam phlogisticam in sanguine educto apparituram. *Variol. Iglav. p. 46.*

(*a*) HUXHAM. *Essay sur la petit. Verol.*

§. 211. Contraria his (§. 210.) symptomata omnino sunt ea, quæ *nervosa*, sive *maligna*, et *typhodia* vocavimus, qualia nempe in febribus *lentis nervosis malignis*, sive typhis nervosis aliter dictis se exserunt. Siquidem æger, antequam variolis corripiatur, diu languet; et deinde iis correptus languere multo magis pergit; febris non magna est; pulsus debilis, parvus, celer, inæqualis; animus abjectus; color faciei pallidus;

Symptomata secundi generis.

aspectus teter, et tristis; urina aquea, et cruda; sitis exigua; calor mitis, et quandoque naturali minor; caput grave, ac facile vertigine affectum, cum tremore artuum, nausea, vomituritione, ægritudine, comate vigili, subdelirio, et lassitudine universali. In maligniori casu tanta est sensibilitatis, irritabilitatisque depressio, ut nulla ægritudo, nullus vomitus, nulla jactatio ægrum fatiget. Sæpe in hujusmodi statu, et stupore sex, septem, octo, vel novem dies transiguntur. Tandem exanthemata variolosa erumpunt, plerumque mali moris, pallida, cruda, depressa, umbilicata, difficulter prodeuntia; quæ nunquam, ut par esset, maturescunt. Plana enim, flaccida, ferme inania remanent, aut in vesicas, ampullasque humore crudo, aqueo, ichoroso plenas confluunt, donec sub finem, quæ faciem tenent, in crustam horridam, nigram, aut luridam cineream, et cadavericam, apprime adhæsam (a) desinunt.

(a) Huxham. *loc. cit.*

Symptomata tertii generis.

§. 212. Putrida demum symptomata adesse dicimus, cum sanguis ita in variolis liquescit, et dissolvitur, ut pene putrescere videatur. Tunc sane signa inflammatoriæ diatheseos (§. 210) absunt, eorumque loco cuncta phænomena putridam humorum tenuitatem, et facilem corruptionem præseferunt. *Nervosa* (§. 211.) vero vel omnino deficiunt; vel, si non desint, cum alcalescentiæ, dissolutæque sanguinis compagis symptomatibus conjunguntur. Fœtet vehementer oris halitus, fœtet sudor, urina fœtet; pulsus languent, et pressioni vel levissimæ se submittunt, molliterque subsiliunt; peticulæ, ecchymoses, vibices in cute apparent; hæmorrhagiæ effrenes corpus exhauriunt, vires prosternunt; pustulæ variolosæ nigricant, et gangrænosæ evadunt, est æpe, simul ac

effloruerunt, sanguineæ videntur, sanguinemque facile fundunt. Id maxime evenit, ubi variolæ exiguæ admodum sunt, et distinctæ cum signis tamen malignitatis, aut calidiori regimine præter modum urgentur, aut in scorbuticam dyscrasiam inciderint. Exempla supra (§. 197. et 198.) reperies. Caveto autem, ne has confundas cum aquosis, ichorosis, et crystallinis, siliquosisque (§. 199.), quas a vere putridis omnino secerni oportet. Differentiæ igitur istæ a symptomatibus indicatæ (§§. 210. 211. 212.) animadversionem summam merentur, ne in administrandis remediis turpiter (*a*) erremus, ut suo loco patebit.

(*a*) *Idem ibid.*

PROGNOSIS.

§. 213. At non satis ex Medico morbos per suas notas cognoscere, aptamque iis curationem adhibere; nam sæpe morbi, etsi perspecta sit eorum natura, quodcunque tamen artis conamen eludunt, atque aspernantur; aut contra ægri, ignoto licet Medicis morbo, vel naturæ solius, vel fortuita artis ope convalescunt. Quo fit, ut ex adverso, vel secundo morbi exitu de medici præstantia judicium ferri nequeat. Non desunt funera vel sapientioribus, nec imperitissimis interdum triumphi. Sed summa veri et sapientis medici laus in eo versatur; ut quid spei, aut discriminis morbus habeat, quo contendat, quem finem assecuturus sit, recte, prudenterque prævideat, ac præsagiat. Quod quidem nemini unquam licuerit, nisi peritissimo, exercitatissimoque artifici. In hac igitur Medicinæ parte eum excellere oportet, qui a vulgaribus, ignarisque medicis distingui velit. Itaque cum variolæ multipli-

Signa prognostica vel antecedentia sunt, vel comitantia.

cis generis sint, magnitudinemque periculi non unam habeant, neque exitum unum consequantur, rem non inutilem, neque supervacuam fecero, si quæcunque longa clinicorum observatione comperta habemus ad præsagiendum, in unum coacta, et digesta oculis cujusque subjiciam. Quia vero ex his alia, quæ futuræ variolæ sint, edocent; alia præsentium naturas, atque eventus ostendunt; idcirco ea in *antecedentia*, et in *comitantia* recte tribuuntur. De illis primum dicam, deinde de alteris.

§. 214. Quærendum primo est, qua æger valetudine ante usus sit; an bene habuerit, an bono corporis habitu præditus exstiterit, num commode, et tranquille vitam duxerit? Tum enim variola melioris notæ expectari licet, utpote quæ bonam, vel malam corporis humorumque temperiem plerumque sequuntur. Contra cacochymia, debilitas morbos toleratos subsequens, prava victus ratio, mœror, vini abusus, nimia cibi, carnium in primis, et rerum farinacearum voratio, tumores strumosi, scorbutica, venerea, herpetica, scabiosa, phthisica labes, complicatio vermium, aliorumque morborum de perniciosa variolarum natura suspicionem injiciunt. Suspicionem inquam; nam ex cachexia, scrophulari morbo, spina ventosa, aliisque mali habitus affectibus certo prædici nequit variolarum futura malignitas; quod in his interdum benignissimæ variolæ observatæ sunt. Hinc HAENIUS (*a*) recte conclusit, inquiens: *mala corporis prædispositio incerta admodum lege vel auget, vel non auget periculum morbi*. Attamen habitus corporis mediocriter pinguis (*), cutis mollis, et albida; color nitidus, facies læta, et serena; oculi hilares quidem, sed non nimis vividi, nec scintillantes be-

Signa quæ benignas pollicentur, et contra.

nignas ut plurimum variolas pollicentur: contra malignas, deterioresque corporis gracilitas, cutis arida, et dura, color fuscus, aspectus gravis, et tristis, oculorum languor, aut rubor, pilorum nigredo, vocis asperitas et raucitas. Hinc ætas variolis opportunior est trima, aut quadrima, aut quæ a quarto anno ad decimum quartum ad summum concluditur, quam nimis tenera, aut provectior, aut quod pejus est, senilis. Magni refert, genus a parentibus ducere, qui benignas variolas habuerint, non plethora laborare, nec corpus hæmorrhagiis exhaustum esse: nam his contraria variolas mali moris prænunciant, quamquam magnis prægressis evacuationibus variolas interdum benigniores supervenire viderit (*b*) Meadius. Nec meliores in mulieribus utero gerentibus, puerperis, et inordinate, ut difficulter menstruantibus, aut recens nuptis expectandæ sunt (*c*) (**). Multum etiam ad variolarum benignitatem confert constitutio temporum salubris, et morborum malignorum, aut putridorum non ferax; nam si prægressæ tempestates, uti sunt calidæ et humidæ, corpus impurum reddiderint; atque sanguinem ad corruptionem proclivem fecerint; aut jam morbi exanthematici, maligni, putridi, aut inflammatorii dominentur, tum fieri non potest, quin variolæ quoque aliquid de eorum malignitate, ac natura sibi arripiant.

Constitutiones calidæ, et humidæ, et morbi putridi, exanthematici dominantes malignas variolas reddunt.

(*a*) *Rat. contin. T. I. Cap. V.*

(*) Pueri valde pingues, atque obesi, variolis confluentibus correpti vehementer periclitari dicuntur a Cl. Varnierio (*Journ. de Medec. T. V. pag.* 352.) quod universa pinguedo in pus vertatur, citissimeque gangræna, & corruptio superveniat.

(*b*) *Loc. cit. cap. IV.*

(*c*) Rosen. *des Malad. des enfans p.* 130.

(**) Omnes utero gerentes, quas vidit Varnerius (*l. c.*) variolis correptæ abortum passæ sunt.

Sporadicæ benigniores epidemicis. Epidemicæ aliæ benignæ, malignæ aliæ.

215. Dispicere deinde oportet, variolæ ne sporadicæ, an epidemicæ vagentur? Illæ generatim sunt his benigniores. Si epidemice oberrent, in earum benignam, aut perniciosam indolem inquirendum est. Sunt enim quædam epidemicæ constitutiones valde benignæ, aliæ contra malignæ, et deteriores. Plerumque in tempestatibus salubribus mitius ingenium obtinent, præsertim si parum temporis ab ultima epidemica constitutione elapsum fuerit; malignius vero, si jamdiu variolæ siluerint. Initio epidemiæ, aut sub ejus finem variolis corripi præstat, quam in ejus augmento, et statu; tempore etiam verno, aut autumnali, quam æstate præfervida, aut hieme algenti (*); corpore puro, et ventre a sordibus vacuo, quam contra. Epidemicæ enim, sicut morbilli solent, Februario, et Martio mensibus caput efferunt, æstate ferociunt, autumno mitescunt. Hinc initio, et fine benigniores plerumque sunt. Discretæ plerumque vacant periculo, si rite curentur, et malignitatis expertes fuerint. Confluentes, cohærentes, et mixtæ periculi plus habent, in primis malignæ. In universum si signa adsint diatheseos inflammatoriæ (§. 210.), vires vigeant, et malignitatis notæ deficiant, ut vehemens morbus et periculosus sit, levari tamen, et mitigari plurimum eum posse congrua curandi ratione, sperandum est. Contra viribus languentibus, ut in variolis nervosa symptomata habentibus, sive malignis (§. 211.), aut in putridis, et ad corruptionem vergentibus (§. 212.) irritus cedit quicunque artis (*a*) conatus.

Mitiores initio, et fine.

Discretæ plerumque benignæ. Confluentes contra. Inflammatoriæ minus periculosæ malignis, et putridis.

(*) Ludwigius contra opinatur, variolas *æstate & hyeme ut plurimum benigniores* esse, *quam vere, & autumno* (1). Idcirco temporum & epidemiæ con-

(1) *Inst. med. Clinic. Patagr. CLXXXII.*

stitutionem inspicere oportet. Nihil enim tam perpetuum in Medicina est, ut aliter interdum non accidat.

(a) Storck *Instruz. med. pratic. P. I. p.* 278.

§. 216. Dum singularum historiam supra tradidimus, notasque cujusque generis proprias enumeravimus, subinde non prætermisimus eas quoque attingere, quæ mitiorem, aut graviorem morbi gradum, et prosperiorem, aut funestiorem eventum significant. Quare non est, cur ea omnia, quæ ad hunc locum spectarent, repetamus; cum quilibet illinc sibi ea comparare possit. Ibi quæ ex confluentibus perniciosiores sunt, nimirum *erysipelatosæ* (§§. 193. 194.), *morbillosæ* (§. 195.) *cohærentes* (§. 196.), *sanguineæ*, *gangrænosæ*, *et putridæ* (§§. 197. 198.), *crystallinæ*, sive *lymphaticæ*, et *siliquosæ* (§. 199.), et reliquæ, satis abundeque, ni fallor, eas explicavimus. Quod vero speciatim attinet ad *sanguineas*, hæ multo periculosiores *crystallinis* habentur; *verrucosæ* autem *crystallinis*, ubi vere malignæ sint: crystallinæ videlicet, quia nunquam suppurant. Scire tamen convenit, has interdum vel cutanea exspiratione evanescere, vel urinæ copia densiorem earum materiam excerni posse. Atqui *verrucosæ* majus periculum afferre dicuntur, quia nec suppuratione, nec aliis excretionibus solvi queunt. Hinc Rhases (*a*), et Meadius (*b*) mortiferas eas declarare non dubitarunt; quod tamen de malignis intelligendum puto.

Malignarum variæ species, et earum periculum.

(a) *De Variol. cap. VIII.* (b) *L. c. cap.* 3.

§. 217. His generatim præcognitis ad ea transeundum est, quæ speciatim in quolibet variolarum cujusque generis stadio præsagitionum adjuvant scientiam. In primo stadio rarum periculum

Prognostica cujusque stadii.

Primi stadii. perhibetur (*a*), nisi a dentitione, vermibus, aut aliis morbis conjunctis impendeat. In eo autem dolor capitis, et dorsi levis; calor mitis; sitis mo-
Signa salutaria. derata; pulsus æqualis, parum a naturali recedens; vires validæ; nullus, aut parvus vomitus; respiratio facilis, et lenis; somnus tranquillus, et reficiens; nulla ægritudo, aut jactatio; appetitus satis bonus, nulla in abdomine molestia mi-
Signa exitiosa. tissimas, benignissimasque variolas (§. 199.) præmonstrant (*b*), ut manifestum plane est. Quo longius ab hoc placidissimo genere discedit morbus, eo gravior. Hinc acuti capitis, et lumborum dolores; sitis ingens; sudores profusi; vomitus creber, et permolestus, jactatio, ægritudo, vigilia, aut sopor, pulsus vehemens, varius, aut quod deterius est, parvus, inæqualis, debilis cum virium prostratione; pedum, et manuum tremores, præsertim quando aut tanguntur, aut moventur; ventris tormina; nausea; ciborum fastidium; respiratio difficilis, anxia, anhelosa gravitatem, malignitatemque (*c*) patefaciunt. Sed maxime animum advertere debemus ad dolores, si qui sunt, in aliqua parte defixos, qui pleuriticum, colicum, ischiadicum, aliumve a variolarum symptomatibus alienum simulant. Nam hi, quod sæpe vidi, non modo variolarum eruptionem ad nonum interdum diem usque retardant, verum etiam malignissimas, et pene lethiferas va-
Inappetentia interdum innocua. riolas antecedunt. De ciborum vero fastidio, dummodo alia prava symptomata absint, non valde sollicitos nos esse oportet, nam pluries variolæ satis benignæ occurrunt, in quibus ad morbi usque finem sine ullo detrimento vix quidquam cibi præter potum, aut vini tantillum ab ægris ca-
Febris quomodo consideranda. pitur. Quod ad febrem attinet, cavendum est, ne prima accessionis species benignior decipiat: sed tota ejus ab exordio ad eruptionem usque pu-

stularum ratio et progressu (*d*) perpendenda est. Pro longiori, aut breviori primi stadii ex tensione benignior, aut malignior variolarum natura, Homio (*e*) asseverante, se habet. Sed id universim nequaquam verum est. In discreto potius genere monitum ejusmodi locum obtinet. Defectum vomitus, et jactationis, et quamdam quietis speciem cum Moriono supra (§. 193.) retulimus inter signa variolarum pessimi moris. Verum tum solum eventu hæc comprobantur, cum æger vim morbi non percipit ob summum naturæ languorem, et quasi attonitus jacet, comate oppressus cum pulsu debili, urina tenui, reliquisque pravis, malignisque signis ibidem (§§. 193. 194.) memoratis. Ceterum urina, quæ colorem habet vini canariensis, optimæ notæ (*f*) censetur, præsertim cum anæoremate, aut hypostasi lævi, alba, copiosa sine aliis malis signis. In hoc quoque stadio, aut initio sequentis interdum peticulæ, et maculæ purpureæ erumpunt, itemque sanguineus mictus, hæmoptisve accedit mala semper significatione, sed nonnunquam adeo exitiosa signa hæc sunt, ut ante eruptionem variolarum, aut ea vix apparente ægri (*g*) intereant. Id in primis evenit in variolis epidemicis anni 1681. in quibus maculæ purpureæ, antequam variolæ prodirent, apparebant, et præmaturam mortem (*h*) asserebant.

Brevius aut longius primum stadium quid indicat.

Quando vomitus, et jactationis defectus bonus, aut malus.

Urinæ significatio.

Exanthemata, quid?

(*a*) Schacht. *l. c. cap. XIII.* §. 8.
(*b*) Lobb. *de la petit. verol. Tom. I. Introd. p. XLIX.* Rosen. *Malad. des enfans p.* 130.
(*c*) *Idem l. c.* (*d*) Azzoguid. *l. c. p. XIV.*
(*e*) *Loc. cit.* (*f*) Lobb. *loc. cit.*
(*g*) Sydenh. *Diss. epist. p.* 404. (*h*) *Idem ibid.*

§. 218. In altero stadio pro symptomatum varietate varios quoque discriminis gradus habent (*a*) Variolæ. Pustularum eruptio præceps, præmatu-

Secundi stadii prava signa.

ra; nempe intra sexaginta horas conspicua, conferta, minuta, et copiosa, præsertim in facie reprobatur; itemque, si statim confluant, aut acriter pruriant, malæ habentur, et contra (*b*). Quo pauciores faciem impetunt, utplurimum eo mitiores esse (*c*) consueverunt. Si incipiente eruptione alvus laxetur, profluatque, malum (*d*), in primis in discretis, aut confluentibus adultorum: quamquam hoc minime perpetuum est. Interdum enim ejusmodi alvi fluxu gastrica, et biliosa cacochylia, quæ morbum graviorem redderet, utiliter subduci visa est. Quo magis pustulæ depriмuntur, et quo minus post eruptionem febris se remittit, eo gravius imminet periculum, et contra. Delirium, quod eruptionem subsequitur; terrere (*e*) debet, et multo magis phrenitis quarto post exclusas variolas die superveniens, quia perniciem ominatur. Nec delirio remittenti licet confidere, et spem inde alere, si eadem febris vis (*g*) perseveret. In hoc ipso stadio inflammatio faucium, difficilis deglutitio, respiratio frequens, anxia, intercisa interiores quoque partes variolosa materia occupari non sine periculo, significant (*h*), in primis si ore hiante, et naribus obstructis spirare æger cogatur. Contra nares, et fauces liberæ, et circa nasum paucæ pustulæ bonum præsagium (*i*) præbent.

Paucæ variolæ in facie, bonum.

Quando alvus laxa non damnanda.

Pustularum depressio, et febris continuatio mala.

Delirium post eruptionem pessimum.

Infida delirii remissio.

Præsagia ex faucium et narium statu.

(*a*) SCHACHT. *l. cit.* §. 21. (*b*) ROSEN. *l. c.*
(*c*) HOM. *l. c.* (*d*) ROSEN. *l. c.* (*e*) HOM. *l. c.*
(*f*) MEAD. *l. c. cap.* 3. (*g*) HOM. *loc. cit.*
(*h*) LOEB. *l. c. p. LIII.* (*i*) ROSEN. *l. c.*

Tertii stadii signa prognostica.

Suppuratio bona, aut mala.

§. 219. Tertii stadii prædictiones ex suppurationis ratione potissimum ducuntur. Optimum, et naturæ legibus consentaneum est suppurationem diebus septimo, octavo, nono, decimo, undecimoque in pustulis faciei; deinde in reliquis

partibus duodecimo, et decimotertio die fieri cum sensu doloris, aut cum magna sensibilitate in locis, ubi pustulæ sitæ sunt; bonumque indicium est, eas turgere, plenas humore tendi, reniti, dolere (*a*). Hinc eo major salutis spes affulget, quo variolæ ad suppurandum paratiores (*b*) existunt, quoque magis earum intervalla rubent, colore videlicet rosis Damascenis (*c*) simili. Contra si pustulæ, aut earum interstitia palleant, aut liveant, aut variolæ rugosæ sint, flaccidæ, et dolore vacuæ, aut in medio subsidant, aut nigricent, aut periculis ex atro purpureis stipentur, mortem in propinquo esse (*d*) scito. Pus vero album, viscidum, lente flavescens, vesiculas perfecte opplens bene auguratur; male fuscum, tenue, aut præmature flavum, aut nimis paucum. Palpebrarum tumor circa diem octavam, et capitis inflatio circa nonæ diei initium, atque ad undecimam usque protracta faustum eventum (*e*) promittit.

(*a*) Lobb. *loc. cit. p. XLIX.* Rosen. *loc. cit.*
(*b*) Mead. *loc. cit. cap.* 5.
(*c*) Sydenh. Morton. *loc. cit.*
(*d*) Hom. *l. c.* Rosen. *l. c.* Sagar. *l. c. p.* 20.
(*e*) Lobb. *loc. cit. p. L.*

§. 220. Facies quoque sua signa habet: hanc æqualiter tumere, ut oculi occludantur, aut vix ullo tumore affici, quod quidem in benignissimis variolis plerumque evenit, bonum. At copiosissimis pustulis obsitam esse, nec tamen inde intumescere, aut sola labia, et palpebras tantum inflari (*a*), malum. Quod si facile detumescente, aut ptyalismo cessante, quod die undecima ut plurimum contigit, non cito primum brachia, et manus, deinde crura, et pedes successive intumescant, pene mortiferum (*b*) est. Collapsus

Ex facie præsagia.

Signa ex ptyalismo.

variolarum, nisi ptyalismus, aut alia copiosior excretio opem ferat; itemque ptyalismi defectus in confluentibus adultorum augurium triste dabit; nam ptyalismus summopere necessarius atque utilis est non modo in confluentibus, sed etiam utilitate non caret in discretis, si his, ut interdum accidit, superveniat. Stridor quoque dentium in infantibus, et pueris cum dormientibus, tum vigilantibus, aut convulsio quæcunque alia huic stadio superveniens, jure (c) metuenda est. In variolis discretis dies plerumque fatalior esse solet octava; in confluentibus, ut alias diximus, undecima (d). Quod ingens vitæ periculum, die undecima futurum, omnemque fere medelam spernens multo prius prædici potest ex sola pustularum exiguitate, multitudine et frequentia. Siquidem in multitudine, aut paucitate exanthematum magna ex parte discrimen, aut spes salutis consistere sæpe (e) videtur. Salivæ fluxus ab ipsa eruptione exortus, huc usque perdurans, facilis, liquidus in confluentibus adultorum, aut in puerorum variolis nullus, aut parvus ut salutis spem facit, sic difficilis, viscidus, cito desinens, aut repente suppressui exitium (f) minatur. Sed maximum periculum est tam in discretis, quam in confluentibus variolis a febre suppuratoria. Hæc si vehemens est cum dolore capitis, virium defectu, oculorum rubore, anxietate, jactatione, delirio, pectoris oppressione, atque angustia mortem fere certam (g) intentat. Contra tutissimum est toto hocce stadio parvam, vel nullam febrem esse, somnum tranquillum, respirationem facilem, et (h) æqualem.

Ex stridore dentium.

Dies fatalior qualis?

Quid variolarum copia, aut paucitas?

Ptyalismi bonæ, aut malæ notæ.

Febris suppuratoria quid periculi habeat.

Ejus absentia cum tranquillo somno, et facili respiratione.

(a) ROSEN. *loc. cit.*
(b) SYDENH. MORTON. HOM., ROSEN. *l. c.*
(c) SAGAR. *loc. cit. p.* 55.
(d) SYDENH. *Dissert. epist. p.* 407.

(e) *Idem ibid. p. 404.*
(f) MORTON. ROSEN. SCHACHT. *l. c.* §. 29.
(g) SYDENH. ROSEN. *l. c.* SCHACT.
(h) ROSEN. *loc. cit. Bona respiratio*, inquit BAGLIVIUS, *in variolis est unum ex optimis signis, licet sint gravia cetera, ut centies observavi. De respirat. in acutis.*

§. 221. Ut in duobus primis stadiis, sic in tertio alvi fluxus, nisi in cacochylia gastrica fuerit, quod jam supra monitum est, plerumque ut noxius in discretis, et benignis (a) damnatur. In confluentibus vero puerorum non modo totum fere morbi cursum comitatur, ut suo loco notavimus, verum etiam utilis esse consuevit, subtrahendo aliquam exuberantis materiæ variolosæ portionem. Frigore suscepto si supprimatur ptyalismus, periculosum. Hoc ipso tempore dolorem osteocopum cum magna inquietudine interdum supervenientem, si viginti quatuor horas non excesserit, salutarem; ultra vero hunc terminum protensum, lethiferum jam supra (§. 209.) ex SAGARIO (b) pronunciavimus. Singultum quoque sub finem hujusce stadii, vel circa initium sequentis moveri, aut ulcera in ore, et faucibus nasci, haud vacat (c) periculo. Funesti quoque habentur horrores, aut rigores, qui in augmento morbi, aut sub ipsa febre secundaria ægros (d) corripiunt.

Tertii stadii præsagia.
Alvi fluxus.
Ptyalismi suppressio.
Dolor osteocopus.
Singultus, et ulcera oris, et faucium.

(a) LOBB. *l. c. p. I.* (b) *Loc. cit. pag.* 19.
(c) LOBB. *loc. cit. p. LIV.*
(d) HUXHAM. *de aere, & morb. epid. T. I. pag.* 37.

§. 222. Calor temperatus non modo in tertio, sed etiam in quarto stadio notis salutaribus adnumeratur. Alvus die duodecimo, aut decimo tertio moderate fluens, et laxata ita, ut vires non proterat, cum in variolis confluentibus, tum in

Quarti stadii præsagitiones. Calor.

Alvi solutio. discretis malignis plurimum morbo levando, solvendoque (*a*) confert. Contra nimius alvi fluxus

Tormina, dejectiones. Tumor epigastrii. Alvi adstrictio. Linguæ status. Sitis. Urina. Micturitio. Delirium. Convulsio. Carotidum vibratio. cum torminibus sine levamine; dejectiones pure, aut sanguine mixtæ; epigastrii tumor, et dolor gangrænam ventriculi, aut intestinorum indicans; aut alvi adstrictio pertinax, item lingua nigra, aphthosa, arida, siticulosa; humidi desiderium, et ejusdem avida suctio periculi magnitudinem, et quidem quam proximi ostendunt. Sed exitiosa fere sunt urinæ paucæ, raræ, pallidæ; inanis micturitio; delirium, convulsiones; et demum arteriarum carotidum, et temporalium micatus crebriores, patentioresque, dum in carpis languent, deficiuntque. His enim non modo phrenitis, verum mors ipsa indicatur.

Signa bona ex deglutione facili, lingua naturali &c. Salutem vero sperare licet, si deglutitio facilis sit, si lingua naturalem modum servet, si nullus interior dolor (*b*) discruciet; si pustularum exsiccatio eodem prope ordine, quem tenuit eruptio, procedat.

Exsiccatio pustularum. Pustularum vero exsiccatio vel nulla, vel tarda nimis, itemque repetita crustarum (*c*) repullulatio, non expers sane discriminis est:

(*a*) Lobb. *l. c. p. LI.* Rosen. *l. c.*
(*b*) *Idem ibid.* (*c*) *Idem ibid.*

Quædam aliæ observationes circa prognosim. §. 223. At supersunt quædam aliæ observationes generaliores, quas scire maxime expedit, ut præsagiorum doctrina cumulatior habeatur.

Peticulæ mictus cruentus, variolarum suppressio, febris secundaria. In universum peticulæ, et mictus cruentus, quocunque stadio accesserint, item suppressa ex toto variolarum eruptio, febrisque secundaria, quæ rationem multitudinis pustularum sequitur, sunt aditus præcipui, quibus ad interitum (*a*) ducitur.

Graviditas. Gravidæ mulieres, si variolis prehendantur, generatim non modo facile abortiunt, verum etiam, cum ob *febrem puerperalem*, quæ sæpe eas invadit, tum ob hæmorrhagiæ metum gravissime plerumque vi-

ta periclitantur. Hystericæ affectiones, spasmi, frigus horrificum, rigorve pessime (*b*) audiunt. Urinæ emissio, aut alvi dejectio inscio ægrotante; sudores profusi, aut viscidi et frigidi, aut ephidrosis, sive sudatiuncula tenuis, aut guttatim exstillans fere mortis prodromi (*c*) habentur. Tubercula, sive phymata rubra, crebro sub finem morbi exterius se produnt, membranamque adiposam occupare consueverunt. Si suppurationem subeant, citoque aperiantur, ut plurimum criticæ evacuationis vice funguntur; at non suppurantia, aut non opportune, et in tempore aperta alterutrum denotant, videlicet vel deficientis naturæ conatum, vel materiæ purulentæ (*d*) ad interiora regressum. His vero tuberculis frequentius obnoxii sunt illi, qui mictu cruento laborarunt, et ope acidi vitriolici, et vesicantium, ut animadvertit (*e*) MEADIUS, evaserunt. Sed hi in tumores etiam glandularum non suppurantes, et gangrænosa tonsillarum ulcera incidunt. Ex quo patet, virus variolosum nulla alia ratione tutius, meliusque e corpore efferri (*f*), excernique, quam suppurationis via, atque adjumento. Nonnullos SAGARIUS vidit, qui præter variolas suppurare solitas *crystallinis*, et *verrucosis* simul affecti erant. Hi suppurationis tempore sui quasi obliti, incurviique jacebant, donec inopinato quasi e vita excederent, quod supra (§. 199.) jam ex eodem retulimus. Mirabatur autem, eos neque tum febricitasse, neque unquam facie intumuisse, neque ullum ferme salivæ fluxum expertos fuisse.

Urina inscio ægro reddita.

Sudores.

Phymata.

Quinam phymatis magis obnoxii.

Tumores glandularum, & ulcera tonsillarum.

Observatio Sagarii.

(*a*) SYDENH. *l. c. p.* 413. (*b*) LOBB. *l. c. p. LIII.*
(*c*) *Idem p. LIV.* ROSEN. *loc. cit.*
(*d*) *Idem ibid.* SAGAR. *loc. cit. p.* 20.
(*e*) *Loc. c. cap.* 2. (*f*) *Loc. cit. p.* 21.

CURATIO.

Curatio in apparatu.

§. 224. Absoluta, ut potui, accuratissime variolarum historia, conquisitisque undique illustrium Medicorum observationibus, in quibus prolixitate, et copia maluimus, quam inopi brevitate peccare: nunc, qua ratione earum curatio instituenda sit, exponere aggrediar. Sed primum animadvertendum est, naturam ut in ceteris exanthematicis morbis, sic quoque in variolis summa ope niti, ut principium illud heterogeneum, quo ipsa instigatur, ad cutim (§. 4.) critice protrudat, seque exiguis phlegmonibus ibi inductis, atque in pus bonæ notæ conversis ab omni noxio humore liberet. Id autem etsi nonnunquam leni, et ferme insensibili motu moliatur, plerumque tamen febris cujusdam manifestæ concitatione ipsa consequitur: quæ *febris apparatus*, sive *contagii* (§. 167.) appellari solet. Hæc vero quodam gradu, et tempore eget, quo miasma variolosum præparari, extricari, et expelli queat, non secus ac in fermentationibus usuvenit, ut liquor fermentans heterogeneas, impuras, inutilesque substantias secernat, ac dimittat. At illud miasmatis variolosi proprium videtur, quod non modo quamdam fermentationis veluti speciem exsuscitet, verum etiam fermenti instar plus minus sanos humores in sui naturam transmutet, sibique assimilet. Hinc consequens plane est, ut, si naturæ motus iste neque excedat, neque deficiat, nullo unquam artis auxilio perturbari debeat; sed sini, donec suum opus perficiat, et compleat. Si vero aut torpeat nimis, et præter modum cunctetur inefficax, aut contra vehementius, quam oportet, concitetur, turbasque cieat; tunc eum prudenter, et caute sollicitari, aut cohiberi con-

Quid natura in variolis moliatur.

Qua ope?

Motu quodam simili fermentationi.

Miasma variolosum agit fermenti instar.

Motus naturæ quomodo regendi?

venat (*). Sed in primis quam diligentissime curandum est, ut, quoad fieri potest, minima humorum assimilatio a varioloso fermento præstetur; id quod in regimine potissimum diætetico rite instituto pene totum contineri, vix est hodie, qui ultro non fateatur. Maxima curæ pars in diætetico regimine.

(*) Hæc respondet optimis documentis, quæ SYDENHAMIUS de variolis regularibus ann. 1667. 68. 69. scribens (*Oper. sect. 2. cap. 2. p. 159. edit. Patav.*) nobis reliquit, ubi ait indicationes esse, *ut æquabilis ille tenor ebullitionis in sanguine conservetur, qui neque nimis propere separationem nimia sua vi perficiat, neque tamen torpido nimis motu eamdem remoretur, vel non satis idoneam præstet;* 2. *ut abscessuli, postulæve summa cura sustineantur, quo debita tempora percurrentes, tandem contentam in se materiam omnino avehant, ipsæque etiam evanescant.*

§. 225. Nihil enim magis conferre ad febrim præter modum augendam, humoresque sanos varioloso tabo assimilandos asseritur, quam lecti, et cubiculi nimius calor (*a*). Hoc scilicet sanguinis æstus, et fervor, qui in *Variolarum apparatu* motui, et fervori fermentationis valde affinis est, sic excandescit, intenditurque, ut cuncti prope humores, amissa priore blanda natura, novam, pravam, analogamque varioloso fermento qualitatem adipiscantur. Quapropter SYDENHAMIUS suadere passim non desinit, ægros non ante lectulo addicendos esse, quam tota variolarum eruptio in conspectum venerit; id est non ante sextum ab initio morbi diem, sive ab eruptione incepta tertium, aut quartum. Quin etiam post hosce terminos lecti calorem ita suspectum habet, ut ex eo vigilias, phrenitidem, aliaque periculosa symptomata derivare (*b*) non dubitet. Quamobrem continuo subjicit, ægrum post sex-

Damna caloris lecti, & cubiculi.

Quandiu extra lectum manere ægri debeant.

tam etiam diem extra lectum interdiu, quoad per vires licuerit, detinendum esse, præsertim cum pustularum frequentia, et copia tanta sit, ut fræno, et moderamine coerceri debeat. Tunc vero non amplius e lecto eximendum, cum acrior pustularum dolor, aut animi ad deficiendum propensio decubare, et quiescere eum cogat. Concedit tamen in variolis discretis benignis (c), itemque ubi sanguinis copia per venam sectam minuta est, minorem esse extra lectum manendi necessitatem; quandoquidem in his non adeo vehementer effervescit sanguis, neque tantus est memoratæ assimilationis timor. Excipit quoque casum, in quo ante variolarum eruptionem eclampsia, sive morbus comitialis accesserit; nam tunc lecto tradendum esse ægrum, et cardiacis medicamentis cum paregoricis junctis, in primis laudano liquido ad paucas guttas propinato, et cantharidibus nuchæ impositis variolas ad cutim alliciendas (d) jubet. Neque pariter eos e lecto eximendos existimat, qui *ægritudine vehementiori*, *intensiori febre*, *vomitu enormi*, *vertigine*, *artuum dolore*, *quasi rheumatismo* laborarunt, et *similibus contra indicantibus* afficiuntur. His enim, ubi maxime sanguinei, ætateque florentes sunt, quia lecto abstinere non possunt, opem ferre nitebatur sanguinis e brachio missione primum, et deinde aliquot post horis emetico; quibus sic eos relevari vidit, ut *quasi sani lectulo abesse* (e) possent.

Exceptiones quædam.

Quibus extra lectum manere non licet, quodnam aliud auxilium adhibendum.

(a) *Diss. epist. pag.* 406.
(b) *Ibid. pag.* 403. & *p.* 406. (c) *Ib. p.* 407.
(d) *Ib. p.* 415. & 420. (e) *Ib. p.* 422.

Noxæ calidi cubiculi, et aeris non renovati?

§. 226. Non modo assidua in lecto cubatio vitanda est, verum etiam cubiculi calor nimius, et diutina in eodem aere, non renovato, præser-

tim tempore æstivo, mora. Pernecessarium enim prædicat idem SYDENHAMIUS (*a*) aeris puri, et recentis accessum. Nec ab eo dissentit MEADIUS (*b*), ubi aeris puri, novi, et subfrigidi laudes; calidi vero, clausi, halitibusque infecti noxas commemorat, utpote qui respirationem anxiam, et difficilem reddit, febrim, et pustularum numerum adauget, unde inflammationes, et gangrænæ postremo insequuntur. Confirmantur hæc omnia a fidissimo SYDENHAMII sectatore, et clinico expertissimo ANTONIO HAENIO (*c*), qui non cessat summis celebrare laudibus crebram aeris renovationem, et diligentem lecti mutationem, stragulorumque, et cubiculi ventilationem. Nihil enim præstantius se nosse affirmat, et cum eo affirmant omnes fere nuperi scriptores, in primis ii, qui inoculationis utilitatem experti sunt, ad variolarum malignitatem cum præcavendam, tum inhibendam, quam longiorem extra lectum interdiu moram, lecti, indumentorumque munditiem, animi hilaritatem, oblectationem, jocos, musicos concentus, et præ ceteris lenem in aere libero (*d*) deambulationem. Deambulationis vero hujusce saluberrimos, indubiosque effectus a nemine satis mente concipi posse dicunt, nisi ab eo, qui ejus periculum (*e*) fecerit. Asseverant enim, languentes, anxios, immani æstu, et febri prope conflagrantes, statim ac in aerem apertum transferuntur, et manibus assistentium suffulti ad deambulandum leniter impelluntur, brevissimo temporis spatio recreari, alacres fieri, vires resumere, spiritum liberius ducere, exhilarari, et sensim sine ullius subsidio huc illuc vagari; febrimque quam plurimum defervescere, pulsu arteriarum citissime ad pacatiorem rhythmum (*f*) restituto.

Nihil utilius aeris aperti, & renovati usu, hilaritate, musica, deambulatione &c.

Effecta aeris aperti.

(*a*) L. c. p. 407. (*b*) De variol. cap. 3.

(*c*) *Rat. cont. T. I. cap. V.* §. 7. *n.* 4.
(*d*) *Id. ib. num.* 9. (*e*) STORCK. *Instruz. med. prat. T. I. p.* 371. (*f*) *Id. ib.*

Qua ratione aer recens tam bonos effectus præstet.

§. 227. Neque mirum cuiquam videatur, tot emolumenta a puriore, liberioreque aere permanare; quandoquidem nemini in hac physices, ac physiologiæ luce ignotum esse potest, puri aeris accessu non modo calentem, atque effluviis refertam ægrotantis atmosphæram, quæ respirationi non minus, quam exspirationi insensibili fere inepta reddita est, procul ab ejus corpore dispergi, calorem paullatim contemperari, et minui, pulmones facilius ad ducendum spiritum dilatari, et sanguinis fervorem, et quasi dixerim fermentationis speciem, qua ebullit, effervescitque, compesci: verum etiam utramque insensibilem exspirationem, cutaneam videlicet, et pulmonarem promoveri, extrorsum quodammodo allici, attrahique lege affinitatis, et chymicæ cujusdam solutionis, quam præstat aer purus, et recens, sicque variolosi miasmatis fortasse partem quod sane magni refert, insensibili exhalatione offerri, ac disperdi. Quæ omnia tanto in pretio habentur a magnis viris, ut inanem timorem eorum, qui ab aere libero, et aperto variolarum eruptionem impediri, aut earumdem retrocessum induci credunt, fidenter aspernentur, ac derideant, constanti, et diutina, ut ipsis videtur, experientia convicti, variolas in ejusmodi aere facilius, certius, tutius, ac magis regulariter (*a*) ad cutem prodire solitas esse. Si quis tamen objiciat, ab ejusmodi regimine interdum pustularum eruptionem retardari visam, quod negari omnino nequit, ex hoc minus periculi pendere asseverat SYDENHAMIUS, quam ex illa humorum depravatione, quæ regimen contrarium subsequitur, quæ-

Variolæ in aere aperto facilius prodeunt.

Si tamen interdum eruptio retardetur, non valde id nocet.

que in caussa est, ut die porro undecima ob innumeras variolas suppurationem subeuntes exorta vehementior febris ægrotantem occidat (*b*).

(*a*) STORCK. *l. c. p.* 272. 273. (*b*) *L. c. p.* 413.

§. 228. Cuncta igitur hæc, quæ de recta lecti, cubiculi, aerisque procuratione, et de aura liberiore captanda, ac de ambulationibus, aliisque animi oblectamentis interdiu, assidueque adhibendis ex magnorum virorum sententia, et præceptionibus hactenus (§. 225. ad §. 227.) exposuimus, semper præ oculis ita habenda sunt profecto, ut nunquam nobis e memoria excidant, utpote et rationi consona, et multorum firmata experimentis. Nolim tamen quis credat, hoc regiminis genus indiscriminatim, et sine ulla limitatione, et quovis anni tempore observandum esse, aut, quia universim in variolis insititiis, et artificialibus felicissime cedit, pari semper eventu in naturalibus, sive spontaneis esse cessurum. Non leve enim inter utrasque discrimen interecedere videtur, quo maxime fit, ut non eadem omnino regiminis, et curationis ratio semper eis accommodari queat. Namque exigua admodum puris variolosi, et quidem benignioris, meliorisque notæ particula ad insititias procreandas adhibetur; quod sane plurimum interest. Loco etiam tutissimo, atque a vitalibus, interioribusque sedibus valde dissito, quasi pedetentim contagiosum miasma inseritur. Corpus, quoad fieri potest, sanissimum, ætas magis propitia, anni tempus temperatissimum, vernum videlicet, aut autumnale ad inoculationem seliguntur. Quas ob res non solum febris, quæ a *contagio*, sive *apparatu* nomen habet, mitissima esse consuevit, verum vires etiam, appetitus, et reliquæ functiones modice læduntur, variolæ ut plurimum nu-

Præcepta tradita limitantur.

Discrimen inter variolas insititias, & naturales.

mero paucæ, discretæ, et benignæ erumpunt, ac demum placidissime cetera morbi stadia transiguntur. Non ideo mirandum nobis est, si in aere libero versari, et deambulare sine molestia, atque a lecto interdiu abstinere, et vigilare sine detrimento inoculati tum possint. Contra in variolis naturalibus major plerumque variolosi contagii vis corpus ingreditur, humores inficit, ac depravat. Ore, naribusque potissimum recipitur, atque adeo caput, cerebrum, pulmones, et ventriculus, viscera certe nobilissima præcipue afficiuntur. Hinc gravior functionum omnium labefactatio. Præterea omnes cujuscunque valetudinis, habitus, ætatis sine delectu morbo subjiciuntur. Quolibet item tempore, etiam minus salubri, uti æstivo, et fervido, aut hiemali, et perfrigido, aut ob alios perniciosos morbos grassantes, malignioremque aliquam epidemicam constitutionem inopportuno hujusmodi pestilitate corripiuntur. Quapropter et febris, quæ inde sequitur, sæpe vehementior, et graviora symptomata, et major virium defectio, ut ægri nec stare extra lectum, et multo minus incedere, et gradi sine animi deliquio possint, præsertim si malignæ, et confluentes variolæ futuræ, et pessima cum peticulis, aut exanthematis miliaribus complicatio, aliaque ejusmodi non raro faciunt, ut non modo naturales ab insititiis longe differentes, sed etiam aliam cum regiminis, tum curationis rationem exposcant.

Hinc curatio diversa.

Quæ diligenter attendi debeant, ut regimen rite instituatur.

§. 229. Qua et valetudinis statum, et ætatem, et anni tempus, et morborum vagantium constitutionem, et contagii quantitatem, magnitudinemque, et vitalem virtutem sedulo considerari, expendique oportet, et pro singulorum ratione quod magis conveniat, consilium capi. Tuto,

exempli caussa, quædam possunt æstate fieri, quæ hieme non sine periculo tentantur, commodeque id ferri a bene valente, aut juvene, aut viro robusto, quod imbecilum, aut infantem, aut tenerum feminæ corpus, ut scite admonet MEADIUS, everteret. Sed paullo distinctius rem, prout ego quidem sentio, proponam. In universum hiemale frigus accommodatis, cautisque præsidiis temperandum est, ne corrugata, contractaque cutis variolosæ materiæ appulsuræ enixe obnitatur; aut jam appulsam improvide repellat; itemque ne febrilis motus, quo natura utitur ad eam secernendam, excernendamque, ista sufflaminetur, supprimaturve, ut irritus, atque inanis fiat. Opportunum igitur quandoque erit aures præbere MORTONO, et MEADIO jubentibus, ægros primis ante eruptionem diebus lecto concredendos esse, ut leni tempore cutis universa laxetur. Quod etiam fieri expediet, ubi aut ætate, aut habitu, aut vitæ genere, aut morbo densata cutis nimium obriguerit. Nimius vero calor æstivis levibus indumentis, atque aura frigidiore, aut mora aliqua extra lectum temperetur; eademque providentia curabitur, ut ardentior febris, si modum excesserit, intra justos limites redigatur. Æque temerarium est tempore hiberno, aut tempestate algenti perfrigefacere ægrotantes, aut eorum languidam vitalitatem restinguere, (*) quam æstate eos præpostere torrere, et flammæ quasi oleum adjicere.

Quid hieme quid æstate præstet.

(*) Quæ scripsit C. LORRYUS in *Commentario* morborum, qui Parisiis anno 1777. regnarunt, adeo ad rem mihi facere videntur, ut me continere non possim, quin ea e Gallico in Latinum idioma versa huc transferam: *Omnino, mihi persuadeo, in re adeo gravi, uti est vita hominum, unumquemque eorum, qui nostram artem necessariis cognitionibus, ac debita probitate profitentur, serio veri studium sequi.*

Sed quis ab entusiasmo temperare possit! Timeo equidem, ne aliquid ejus irrepserit in variolarum curationem. Antiqui præter modum cardiacis, & alexipharmacis institerunt. Non laborabo, ut refellam systema jure jam proscriptum. BALLONIUS, FERNELIUS, *&* SANCTUSMARTIUS *ipse, quin esset medicus, in suo pœmate de* PÆDROTROPHIA, *declamarunt contra hujusmodi abusum, & disseruerunt de vena vel in media variolarum eruptione incidenda. Proxime elapso sæculo* SYDENHAMIUS, *regulas sancivit certissimas, quibus medeamur variolis.* FREINDIUS, *&* MEADIUS, *qui antiquissimam medendi rationem a* RHASI *commendatam restituerunt, itemque* HELVETIUS, SIDOBRIUS, *&* HEQUETUS *ostenderunt, quanti facienda sit aeris frigidi introductio, lecti, & vestimentorum mundities, ususque potionum refrigerantium in morbo hoc, qui in omnibus suis stadiis vere inflammatorius est. Verum ab aliquo jam tempore nonne medici abusi sunt hisce dogmatibus, ægros exponendo frigori immoderato glacialis atmosphæræ; & nonne possibili ad interiora variolarum repulsioni anteposuerunt falsam cutis præservandæ sedulitatem, & persuasionem? Tumor faciei, & manuum nonne postulat certum teporem, & harum partium dispositionem quamdam ad evaporationem, blandumque sudorem? Exspiratio ista, quæ certe in atmosphæra glaciali vix obtineri potest, impedita, per lentas, & pravas successiones nonne modo ad pectus, modo ad articulos, modo ad oculos transfertur? In convalescentibus, tempore nimirum, quo tota humorum massa purificari consuevit, nonne regimen diutissime tam quod ad diætam, quam ad atmosphæram summam in autumno variationem observandum esset? Sed &c.* Histor. de la Societ. Royal. de Medicin. T. II. p. 11.

Media via tenenda.

Calor auctus quando prosit.

§. 230. Media igitur via tutissimus ibis, videlicet si neque calores, neque vestimentis ægros suffocaveris, neque frigore aut nuditate sic afflixeris, ut cutanea vasa prope occludantur, aut necessarii naturæ motus penitus intercidant. Vidi multoties algida tempestate tardam, cunctantem-

que variolarum eruptionem, pustulasque fessiles, aut umbilicatas, ægre se attollentes, quas feliciter explicavit, erexitque lecti, cubiculi calor moderate, prudenterque auctus. Nec caruit semper periculo, vel in ipsa æstate, aeris accessus, temere, aut improvide admissus, præsertim cum variolæ suppurarent, aut accrescerent. Metastases ex hac sola caussa in discreto etiam, et benigno genere, celeriter lethiferas interdum demirati sumus. Funesta ejusmodi exempla nullibi frequentius videre est, quam in plebejorum filiis, quibus res domi angustior est. Hi ut plurimum in conclavibus minus spatiosis quidem, sed male ab externis injuriis defensis, et fere undique aeri, vento, et frigori perviis degunt, vixque habent, quo se in lectulis contegant, aut in atriis, apertis, aut ante domunculas sub dio versantur, aut huic illuc per publicas vias circumferuntur. Proh quantam stragem in his edunt variolæ! Itaque, quando, et quantum præcepta supra exposita usum habeant, quando deserendus lectus sit, quando cubiculum ventilandum, quando in aerem apertum prodire liceat, prudentissimi, et sagacissimi Medici omnino est decernere. Generatim lecti, et cubiculi calor modum non excedat, potiusque ad frigidiusculum inclinet, præsertim quando æstas est, aut febris vehementius exardet, et pustulæ multæ, et quasi furentes prorumpunt. Tumque si nimia siccitas calori aeris juncta sit, magno quoque usui erit cubiculi pavimentum aqua frigida aspergere, et vegetabilia virentia in eodem collocare, quæ putrida et phlogistica effluvia absorbere sicque aerem purificare dicuntur. In aere vero liberiore et puro admittendo, quoniam cubiculum ab impuris, phlogisticis, putribusque halitibus repurgari subinde convenit, temperamentum aliquod adhibendum est, ne subitum fri-

Quando aeris liberi accessus noceat.

Cautiones, & præcepta utiliora.

gus, aut ventus, humiditas exspirationi adversa irrumpat, et variolas emicare vetet, aut jam præsentes reprimat. HAENIUS ipse, si quis alius aeris renovandi, et refrigerandi laudator amplissimus; summa cautione opus esse fatetur. Vult enim, ut dum ventilandum cubiculum est, æger in proximum aliud bene clausum se recipiat, quo tutius fenestræ, et valvæ aperiri possint; quin ipse aer frigoris inclementia, aut novi aeris afflatu offendatur. Addit etiam, grabatum, quo cubare solet, ita locandum esse, ut fenestra, aut janua aperta ad aeris renovationem, eum nequaquam directe (*a*) feriat.

Haenii monita.

(*a*) *Rat. contin. T. I. Cap. V. §. VII. n. 4.*

Victus ratio qualis. In lactentibus.

§. 231. Diætetices vero (§. 224.) cum pars non infima sit ipsa victus ratio, de hac quoque aliquid dicere oportet, ut quænam variolis opportunior existimetur, facile cognoscatur. Infantibus adhuc lactentibus non alio alimenti genere opus est, quam consueta lactis functione. Ad summum si vehementer sitiant, et caleant, ne nimia se lactis copia repleant, concedi iis potest aquæ potus frustulo panis triticei tosti infuso temperatæ, aut ex hordeo, aut oryza, aut gramine decoctæ, aut etiam purissimæ, qua non solum sitis extinguatur, verum humores etiam omnes diluantur, et refrigerentur. Nutricibus vero imperandum est, ut a vino, a nimio carnium usu, a pinguibus, acribus, salitis, aromaticis, aliisque calefacientibus abstineant, et cibis vescantur blandis magnam partem vegetabilibus non valde jurulentis, ovis recentibus, piscibus, fluviatilibus tenerioris texturæ; et potui plurimo, temperatissimo, et diluenti indulgeant. Præ primis autem animi tranquillitati, hilaritatique, quoad possunt, impense dare operam debent.

In nutricibus.

§. 232. Pueris vero, adolescentibus, atque adultioribus, si tamen cibum appetant, (nam interdum ab eo summopere abhorrent, ut nihil per aliquot dies sumant) alimenta dentur tenuissima, humectantia, et, ut vulgo vocantur, refrigerantia; cujusmodi sunt cremores hordei, aut oryzæ liquidiores, decoctum panis albi, fructus dulces, vel subacidi, uti pruna, cerasa, fraga, pyria, poma præsertim cocta, et saccharo condita, et similia, quibus etiam alvus blande leniter, quod primis potissimum diebus maxime conducit. Quod si ab his quoque abhorreant, aliquid identidem juris tenuioris ex ranis, aut ex pulli, vitulique carnibus largiri sine ulla noxa licebit. Novi quosdam omne alimenti genus sine ullo detrimento ad perfectam usque variolarum inclinationem respuisse præter quædam panis frustula vino dilutiori intincta, et subinde vorata, quod in primis usui esse potest in summa nausea, et vomituritione perpetua, viriumque languore magno. Ceterum potui opportuna sunt aqua cum succo mali medici, citrei, aut aurantii, pauco edulcata saccharo; decocta pomorum; emulsa tenuiora ex amygdalis dulcibus, aut seminibus melonum; serum lactis defœcatissimum, atque alia hujusmodi, æstate naturaliter frigida, hieme vero tepentia, aut certe egelida.

In pueris, juvenibus, adultisque.

§. 233. Quod ad diæteticum regimen, hactenus satis. Reliquum curationis, quod ex fonte chirurgico, et pharmaceutico, promi solet, ordinatim modo persequar, singula, quæ cuique variolarum stadio, generi, et symptomatibus administrari debeant, diligentissime, ut par est, enumerans, atque ad æquam lancem expendens. Itaque in primo variolarum stadio si mitissimus morbus sit, ut in benignissimo, et discreto genere (§. 169.

Curatio chirurgica, et pharmaceutica in primo variolarum stadio

In mitissimo genere nihil morandum. et seq.) est, ubi nimirum vel nulla, vel exigua febris cum eo conjungitur, vel ejusmodi ea est, ut pulsus moderatus, atque æqualis, calor mitis, respiratio facilis, et lenis, caput liberum, mens integra, et reliqua symptomata pacatiora non modo plænam variolosæ materiæ separationem, verum etiam pustularum debito tempore suppurationem, exsiccationemque sperandam esse significent, totum negotium Naturæ relinqui oportet, et solo diætetico regimine, blandisque diluentibus eidem recte operanti succurrere satis est. Ad summum si alvus adstrictior fuerit, enemate aliquo emollienti laxari poterit, ut a sordibus, quæ retentæ molestiam parerent, intestina mature liberentur.

Naturæ quomodo obsecundandum.

Quando sanguis mitti debeat. §. 234. Verum si æger plethoricus vere sit, febris vehementior, pulsus magnus, plenus, et durus, aut ob vasorum plenitudinem nimiam obscurus, et suppressus, calor ingens, cutis arida, respiratio anxia, facies rubra, capitis dolor acerbus, aut ejus stupor insolitus, aut sopor comatosus, aut delirium, et cetera respondeant, ut in morbo inflammatorio (§. 210.), et præterea constitutio aeris, morborumque antecedens, et comitans diathesim inflammatoriam ostenderit, tunc sanguinis missio necessaria est. Juvenibus, adultis, atque ætate floventibus non raro evenit, ut ob febris vehementiam, symptomatumque continuationem bis, vel ter (*) detrahi sanguis debeat. Id autem in quovis alio etiam morbi stadio fieri licet, si quod grave symptoma sanguinis missionem indicat, et vires eam ferre (*a*) possint. Neque timendum est, dummodo debita virium ratio habeatur, ne per sanguinis detractionem futura variolarum eruptio impediatur; nam vasorum nimia plenitudine ablata, aut laxata sanguinis compage, a quibus interdum eru-

ptio retardatur, plerumque facilior redditur variolosæ materiæ separatio, atque ad cutim expulsio; immo multa mala, quæ procedente morbo supervenirent, uti phrenitis, convulsiones, peripneumoniæ, sic provide avertuntur. Infantibus tenerrimis raro accidit ut sanguinis missione egeant. Si quando tamen plethora, convulsiones, aut alia symptomata, præsertim inflammatoria in his quoque eam postulent, nec ex venis jugularibus, aut brachii, aut manuum sanguis educi potuit, hirudines temporibus, vel pone aures applicitæ venæsectionem quodammodo supplent. Non vero sine consideratione, atque examine pro uno, vel altero signo indicante phlebotomiam, protinus ad eam properandum est, nisi constans, et vehemens persistat, aut ejus generis sit, quod nullum dubitandi locum de sanguine mittendo relinquat. Interdum enim omitti hæc potest, aut differri sine ullo noxæ metu, immo febris, calor, anxietas, delirium sæpe visa sunt solo medicamentorum diluentium, attenuantiumque antiphlogisticorum, atque aeris puri, et liberi usu, et indumentorum imminutione (*b*) mitigari.

Infantes raro egent sanguinis missione.

Quomodo omitti S. M. possit

(*) Non possum hic prætermittere animadversionem in Cl. ARCIBALDUM PITCARNIUM, qui inter *opuscula medica* cap. de Variolis (Vid. *Ejus elem. Medicin. Physic. Mathem. Edit. Venet. ann.* 1773. p. 174.) non timet in primo stadio variolarum *febricitantibus* jubere *sanguinem mitti, quamdiu febricitant; & si variolæ eruperint, adhuc mitti, donec febris cessaverit*. Nemo enim non videt, quantum ejusmodi præceptum universim, & absolute traditum a vera, rectaque medendi ratione abducere possit. Caveant igitur a sanguinis missione instituenda, aut iteranda, nisi vera indicantia præsto sint, & quidem urgeant; neque ea abutantur quousque febris cesset, nam prius æger vitam amittet, quam febris desinet. Neque adeo formidanda febris est, si intra mediocritatis limites consistat, quia

ejus ope, ut supra ostensum est, natura variolosam materiem ad cutim propellit, seque ab eadem provide liberat. Quam ob rem non facile etiam SIDOBRIO parendum est, qui in primo itidem stadio sanguinis missionem sine limitatione ulla commendat, eamque iterandam bis, ter, quater, quinquies, immo sexies, & octies pro symptomatum ingruentium ratione, viriumque & ætatis modo præcipit. *De variol.* §. 28. Namque rarissime tanta sanguinis profusio ferri potest, aut vix unquam necessaria est. Sapienter & recte de sanguinis missione in variolis sic scripsit TISSOTIUS: *in miti morbo inutilis; in mitissimo, aut maligno noxia; in gravi repetenda* initio, donec ex pulsu, laxitate cutis, & remissione symptomatum phlogosim imminutam noscas. *Ep. v. arg. p.* 38.

(*a*) MEAD. *l. c. cap.* 3. (*b*) STORCK. *l. c. p.* 271.

Diluentia antiphlogistica. §. 235. Post sanguinis missionem, ubi ea opus fuerit, si febris, et symptomata inflammatoria nihilominus perseverant, antiphlogisticis remediis utendum est, speciatim potu diluente, attenuante, et compescente, uti decocto hordei, cui nitrum, oxymel, aut subacidi vegetabilium succi additi sint; donec febris, et symptomata remittant (*a*); nec alienum est interdum in summo

Acida mineralia. humorum fervore, et præter modum furente cordis, atque arteriarum irritabilitate, potui aliquid spiritus vitrioli, aut nitri adjicere ad gratam aciditatem. Animadversum quandoque est, vires quæ a principio validiores, concitatioresque apparuerant, sub horum remediorum adhibitione, vel etiam sponte, illico, et repente corruere, vix suf-

Quando cardiaca substituenda sunt. fecturas reliquo morbi cursui; tunc omissis refrigerantibus, et compescentibus, mox ad excitantia et leniter cardiaca confugere oportet; hisque tamdiu insistere, donec vires satis erectæ admoneant, deserenda ea esse. Dum hæc aguntur, negligi haud debent præcepta, quæ supra de mora extra lectum, et de aeris liberioris usura tra-

sita (*b*) fuerunt. Neque aliter in quovis alio stadio, si hujusmodi virium lapsus incidat, se gerere debet Medicus.

(*a*) STORCK: *l. c. p.* 270. (*b*) *Id. ib. pag.* 279. 280.

§. 236. Misso, aut omisso, prout res poposcerit, sanguine; præscriptisque opportunis secundum indicationes internis medicamentis; decernendum remanet, utrum purgari ægrum expediat: Si ex antecedenti victus ratione, aut ex signis bilis, aut pituitæ in primis viis exuberantis, quæ pluries alibi, sed speciatim capite de *Febre gastrica acuta* (*Vol. II* §. 373.) retulimus, conjici possit, ventriculum, aut intestina sordibus crudis, corruptis, biliosis, aut mucosis scatere, nemo dubitat, quin eæ vel vomitu, vel alvi ductione, prout facilius, promptius, opportuniusque videbitur (*Vol. II.* §§. 391. 392.) expellendæ (*a*) sint. Interdum constitutio ipsa epidemica, ad quam semper attente respiciendum est, aut miasmatis variolosi in ventriculum ingressi copia, et molesta ibidem retentio, quæ sola nauseas, et vomituritiones pene inanes ciere apta est, expostulant, ut vomitu aliquanto validiori primæ viæ excutiantur, quemadmodum utilissime nonnunquam factum esse perhibent Clinicorum quam plurimi; et speciatim in illa constitutione epidemica, quam supra ex HALLERO (§. 198.) memoravimus. Vomitum enim adjuvit vir clarissimus emeticis sic, ut *octies ad minimum larga emesis sequeretur*; observaverat enim *quoties vomitus*, qui *fere perpetuum symptoma* erat, supprimeretur, funestiorem eventum subsequutum fuisse (*b*). Quod si emetica aliunde vetita aut suspecta videantur, tutissimum tunc plane est, saburram gastricam miti aliquo eccoprotico, uti manna; syrupo, ejusdem, vel cichorei cum Rha-

Ubi purgare opportunum sit.

Quando Emesis, quando catharsis magis conveniat.

barbaro, aut florum persici, aut sale quodam medio leniter dejicere, aut clysteribus, qui innocui fere sunt, evocare. Leniter, inquam; nam omnis immodica ventris turbatio vitari hic debet. Sed sive emesis, sive catharsis in usum veniat, alterutra semper ante variolarum apparitionem (c) tentanda plane est (*). Ab utraque tamen temperandum est, si vomituritio, nausea, et dolor cardialgicus, aut colicus non a saburra gastrica, nec a verminosa affectione, cujus signa supra (§. 208.) tetigimus, nec a contagiosi miasmatis copia ventriculum ingressi et vellicantis, sed a sola febrili commotione, aut a nervosa ataxia (§ 208.) ut in tenellis, sensibilioribusque corporibus ut plurimum evenit, nasci cognoscantur. Tunc enim hæc symptomata, simul ac omne miasma extrorsum eruperit, conquiescere, ac sedari sponte solent. Cavere etiam ab emeticis, catharticisque oportet, si, levioris licet, ventriculi, aut intestinorum inflammationis indicia aliqua se prabeant. Patent enim omnia, quæ irritationem inferunt, vitanda esse, lenissimisque tantum medicamentis, quæ temperent, demulceant, diluant, et molliant, tam intrinsecus, quam extrinsecus esse utendum. Quoniam vero cum primarum viarum sordibus, præsertim in pueris, vermes etiam non raro complicantur, solo alvum laxantibus aliquod anthelminticum, uti semen santonici, corallinam maritimam, aut aliud ejusmodi adjicere, quo illi deturbentur facilius.

Quando ab utraque abstinendum.

(a) *Id. ib. p.* 270.
(b) *Opusc. pathol. cit. p.* 114. 115. MEAD. *loc. cit. cap.* 5.
(*) Si in variolis benignis, inquit TISSOTIUS, tetra symptomata ex cacochylia accedant, jam initio morbi purgandum est cremore Tartari, & tamarin-

dis, & sic deinceps, donec omnia illa ex hac caussa genita evanescant. *Epist. var. argum. p.* 50. in morosis, & difficulter purgantia sumentibus potest exigua tartari emetici dosis potui addi, non ut vomitum excitet, sed ut alvum moveat. Id bene cedit. *Id. l. c. p.* 51. Tentanda purgatio est etiam morbo provecto, si cacochyliæ signa adsint. *Id. ib.* Signa autem cacochyliæ ab eodem (*pag.* 50.) recensentur 1. cephalalgia, aut sopor supra vim febris; 2. fœtor, fastidium cibi, & nausea post etiam eruptionem superstites; 3. febris post eruptionem in benignis adhuc permanens cum anxietate; 4. fæcum fœtor, & sæpe diarrhœa fœtida sine depressione pustularum; 5. delirium; 6. lotium crudum, turbidum; & venter tumidus.

§. 237. At quando vires in hoc ipso *apparatus* stadio valde languent, et nervosum systema in primis afficitur, uti in febre lenta nervosa, sive maligna cum symptomatibus alibi (§. 211.) descriptis accidit; aut sanguis ad liquescendum, putrescendumque præcipiti prope passu contendit (§. 212.) uti in quibusdam *Variolis discretis malignis*, speciatim earum, quæ cum peticulis, exanthematibus miliaribus, maculisque nigris, aut lividis complicantur (§. 178.) vel uti in illis *confluentibus malignis* (§§. 192. ad 199.) quæ cito in universalem fere gangrænam terminantur, fieri consuevit; profecto alia est opus curandi ratione. Primo casu regimen quidem temperatum esse debet, sed tale, ut nequaquam febrilem motum nimis infringat, neque vim vitæ, et nervorum magis magisque dejiciat, nec demum exanthemata tam peticularia, quam miliaria introrsum repellat. Quare paullo plus lecto æger indulgeat, atque indumentis se contegat aliquanto gravioribus, neque se aeri liberiori, et frigido temere committat, cautiusque in lecto permutando, aut ventilando cubiculo se gerat. Intrinsecus vero ei dentur quæ quidem diluunt,

Quæ curatio in hoc stadio malignis, & putridis.

Cautelæ circa regimen.

Diluentia cum excitantibus.

sed una moderate excitant, et motum cordis, atque arteriarum leniter sollicitant. Potui igitur aptissima erunt diluta florum Sambuci, Tiliæ, summitatum Cardui Benedicti, aut foliorum Scordii, vel decocta radicum Scorzoneræ, et graminis, vel hordei, adjecto vini tantillo, vel serum lactis vini ope paratum. Præterea si validius adhuc torpens natura movenda est, prudenter et caute aliquid cardiaci, et alexipharmaci subinde intermiscere haud erit alienum (*). Eo respicit alimenti genus paullo generosius, uti jura carnium, et vitelli ovorum, acido succo mali citrei correcta, atque animata. In altero autem casu, si tamen, primo jam stadio ineunte, signa dissolutionis putridæ se prodant, aut in eam pronior constitutio epidemica se ostenderit, mature contra pugnandum est antisepticis proprie dictis, uti acidis validioribus, camphora, cortice peruviano, aliisque, de quibus jam toties memoratum est, non neglecta interim cubiculi, et lecti ventilatione et mora, si fieri potest, aliqua extra lectum in aere puro, aperto, et subfrigido. In neutro vero horum casuum sanguinis missio locum habet; quia vires illico exsolvit, putredinem accelerat, et mortem.

Cardiaca moderata.

Alimenta.

Antiseptica.

Aeris renovatio, & mora extra lectum.

(*) Hic ad rem maxime facit Mortoni locus; qui ejus *exercitatione tertia de Febrib. inflammator. cap. VII. p.65.* reperitur. Ibi sic inquit ipse: *Sicuti enim a multis stragulis impositis, & medicamentis calidioribus perperam, atque sine necessitate ministratis spiritus in fluorem nimium, & motus efferatos adacti* (sit venia ætiologiæ) *non possunt non dissipari; ita a frigore nimio, & ambientis aeris injuriis coacti, & obruti nequeunt prorsus se se satis expandere, atque robore nativo hostem adoriri. Quo nomine nunquam hactenus in sententiam clarissimi, doctissimique nostri* Sydenhamii *deduci potui, qui frigidum regimen in variolarum curatione (cujuscumque fuerint generis) ubique, idque indiscrimina-*

tim adhibendam acriter contendit, & spiritu vitrioli, decocto albo, syrupo de meconio, ceterisque id genus infrigidantibus, & aere ipso cubiculi frigido utramque curationis paginam adimplet; adeo autem ab usu alexipharmacorum abhorret, ut ægre admodum vel tantillum aquæ epidemicæ, theriacæ, pulveris e chelis cancrorum compositi, vel quidem liquoris possetici floribus calendulæ, & rasura cornu cervi alterati (ut ut pestilentialis, vel deleterius fuerit morbi genius) concedendum opinatur. Et paucis verbis interjectis, quæ, ut brevior sermo fiat, omitto, sic prosequitur: *Cum hic morbus funestissimus animadvertitur, spiritus prorsus a veneno delentur, ac superantur, unde calori vegeti defectus magis, quam excessus ex vibratione arteriarum debili, & irregulari, atque pallido urinæ colore se se palam prodit. Ecquis autem frigidum regimen in curatione jam adhibendum duxerit? Præterea ipse auctor cl. sæpe sæpius agnoscit variolas confluentes non nunquam pestis ipsius virulentiam æquare, vel quidem superare. Quis autem huc usque pestis curationem frigido regimine absolvit, vel tentando aggressus est? Quod ad historias curationum hoc pacto feliciter absolutarum a clarissimo Auctore relatas attinet, nullus dubito, quin ubi spiritus nimio calore præsertim exterius prius adhibito, diu, & perperam attriti, & dissipati fuerint, ad ægrotantem a lecto derepente exsuscitatum, vel saltem ab onere stragulorum liberatum, aliquid refrigerii, & emolumenti accesserit, unde spiritus temperie mitti postliminio quadantenus reducere potiti, magis strenue, & feliciter hostem adoriri potuerint; vel in benigno morbo ubi spiritus venenum longe superarint, injurias hujusce regiminis absque damno quovis insigni tolerarint. Inde autem regimen frigidum a primordiis ipsis morbi consulto, ac perpetuo, vel ubi ex apyrexia præsenti, & pulsu debili constet, a veneno spiritus plane prostratos esse, institui debere pernego. Siquidem Variolas sæpissime vidi confluentes, & maxime funestas, ubi ne minima guttula, vel granum medicamenti cujuscumque alexipharmaci, vel regimen quovis modo calidum durante apparatu, vel eruptione adhibitum fuisset, & non alia de*

caussa funestas, & mali moris evasisse vehementer suspicatus sum, quam quod durante apparatu, scilicet priusquam spiritus necrosi afficerentur, eorum vires hujusmodi remediis non satis tempestive exsuscitatæ fuerunt, quod multo magis accidit, ubi regimine frigido coactæ deprimantur. In qua sententia eo magis persisto, quia (quod ceteros Professores latere haud autumo) centies forsan nemini ægrotantes regimine nimis frigido prius utentes, atque inde in proximis morbi stadiis, vigiliis, deliriis, fluxu alvi enormi, frequentibus deliquiis, madore colliquativo, aliisque funestissimis symptomatibus male mulctatos, & petechiis, atque exanthematibus ubique depressis, & aridis, carbone quasi nigro notatos, ope alexipharmacorum cum opiati conjunctorum, & vesicatoriorum assidua, ab ipsis orci faucibus aliquando derepente, aliquando sensim ereptos. Cui observationi fidem faciunt historiæ aliquot huc spectantes, e multis aliis selectæ, quas in calce hujus tractatus haud pigebit graphice, & sincere depingere; (sunt autem 19, 21, 22, 25, 27, 29, 31, 47, 48, 49, 50) *non tamen in istis historiis intelligi volo variolas intensissime malignas, quarum venenum ad summum gradum exaltatum est. Est enim ubi venenum a primo insultu, sive postea a quodam infausto accidente adeo prosternit, & quasi sphacelo afficit, ut compage humorum soluta mors hæmorrhagia effræni, & maculis nigris in cuticula sparsis denunciata præ foribus adest, quam neque alexipharmaca, nec alia quæcunque artis subsidia (confitente ipso clariss. Auctore) unquam averruncare valeant. Sileo jam infaustum, ne dicam funestum hujusce frigidi regiminis eventum, quem non tantum ejus asseclæ, & fautores, sed etiam vir ipse doctissimus* NON SINE OPPROBRIO SUO *nonnunquam expertus est, quam ob caussam in postremis vitæ annis (ut mihi narratum est) disciplinæ hujus rigorem ipse quadantenus relaxavit. Liceat igitur mihi veritatis ergo, renitenti licet animo, a magni Sydenhamii sententia de regimine in hoc morbo discedere. Regimen igitur moderate calidum ita ordinetur, ut calor quam proxime ad ipsam spirituum temperiem accedat, & æqualem tenorem servet. Quam primum*

igitur morbo isto corripitur æger, lectum petat, ibidemque decumbat stragulis solitis ab aeris in uriis munitus; haud tamen nimiis opprimatur. A curis, timore, ceterisque animi pathematibus, quantum fieri possit, immunem se servet, neque colloquiis quorumcunque interpelletur, verum somnum, aut saltem quietem quocunque modo captet. Aer cubiculi tempestate hiemali luculento foco accenso temperetur, fervente autem æstate in lecto, ut in ergastulo æger minime incarceretur. In reliquis regiminis partibus omnia manu adeo æquabili ordinentur, ut spiritus in efferatos motus minime adigantur, vel dissipentur, aut nimium coacti in hoste adoriendo deficiant. Hactenus MORTONUS, & quidem ratione experientiaque confisus. MORTONI sententiam non modo MEADIUS, atque HUXHAMIUS, ambo angli, ab omnique partium studio alieni amplexi deinde, tuitique sunt, verum etiam SYDENHAMII æqualis, idemque celebratissimus Londini Regius Medicus GEDEON HARVEJUS, acer ille errorum medicorum censor, castigatorque ante jam approbaverat, a quo peculiarem historiam, ut regiminis Sydenhamiani nocumenta patefiant, mutuabimur, infraque opportunius subnectemus.

§. 238. Cum vero quædam exsistant hujusce stadii veluti propria symptomata, horum præcipuis quæ peculiaris medicatio præstanda sit, nunc singillatim explicabo. Dolori capitis assiduo, atque acuto, si urgeat, nec quidquam aliis administratis auxiliis cesserit, levando plurimum valent balnea tepida, aut moderate calida pedum, mane, et vesperi ad semihoram saltem iteranda; intervallis vero reliquis pasta fermenti panis calens, et mollis, aut pulpa caricarum pinguium plantis pedum admota. Hæc nonnulli continuanda esse volunt (*a*) ad eruptionis usque initium tantummodo. Sed HAENIUS revellendi caussa, dolore capitis etiam non urgente, artus superiores, inferioresque in calidam demitti quotidie saltem

Dolori capitis levando balnea pedum.

Cataplasmata ad plantas pedum.

Balnea artuum superiorum & inferiorum.

semihoræ spatio non modo in primo stadio, verum etiam toto reliquo morbo ad finem usque jubebat, magna sibi inde emolumenta promittens præter illud, quod a mora extra lectum tali occasione ægri percipiunt. Absorpto enim per cutis venam, meatusque lymphaticos aqueo humore diluitur egregie, et temperatur universus sanguineus latex, a capite, et facie revellitur morbi vis, atque ab interioribus ad exteriora (*b*) avocatur, ut copiosiores ut plurimum ad partes balneo laxatas et fotas variolæ exortæ (*) declarare videntur.

Emolumenta.

(*a*) STORCK. *l.c. p.* 270,
(*b*) *Rat. continuat. T. I. cap. V.* §. 7. *n.* 5.
(*) De balneorum hujusmodi tam particularium, quam universalium utilitate, usuque in variolis nondum plane convenit inter medicorum primores. Video in primis Cl. LUDWIGIUM (*De Topic. medicam. usu in Variol. vid. advers. Med. Pract. Vol. I. P.* 3. *pag.* 473.) multis rationibus pugnare, ut demonstret, balnea, pediluvia, & fomentationes tam in variolarum apparatu, quam in ipsa eruptione imminente esse vel supervacua, vel etiam ad eruptionem adjuvandam inepta; atque experientia comperisse, minori variolarum numero eas partes corripi, quas balneum fovit, quam reliquas, & contra earum eruptionem aere sicco, & frigido felicius, sæpiusque promoveri. Multo vero apertius balneorum, fomentationumque usum a clarissimo Neapolitano Medico reprobatum (*De sedib. variolarum*) jam pridem scimus, fidenter tradente, variolarum eruptionem humiditate impediri, siccitate adjuvari. Hisce autem balneorum, fomentationumque vituperatoribus longe major se se opponit numerus laudatorum. In primis in *expositione morborum, qui frequentiores fuerunt Edimburgi anno* 1773. (*Essay de medec, Vol.* 3.) lego compluribus ex balneo calido pedum semel aut bis in die adhibito usque ad absolutam variolarum eruptionem non modo caput mirifice levatum esse, verum etiam copiosiorem variolarum numerum ad crura, pedesque prolectum. Quod eo pluris faciendum, quo non opinione, sed experientia magis in-

nititur . HAENIUS non modo memorat NICOLAUM FLORENTINUM , ASTATIUM Papiensem , PETRUM FORESTUM , SYDENHAMIUM , BOERHAAVIUM , aliosque locupletissimos testes , qui balneis hujusmodi eruptionem variolarum promoverunt , verum etiam propriam experientiam adducit , qua pluries se didicisse ait , copiosiores utplurimum variolas balneo ad brachia , & crura provocari ; quamquam non diffiteatur , interdum id nequaquam contigisse . Nullus vero æquus rerum æstimator ex eo , quod balnea quandoque effectu caruerint , temere unquam concludet , uti supervacua , aut inepta , contra multo plura salubrium effectuum exempla , esse ableganda . Ad HAENII partes omnino nuper accessit Cl. AZZOGUIDIUS (*Lettera sopra il Vajuolo p. XXIV.*) qui præterea animadvertit , universum quandoque corpus balneo immergi debere , eoque fieri , ut mirifice præsertim in pueris variolarum eruptio succedat . Addit demum , multis abhinc annis a BOUVARDO hanc methodum commendatam fuisse , eamque diu quasi oblivioni traditam , a SENACIO , aliisque tandem medicis in lucem e tenebris quodammodo revocatam jure esse . Verum jam apud RHASEN , AVICENNAM & DIOSCORIDEM vaporum , fotuumque humidorum in variolis curandis adhibitorum mentionem factam esse , ex FREINDII testimonio refert OCTAVIUS NERUCCIUS , qui anno 1748. epistol. *de balneo tepido* ad variolarum curationem vernacula lingua conscriptum evulgavit . In hac tam suis , quam aliorum periclitationibus ostendit summam balnei universalis ad semihoram singulis diebus a principio ad finem morbi usque instituti utilitatem in curandis variolis , FISCHERI præsertim usus auctoritate , & consilio , qui anno 1721. in comitatu Argæ Oppidi in Hungaria superiore siti balnea istiusmodi vidit prosperrimo eventu universim adhibita , & deinde annis 1727. 1728. sua in regione eadem ipsemet ad Variolas epidemicas non minus feliciter adhibuit . Ipse autem simul ac infantes , pueros , aut adolescentes febri correptos cernebat , eos mox in balneum aquæ simplicis moderate calidæ demittebat , idque bis in die , mane nimirum , & vesperi hora quarta pomeridiana iterabat , balnei usum qua-

vis vice ad horam cum dimidia plerumque producens. Altero ut plurimum die, raro quarto erumpebant variolæ quasi uno impetu per totum corpus; cito turgebant, ad debitam magnitudinem perductæ, & quinto, sexto, & rarissime post septimum diem disrumpebantur; & tunc non ex aqua, sed ex sero lactis, aut ex lacte duabus tertiis partibus aquæ diluto balneum administrabat, quo non secus ac priore uti pergebat ad perfectam exsiccationem, quæ fere nono, aut duodecimo die contingebat. Rem confirmavit iteratis experimentis ex nostratibus pariter MORANDUS MORANDIUS (*Della cura del Vajuolo. Ancona* 1753. *p.* 52. §. 13.) in pessimis malignisque variolis epidemicis ann. 1737. & 1741. in quibus, cum quamcunque aliam curandi rationem inefficacem deprehendisset, balneo tepido a principio ad finem usque ad FISCHERI mentem usus felicissime est. Balnei quoque tepidi, aut moderate calidi utilitatem tam ad variolarum eruptionem adjuvandam, quam ad suppurationem leniter promovendam expertus est in Gallia Cl. MARTEAU, ut ex quinque historiis anno 1768. in *Diarii Medici T.* 28. *pag.* 314. editis elucescit. Immo ejus usum cum CLIFTONO ad febrem secundariam mitigandam commendare non dubitavit. His unum, ut multos alios prætermittam, celeberrimum TISSOTIUM adjiciam, qui in variolarum curatione nedum pediluvia, vaporemque aquæ tepidæ toto corpore exceptum, verum balneum etiam universale (*Epist. var. argum.* p. 39. *& seqq.*) tam revellendi a capite, quam extrorsum avocandi consilio approbavit. Quibus de caussis satis evinci videtur, quotiescunque aut in caput humores vehementius feruntur, aut lente, & tarde ob vires vitæ languidas variolæ erumpunt, aut arida, & densa cutis eruptioni renititur, aut pustulæ ob frigus susceptum, aut subitum terrorem, aut imminutam cordis, arteriarumque vim propellentem repente deprimuntur, & concidunt, pedum, manuum, immo totius quoque corporis balnea tepida, aut certe non valde calida non modo opportuna fore, verum etiam necessaria.

§. 239. Neque huic stadio aliena interdum est

phrenitis (§. 205.) quæ si cum plethoræ signis, calore ingenti, auctaque virium vitalium actione (§. 234.) copuletur, sic ut a nimia sanguinis copia, ejusque concitatiore motu pendere videatur, præter phlebotomiam, temperantia, diluentia, antiphlogistica, exposcit etiam balnea pedum tepida modo (§. 238.) laudata. Si vero his furor non conquieverit, caputque ob nimium calorem quasi effervescere, atque æstuare pergat, capillorum sectionem nonnulli proponunt, quæ plurimum levaminis quandoque attulisse (*a*) narratur. Similibus quoque ex caussis *coma vigil*, aut *somnolentum* (§. 205.) nonnunquam exoritur: quod ubi incidit, eadem prope curatio opportuna est, sed tum post quodvis pedum balneum cataplasmata, quæ plantis ad revellendum, excitandumque admoventur, sinapios pulvere, aut aceto scillitico acui debent. Immo si prævideantur variolæ confluentes futuræ, non solum lecti calor diligentius vitandus est, verum etiam vesicatorium nuchæ apponendum (*b*).

Phreniti-di eadem prope curatio convenit.

Capillorum sectio utilis.

Comatosi affectus non aliter curandi.

Sinapismi.

(*a*) Morandius *della cura del Vajuolo p.* 45.
(*b*) Sydenh. *Diss. Epist. p.* 421.

§. 240. De eclampsia, sive epilepticis insultibus, uti symptomate hujus stadii, eruptionem interdum præcedente, supra (§. 169.) loquuti sumus. Plerumque hoc symptomatis genus cito evanescit, subsequente paullo post variolarum benignarum, et discretarum eruptione, sic ut vix ullo medicamento egeat, nisi diutius trahatur, aut ex alia caussa, quam a varioloso contagio dependeat. Attamen Sydenhamius, quo facilius nervorum systema ab irritante varioloso principio liberetur, author est, ut (*a*) continuo æger lectulo tradatur; quandoquidem variolæ, quæ subsequi solent, quia discretæ, et benignæ utplurimum

Epilepticis insultibus quomodo occurrendum.

Cardiaca.

Paregorica.

sunt, lecti calorem innoxie ferunt; et epispasticum nuchæ, sive occipiti applicetur, deturque ei intrinsecus aliquod cardiacum, paregoricumque remedium, quo non solum nervosa sensibilitas minuatur, verum etiam variolarum imminens eruptio adjuvetur. Ipse autem trienni puero guttas quinque Laudani liquidi ex cochleari aquæ epidemicæ, ut vocat, sive cardiacæ cujusdam dare solitus erat. Quæ dosis et imminui, et augeri non solum pro ætatis, et temperamenti, habitusque ratione potest, verum etiam prout saturatius, aut dilutius laudanum ipsum fuerit. Interdum solo tempore sic condensatur, ut quælibet gutta plus opii contineat, quam dum liquidius, tenuiusque erat. Præter hæc plantis pedum epispastica admovenda suadet MEADIUS (*b*), quo certius a cerebro revellatur. Nonnunquam vidi plurimum profuisse calida, et humida fomenta cruribus circumvoluta, utpote quæ utramque paginam adimpleverunt. Laudano subrogatur liquor anodynus mineralis HOFFMANNI, aut spiritus vitrioli antepilepticus PEZOLDTI, uterque tutissimus, et sedandi facultate conspicuus. Quod si dentitio ipsa, uti caussa epilepticæ convulsionis in suspicionem veniat, tum spiritus cornu cervi, aut liquor cornu cervi succinatus ad paucas guttas ex aqua aliqua cephalica, aut syrupo aliquo gratiori datus multis aliis præfertur.

Cautio circa laudanum liquidum.

Epispastica.

Fomenta.

Liquor anodynus.

Spiritus antepilepticus Pezoldti.

Dentitioni, si caussa epilepsiæ, quid magis prosit?

(*a*) *Dissert. epist. p.* 420. (*b*) *De Variol. cap.* 4.

§. 241. Quemadmodum igitur in epilepticis convulsionibus (§. 240.) et maxima systematis nervosi ad spasmos proclivitate, absente tamen plethora, depressisque viribus vitalibus licet ad paregorica, atque opium habentia confugere; sic etiam, ubi acutus aliquis dolor ægrum torqueat, et quasi conficiat, uti non raro in variolis con-

Paregorica etiam dolor acutus aliquis exposcit.

fluentibus malignis (§. 187.) usuvenit, necessario consequitur, ut ille opio sedetur, et natura pene obruta, et fatiscens cardiaca ejus facultate excitetur. Est quoque, ubi alvi fluxus, ad quem in primis pueri (§. 170. et 184.) proclives primo in stadio esse solent, aliquam sui rationem requirit. Is si a saburra primarum viarum est, et vere stercoreus, et fœtidus, et facile toleratur, comprimi nullo modo debet, immo leniter sustineri, dato subinde tantillo vini, si opus fuerit, aut alio blando, cardiaco, quo vires recreantur, firmenturque (*a*). Sin vero ab acri varioloso ad intestina præpostere delato fiat, viresque prosternat, ut primo stadio confluentium malignarum (§. 193.) sæpe assolet, aut serosus, et colliquans magna copia humor prodeat cum virium jactura, cum opio sisti omnino (*b*) oportet, et quandoque etiam cantharidibus cuti impositis, ut extrorsum malus humor avocetur. Hinc (§. 211. et 261.) patet, ni fallor, non absolute opii usum (*) in apparatu variolarum excludi posse, ut fortasse nonnullis placuit.

Alvi fluxus quomodo considerandus.

Quinam curandus & qua ratione?

Opium non prorsus excludi potest in apparatu.

(*a*) VARNIER *Journal de Médicin. T. V. p.* 152. *Aout* 1736.

(*b*) *Idem ibid. &* TISSOT. *epist. var. argum. p.* 52. *&* MORTON. *exercit.* 3. *de Febr. inflam. cap. VII. pag.* 71.

(*) Quamquam enim MEADIUS (*de Variol. cap.* 3.) & MORTONUS (*Exercit.* 3. *cap. VII. p.* 71.) aliique ante plenam variolarum eruptionem opii, narcoticorumque usum reprobaverint, multis de caussis, sed præcipue, quia materiæ variolosæ separationi obstare, deliriumque a febris impetu genitum augere, aut spiritus consopire, eorum vires minuere, & coercere creditur: tamen utrique post insultus epilepticos in hoc ipso stadio, in doloribus vehementioribus, & magna ad spasmos & convulsiones quorumdam, sensibilitate, atque irritabilitate nimia præ-

ditorum, proclivitate, itemque in alvi fluxum immodico, & debilitante, pustularum eruptioni adverso, ut supra (§§. 240. & 241.) comprehensum est, a Laudano, paregoricisque non penitus abhorrent; coguntur que vel inviti Sydenhamianam doctrinam amplecti, qui Laudano suo vim tribuit non modo convulsiones sedandi, evacuationesque nimias sistendi, verum etiam variolarum eruptionem (*Dissert. Epist. p.* 420.) adjuvandi: Qua in re consentientes video cum STORCKIUM (*Instruz. Pratic. P. I. p.* 288.) qui somniferorum amicissimus sane est, tum Cl. TISSOTIUM, qui, etsi ea plurimum vituperet sic, ut neque in *febre apparatus*, neque *post eam* somniferum ullum dari (*Epist. var. arg. p.* 17.) velit; ob vires tamen cardiacas, & diaphoreticas, ubi in hoc stadio iis opus sit, non audeat rejicere. His subscribere etiam videtur cel. GATTUS, qui sedantia, & paregorica in stadio variolarum febrili ante eruptionem (*Novel. reflex.*) quodammodo admittit. Ceterum, quoniam de ejusmodi remediis multa in utramque partem disputantur, aliis effuse laudantibus, vituperantibus aliis, idcirco non deerit deinceps occasio auctorum dissidia commemorandi, nostramque super his opinionem aperiendi. Hoc loco tamen non prætermittam animadvertere, opio rarum in variolis locum relinqui, quod a viris celeberrimis quædam proprietates ei tribuuntur, propter quas noxium in ejusmodi morbis censetur. Habetur enim 1. calidissimum sudoriferorum; 2. acerrimum; 3. septicum, & gangrænas facile inducens; 4. rarefaciens, & quasque excretiones, sudore excepto, supprimiens; 5. ptyalismum speciatim inhibens, & 6. somno inducto, qui noxius in variolis sæpe deprehenditur, calorem, febrem, capitisque affectus adaugens. Vid. *Tissot. Epist. var. arg. p.* 8. *ad* 17. In quibus etsi aliqua exaggerata videantur, in universum tamen veri habent plurimum.

Hæmorrhagiæ quibus curandæ? §. 262. In hoc ipso *apparatus*, sive *contagii* statu accedunt non raro hæmorrhagiæ, quæ tamen non semper formidandæ; nam a plethora, et concitatiori febris motu genitæ salutiferæ ple-

rumque deprehenduntnr. At si malignior morbus est, hæmorrhagiæ ejusmodi, narium videlicet, intestinorum, atque uteri, sed præ ceteris hæmoptysis, atque hæmaturia, sive mictus cruentus (§. 207.) fere lethales esse solent; quæ, si a nimia sanguinis tenuitate, et solutione profluunt, uti plerumque fit, præter regimen frigidum cogentia, incrassantia, atque adstringentia requirunt. In his primum locum sibi vindicant acida quæcumqne tam vegetabilia, quam e fossilibus educta, liberalius (*a*) haurienda. Deinde veniunt paregorica adstringentibus admixta. SYDENHAMIUS in hæmoptysi, et mictu cruento non timet sanguinem semel e vena primum mittere aliquanto largius (*b*), quod in plethoricis tantum, et viribus satis valentibus licere existimaverim; nam in mictu cruento, qui serius morbo provecto supervenit, et a soluto sanguine proficiscitur, venæ sectionem nocuam alii experti sunt (*c*). Deinde haustum commendat, qui habet aquæ florum papaveris erratici uncias duas. Laudani liquidi guttas quattuordecim, aceti stillati drachmas tres, Syrupi de Meconio semunciam. Caveto tamen ne tota hæc dosis detur, nisi adulto. Postea ad vere adstringentia descendit, uti ad terram lemniam, sigillatam, bolum armenum, corallium rubrum, mastichem demum et gummi arabicum, tamquam glutinantia. HOFFMANNO in magno pretio erat serum lactis, in quo gummi cerasorum, aut tragacantha solutum esset (*d*). In summo vitæ discrimine, et effreni sanguinis liquatione ad serum lactis quod vocant, aluminosum, atque ad *specificum* HELVETII fas erit confugere. Sunt qui epispatica etiam ex cantharidibus proponunt: inter quos Angli primas tenent, utpote qui ne in diabete quidem a cantharidibus abstinent.

Acidorum largior usus.
Paregorica adstringentibus nupta.
An sanguis mittendus?
Haustus ad sputum sanguinis, & mictum cruentum.
Adstringentia, & mucilaginosa.
Serum lactis, vario modo medicatum.
Specificum Helvetii.
Epispastica.

(*a*) TISSOT. *Epist. var. arg. p.* 31. & 32. SYDENH.

De febr. putrid. Variol. confluent. superv. Oper. p. 657. *& schedul. monit.*

(b) *De febr. putrid. &c. ibid.*

(c) SALISBURY *Epist. ad Rich. Mead.*

(d) *Capit. de febr. variol.*

Sudores nimii ut compescendi.

§. 243. Sudores immodici, præmaturi adultos exercent, magis in discreto tamen (§. 169.) quam in confluenti (§. 183.) genere. Hos, quia eruptioni, pustularumque elevationi impedimento sunt, compesci cito oportet mora extra lectum, aere subrigido, libero, puro, et levibus (a) tegumentis. De vigiliis vero, vomitibus, jactationibus, aliisque molestiis, quæ eruptionem necessario antecedunt, nisi ad summum gradum perveniant, atque ideo aliquo medicamento anodyno, et sedante mitigari debeant, nihil peculiariter dicam, cum sine noxa ut plurimum tolerari soleant, et sponte post eruptionem ex toto cessent, aut certe insigniter leniantur.

Aliorum symptomatum curatio raro necessaria.

(a) HOM. *Princ. med. de morb. febril. Sect. VII.*

Curatio in secundo stadio.

§. 244. Eruptionis tempore omne studium eo spectet, ut natura se penitus exuat variolosa materia. Si per se id præstet, sic ut eruptio rite procedat, et regularis sit, ut in discretis (§. 171. et 172.) aut confluentibus non perniciosis (§. 186.), et ea apparente, aut facta febris, ejusque symptomata cessent, aut saltem multum leventur, nihil immutandum plane est sive in regimine, sive in medicamentis, quæ diluunt, et opportuna in primo stadio visa sunt; quæque continuari etiam poterunt ad finem usque morbi, nisi quidpiam insolitum incidat, quod peculiarem medelam postulet.

Si eruptio rite procedit, nihil movendum.

§. 245. At natura, ut in malignis tam lentis (§. 211.) quam putridis (§. 213.), sæpe sic a

venenato miasmate opprimitur, prosterniturque, ut ejus expulsioni moliendæ pene impar existat; quo casu evidens est, eam blandis cardiacis erigi, atque excitari oportere (*a*). Præterea multis aliis de caussis, quas supra jam (§. 206.) indicavi, eruptio variolarum retardatur, aut imperfecte absolvitur. Harum autem major par vires vitales deprimit, motumque a centro ad circumferentiam minuit, vel resistentem cutis vim adauget. Vires vitæ deficere commonstrat in primis pulsus debilis, parvus, mollis, et inæqualis. Multoque id luculentius apparet, si æger ipse langueat, simulque pallidus sit, anxius, et mente motus; aut si etiam hic illic aliqua pustula decolor se exserat, et cito evanescat, aut, cutis in toto corpore flaccescat, et quodammodo frigeat (*b*). Inter cardiaca hic opportuna celebrantur præ ceteris diluta calida scordii, cardui benedicti, rutæ capraria, florum tiliæ, sambuci, quibus additum sit aliquid syrupi contrayervæ, aut chinæ chinæ, aut corticis citrei, aut liquoris anodyni mineralis, aut elixiri vitriolici, aut etiam acidi cujusdam valentioris, si id ab imminenti sanguinis corruptione, ac liquatione exigatur. Quo casu etiam mirifice prodest camphora, et vini tantillum.

Eruptio quando adjuvanda, & quibus auxiliis.

Cardiaca natura languida succurrunt.

Quot modis eruptio impediatur. Virium vitæ deficientium signa.

Cardiaca hic idonea.

(*a*) HOM. *Princ. med. Sect. VII.*
(*b*) STORCK. *P.* 1. *p.* 281.

§. 246. Quod si sanguinis missio temere instituta, aut catharsis vires fregerit, aut nimiæ aliæ evacuationes etiam spontaneæ huic malo (§. 245.) caussam dederint, cardiacis analepticis, et instaurantia adjicienda sunt, curandumque paregoricis, ut immodicæ excretiones sistantur. Si vero frigus improvide admissum, aut tempestas præter modum gelida, aut diutinus corporis situs erectus,

Quando eruptio evacuationibus impeditur, quid præstet?

Quid agendum, ubi frigus, situs erectus, & mora extra lectum nocuit? aut longior extra lectum mora, quo minus variolæ libere erumperent, fecerint; tunc cubiculi calor prudenter auctus, quies, et mora in lecto, tegumenta paullo graviora, et potus moderate calidus remedio erunt. Hac ratione non semel cunctantem pustularum eruptionem promovi feliciter, aut pustulas sessiles, atque umbilicatas sic adjuvi, ut cito se attollerent, et perfecte turgerent. Mutati regiminis boni effectus. Hi sæpenumero, ubi pallidiusculæ, et justo aquosiores videbantur, magnam opem tulit tonica, cardiaca, et antiseptica sua facultate cortex peruvianus paullatim datus. Corticis peruviani mira vis. Huc spectant vapores aquæ calidæ cute excepti, fomentationes, balnea tepida, quæ egregiam plane operam præstant tum etiam, cum subitus terror, aut ira, aut aliud animi pathema, aut erratum aliquod sive ægri, sive assidentium eruptionem inhibuerit, aut pustulas jam natas represserit, in primis si una aliquid ex opio, aut papavere intrinsecus præbeatur. Vapores calidi, fomenta, balnea quando magis conveniant? Quo tamen casu a calefacientibus abstinere satius est, et in aere puro, et libero versari, corpore vestibus caute contecto, et potu uti calido, aut tepefacto.

Quando cardiacis finis imponendus. §. 247. Statim vero, ac vires erigi videantur, pulsus, et calor reviviscere, pustulæque non modo satis erumpere, sed attolli, repleri, et rubere; non diutius urgenda cardiacorum, et calefacientis regiminis administratio, verum paullatim ad diluentia, et temperantia redeundum est. Cardiaca interdum irrita. Accedit tamen non raro, ut cardiacis vires, quæ deficiebant, nequaquam erigantur, et pustulæ, quæ erupere, humiles, ac depressæ maneant, color earum ad fuscum inclinet, in earum foveolis punctum nigrum appareat, interjecta cutis flaccida, et livida deprehendatur, immo maculis nigricantibus sparsim fœdetur; urina subnigra, fœtens, Qualia cum symptomata?

et tenui sanguine tincta excernatur, aliæque hæmorrhagiæ profusæ sanguinem dissolvi, corrumpi, atque ad necrosim vergere ostendant: tunc profecto ad valentiora antiseptica, cardiacis admixta properandum esse, atque in iis insistendum assidue plerique arbitrantur. Si jam ab initio *variolæ luridæ*, inquit HUXHAMIUS (*a*), *lividæ*, et depressæ sunt, febrisque potius lenta est, *generosa cardiaca exhibenda*, et epispastica applicanda, qualia sunt crocus, pulvis contrayervæ compositus, moschus, et theriaca Andromachi, immo vinum dulce, quidquid contra reclamet SYDENHAMIUS. Acetum, et acidum vitriolicum potui ordinario, cui inserviet decoctum hordei, largiori manu adjici oportet, quo alkalescentia, acritasque colliquans emendetur, et debita sanguini jam pene dissoluto crasis donetur. Vinum etiam aqua dilutum, serum lactis vinosum, cortex peruvianus, sed liberaliter adhibitus (*), nec non camphora ipsa (**) ceteris palmam præripiunt, non modo cardiacæ, sed antisepticæ etiam virtutis præstantia. Interea, præsertim si variolæ confluentes sint, ægri, si unquam, nunc certe aere libero, et puro egent, quo non modo graviora symptomata mitigantur, aut avertuntur, verum etiam eruptio ipsa allicitur, et adjuvatur, aere puro *menstrui* veluti attrahentis vice fungente. Tantique æstimatur a STORCKIO (*b*) aeris liberi, et aperti hisce in casibus vis, ut ægros, si in aerem liberum translati de frigore, et horroribus vagis querantur, non audiendos esse sentiat; qua in re tamen prudentia, et judicio, quo ipse præstat, opus esset, ne temeritatis notam medicus, æger vero pœnam incurrat.

Antiseptica tunc in usum vocanda, sed valentiora.

Quænam magis utilia.

Aer liber, & purus.

Ejus laudes.

Sed modus in eo adhibendus est.

(*a*) *De aere & morb. epidem.* Tom. 2. pag. 122. ubi sequentia etiam habet: *In variolis malignis, in quibus pustulæ parvæ, atræ, aut cum foveola*

nigra, aut ichorosæ sunt, si ulla spes est, est in alexipharmacis subausteris cum acido plurimo, qualia sunt tinctura corticis peruviani, alexipharmaca cum multo elixirio Vitrioli, sæpe vino addito his acidis, præsertim febre decedente cum potu copioso, acidulo, demulcente. Ibid.

(*) Cl. TISSOTIUS (*Epist. ver. argum. pag.* 32. 33.) de cortice peruviano sic loquitur: Convenit tantum in malignis variolis, ubi laxæ fibræ, solutus, putridusque sanguis, summa debilitas, & metus gangrænæ. Tunc ad drachmas tres, vel quatuor, vel quinque quotidie datus summopere prodest.

(**) Camphora in malignis variolis utilis est, præsertim acidis admixta, uti aceto, in quo calido facile solvitur. Vires blande erigit, fibras exstimulat leniter; putridum virus arcet, aut coercet, atque ad cutim ducit. *Id. l. c. p.* 33.

(*b*) *Instruz. med. P. I. p.* 273. & 281.

An vesicantia hic locum habeant? §. 248. In hac item tarda, et difficili eruptione (§§. 245. 246.) variolarum, aut earum depressione (§. 247.) ex virium vitalium defectu, morbique maligniore natura, ubi nimirum cardiaca, atque antiseptica necessaria censentur, complures MORTONUM, MEADIUMQUE sequuti brachiis, et cruribus admovenda etiam vesicantia non dubitant. Dubitatur. At ubi cum virium lapsu jam signa putridæ tenuitatis et liquationis se sistunt, et magna ubique ad corruptionem, gangrænamque (§. 247.) propensio cernitur, non sine matura deliberatione quidquam de vesicantibus ex cantharidibus decernendum est. Ubi liceat iis uti, ubi non. Mihi vero, ut quod sentio dicam, tutum videtur iis uti in magna debilitate, solidarum partium atonia, febri exigua, calore miti, integra sanguinis crasi, absente plethora, et gangrænæ metu, multoque magis, si variolosa materies, quæ extrorsum pelli debuit, intus restitans in caput, fauces, pectus, abdominisque viscera impetum faciat, earumque

partium functiones lædat. Non tutum contra, immo noxium, si contraria his (*) offendantur.

(*) Cl. TISSOTIUS generatim vesicantia in variolis damnat, 1. quia augent febrim, inflammationem, calorem, putredinem; 2. quia cutim irritant, dum ejus phlogosis, tensio, dolorque demulceri debent; 3. quia urinas potius cohibent, quam incitent; 4. quia dolores intendunt, atque adeo inquietudines; 5. quia alvi excretionem sufflaminant. Quas ob res vesicantium usum etiam in soporosis affectibus, quibus discutiendis vulgo adhiberi solent, omnino reprobat, si ipsi a vi febris ac vasorum plenitudine gignantur. Hinc liquet, quanta opus prudentia sit, quantoque examine, antequam vesicantia proponi possint. *Vid. Epist. var. argum, p.* 26. Nec minori cautione se explicat MEADIUS (*De variol. p.* 72.) de vesicantibus loquens; quando ea tum brachiis & cruribus imponi posse tradit, cum in variolis pessimæ notæ pulsus fit exiguus, languidus, sine ulla insigni manuum *intumescentia*, & torpet magis æger, quam calore utitur.

§. 249. At variolarum eruptio non a solis hisce caussis (§§. 245. 246.) retardatur, aut deprimitur. Interdum vasorum plenitudo, motus sanguinis auctus, diathesisque phlogistica, quam pulsus magnus, validus, durusque, et quandoque respiratio difficilis indicat, impedimento est. Quo in casu non cardiaca, non excitantia, non calorifica medicamenta, sed sanguinis missio, refrigerantia, diluentia, verbo antiphlogistica eruptionem promovent, ac (*a*) sustinent. Nonnunquam primarum viarum saburra eruptioni quoque obnititur, spasmis videlicet inductis, cordisque motu infirmato, aut inhibito. Tunc nemo non intelligit, eruptionem sola cacochyliæ evacuatione promovendam fore. Hinc vel emetica, quæ ab HUXHAMIO tamquam præstantissima ad variolosam materiam cutim versus propellendam prædicantur, vel lenia cathartica, præsertim in variolis confluen-

Eruptio ex contrariis quandoque caussis retardatur, aut subsidet. Sanguinis missio, & antiphlogistica, quando eam promoveant?

Quando purgatio.

tibus, in quibus commodissime pars exuberantis variolosi fomitis alvi ductione (*) educi potest, caussam cunctantium, aut subsidentium variolarum evertunt.

(*a*) Hom. *Princ. c. med. de morb. febril. Sect. VII.* Item Wintringham (*Essay de Méd. d' Edimb. Tom. 2. pag. 524.*) qui hanc fortasse ob caussam numquam vidit, quæ antiphlogistica sunt, & moderate alvum apertam servant, juvenibus robustis, & plectoricis, id est sanguine denso, & compacto abundantibus nocuisse, sed profuisse semper in variolarum morbo.

(*) Enimvero lenem purgationem a prima pustularum eruptione ad suppurationis usque tempus in variolis confluentibus utilem semper deprehendit, expertusque est Simsonus. *Essay de Med. d' Edimb. Tom. 6 p. 144.*

Faucium inflammationi quid prosit?

§. 250.) Quod si fauces in hoc stadio, uti plerumque evenit (§. 171.), doleant, tumeant, inflammentur, pustulis nempe ibi obortis, difficilemque deglutitionem reddant, leniri assidue debent eclegmate mucilaginoso, potu tepido, mollienti, blando, crebro, et gargarismate ejusdem naturæ. Decocta radicis altheæ, hordei, florum malvæ vel sola, vel lacti admixta utrique scopo satisfaciunt. His vero non proficientibus si malum increscat, anginæque instar inflammatoriæ deglutitionem, aut spiritum jam jam intercipere videatur magno cum ægri cruciatu, et reliqua non repugnent, sanguinis missione tam magno discrimini succurrendum est (*). Post hanc etiam, si opus sit, a faucibus revellere licet leni eccoprotico ex cassia, aut manna, balneis pedum, et in graviori casu epispastico nuchæ applicato, aut cataplasmate molliente collo circum ducto.

(*) Mirabitur fortasse lector, me neque hic, neque alibi de Variolarum curatione disserentem quidquam de cucurbitulis, quas complures hoc in mor-

bo adhibendas volunt, memorasse. Caussam si quæras, obvia plane est. Tutius educi sanguinem puto venæ incisione, quam scarificatione cutis, in morbis, in quibus sanguinis nimia tenuitas lethales hæmorrhagias procreare potest.

§. 251. Ratio quoque habenda est ptyalismi, qui ab initio eruptionis, vel paullo post certe adultos, variolis speciatim confluentibus laborantes (§. 187.) adoritur, copiosusque esse solet, et debet, ut humoris variolosi pars magno ægri emolumento via hac excernatur. Cautio igitur adhibeatur, ne per subitum frigus, aut frigidam potionem, aut alvi fluxum, aut narcotica, aut adstringentia medicamenta supprimatur. Auctum enim fere esset de ægri vita. Nihil autem certius hunc salivæ fluxum promovet, et conservat, quam diluentia crebro, et tepide epota. Interdum salivalis iste liquor, qui assidue manat, tanta acrimonia præditus est, ut caustici instar erodere, et ulcerare queat. Tunc non modo os, et fauces sæpe colluendæ sunt lacte dilutissimo, aut decocto hordei, aut radicis althææ, verum etiam cavere diligenter oportet, ne acerrimus ejusmodi humor voretur, descendatque in ventriculum; si mala effugere velimus, quæ ex SAGARII observatione jam alibi (§. 252.) memoravimus.

Ptyalismus quæ ratione promovendus.

Saliva non voranda est.

§. 252. Neque desunt huic stadio quandoque hæmorrhagiæ, phrenitides, deliria, soporosi affectus, convulsivi motus, anxietates, vigiliæ, aliaque gravissima symptomata, præsertim in confluentibus malignis, in quibus variolosa materies non penitus expulsa huc illuc vagatur, interioresque partes adoritur, febremque cum suis symptomatibus intensius exasperat. Quæ curatio hæmorrhagiis, phrenitidi, comati utrique, convulsivisque affectionibus adhibenda sit, jam supra (§§. 239.

Symptomata quædam huic quoque stadio communia.

Eorum peculiaris curatio.

Vigiliæ potractæ insomniferis oppugnandæ? 240. 242.) exposuimus. At vigiliæ plerumque protractæ, anxietates, corporisque jactationes irrequietæ, si quando accesserint, quod variolarum confluentium, et malignarum fere proprium est, sine aliqua medici opera vix præteriri possunt. Harum igitur caussa plerique ex SYDENHAMII sententia (*) largum, et crebrum hoc in stadio hypnoicorum usum inculcant. Mox enim post primum stadium singulis noctibus dari jubent vel syrupum Diacodii, vel emulsionem cum Syrupo papaveris albi, sive de Meconio, vel laudanum liquidum, vel solidum, vel opium purum, vel pilulas de cynoglosso congrua ætati cujusque dosi. Sic non modo pervigilio, inquietudini, ac delirio, verum etiam pustularum incremento, et repletioni prospicere se affirmant; tantaque id confidentia sibi pollicentur, ut si vespertina hypnotici exhibitione quietem, et somnum non assequantur, remedium mane repetant, et etiam interdiu, donec somnus inducatur. Id autem in juvenibus, adultisque præcipue licere monent, cum tenera ætas (*a*) ab hypnoticis facile lædatur, nisi cantissime adhibeantur. At contrariam huic sententiam tuentur alii, cautoque opus esse volunt in hypnoticorum usu imperando, quod experientia didicerint, humores eo versus caput uberius pelli, cerebrum gravari, ptyalismum adeo necessarium supprimi, utilesque ventris excretiones sæpe sisti. Immo addit SIMSONUS (*b*) ægrotantes die octava, et nona per continuatum vel Syrupi papaveris albi usum, quem Sydenhamiani commendant, interire delirio, angina, aut peripneumonia oppressos. Nocua quoque SACARIUS in Epidemia Iglaviensi (*c*) somnifera fuisse aperte experimentis edoctus profitetur (**).

Somniferorum laudes.

Somniferorum damnatio.

(*) SYDENHAMIUS (*Dissert. epist.*) in variolarum confluentium curatione sic paregoricis confidit, ut

non dubitet ea quasi specifica ostentare, non secus ac in febribus intermittentibus corticem peruvianum.

(a) Mead. de *Variol. cap.* 3.

(b) *Essays de Médec. d'Edimburg. T. VI. p.* 144.

(c) *Loc. cit.*

(**) Interdum in benignissimis Infantum variolis datus Syrupus Diacodii eo consilio, ut fletus gemitusque eorum ob pustularum molestiam sedarentur, quamquam innoxius reputaretur, fecit tamen, ut caput sanguine oppleretur, & oculi, ac palpebræ extumescerent. Tissot. *l. c. p.* 11.

§. 253. In hac sententiarum discrepantia, si quid judico, illud evidens est, non esse, nisi caute, et necessitate urgente, ad somnifera procedendum. Itaque si vigiliæ ita pertinaciter teneant, ut mens aberret, viresque dejiciantur, si anxii, atque inquieti vehementer evadant ægrotantes, si id aut ex pruritu ingenti, aut dolore pustularum contingat, si ataxia potius nervorum, et summa sensibilitas, quam phlogosis sanguinis, interiorumque partium in caussa esse videatur, tum certe, si diluentia, temperantia, demulcentia nihil profecerint, licebit hasce turbas sedare mitiori aliquo paregorico, idque prudenter, prout res postulabit, repetere: cum in hujusmodi casu a blandis hypnoticis vel cautissimi medicorum omnino non (*) abhorreant. Verum animadvertendum est, non nimis præcipiti consilio quasque vigilias somniferis medicamentis profligari oportere, cum sæpe in variolis confluentibus sex, vel septem dies insomnes sine damno præterlabi soleant, ut Tissotius (a) admonet, salivæ fluxu interim rite, utiliterque prosequente, qui alias per somnum magno cum detrimento sisti posset. Magni quoque intererit prænoscere, num ægri a medicamentis narcoticis lædi soleant. Nam sunt aliqui, quorum idiosyncrasia tam adversa iis est, ut exagitentur potius, atque excalefiant præter modum,

Quid de hac sententiarum discrepantia sentiendum.

Quando hypnoticis uti liceat.

Cautiones.

quam consopiantur. Quare in his præstat ab ejusmodi medicamentis abstinere, ultro consentientibus eorum aliàs (b) propugnatoribus.

(*) Apposite SIMSONUS ipse, apud quem omne genus paregoricorum male audit, in pervigilio tamen ingenti, aut in pruritu intolerabili, aut dolore permolesto pustularum concedit dare posse aliquid syrupi papaveris albi, dummodo ab ejus abusu, quem fecit SYDENHAMIUS, faciuntque ejus asseclæ, caveatur. *Essays de Méd. d'Edimb. T. VI. p. 144.*

(a) *Epist. var. arg. p. 16.* (b) STORCK. *l. c. p.* 288.

SUPPURATIO.

Curatio variolar. in tertio stadio.

§. 254. Quibus auxiliis promoveri, sustinerique debeat variolarum eruptio, hactenus comprehensum est. Restat, ut qua ratione earum suppuratio procuranda sit, quoniam gravissimis symptomatibus sæpe summum vitæ periculum intentat, dicere non omittamus. In discreto, et benigno genere, ut priora stadia, sic tertium hoc sine magna molestia transigitur. Dum tamen pustulæ inflammantur, et pus conficiunt, præsertim si copiosiores fuerint, cutis tenditur, dolet, febris redit, aut invalescit, sed cito absoluta suppuratione desinit. Eo tempore ægri inquieti fiunt, somno sæpe carent, pustularum dolorem, et quandoque etiam pruritum queruntur, et si quando somnum capiunt, cito evigilant, et obloquuntur, interdumque mente etiam moventur. Plerumque solis diluentibus, subacidis, et temperantibus, tenuiorique victu hæc omnia sedantur. Si tamen vigiliæ, jactationes, querelæ aliquanto molestiores videantur, certum solamen præbent paregorica prudenti manu sub vesperam data. Fereque sufficiunt ea, quæ ex papavere albo multimodis parantur. Raro valentioribus opus est. Nonnunquam tanta est suppurationis vis, ubi variolæ

Suppuratio in discreto genere, & benigno vix aliquid exigit præter diluentia, & subacida.

confertissimæ sunt, sanguisque bonus, et fibrosus abundat, ut febris acutior exsurgat cum pulsu vehementi, duro, magno, calore æstuque ingenti, delirio perpetuo, et summa corporis inquietudine, aut difficili respiratione, aut gravi faucium inflammatione, tunc præter medicamenta antiphlogistica, regimen frigidum; aeris liberioris admissionem, sanguis utiliter detrahi (*) potest; nec quidquam inde nocumenti variolarum suppurationi, et maturationi obvenit, si id solum sanguinis detrahatur, quod nimiam inflammationem refrenet, vasorumque plenitudinem minuat, non vires ultra modum prosternat. Non rara apud Clinicos hujusce rei exempla occurrunt, longo usu, iteratisque periculis confirmata. In magna alvi siccitate non erit quoque inutile eam leni antiphlogistico Eccoprotico laxare, aut saltem enematibus aperire. Dolor, et tensio cutis si alicubi acerbior, uti in facie, aut manibus, percipiatur, foveri pars lacte tepido aquæ admixto poterit, quo non modo ea mollitur, dolorque placatur, verum suppuratio ipsa felicius absolvitur. Pruritui vero permolesto prodest loca leniter herba aliqua virenti, uti malva, mentha, ruta, vel simili percutere; sed simul curandum est, ut ægri manus sic contineantur, ne scabendo cutim saucient.

Interdum paregorico opus est vespertino. Si vero vehementior suppuratio cum signis inflammatoriis sanguis mitti potest.

Etiam alvus lenienda. Dolorem, & cutis tensionem fomentatio tollit, adjuvatque suppurationem.

(*) Nemini ignotum sit oportet, sanguinem mitti posse quocunque morbi tempore, si signa inflammatoria vera, & non fallacia se ostendant. Tissotius, quem alias in decernenda sanguinis missione cautissimum novimus, toties in variolarum progressu eam instituendam putat, quoties veræ inflammationis motus insurgit, idque etiam post plenam earum eruptionem. *Epist. var. arg.* p. 38. Præsentibus jam variolis tres maximos reges, nempe Carolum II. Hispaniæ, Ludovicum XIV. Galliæ, & Carolum II. Britanniæ eisdem prope temporibus venæsectione

servatos fuisse memorat FREINDIUS, *Epist. de Purgant. in secund. variol. confluent. febr. adhibend. Hist.* 2. Item HAENIUS non modo in quovis variolarum tempore, sed etiam variolis jam siccatis, & decidentibus ejus utilitatem expertus est. *Rat. continuat. T. I. Cap. V. §. 7. n. 7.*

Variolarum maturarum incisio.

§. 255. Sed nihil utilius est, pustulis jam maturitatem adeptis, et pure plenis, ad dolorem sedandum, puris resorptionem impediendam, cutisque foveas avertendas; quas puris acritas excavare solet, pustularum ipsarum incisione (*a*); quod non modo Arabibus in usu fuit, sed etiam subsequentibus temporibus repetita plerorumque medicorum experientia confirmatum (*). Pustulæ autem vel acu, vel forfice, cum pure turgent; aperiuntur, pus exprimitur, et pure expresso spongia lacte, et aqua tepida imbuta absterguntur. Idque repetitur, quoties iterum pure repleri videantur (*b*). Alii sic apertas vino, aqua, et melle abluunt, et detergunt (*c*), quod maxime usum habebit, ubi magnus fœtor, cutis livor, aut nigredo, et puris tenuitas de magna ad putredinem proclivitate fidem faciant. Quo casu etiam vino aliquid aromatici nonnulli (*d*) adjiciunt. Detersis, uti opportunius visum est, pustulis, præsertim si cuticula per forficem resecta fuerit, ut quandoque ad pus omne educendum opus est; sæpe optimo eventu illini curavi oleum e vitellis ovorum leviter tostis recentissime expressum, quod dolorem ulceris mitigat, acrimoniam humoris demulcet, noxas aeris arcet, et cutis coalitum adjuvat. Incisio autem ejusmodi non solum convenit variolis pure bonæ notæ refertis, verum illis quoque, quæ saniem, aut tenuem humorem continent, facileque concidunt, et subsidunt. Nam educto per incisionem varioloso humore, metastases pessimæ præcaventur, et magna pars fomitis

detrahitur, quo intro refluente febris secundaria augeretur.

(*a*) TISSOT. *Epist. var. arg. p.* 42. 43.

(*) Duobus abhinc sæculis, & quod excurrit, MARQUARDUS Vienn. Professor, deinde RAYMUNDUS JO: FORTIS Professor Patavinus, & jamdudum Galli, Italique feliciter hac incisione usi sunt, teste HAENIO. *Rat. contin. T. I. cap. V.* §. 7. *num.* 6. Ab HOLLANDIO, postquam desuevisset, revocatam, adhibitamque a SENACIO, TISSOTIO, HAENIO, SWIETENIO, HOMIO, aliisque commendat AZZOGUIDIUS, *Lett. citat. pag.* 42. His addendi sunt SIDOBRIUS, (*De variol.*) & WINTRINGHAM (*Comment. Nosolog.*) (Vid. *Essays de Méd. d'Edimburg. T.* 2. *p.* 504.), & non pauci alii; inter quos VERNIERIUS reticendus non est, qui (*Journal. de Médec. T. V. p.* 152. *Aout* 1756.) cum viderit sæpe variolis confluentibus in ægris obesioribus supervenire gangrænam, & putridam corruptionem, ideo non modo antiseptica valentiora tum adhibuit, verum pustulas maturas aperiri, & totum corpus ablui vino aromatico suasit. Quod ad me attinet, multoties equidem pustulas maturas, & turgentes, itemque deprimi, & subsidere cœptas aperiendas curavi, nec unquam quidquam nocumenti, immo plurimum utilitatis inde manasse vidi. Non igitur audiendi videntur DIEMERBROECKIUS, aliique perpauci, qui variolarum incisionem rejiciunt: multoque minus LUDWIGIUS, qui etsi in *Advers. med. Pract. Vol. I. P.* 3. *p.* 373. eam reprobavit, alibi tamen (*Instit. med. Clinic. P. I. cap.* 1. §. 204.) saniori consilio malignas, & confluentes incidi, ut pus effluat, satius existimat.

(*b*) QUARIN. *Method. medend. febr. cap. VIII. pag.* 99.

(*c*) AZZOGUID. *l. c.* (*d*) VARNIER. *l. c.*

§. 256. Atque hæc quidem (§§. 254. 255.) in suppuratione variolarum, quæ ex lege, atque instituto naturæ succedit, locum, et usum habent. At ubi variolæ malignæ, atque anomalæ sunt, in primis confluentes, aut ad eas propius accedentes, majus profecto negotium facessunt.

In malignis suppuratio sæpe nulla, aut imperfecta, multorum malorum origo.

Nam sæpe aut nullo modo, aut ægre admodum suppuratum eunt (§§. 180. 181. 182. 183. 202.); aut sub ipsamet suppuratione repente concidunt, et pure intro regresso vacuæ fiunt (§. 183.); aut quæ jam sessiles, et depressæ, ac marginibus lividæ erant, hoc in stadio apicibus tantum albicant, humore propemodum inanes (§§. 182. 199.); aut depressæ, ut ante, omnino manent, nec unquam elevantur, fuscum vero colorem induunt (§. 189.); aut pustulis flaccidis, humilibus, et circulo rubro carentibus, cuteque circumposita pallida, et laxa, facies universa plumbeo, alboque colore fœdatur (§§. 194. 195. 196.), aut, suppuratione deficiente, pustulæ immaturæ in crustam quamdam primo sanguineam, deinde nigram siccantur (*ibid.*); aut lividæ, et subcruentæ fiunt, sanguinemque facile effundentes cita gangræna nigrescant (§§. 197. 198.) Quæ ubi incidunt, gravissima sane symptomata, uti phrenitis, angina, suffocatio, peripneumonia, convulsiones, micturitio, hæmaturia, aliaque funestissima hujusmodi mala impendent (*), immo citissima, et sæpe inopinata mors.

(*) Pleraque hæc symptomata aut omnino præcaveri, aut multo mitiora reddi mors extra lectum, leni deambulatione in aere libero, & puro, & diurni somni abstinentia contendunt Sydenhamiani. Neque quidquam, suppuratione præsenti, detrimenti timendum esse ab aeris liberioris usura, cum citius tam suppuratio, quam exsiccatio in aere aperto, & libero perficiatur. Neque demum ab aere libero, dummodo moderato, offici ne quidem illis, qui febre suppurationis durante salivæ fluxum habent, difficulterque deglutiunt; nam levari eos potius, ptyalismumque continuari affirmant. *Vid.* STORCH. *l. c. pag.* 272. 273. 274. Et quod attinet ad moram protractam extra lectum, tum præcipue eam necessariam existimat TISSOTIUS in gravi variolarum statu inflammatorio, aut vehementiore inflammatione. Ejus

enim effecta dicuntur; 1. febris imminutio; 2. respiratio facilior; 3. capitis levamen; 4. refrigeratio lumborum; 5. avolatio putridorum effluviorum; 6. & emolumenta ex continua aeris renovatione, sive æger in amplo, & aperto conclavi sedeat, sive deambulet leniter. *Epist. varii argum. pag.* 39. Concedunt tamen (STORCK. *l. c. pag.* 274.) vitandum esse subitum frigus, aeremque nimis ventosum, frigidum, vehementiusque spirantem. Et quamquam largiamur, pus in pustulis benignis, & maturis genitum, non facile, quia crassum, & densum est, introrsum refluere aeris admissione, tamen hoc ipsum de ichore, serosoque tenui humore, qui fere in variolis malignis, & confluentibus, difficulterque suppurantibus, colligitur, æque dici haud potest. Levi enim ex caussa eum resorberi, introque frigoris, aut aeris liberioris afflatu repelli, satis probabile videtur. GEDEON HARVEUS, cujus supra mentio facta est, narrat historiam hominis cujusdam variolis correpti, cui ante eruptionem ob catarrhum, & dolorem faucium venæsectionem ipse suaserat. Hanc vero cum ille neglexisset, immo Pharmacopœi consilio usus multa sanorum instar egisset, deambulans in aere libero, etsi variolæ confluentes exstarent, & suppuratæ essent, ex hoc vitam cum morte commutavit. Vid. *Art. curand. mora. expectation. pag.* 159. Nec immunes ab hujusmodi infortunio omnino sunt variolæ discretæ, & benignæ. Nobilem puellam præsente variolarum benignissimarum suppuratione ex fenestra temere aperta sic affectam recordor, ut brevi post metastasi ad cerebrum facta in lethalem eclampsiam inexpectato incideret. Puerum etiam vidi, qui paucis, & discretis variolis laborans, cum toto morbi cursu vix ægrotare visus esset, atque idcirco lectulo assidue resedisset parum, aut certe leviter tectus: pustulis demum maturius resiccatis cynanche laryngea correptus est, quæ, nisi sanguinis missio celeriter succurrisset, eum fortasse strangulasset. Quare tempore suppurationis variolarum non temere, neque sine magna cautione, & prudentia ægri aeri liberiori, aut frigori exponendi videntur, cumque aeris renovatio necessaria tamen sit, & cubiculi ventilatio, in hoc ea servanda sunt, quæ supra, cum de ea consulto ageretur, exequuti sumus.

Febris tunc secundaria vehemens.

§. 257. In primis vero febris vehemens ad hæc (§. 256.) accedit, aut quæ jam erat, gravius, intensiusque exscandescit, continua remittens, valde periculosa, *secundaria* vulgo dicta, quæ nisi cito enecet, diu certe trahitur, atque ultra suppurationis tempus procurrit (§. 201.), a brevi illa, et post suppurationem evanescente, utpote solius, et simplicis suppurationis sobole (§. 244.) maxime, ni fallor, differens; quam ideo *putridam* appellavit (*a*) SYDENHAMIUS, veterum significatu vocem, ut mihi videtur, usurpans. Jure enim a suppuratoria febri, quæ variolarum maturationem consequitur, distinguenda ista videtur, quod variolis nequaquam suppurantibus, aut ægre, et imperfecte suppuratum euntibus concitatur. Quamobrem verisimillimum profecto est, eam a variolosa materie in sanguine restitante, aut ab humorum omnium, sed præsertim adipis per virus variolosum depravata, assimilitaque natura, aut a resorpto pustularum ichore, aut quod non infrequens est, ab inflammatione alicujus interiorum sedium, aut ab omnibus, aut plerisque hisce caussis simul junctis proficisci. Hinc quisque perspicit, omni studio tum (§§. 256. 257.) curandum esse, ut humor variolosus ad cutim omnis feratur, et, quoad fieri potest, suppuratione in pus bonæ notæ coquatur, aut si id fieri nequeat, aliqua alia via confestim emittatur. Quod plerique efficere nituntur cardiacis lenibus, tonicis, antisepticis, itemque omnibus evacuationum, et revulsionum, generibus; de quibus pluries loquuti sumus, dicemusque deinceps, prout res proposcerit.

Quare differat a simplici febri suppurationis.

Ejus caussa.

Indicationes, & cura.

Curatio perficitur iis, qua alibi reposita jam sunt.

§. 258. Sed in primis illud teneri debet, eisdem propemodum auxiliis ad implendas, sustinendasque variolas, aut earum suppurationem pro-

movendam opus esse, quibus eruptionem ipsam adjuvari, aut pustularum depressionem emendari supra (§. 245. ad 259.), docuimus, dummodo animadversiones, cautionesque, quas ibi tradidimus, adamussim serventur (*). Quare huc ea revocari oportet. Dici autem vix potest, quantum somniferis, atque opium habentibus medicamentis hoc in stadio cum SYDENHAMIO confidant doctissimi quidam viri. Si enim, quod sæpe octavo, aut nono die in variolis maxime usuvenit, pustulæ concidant, et fuscæ, aut nigricantes fiant, cuti reliqua interim flaccescente, et livida cum pulsu languidissimo, extremis modo frigentibus, modo recalescentibus, faciei pallore, et rubore se mutuo excipientibus, motibusque demum quarumdam partium spasticis obortis; tunc præter alia jam indicata præsidia non dubitant in largiore, sæpiusque iterato opii, aut aliorum narcoticorum usu spem omnem, ut alias innui, collocare.

Quantum hic Sydenhamiani somniferis confidant.

(*) Sed non omnes ibi cautiones attulimus. Hic unam maximi usus, & summopere notatu dignam ut adjiciam necesse est, quam mihi SYDENHAMIUS suppeditat. Is admonet, depressionem pustularum in confluentibus non semper tribuendam caussis externis, aut frigori, cum nihil in ea sit, quod non a morbi natura, & more profluat; atque idcirco ex ea sola, ubi morbi morem servat, mali nihi impendet. Cavere igitur oportet, ne naturalis humilitas, & depressio accipiatur pro morbosa subsidentia, aut retropulsione. In distincto vero genere, cavendum quoque est, ne ante debitum diem eruptionem, atque argumentum variolarum expectemus, sed attendamus ad tempus, quo natura id præstare debet. SYDENH. *Op. Sect.* 2. *cap.* 2. *p.* 179. 180.

§. 259. Hinc eorum nonnulli auctores sunt, ut quinta, vel sexta quavis hora dentur guttæ octo vel decem, adultis ut puto, Laudani liquidi Sydenhamii, vel, quando minus valide agere volunt,

Somnifera quomodo adhibeant.

singulis binis, ternis, aut quaternis horis duo cochlearia mixturæ cujusdam paregoricæ, et cardiacæ, quæ habet aquæ florum tiliæ uncias septem, syrupi Diacodii sesqui unciam, cui pro re nata ad compescendum sanguinis fervorem, ejusque dissolutionem coercendam adjiciunt interdum tantum spiritus vitrioli, quantum satis sit ad gratum acorem. Hac ipsa Mixtura audacter utuntur etiam, si suppurationis tempore ægri sint anxii, inquietique, aut acerbe doleant, et sanguinis insolito fervore exardeant; dummodo eorum pulsus molles revera sint, omnisque duritiei, aut tensionis expertes. Sic enim cito vires erigi, pustulas attolli, rubere, suppurare, symptomata prava mitescere, atque imminens vitæ discrimen fugari dicunt, illud tamen prudentissime præcipiunt, ut, quoties effectum, quem volunt, obtinuerint, paregorica ista interdiu omittantur, et vesperi duntaxat, ut mox tranquilla reddatur, locum (*a*) habeant. Verum alii cautius in opii usu se gerunt. Tissotius, qui somnifera in duobus prioribus variolarum stadiis fere damnavit, non ea pluris facit in tertio, in quo suppuratio, et secundaria febris ægros premit (*b*). Animadvertit enim, tunc præcipue lethargum, coma, orthopnœamque ex materiæ variolosæ metastasi, humorumque congestione urgere, manifestumque esse terrifica ejusmodi symptomata a narcoticis augeri debere, excretionesque omnes, tum maxime necessarias cum summo detrimento sisti. Immo vehementer timendum esse, ut non ab earum usu anxietas, delirium calor, et sitis jam permolesta intendantur, aut phrenitis, peripneumonia, hepatitis, ischuria, intestinorum gangræna, aliaque lethalia mala inducantur. Meadius ipse (*c*) morbo ad finem tendente, si spiritus difficultas accedat, faucesque oppleat pituita viscida suffocationem mi-

Aliorum dissensio.

Tissotii animadversio.

Meadii prudens cautio.

nitans, quod sæpe evenit ptyalismo cessante, opii usum omnino ut noxium rejicit. Non tamen ex hac sententiarum varietate velim quis credat, liberum esse alterutram sequi, aut uni potius quam alteri adhærere, sine ulla deliberatione; cum rationi consonum omnino videatur, ut alibi jam indicatum est, opii usum modo saluberrimum fore, modo noxium, prout nimirum vel incitandæ vitæ vires sunt, vel compescenda nimia sensibilitas, coercendaque nervorum ataxia. Utroque tamen casu temperamentum adhiberi oportet, ne in opio sive dando, sive rejiciendo modum excedamus, ad singula sedulo, matureque respicientes.

Opiata nec nimis profundenda nec nimis formidanda.

(*a*) STORCK. *l. c. P. I. p.* 287. (*b*) *L. c. p.* 17.
(*c*) *De variol. cap.* 3.

(*) Quamquam opii usum in variolis TISSOTIUS sæpe damnare videatur, non tamen ab eo ita alienum se declarat, ut nunquam ei locum superesse velit, jure, & merito limitandam ejus adhibitionem contendit, & satis opportune decernit, quando ab hypnoticis abstinere præstet, quando is uti tuto liceat. Quare non erit supervacuum, neque inutile cum tanto viro casus percensere, in quibus somnifera in variolarum curatione adhiberi vetitum minime est, videlicet 1. quando debiles vires sunt, & cardiacis egent, & quando a centro ad peripheriam ducere oportet, uti in primo variolarum stadio, si pulsus sit debilis, atque inæqualis, æger frigeat, & in lypothymiam propendeat; 2. quando spasmi ex nimia mobilitate orti sedandi sunt; 3. ubi dolor pustularum intolerabilis est; 4. ubi eruptionis tempore humores confluunt ad intestina, alvusque liquidior minatur virium exsolutionem; 5. in diarrhœa colliquante cum animi defectionibus, extremorumque refrigeratione; 6. in alvi fluxu tempore exsiccationis superveniente, si is nimius sit, vires dejiciat, pustulas pallidas, & exsuccas reddat, syncopem, aut delirium inferat, atque extrema frigefaciat; 7. in doloribus colicis sub finem morbi longum, & liberalem acidorum usum subsequentibus; 8. post catharticum in ultimo stadio datum. *Vid.* TISSOT. *l. c. p.* 22. *ad* 26.

Natura depressas Variolas supplet ptyalismo, & diarrhœæ.

§. 260. At natura ipsa pustularum imperfectam maturitatem, aut depressionem in variolis confluentibus supplere tentat ptyalismo, aut alvi fluxu, illo in adultis, hoc in pueris, ut alias expositum est. Ergo enitendum omni cura est, ut istæ salivæ fluxus, quoad fieri potest, perseveret, quod in primis potu tepido, crebro, diluenti, mellito præstatur. Si vero salivalis humor viscidus, et tenax ita sit, ut egerrime e faucibus, et ora educatur cum suffocationis periculo, id quod circa diem undecimam non infrequens est; eum solvi, attenuarique oportet gargarismate ex aqua florum sambuci, aut decocto ficorum, aut radicis glycyrrhizæ addito pauxillo mellis rosati, aut oxymelitis simplicis, aut syrupi de moris. Quod si gargarizare nequeat, aut nolit æger, aut id satis non sit; eadem ope syringæ sæpe die, et nocte in os, faucesque injicienda (*a*) sunt, quidquid nonnulli contra dictitent. SYDENHAMIUS (*b*) gargarisma e cerevisia tenui, vel aqua hordei cum melle rosarum compositum proponit, vel illud, quod sic habet:

Quomodo utraque evacuatio sustinenda.

R. *Corticis ulmi drachmas sex, glycyrrhizæ unciam semis, passularum enucleat. N. XX. rosar. rubr. pug. duos. Coq. s. q. aq. ad lib. unum, et semis. Colat. dissolv. oxymel. simplic. et mellis rosar. ana unc. duas. M. f. garg.*

Ægro vero suffocationi proximo dandum etiam suadet emeticum, quo nihil interdum præstantius; licet fateatur, id non semper saluti esse. At humor salivalis interdum acerrimus est, ex quo os interius ulceratur, et quasi igne exardet, doletque acerbe. Tunc gargarizandum ex aqua hordei lacti admixta, aut decocto radicis althææ, aut simili demulcenti liquore; cui aliquid succi sedi majoris (*c*). vel mali cotonei, utiliter adjici potest. Ulcusculis vero opportuna etiam

Quæ salivam acrem corrigant.

sunt ea, de quibus, ubi aphthas explicuimus (*d*), mentio facta jam est. Quemadmodum autem ptyalismi continuatio summopere in adultis necessaria est, sic alvi fluxum, qui pueros corripit, sinere expedit, quamdiu vires eum ferunt; immo, si casu sistatur, enematibus blandis revocare, nec ulla ratione unquam in hocce stadio cohibere, nisi nimius, et colliquans sit. Ad summum si acer humor descendens intestina arrodat, et tormina citet, ut interdum, quando dysenteriæ epidemice regnant, accidit; nam tum solum variolæ dysenteria comitantur; ad demulcentia licet confugere, atque ea, quæ dysenteriæ non aliena sunt.

Quæ ulcusculis oris remedio sint.

Diarrhœa quibus gubernanda.

Quid si in dysenteriam transeat.

(*a*) SYDENHAM. *op. omn. Sect.* 2, *cap.* 2. *p.*177. TISSOT. *epist. cit. p.*42. STORCK. *l. c. P.* 1. *p.* 274.
(*b*) *Loc. cit. ib. p.* 177. 178. (*c*) STORCK. *l. c.*
(*d*) *Vol. I.* §. 296.

§. 261. Inter hæc quibusdam os, faucesque ex pustulis variolosis ibi natis crusta dura, et crassa obducuntur sic, ut respiratio, et deglutitio summopere lædantur. Tunc assidue os, faucesque fovendæ sunt iis, quæ molliunt, uti aqua tepida lacte remixta, ut crusta decidat. Nares quoque eadem ex caussa sæpe obstruuntur. Has autem reserat vapor aquæ calidæ naribus, aut ore attractus, aut aqua mellita per siphonem, aut syringem in nares injecta, a qua crustæ emollitæ separantur, et summum inde levamen percipitur (*a*). Interdum etiam in variolis malignis, et confluentibus, cum maturescere deberent, facies nigra evadit, aridaque crusta obtegitur, vere gangrænosa (§. 195.). Tunc incidenda crebris vulnusculis altius cutis est ad sanam usque carnem, et deinde fovenda decocto emolliente calido, cui spiritus vini cum camphora adjectus sit. Hinc pus

Crustæ oris, & narium fovendæ atque humectandæ, ut decidant.

Facies nigrescens quid postulet?

Incisiones feliciter adhibitæ. multum, et fœtidissimum ex incisionibus manare solet, emortuæque partes separari. Absoluta gangrænæ digestione, cathartico alvus ducenda est. Exemplum felicis ejusmodi curationis habet MEADIUS (*b*), nobisque aliud simile notum est de GUATTANIO non ignobili chirurgo romano, qui cum puer pessimo, et gangrænoso variolarum genere laboraret, a Patre simili chirurgia servatus est, ex quo turpes in facie ei cicatrices tota vita remanserunt, conspicuæ paternæ audaciæ, et miræ curationis testes. Nec alia ratione curandæ sunt aliarum partium gangrænæ, si alicubi forte enascantur.

(*a*) SYDENHAM. *Op. Sect.* 3. *pag.* 177. TISSOT. *l. c. ib.* STORCH. *l. c. p.* 275. (*b*) *Loc. cit. p.* 3.

Tumori, & tensioni faciei, & manuum quænam prosint? §. 262. Persæpe hoc stadio nimium facies, manus, pedesque tument, tenduntur, dolent, et rubent. Auxilio sunt fotus ex aqua, et lacte tepidis, aut mollissima cataplasmata. His enim non modo dolor, et tensio mitescunt, verum pustularum etiam suppuratio facilius absolvitur (*a*).

Febris secundariæ peculiaris curatio. Sydenhamii methodus. Sed in primis ad febrem secundariam, ejusque symptomata in hoc suppurationis stadio animum, curamque omnem communiter convertere consueverunt medicorum experientissimi. SYDENHAMIUS certe hanc valide oppugnandam esse duxit larga illico sanguinis missione, et catharsi, alternatim adhibitis, sic tamen ut catharsi post sanguinis missionem tantum, et non ante decimam tertiam morbi diem uti auderet. Utraque evacuatione sanguinis inflammatoriam indolem, et purulentæ materiæ quantitatem minuere (*b*) sibi pollicebatur.

Quando venæsectio, quando catharsis locum habeat. Verum non sine aliqua distinctione Sydenhamiano præcepto adhærere licet. Non enim semper, nec in quavis febri secundaria tutum est sanguinem mittere, aut alvum medicamento du-

cere; nec opus est semper, ut sanguinis missio catharsim, ubi hæc locum habet, præcedat; nec semper decimam tertiam diem exspectari oportet, ut purgatio instituatur, cum ante hunc etiam terminum, et quandoque nona, vel decima die illa necessaria esse possit (c). Sed de utroque evacuationis genere quid sentiendum nobis videatur, et quando utraque, aut alterutra admitti, aut omitti debeat, mox explicare instituo.

(a) STORCH. *loc. cit.*
(b) *De Febr. putrid. Variol. confluent. superven. nob. p.* 618. & *pag.* 633. *ad* 636.
(c) FREIND. *de Febrib. comment. VII.* & MEAD. *loc. cit. cap.* 3.

§. 263. Itaque ut a sanguinis missione ordiar, quærendum sedulo est, utrum symptomata ejusmodi sint, quæ variolas inflammatorias (§. 210.) designent; aut febris vehementius exardeat, cum pulsu valido, et duro, calore magno, ac siti ingenti; an corpus firmum, juvenile, exercitatumque sit; victui, et potui calefacienti deditum; aut regimine calidiori usum; aut inter initia venæ incisio neglecta fuerit; tunc utique sanguinem mitti oportebit, præsertim si symptomata gravia, uti phrenitis, coma, convulsio, faucium præfocatio, peripneumonia, sanguinis detractionem suadeant. Neque ab ea absterreat, si a reliquis indicetur, pulsuum parvitas, aut debilitas, quia tum sæpe non a virium defectu, sed oppressione arteriæ subeunt, et, detracta sarcina, plerumque attolluntur, et validius emicant. Itemque notandum est, inflammatoria sanguinis diathesi prævalente, interiores sedes sæpe inflammatione tentari, atque hinc febrim secundariam pronasci, quin variolæ deprimantur; quod indicio est, non a depressione earum, neque a pure re-

Venæsectionem quæ indicent.

Interdum febris secundaria oritur ab aliqua interiori inflammatione. Tum variolæ extant.

sorpto, cum variolæ extent, et pure bono turgeant, illam ortum trahere, sed a viscerum aliquorum inflammatione. Hoc etiam casu summum præsidium in cita, et larga sanguinis missione positum est. Contra ubi symptomata nervosæ febris, sive malignæ propria occurrunt (§. 211.), aut, quod deterius est, putridæ dissolutionis signa (§. 212.) appareant, uti in variolis confluentibus malignis, et quibusdam discretis, sed gangrænosis, et mali moris, in primis epidemicis, contingit, profecto a sanguinis missione, quam secundaria febris invaluerit, abstinere omnino convenit. In his enim noxiam esse, experimenta etiam Sagarii (*a*) confirmarunt.

Sanguinis missionem quæ vetent.

(*a*) *De Variol. Iglaviens. p. 44. 45.*

Catharsis a plerisque extollitur non modo in confluentibus, sed etiam in discretis copiosis.

§. 264. Alterum erat, ut de catharticis in febre secundaria adhibendis dicerem. Plerique post Sydenhamium, Freindium, Meadium, Huxhamium, aliosque his eam non solum depelli, verum etiam præcaveri tradunt. Immo interdum nullam aliam medicinam profecisse (*a*) testantur, in primis addito opportune in quibusdam casibus calomelano, et interpositis paregoricis. Tissotius non modo in confluentibus variolis primo febris secundariæ impetu, verum etim in discretis, sed copiosis, ingruente febri sappuratoria mannam præbendam esse ea dosi, ut alvus ter, quater, aut quinquies solvatur, præcipit; quod nono, vel decimo die plerumque usui est, pergendumque esse in alvo lenienda diebus etiam sequentibus. Adeo quippe huic medicinæ confidit. Nec profecto sine caussa; nam notum est, quanta sit inter cutim, atque intestina consensio; et quam facile, juxta illud Hippocratis, *cutis laxitas*, *alvi adstrictio*, *et e converso:* harum partium excretiones se mutuo excipiant, et suppleant.

(*a*) Huxham. *de aere, & morbis epidem. T. I. p. 37.*

§. 265. Attamen non promiscue, nec universim hæc purgandi præceptio arripienda est, ac si nullis obligata legibus esset; nam certos et ipsa, uti sanguinis missio, limites habet, quos ultra nequit recte consistere. Hoc igitur fere perpetuum est, ut in febre secundaria, quæ nulla variolarum suppuratione facta, aut præmature pustulis, faciei præsertim, arescentibus, ejusque tumore evanescente accedit, purgatio necessaria (*a*) communiter habeatur, multoque magis, si ex materia intus restitante febris ardens oriatur cum corporis jactatione, respiratione brevi, et crebra, urina tenui, vigiliisque continuis. Tunc enim post sanguinis missionem, si recte (§. 264.) indicata fuerit, lenia purgantia ad intervalla repetita variolosam colluviem feliciter (*b*) detrahunt. Verum id etiam convenientissimum est, cum pustulæ jam rite suppurarint, et pure turgeant, nec tamen aliquid puris e pustulis extillet, nec per urinas feratur, neque in his sedimentum spectetur (*c*); vel demum si cito, aut repente variolæ subsederint, et pus intro refluxerit. Purgatione item opus est, si ptyalismo cessante, detumescenteque facie non succedat extremorum tumor, nec urinarum copia sedimentum habentium, nec alvi solutio spontanea; aut, quod deterius est, coma, aut delirium, aut utrumque supervenerit (*d*). Superveniente vero delirio, aut comate, aut angina, aut peripneumonia sic idonea purgatio est, ut ab ea nos deterrere non debeat metus, ne alvi ductione ptyalismus sistatur, cum eo in casu præsentiorem, majoremque opem exspectandam ab alvo soluta putet TISSOTIUS (*e*), quam damnum a ptyalismi tum non satis levantis suppressione; maxime si venæsectio, aut cucurbitulæ adhibitæ jam fuerint, et nihil juverint (*f*). Neque semper pulsuum humilitas, aut depressio purgationem prohibet; cum

Limitantur ejus laudes intra justos fines.

Casus in quibus purgare licet.

Quando purgandum etiam præsente ptyalismo.

Nec obstat semper pulsuum depressio, nec humorum acrimonia.

sæpe post eam elevantur, et vires (g) acquirunt. Compertum est experientia, utiliter etiam alvum solutam esse, ubi humor acerrimus, quo variolæ arescentes scatebant, gangrænam cuti (h) induceret.

(a) MEAD. *loc. cit. cap.* 3. (b) SALISBURY CADE *epist. ad* FREINDIUM *scripta*.
(c) FREIND. *De purg. in secund. Variol. confl. febr. adhib. epist. ad* RICARD. MEAD.
(d) *Idem loc. cit. hist.* 3.
(e) TISSOT *Epist. var. arg. p.* 46.
(f) FREIND. *loc. cit. histor.* 2.
(g) FREIND. *De febrib. cap. VII.*
(h) *Idem. de purgant. in secund. variol. confl. &c. histor.* 3.

Quando a catharsi abstinere conveuit.

§. 266. A catharsi contra abstinere omnino satius est, quamdiu tumor faciei, atque pustularum inflammatio permanet, et saliva rite effluit, sine graviori alio symptomate (a). Quod si facies detumescere incipiat, et ptyalismus minuatur, ut die nono, vel undecimo ab eruptione accidit in variolis confluentibus, et eodem tempore manus debito modo tumeant, et nulla deterioris notæ symptomata appareant, totum negotium naturæ committendum est (b), aut solis interim clysteribus alvum, si adstricta sit, lenire satis erit. Omitti quoque debent cathartica, si alvus sponte fluat, aut enematibus ante adhibitis laxata sit; vel saltem differri ad aliquot dies possunt, ne vires penitus dejiciantur (c); multoque magis, si ita liquescat alvus, ut hac via corpus exhauriri timeatur, quod in putrida potissimum humorum omnium dissolutione adeo in malignis frequenti incidere consuevit.

(a) SALISBURY *epist. cit.* (b) *Id. ib.* (c) MEAD.

§. 267. Non vero satis est disquirere, sanguis-

ne mitti, aut alvus duci, aut utrumque fieri debeat in ejusmodi febre secundaria. Oportet etiam indagare sedulo, utrum alicubi sanies variolosa sub arefacta jam cuticula lateat. Quod facile tactu, aut disrupta epidermide cognoscitur; pressu enim, aut incisione pus erumpit. Tunc igitur puri exitus citissime parandus est, cibisque idoneis corpus nutriendum, antisepticisque muniendum, ut morbum ferre possit, donec omnis materia purulenta exstillaverit, quam interdum ad diem vigesimum, ampliusque manare salvis ægri viribus vidit MEADIUS. Dum autem ex cute, discissa cuticula, purulentus humor effluit, ac via hac corpus repurgatur, ne quidquam temere quis moliatur, nec sanguinis missione, aut catharsi salutarem ejusmodi evacuationem pervertat. Interea, quod semper in tertio variolarum stadio, nec non in sequenti semper faciendum est, universa cutis a pure, putridisque halitibus munda servetur frequenti indusiorum, ac linteaminum mutatione, conclaviumque prudenti ventilatione (*a*). Hic non omittam in memoriam revocare, interdum sub finem suppurationis, aut initium exsiccationis atrocissimos dolores osteocopos accedere, ut supra (§. 209) ex SAGARIO retulimus, qui si horas duodecim, aut viginti quatuor excedant, certam necem afferunt. Hos leniri oportet fotibus anodynis ex lacte tepenti, potu ex diluto florum tiliæ, et papaveris rhoeados, itemque syrupo diacodii in aqua florum sambuci; uti experientia compertum (*b*) est.

Sanies sub cuticula latens educenda.

Frequens indusiorum mutatio.

(*a*) TISSOT. *epist. cit. pag.* 40.
(*b*) SAGAR. *De variol. Iglav. p.* 19.

§. 268. Atque hæc omnia memoranda, animadvertendaque in ista periodo generatim erant. Nunc etiam de quibusdam peculiaribus variolarum

Curatio specialis quarumdam Variolarum.

Sydenhamii curatio variolarum confluentium anomalarum: generibus, earumque curatione speciatim aliquid subnectere non alienum a proposito mihi videtur. Quas supra (§. 195.) descripsi ex SYDENHAMIO (a), *variolas confluentes anomalas*, eas sic ipse curabat. In illis effrænis sanguinis fervor, acritasque quasi exurens, atque omnia pene colliquans; et corrumpens deprehendebatur. Ergo hæc temperanda, continendaque quam efficacissime fuit. Itaque præter hypnotica in reliquis confluentibus alias adhiberi solita, et commendata; utebatur *regimine temperato*, potuque liberaliore ex iis, quæ non calefaciunt, sed æstum, fervoremque ferocissimum illico mitigant. Ad id commendabat *decoctum album*, ex pane videlicet, et cornu cervi *calcinati* exigua quantitate in multa aqua factum, et saccharo leviter edulcatum. Adhibuit etiam eumdem in finem hydrogalam è *tribus aquæ partibus, et lactis una simul coctis, quæ ægri palato, et votis, magis refrigerando, ut plurimum respondit*. Nec copia potus tantummodo juvit insignem calorem sub maturationis tempore cum febre exaltatum extinguendo, verum ptyalismum etiam promovendo, et protrahendo diutius, quam exæstuante ægro non contigisset. Profuit etiam immodico mensium fluxui supervenienti; dummodo ab hujusmodi sanguinis profusione pustularum depressio non timeretur; neque ideo calida remedia, quæ magis sanguinem colliquant, temere; et præpostere in usum vocarentur.

Decoctum album:

Hydrogala:

Largior potus:

(a) *Oper. sect. 3. cap. 6. p. 231.*

Halleri curatio confluentium malignarum. §. 269. In ferali vero illa epidemica variolarum malignarum, et confluentium constitutione; quæ octavo, vel nono die subsidentes exitium afferebant, et putridi generis vere erant (§. 198.) cum videret Cl. HALLERUS (b) hoc symptoma fu-

nestum universim esse, cœpit cogitare, qua ratione tantum malum averti posset. Acida, et refrigerantia ob facilem pustularum, quam dixi, depressionem, ei videbantur ancipitis eventus. Ab emulsionibus, clysteribus, catharticis, quibus alii medici magna confidentia utebantur, natas vidit cito paralyses, aphonias, hydropes, aut etiam præcipitem ex retropulsis variolis mortem; nec minus exitialem calidorum medicamentorum usum expertus est. *Aderat*, ut ipse scribit, *summa humorum alcalescentia*, hinc *fœtor horridus tum pustularum*, *tum animæ ægrotorum*. *Aderat humorum funesta stasis*, quam *arguebant maculæ*, *quæ exigui sphaceli sunt*, *tum dolores lumborum*, *urinæ paucæ*, *viridesque*. Medicamento igitur opus erat, quod solveret impacta, neque vasa diffringeret, quod motum versus peripheriam sustineret, febrem tamen non augeret, et pustulas retrocessuras foras elevaret, non alkalescentiam incitaret. Id visum ei est Camphora. Itaque quoties occurrebant symptomata variolas mali moris præsagientia, *delirium primum diei*, *febris valida*, *punctorius lumborum*, *pectorisve dolor*, *respiratio difficilis*, *corpus succulentum*, *ætas adultior*, *plethora*, *protinus* dedit *decoctum diluens copiose*, *et ad aliquot quotidie libras hauriendum*, *ex aperientibus sparsa*, *radice graminis*, *adiantho*, *bellide*, *ficubus*. A sanguinis vero missione, etsi primo intuitu alicui posset videri opportuna, ipse tamen abstinuit, quia fortasse summa in putredinem proclivitas, quam in morbo agnoverat, ab ejusmodi præsidio ut nocuo eum deterruit. At *vomitum fere perpetuum symptoma* promovit *emetico*, *ut octies ad minimum larga emesis sequeretur*. Si enim vomitum quis compressisset, funestiorem eventum compererat. Quamquam vero a sanguinis missione sedulo caveret, non ta- Emetici laudes.

men hæmorrhagias timendas cognoverat: cum usus docuisset, eas quodammodo expetendas fuisse. Siquidem vidit in puero speciatim septenni copiosam ex ano sanguinis jacturam ante variolarum eruptionem, subsequente benignissimo morbo.

Hæmorrhagiarum utilitas.

(*a*) *Opusc. pathol. observ. XLIV. Hist. const. variol. anni* 1757. *p.* 115.

Calidi regiminis effecta.

§. 280. Cum vero calidis remediis variolæ domesticorum, et familiarium consilio, aut ægrorum culpa urgerentur, hæ tum post ingentem anxietatem præmaturo impetu erumpebant nigerrimæ; si vero sponte die tertia prodiissent, et symptomata ipsa inde mitescerent, tamen die sexta pustulæ subsidebant, et puncto nigro notabantur, uti confluentibus malignioribus solemne est. Quando igitur alterutrum ex hisce infortuniis ægrum corripuit, mox ipse præbuit camphoram in emulsione aliqua solutam, ita ut intra duodecim horas grana viginti absumerentur. Incipiebat autem ejus usum a media nocte, febre nimirum inclinare cœpta, protrahebatque ad meridiem usque sequentis diei, in sex partes totam dosim tribuens, ut una singulis binis horis sumeretur. Hora vero tertia, aut quarta, ad summum quinta pomeridiana dedit syrupum papaveris albi cum nitro, et tantillo succi crudi ex malo citreo expressi. Adulto graviter laboranti dosis syrupi erat sesqui uncia, succi citrei drachmæ sex. Sic delirium sedabatur. Hanc medendi rationem persequebatur ad pustularum usque exsicationem. Simul ac vero ptyalismum imminui in adultis, et fauces arescere, angique deprehendebat, quod a die nona ad decimam, aut undecimam eveniebat accedente simul pustularum exsiccatione, mox toto hoc intervallo anginam funestam arcere, et ptyalismum prolicere nitebatur frequenti injectio-

Camphoræ præstantia.

Ejus utendæ modus.

ne per siphonem in fauces mellis ex rosa, et nitri, quamquam ab HOFFMANNO, sed injuria, reprobata. Interea diluentia affatim potui dabat cum acidis, et demulcentibus. Camphoræ autem quantitatem sensim minuebat, sic ut post diem nonam prorsus omitteret ejus usum, cum nihil tum, quod expelleretur, superesset, et febris secundaria immineret. Si pustulæ nigræ circa octavum diem evanescebant, et *paullatim per rubedinem in pallorem languere* incipiebant. Hoc ipso temporis stadio enemate cum nitro alvum laxabat, cum experientia didicisset, alvo lubrica febrim secundariam diei undecimæ, et duodecimæ mitem reddi, dum hæc alioquin funesta *cum novo delirio*, *anxietate*, *angina*, *pulsu molli*, *inæquali*, *celeri*, *fœtore totius corporis summo* evadebat. Quod si febris gravior accederet, hanc compescebat dato cathartico, quod tamarindos reciperet, nec id omittebat *vel in summa* virium *debilitate*, quin immo repetebat die duodecima, et decima etiam tertia, si opus erat. His fere jugulabat, ut ipse ait, dirum morbum, ut et papaveraceis, et succo mali citrei, et omni alio medicamento commode æger careret. Religiose autem ab omni carneo, jurulentoque victu abstinebat per omnia stadia, concessis tantummodo oleribus, fructibusque, imperatoque potu semper eodem, sed largiore, et crebro.

Injectiones in fauces.

Alvus lubrica.

Catharticum.

Victus.

§. 271. Mirum profecto videbitur, SYDENHAMIUM, qui primus omnium acidum vitriolicum adhibuit (*a*) in variolis malignis, et gangrænosis in potu ad gratam aciditatem toto primo, et secundo stadio, suppurationis vero tempore, et in ipsa febre secundaria aut reprobasse, aut, ut supra (§. 218.) vidimus, prætermisisse, HALLERUMQUE in putridissimo variolarum genere modo me-

De acidi Vitriolici usu in tertio stadio.

morato uti suspectum, aut noxium (§. 259.) habuisse, immo in hoc eodem tertio stadio, cujus curationem exsequimur, ab acidis etiam vegetabilibus prope abstinuisse; cum tamen nihil ad cohibendam sanguinis dissolutionem, avertendamque putredinem præstantius, valentiusque habeat Medicinæ ars universa. Acidi autem vitriolici vis singularis eminet in sanguinis mictu, quem in hoc in primis stadio soluta, et diffluens sanguinis compages excitat; nam hoc lethalissimum symptoma si cuiquam remedio obtemperat, largiori certe acidorum validiorum in potu usui cessurum, spes unica est. Sed hoc in casu non prætermittenda quoque sunt ea omnia, quæ ejusmodi hæmorrhagias coercere alibi (§. 242.) docuimus, uti serum lactis, quod vocant *aluminosum* (*), et alumen ipsum, et specificum HELVETII (**), ubi nimirum cetera irrita fuerint, nec ulla in pulmonibus, aut aliis visceribus congestio adstringentium adhibitionem vetet. Metus vero, ne salivæ fluxus acidis ejusmodi supprimatur, aut vitales vires dejiciantur, prope inanis (***) est, si expertis fidem habemus, atque haud negligamus in posteriore casu acida cum cardiacis, leviterque aromaticis opportune conjungere, qualia sunt radix serpentariæ virginianæ, contrayervæ, camphora, et præ ceteris cortex peruvianus, qui etiam antisepticæ facultatis nomine vix sine piaculo in variolis putridis, gangrænosis, aut quacumque alia ratione ad corruptionem ducentibus prætermitti potest.

Sanguinis mictus acido vitrioli præcipue oppugnandus est.

Adstringentia validiora.

Cautio. Acida hæc non supprimunt ptyalismum. Conjungi cum cardiacis debent, si vires langueant. Ubi Cortex peruvianus ceteris antecellit?

(a) Oper. sect. V. cap. IV.

(*) Serum aluminosum Phar. Lond.

℞. *Lactis vaccini lib. j.*
Alumin. crud. in pulver. redacti drachm. ij.
Coque, ut fiat serum lactis probe a coagulo separandum.

(**) *Specificum Helvetii.*

℞. Alumin. crud. pulv. unc. ij.

sang. dracon. in lacrym. unc. ss.

Liquetur alumen ad ignem in vase argenteo, aut fictili vitreato; fuso insperge sanguin. drac. in pollin. tenuis. redact. Frigefacta massa servetur in vase clauso ad usum. Dosis a drachma semis ad unam.

(***) De Acidorum usu in curatione Variolarum ita apposite, sapienterque disseruit Cl. TISSOTIUS, ut e re fore existimem ea in summam redacta hic tironibus exhibere. Acida vegetabilia ab Arabibus primum, deinde a posteris in hanc usque diem ad variolas curandas adhibita, & commendata fuere. Acidum vero vitriolicum nemo ante SYDENHAMIUM potioni ad gratum acorem commiscuit in variolis malignis, & gangrænosis, sed incipiente suppurationis stadio, & in febre secundaria, ut noxium, ab eodem videtur reprobatum. Sed perperam TISSOTIO judice; nam acida putredini resistunt; calorem, febrim, anxietatem, & pruritum minuunt, diarrhœam colliquantem præcavent, nec tamen alvi libertati obstant; anginam, delirium, & phrenitidem avertunt; malignitatem inhibent; impediuntque ne variolæ benignæ in malignas degenerent; ptyalismum non supprimunt, urinas cient, in primis acida nitrosa potui largius admixta, purisque metastasim emendant. Speciatim laudantur in mictu sanguineo, & variolis nigris, itemque in alcalescentia humorum, & calida eorum dissolutione. *Epist. var. arg. a pag.* 28. *ad* 36. *usque*. Acidi mineralis dosis vulgatior, inquit QUARINUS (*Method. med. febr. cap. VIII. p.* 96.) est drachma una in die: interdum vero opus est eam augere ad unciam semis, aut etiam ad sex drachmas Infantibus, si in potu spiritum vitrioli respuant, dari eum posse syrupo alicui admixtum, ut cochleatim sumatur, idem subjicit. Ac TISSOTIUS se liberaliori adhuc manu eum dedisse narrat. Interdum enim intra quatuor horarum spatium dedit tres drachmas spiritus vitrioli, aut sulphuris copioso potu dilutas, ut febrim vehementiorem, delirium, & anxietates compesceret. Alia vice in quadam muliere variolis laborante consumpsit spiritus sulphuris binas integras uncias quadraginta

horarum intervallo. Concedit tamen ex longo, & largo acidorum ejusmodi usu interdum sub finem morbi oriri colicos dolores, quos opio sedari oporteat (*l. c. p.* 23. *ad* 25.). Quamquam vero acidorum amicissimus sit, ea tamen reprobat in vapida sanguinis diathesi, & solidarum partium laxitate, nisi acidis subjungantur cardiaca, uti camphora, cortex peruvianus, radix serpentariæ virginianæ, mixtura simplex, aut sulphur auratum antimonii camphoræ nuptum. At Farrius (*De acid. virib. p.* 101.) non nihil a Tissotio dissentit, cum admonet, non danda quidem acida, ubi ciculâtio sanguinis languet, sed neque ubi solidæ partes nimis rigent, & fluidæ nimis coactæ, & densæ sunt. Si quid tamen judico, non omnia acida hic comprehendi debent; nam vegetabilia, in primis diluta, attenuant, & solvunt, uti pariter nitrosa; nec a vero alienum est, acida etiam vitriolica, dum irritabilitatem minuunt, & fortasse terreum elementum, glutenque connectens extenuant, abripiuntque, laxitatam fibris conciliare posse; nec proinde ableganda, ubi solidæ partes rigescere videantur.

Curatio Variolarum sanguinearum.

§. 272. Aliquid quoque dicendum est de peculiari variolarum, quas *sanguineas* supra (§. 197.) nominavimus, curatione. Quoniam autem hæ nequaquam suppurant, sed lividæ, et subcruentæ evadunt, maculis nigris, vibicibus, et peticulis ubique comitatæ, atque in iis colliquescit sanguis, et undique diffluit, et hæmorrhagiarum varia genera efficit; perspicuum sane est, ad putridissimum genus eas spectare, egereque quam validissimis antisepticis, incrassantibus, cogentibus, stypticis. In his præferri speciatim debent cortex peruvianus, vitriolata, atque aluminosa. Hinc utilissimum est corticis peruviani drachmam, vel scrupula quatuor quarta, vel sexta quavis hora dare, mediis vero intervallis aluminis eam dosim, quæ idonea videbitur ætati, et ægri constitutioni; aut serum lactis aluminosum,

Vitriolata, & aluminosa. Cortex peruvianus.

aut *specificum* HELVETII ad scrupulum unum ex conserva rosarum, quod est efficacissimum. Prodest etiam quam maxime *tinctura rosarum vitriolata*, cujus cochlearia quinque, vel sex subinde sumpta pro adultis sufficient; nec sua laude caret vinum rubrum gallicum, aut quodcumque aliud subacidum, atque austerum, cujus etiam mira ad vires erigendas facultas celebratur. Acida vero quæcunque si unquam, hic certe præcipuam opem præstant. Spiritus igitur vitrioli, etiam meracissimus ceteris palmam præripere dicitur, præsertim potui instillatus, tum maxime, cum maculæ nigræ, aut lividæ variolis interspersæ (*a*) sint. Neque hic reticenda est camphoræ vis antiseptica, in primis si acidis vegetabilibus admixta in usum veniat. Quod si delirium, aut sopor hoc in genere accesserit, vesicantia etiam tuto admoveri affirmat MEADIUS (*b*), quod quidem mirum videbitur iis, qui in ea sanguinis dissolutione, atque ad putrescendum proclivitate suspectam cantharidum vim habere non sine caussa solent. Sed interdum revellendi necessitas tanta est, ut in hac una conquiescere oporteat; quamquam tutiora tunc habenda sint epispastica, et ex sinapi parata cataplasmata.

Serum aluminosum. Specificum Helvetii. Acidum vitrioli meracum. Camphora. De vesicantibus animadversio.

(*a*) MEAD. *de Variol. cap.* 3. (*b*) *Id. ib.*

§. 273. In *crystallinis* quoque, et *siliquosis* (§. 183. et §. 199.), quæ processu flaccidæ, inanesque fiunt, inopina sæpe morte subsequente, nisi evacuatio aliqua succurrat; aquosus humor, quem primo continent, in pus nequam convertitur. Is ergo partim exspiratione difflandus est, partim ad urinæ vias derivandus. Quod præstatur blandis diaphoreticis, cardiacis, ac diureticis medicamentis. Hinc pulveres bezoartici, e chelis cancrorum compositi, radix contrayervæ, spiritus Mindere-

Curatio crystallinarum. Diaphoretica. Cardiaca. Diuretica.

ri, confectio alkermes, et in primis cortex peruvianus primæ, et secundæ indicationi satisfaciunt; tertiæ vero potissimum nitrum a scrupulo ad drachmam semis ter, quaterve in die datum, reliquisque remediis, quæ dixi, interpositum. Quibusdam (*a*) placet nitrum in vino dilutiori solvere, quod sub finem ad vires reficiendas aliquanto meracius adhibent. Nitri quoque spiritus, qui dicitur dulcis, liquor terræ *foliatæ* tartari, syrupus althææ, aliaque ejusmodi incidunt egregie, attenuant, atque ad urinæ vias ducunt. Præterea die a prima eruptione quinto, vel sexto imponenda jubent tum imæ colli vertebræ, tum brachiis, et tibiis vesicantia, ut morbi fomes, quo febris intendi potest, aut interior sedes occupari, extrorsum ducatur, excernaturque. Quod si tamen variolosus humor oberret, nec ulla naturali, aut artificiosa via extra feratur, ad cathartica hic quoque confugere necessarium fere est. Nec dispar curationis ratio a variolis *verrucosis* (§. 183.) exigitur. Digerenda enim est crassa earum materies, et paullatim evacuanda. Hinc alexipharmacis, cardiacis, sudoriferis, diureticis, atque epispasticis ut plurimum ad id opus est; et, ni hæc satis sint, demum alvum ducentibus. Quæ vero *mediæ naturæ* sunt (§. 202.), et difficulter, aut sero nimis suppurant variolæ, non aliam curationem postulant, quam quæ supra generatim exposita est. Sed jam modum excederet, nisi tandem finem faciam, sermonis prolixitas, si quæcunque huc spectant, distincte, et minute singula complecti vellem. Quapropter tertio variolarum stadio relicto ad quartum, sive postremum properabo.

Vesicantia.

Cathartica.

Curatio verrucosarum.

Curatio mediarum.

(*a*) Mead. *loc. cit. cap.* 3.

EXSICCATIO.

§. 274. Suppuratione absoluta, et decedente febre, evanescentibus symptomatibus, quod in discretis, et benignis variolis regulariter evenit, pustulæ jam flavescunt, et in crustas continuo siccantur. Tunc vix quidquam est, quod medici ope egeat. Morbus enim jam finem assequitur, et pristina corpori valetudo redit. Diluentia tamen, et subacida, cubiculi ventilatio, atque extra lectum mora, regimenque diæteticum alias laudatum nequaquam negligenda sunt: sic enim felicior pustularum siccatio consequitur. Si vero pustulæ pure plenæ, ut quandoque usuvenit, alicubi serius arescant, eas aperiri, atque exprimi, quod supra jam proposui, convenit; crustas contra, si diutius hæreant, et duriores sint, lotionibus, fomentationibusque tepidis molliri, ut secedant, et delabantur. In his vero benignioribus variolis, cum ad exsiccationis finem pervenerint, vulgatior medicorum sententia est, alvum leniendam eccoprotico aliquo medicamento esse, aut clysteribus laxandam, idque tertio, aut quarto quoque die ad tertiam, aut quartam usque vicem iterandum, multoque magis, quod suppurationis tempore, quoniam febris secundaria vel omnino abfuit, vel mitissima exstitit, alvum nequaquam ductam fuisse, pro certo assumi potest. Si quid enim variolosæ materiæ intus remanserit, aut non omne pus e pustulis emanaverit, id purgatione detrahi, expellique creditur. Immo Tissotius non exspectandam perfectam exsiccationem putat, sed mature, nempe simul ac variolæ in facie flavescunt, purgandum esse. Tempestiva enim purgatione optime præcaveri ea mala, quæ sæpe a variolis relinquuntur; illoque tempore plus unicam alvi ductionem,

Exsiccatio in benignis vix medica ope eget,

Difficilius crescentes aperiantur.

Crustæ diu hærentes molliendæ, & fomentis tepidis separandæ.

Tissotii monitum de maturanda purgatione.

dum materia mobilis adhuc est, et fluitat, proficere, quam tres, aut quatuor serius (*a*) institutas. Non tamen hinc quisquam credat, in manu, arbitrioque medici, ejusque medicamentorum potestate positum esse, residuas morbi reliquias sive in cute adhuc hærentes, sive per corpus in circuitum actas a sanis humoribus, prout libuerit, secernere, et quo conferat, evocare. Illud tantummodo certum quidem videtur, quod sordes in ventriculo, intestinisque toto morbi curriculo coacervatæ, ac collectæ, aut eo paullatim delatæ utiliter, commode detrahi possunt, dum retentæ ibi diutius, aut in sanguinem iterum refluentes nova mala inferrent. Neque inficiamur tamen, quandoque e penitioribus corporis latibulis pravos, noxiosque humores excuti, ad intestina prolici, ut inde magno ægri emolumento emittantur; sed quis possit sibi certo polliceri, hoc ipsum semper ex animi sententia cessurum, ita ut omne malum, quod impendeat, purgatione avertatur, aut omissæ purgationi, si qua pejora succedant, jure attribui queant? Quid si cathartici actione a peripheria variolosum tabum intro revocatum, in aliqua interiori sede consistat, lethalemque metastasim faciat? Peritissimi igitur, et cautissime omnia perpendentis medici erit in purgatione exsequenda se gerere, ut nulla inde noxa oriatur.

Animadversio in purgationis vim, & facultatem.

Certe primarum viarum sordes tantummodo dejici possunt. Interdum e penitioribus locis pravus humor excuritur.

Sed id minime certum.

Immo interdum metastases a purgatione fiunt.

(*a*) *Epist. cit. p.* 46.

§. 275. At in confluentibus malignisque variolis, quoniam febris secundaria cum tetris symptomatibus plerumque sub earum adhuc exsiccatione protrahitur, continuanda omnino est ea curationis ratio, quam supra (§. 262. ad §. 268.) pluribus verbis explicui; scilicet si febris adhuc urgeat, et spiritus difficulter trahatur, aut metastasis aliqua immineat, aut fauces pituita oppletæ

Curatio febris secundariæ quousque continuanda in ipsa exsiccatione.

suffocationem comminentur, simulque alvus adstricta, aut pigra sit; tunc non solum altero, aut tertio quovis die ea clystere, aut sero lactis, aut tamarindorum decocto, aut cremore tartari caute molliri, et laxari debet, apertaque servari, sed etiam, ni jam ante id satis peractum fuerit, aliquanto validius duci syrupo aureo ex senna, manna et tartaro, aut electuario lenitivo, aut sale polychresto, aut foliorum sennæ diluto, similive alio medicamento, non omissis interea diluentibus, uti decocto hordei, radicis graminis, et althææ cum oxymelle, nitro, roob baccarum sambuci copiose hauriendo, cui pro re nata acidi vitriolici aliquid (*a*) adjectum sit. Nec alienum quoque est, si sanguis antea missus non fuerit, aut non satis detractus, et calor vehemens extorreat, pulsusque duri deprehendantur, nec vires fractæ sint, sanguinis missionem tentare, aut repetere (*b*). Nec desunt magni viri, qui die demum vigesima prima, absoluta videlicet exsiccationis variolarum confluentium periodo, ubi scilicet gravior, et acutior fuerit (*c*) morbus, sanguinem mittendum, alvumque ciendam judicent. Verum tam in venæsectione, quam catharsi decernenda semper ea præ oculis habeantur, quæ alias, et maxime superioribus paragraphis in utramque partem disputata fuere, ne quid temere, et cum ægri pernicie deliberetur.

Potissimum alvus laxanda ad intervalla.

Quando etiam sanguis mitti possit.

Sanguinis missio, & alvi ductio proponitur finita etiam exsicatione. Sed non temere ultra decernenda.

(*a*) Mead. *loc. cit. cap.* 3. & Storck. *loc. cit.* p. 275. 276. (*b*) Mead. *loc. cit. ib.*
(*c*) Sydenh. *Oper. sect.* 2. *cap.* 2. *p.* 180.

§. 276. Quod si suppurationis stadio ob aliquod gravius symptoma, uti coma, delirium, convulsiones, difficilem, anhelosamque respirationem, revellentia, epispastica, et speciatim vesicantia

Ulcera vesicantium diu aperta serventur.

adhibita fuerint, horum ulcera in hoc etiam postremo stadio aperta, et quidem diu servari debent, ut omne pus variolosum via hac excernatur. Id quoque necessarium est, si in ipsa exsiccatione similes ob caussas ulceranda cantharidibus brachia, aut crura fuerunt. Alibi (§. 209.) tussim variolis accedere, plerumque uti epigenomenon, dictum est. Quando id a principio incidit, fere catarrhalis est, aut peripneumoniæ symptomatica. Tum iis, quæ catarrhis opportuna (*a*) sunt, aut quæ peripneumoniæ tollendæ apta posuimus (§§. 249. 254.), curanda omnino est. Si in progressu morbi a pustulis fauces, laryngemque obsidentibus oriatur; diluentibus, et demulcentibus, itemque mucosis, oleosisque mitiganda (§. 254.) est. At si sub finem per metastasim materiæ variolosæ accesserit, disquirendum est, an pulmones male habeant ex infarctu pituitæ multæ, et lentæ, an vero a tenui, acrique humore tantum irritentur? Primo casu sputa crassa, et viscida educuntur, quæ difficilem respirationem, et pectoris oppressionem, anxietatemque mirifice levant. Hæc tunc promovenda sunt potu aperiente, atque attenuante, adjecto nitro, et melle, aut eclegmate aliquo ex manna, melle, atque oleo seminum lini, aut amygdalino. Ubi valentius incidere, atque anacatharsim adjuvare opus est, id præstabit oxymel scilliticum, stibium diaphoreticum non ablutum, kermes minerale, minimæ sulphuris aurati antimonii doses, inspiratus aceti vapor, aliaque ejusmodi (*b*). Altero demum casu hordei decoctum, lac aqua dilutum, syrupus papaveris albi, mucilaginosa, aquæ tepidæ vapor opem ferunt. Interdum cum incidendi, tum revellendi caussa in utroque casu vesicantibus uti oportet, ut nihil de sanguinis missione dicam, si peripneumoniæ signa adessent. Atque hæc fere

Tussis superveniens quomodo curanda.

Orthopnϙeæ peripneumonicæ eadem medela.

eadem orthopnœæ, ex memoratis caussis natæ adhiberi consueverunt.

(*a*) *Vid. Vol. I.* §. 340. (*b*) STORCK. *l. cit. pag.* 278. TISSOT. *l. c. pag.* 25. & *p.* 37.

§. 277. Exsiccationi etiam variolarum interdum salivæ fluxus succedere visus est, salutem afferens; qui alias secundo tantum stadio supervenire, et plerumque tertio, ut notatum supra est, desinere solet. Eum igitur sustinere, et adjuvare par est potu calido, diluente, mellito sæpe dato, simulque cavere, ne critica ista evacuatio (*a*) catharticis, aut narcoticis, aut frigore subito turbetur, supprimaturve. Nec rarum est suppuratione ad finem vergente, aut exsiccatione jam inchoata, immo interdum finita tumores quosdam, furunculis similes, sub cute variis corporis sedibus exoriri, quos efficit pus variolosum non satis per pustulas expurgatum. Hos anteverti dicunt, sicuti etiam variolas secundarias, quæ primas exsiccatas sæpe excipiunt, catharsi maturius instituta. Quandocumque vero ejusmodi tumores prodeunt, considerandum mox est, num molles sint, et materia in ipsis liquida, et fluitans appareat. Tunc enim citissime, uti abscessus, sectione aperiendi sunt, diuque digerendi, ut omnis purulentus humor via hac efferatur. Sin vero duri reperiantur, et rubeant, et doleant; cataplasmate emollienti, et anodyno ex panis mica, et lacte, aut unguento althææ, et butyro, aut Diachylo simplici ad maturitatem perduci debent, et demum ferro incidi, quemadmodum de prioribus dictum est.

Ptyalismus superveniens adjuvandus est.

Tumores subcutanei suppurandi, & aperiendi sunt.

(*a*) MEAD. *l. c. cap.* 3.

§. 278. Nonnunquam morbidi humoris pars aliqua transfertur ad articulos, aut ad ossa ipsa,

Metastases ad ossa & articulos. Resolutio primum sanguinis missione tentanda; deinde externis, internisque remediis. ibique defigitur atroces dolores excitans, quin tamen ullus tumor exterior cernatur, aut rubor. Hinc sæpe aut anchylosis, aut caries subsequitur prope insanabilis. Quando illud accidit, ut tam dira, et pertinacia mala præcaveantur, si vires vigent, et pulsus sit durus, tentanda est resolutio iterata sanguinis missione, interpositisque alternatim idoneis catharticis (*a*). Si tamen dolores osteocopi pertinaciter persistant, et ossium, aut articulorum corruptionem intentent, præter externas fomentationes, et cataplasmata anodyna, et discutientia, quæ apprime indicata videntur, Storckiana curatio. a STORCKIO (*b*) intrinsecus danda proponuntur extracta cicutæ, aconiti, et flammulæ Jovis, methodo jam ab eodem in peculiari Tractatu de horum remediorum viribus, usuque tradita. Ulcera a variolis relicta fere eisdem curantur. Fereque hæc ipsa adhibenda suadet in ulceribus malignis, et diuturnis crurum, aliarumque corporis partium, quæ variolas quandoque subsequuntur, corpusque consumunt. Aliis vero magis arrident Quę aliis magis arrideant. decocta sarsæparillæ, ligni sancti, radicis chinæ, et rubiæ tinctorum, æthiops mineralis, antimonium crudum, atque extrinsecus fricationes ex linimento mercuriali. Sed magni hic fieri debet Camphora, & cortex peruvianus vi traumatica pollent. camphora tam extrinsecus, quam intrinsecus adhibita, quemadmodum a COLLINIO celebri Vindobonensi Medico in singulari de Camphoræ usu libello proponitur. Cui si corticis quoque peruviani adjeceris opem, egregie traumaticam, major affulgebit spes, ulcera felicius coalitura esse:

(*a*) STORCK. *l. c. P. I. p.* 283. (*b*) *Ibid. p.* 286.

§. 279. Dum autem hæc (§§. 277. 278.) ac- Febri symptomatica suppurantium tumorum. cidunt, præsertim tumoribus, quos memoravi, suppurantibus; febris nunquam ex toto desinit, plerumque pomeridianis, aut vespertinis horis invalescens, matutino vero tempore plus minus re-

mittens. Symptomatica enim est, et ad suppurationem procedens, ideoque suppuratione absoluta, plerumque et ipsa evanescit. Nihilo tamen minus dum tenet, et urget, mitigari, et quodammodo coerceri ea potest temperantibus, nitrosis, et leviter antisepticis, nec non subinde alvum lenientibus. Quod si periodum intermittentium assumat, cortice peruviano eam plerique adoriuntur; qui sane, ni febrifuga vi hic prosit, proderit tamen roborando, et putredinem arcendo, tum maxime, cum copia puris manantis universos fere sanos humores in pus converti, et putrefieri ostenderit. Certior vero, et tutior ejus effectus esse solet in febribus vere intermittentibus primariis, quas interdum complicari cum variolis vel ab ipso initio, supra (§. 209.) memoratum est. Has igitur, quocumque stadio se prodiderint, antidoto americana protinus sisti oportet, ne variolarum naturalis cursus pervertatur (*a*).

Quibus auxiliis mitiganda.

Febres vere intermittentes cum variolis complicatæ corticem postulant.

(*a*) Mead. *l. c. cap. IV.*

§. 280. Scire quoque licet, simul ac febris secundaria decedit, et variolæ exsiccantur, sæpenumero ægros viribus languere, destituique videri. Huic languori succurrit vinum aqua dilutum, aut serum lactis vinosum, aut simile aliud analepticum. Si vero ista virium defectio, finito etiam morbo, convalescentes diutius premat, ut difficillime ad pristinam integritatem redeant; nihil eos citius, efficaciusque restituit, quam lac, cortex peruvianus, et corporis exercitatio (*a*). Expiatis autem, ut supra præceptum est, primis viis, paullo largiori cibo sensim dato corpus alendum est, donec ad priorem victus rationem perveniatur. Tandem exsiccatis, delapsisque penitus pustularum crustis universa cutis balneo tepido

Viribus languentibus sub finem quomodo prospiciendum.

Victus paullatim augendus.

abluenda est, aut spongia ex decocto hordei lacti admixto, vel ex aqua sapone leviter imbuta, vel ex melicrato calentibus expressa leniter detergenda est, ut exspiratio insensibilis revocetur, omnisque morbidus fomes, qui cuti adhæserit, auferatur. Mundato sic corpore vestimenta, et linteamina omnia, lectusque ipse permutentur; ut contagionis semina procul a sanis arceantur. Ad cicatrices quod attinet, si quæ profundius infuderint, deleri, aut saltem minui creduntur, si lacte asinino, aut aqua florum fabarum; aut amygdalarum dulcium emulsione, sæpe, et diu abluantur; vel linimentis mitissimis, inter quæ oleum e vitellis ovorum recentissime expressum in primis celebratur, penicilli ope illiniantur.

Demum corpus abluendum, detergendumque. Mutatio vestimentorum, & lecti. Cicatrices fœdiores quibus auxiliis emendentur.

(a) Tissot. *Epist. cit. p.* 48.

§. 281. Ex iis vero, quæ post exsiccatas variolas, morbo non perfecte soluto, relinquuntur, exercentque convalescentes, nonnunquam est febricula quædam lenta, hæcticæ similis, quæ corpus paullatim depascitur, atque extenuat. Hæc modo ab acri varioloso retento, modo a purulenta cacochymia, modo a puris copia ex cute, ejusque ulceribus manante, et alibilem succum subtrahente, modo ab interiorum viscerum labe, et præsertim phthisica pulmonum corruptione originem ducit. Pro caussarum diversitate ejus quoque curatio varianda est. Generatim tamen, nisi interiores partes tale vitium ceperint, quod omnem artis opem aspernetur, oppugnanda est blandissimis eccoproticis; sero lactis defœcato; lacte, hocque solo, vel aqua diluto, vel decocto corticis peruviani, qui etiam per se a Mortono, aliisque hic præstantissimus perhibetur, lactis pari, aut paullo majori quantitati nupto (a); emulsionibus seminum frigidiorum; cremore hor-

Febris lenta a variolis relicta.

Ejus multiplex origo.

Si curari poscit, quænam remedia id præstent.

dei, aut avenæ, victu vegetabili, sed præ ceteris aere puro, aprico, rurali; vectione, et moderata, lenique exercitatione. MEADIUS (*b*) auctor est, ut, præter alvi ductiones, sanguis etiam e vena mittatur; cujus consilii utilitatem SAGARII quoque (*c*) experientia confirmatam legimus. Siquidem fieri interdum potest, ut a diathesi quadam sanguinis phlogistica isthæc febricula foveatur; quam tum pulsus durus, calor acer, atque alia id genus non obscure declarabunt.

Meadius interdum utilem sanguinis missionem prædicat. Quando ea locum habeat.

(*a*) MARTON. *l. c.* TISSOT. *l. c. p.* 33. 47.
(*b*) *L. c. cap. IV.* (*c*) *De Variol. Igluviens.*

§. 282. Oculos etiam multifariam a variolis male affici, supra (§. 208.) narratum est. Neque tantummodo variolis erumpentibus, aut suppurantibus id evenit, verum etiam iis jam superatis, et absolutis. Quoniam vero hactenus nihil a nobis traditum est de ejusmodi vitiorum, quibus oculi subjacent, curatione, nunc exponam, quid singulis eorum in utroque tempore convenientissimum sit. Incipiam vero ab iis, quæ exteriores partes, palpebræque patiuntur. Hæ interdum intumescunt valde, tenduntur, dolent, oculosque occludunt. Sub his lympha lacrymalis acri varioloso infecta *conjunctivam* irritat, inflammat, unde dolor increscit, et lacrymæ calentes, acres, molestæ exprimuntur. Quando hoc incidit, humectari, foverique oculi debent tenuissima, mollissimaque spongia, aut linteolo aqua, et lacte tepido madefactis. Sic dolor, et tensio mitescit, acrimonia temperatur; acris materia restitans abluitur, inflammatio discutitur, erosio avertitur, atque oculi aperiuntur. Quod si ejusmodi fomentatio jam ab initio instituatur, et singulis horis repetatur; sæpe fit, ut ista mala præcaveantur, et nunquam penitus palpebræ claudan-

Oculorum morbi.

Tumori palpebrarum, & dolori quæ utilia sint.

Quæ præservent.

tur. Ad id etiam decoctum hordei, aut seminum psyllii accommodatum est. Egregie enim lenit, et demulcet. Alii ab ejusmodi noxis oculos præservare student sola aqua rosarum albarum tepide, et crebro adhibita, vel aqua simplici frigida, aut ignito chalybe medicata, eo videlicet consilio, ne variolæ palpebris, aut oculis innascantur (*a*). Quod si malo facto variolæ innascuntur, tum aqua spermatis ranarum, malvæ, vel florum sambuci (*b*), vel cataplasmata levissima ex lacte iis imponenda sunt (*c*). Præstantissimum illud est, præsertim dolori leniendo, inflammationique compescendæ, quod ex pulpa pomorum dulcium, et lacte conficitur. Sed plerumque soli fotus ex aqua, et lacte sufficiunt, sedulo simul evitata luce, et quiete imperata. In graviori casu, majorique inflammationis metu, non prætermittenda sunt diluentia intrinsecus, antiphlogistica, sanguinis missio, balnea pedum, et reliqua ad revellendum idonea.

Pustulis oculis innatis quomodo occurrendum.

Ophthalmiæ graviori etiam venæ sectio necessaria.

(*a*) Azzoguid. *Lett. cit. pag. XXXII. XXXIII.*
(*b*) *Id. ibid.* (*c*) Tissot. *Epist. cit. p.* 48.

§. 283. Nec aliter succurrendum est, quam sanguinis missione, diluentibus, antiphlogisticis, sero lactis, atque eccoproticis, ophtalmiæ illi, quæ sub finem variolarum interdum supervenit (*a*). Quo casu etiam cutim cantharidibus exulcerare ad revellendum plurimum confert, in primis si malum diu trahatur, aut recidivum fiat. Quod si tanta horum morborum vis fuerit, ut abscessus, hypopya, aut oculi destructio consequantur, horum curatio, si qua esse potest, e chirurgia petenda est. Communissima vero vitia, quæ a variolis relinquuntur in oculis, sunt potissimum albugines, leucomata, corneæ ulcera, phlyctænæ, epiphoræ, et chronicæ ophthalmiæ,

Ophthalmia sub finem orta similibus curatur.

Ceteris oculorum vitiis topica plerumque noxia.

sæpe, et levi quavis caussa redeuntes. Multa, et varia singulis hisce morbis proponi solent cum a Medicis, tum a Chirurgis, quorum tamen maxima pars aut noxia, aut supervacua esse consuevit. Leucomata, albugines, ulcuscula cornea, phlyctænæ sæpissime sola naturæ ope, et temporis beneficio evanescere, aut saltem plurimum imminui visa sunt; collyriis vero, aquis ophthalmicis, linimentis, suffitibus, et præ ceteris pulveribus varii generis, qui in oculos insufflari, aut infundi solent, plurimum exasperari, augeri, atque in deterius prolabi. Maximum vero præsidium quæri debet in regimine diætetico, atque iis, quæ acres, pravosque humores emendant, ab oculis avocant, et leniter, paullatimque e corpore excernunt. In his excellunt succi herbarum refrigerantium, aut earumdem decocta, aquæ minerales, balnea aquæ dulcis, et repetita ad intervalla catharsis. Serum quoque lactis caprilli, lac asininum, decocta sarsæparillæ, et radicis chinæ hic commendatissima sunt pro varia temperamenti, anni temporis, habitusque corporis, aliarumque circumstantiarum ratione. In epiphoris contumacibus, ophthalmiisque recidivis, et chronicis non semel plurimum emolumenti perceptum vidi ex largo vesicanti inter scapulas applicito, et diu aperto, et postea cauterio in altero brachiorum inusto; quod quantum ad prophylaxim conferat, nemo nisi expertus noverit. Interdum in oculis remanent dolores diuturni, et permolesti, ad quos abigendos, sicuti etiam ad maculas corneæ discutiendas laudatur a STORCKIO extractum pulsatillæ nigræ minima dosi magnesiæ albæ adjectum, et per vices datum (*b*). Animadvertendum tamen est, ab ejusmodi medicamento nonnunquam oculos inflammari, et graviter affici, sic ut magna cautione, et prudentia ejus usus indigeat.

Temporis & naturæ vis efficacissima.

Internis potius remediis confidere oportet. Horum enumeratio.

Vesicantia, & fonticuli multum ad prophylaxim conferunt.

Extractum pulsatillæ nigræ ad dolores, & maculas relictas.

(a) Storck. *loc. cit. P. I. p.* 285.
(b) *Ibid. & formul. n.* 48. *in Part.* 2.

Aurium vitiis quomodo medeatur.

§. 284. Nec desunt sua quoque auribus (§.208.) mala. Dolores, inflammationesque fere eadem requirunt, quæ oculis accommodata (§. 283.) laudavimus. Abscessus vero, atque ulcera subsequentia abstergi leniter debent, diuque manare sini, neque facile exsiccari, nisi tentatis prius incassum iis, quæ totius corporis malum habitum, sanguinisque dyscrasiam corrigere apta sunt. Cohibito enim ante debitum tempus puris fluxu metastases plerumque fiunt, noxio humore ad cerebrum translato. Sed de malis variolas comitantibus, aut eas subsequentibus satis. Superest tamen, ut de quodam peculiari symptomate variolis in quocunque stadio supervenire solito, sed præcipue in eruptione, aut suppuratione frequenti, *Ischuria* nimirum, alibi (§. 207.) indicata, dicere aliquid non prætermittam. Huic plerumque remedio est, Sydenhamio (*a*) notante, e lecto surgere, et leniter per cubiculum deambulare. Quando id malum vitio vesicæ contingit, fomenta etiam hypogastrio, et perinæo imposita, itemque enemata, quæ molliunt, et laxant, urinam eliciunt. His vero postremis maxime utendum retur Meadius (*b*), ubi timor est, ne frigus surgendo susceptum variolas reprimat; demum, si vesica tumeat, doleat, nec cetera juverint, cathetere urina educi potest, maxime in adultis. Diuretica autem locum non habent, nisi in *Ischuria*, ut vocant, *spuria*, in qua nempe urina deficit, quia in renibus non secernitur. Si demum ardor simul cum stranguriosa difficultate molestiam creet, demulcendus is est internis, et externis laxantibus, et præsertim potu emulsionis seminum melonum, atque amydala-

Ischuria utraque in variolis non infrequens.

Utrique idonea curatio.

Ardorem urinæ quæ leniant.

rum dulcium, addito syrupo althææ, aut decocti hordei, radicis althææ, glycyrrhizæ, florum malvæ, verbasci, similiumque.

(a) *Oper. sect. 2. cap. 2. p. 176.* (b) *L. c. cap. 4.*

§. 285. Tandem aliquando eo perventum est, quo curationi variolarum naturalium verarum finem imponam. Fortasse justo longior fuisse videbor iis, qui in medendi arte jamdiu instituti, et enutriti rerum præcipuarum synopsim malunt, quam fusiorem de singulis tractationem. Sed hi veniam dabunt, cum sciverint, hæc non ipsis, sed tironibus, quibus multa desiderantur, præscripta esse. Quorum in gratiam sane necessarium duxi, non solum quid in quovis stadio generatim usui esse possunt, verum etiam quid quibusdam in generibus, singularibusque symptomatis opportunum, ordinate, et distincte referre; quod gratum, commodumque iis futurum spero. Illud tamen dedita opera prætermisi, quod ad variolarum crebram cum *peticulis*, aut *miliaribus exanthematis* (§. 205.) complicationem attinet. Nam quando hæc secundaria sunt, vix aliam curationem poscunt, quam ipsis variolis accommodatam. Ubi vero primaria; si quid aliud opus iis fuerit, id expositum cum exstet in sequentibus decimo, et undecimo capitibus, facile inde peti posse, arbitratus sum. Sed jam ad *variolas insititias* progrediamur, de quibus modo dicere ordo jubet. Admonitio.

VARIOLÆ INSITITIÆ.

§. 286. Jam de Variolis *insititiis*, sive *artificialibus*, quod supra (§. 166.) recepi, dicere aliquid oportet. Ita vocant illas, quæ insitione, sive inoculatione procreantur. Inoculationis vero plura sunt genera, de quibus cum innumeri pe- Inoculatio multiplex.

Inoculationum omnium probatissima. ne doctissimi Viri cumulatissime scripserint (*), ut vix hodie ullus sit, qui inoculationem, ejusque instituendæ multiplicem rationem perspectam non habeat, nobis satis erit, eam e multis deligere, atque exponere, quæ simplicissima, commodissima, ac tutissima omnium nunc a plerisque existimatur.

(*) Ex multis sequentes legere poterit quisquis uberius erudiri hac in re voluerit.

EMANUEL TIMONI *Epist. ad Jo.* WODWARD. 1713.

PILARINI *Nova, & tuta variolas excitandi per transplantationem methodus. Venet.* 1715.

J. KIRCKPATRICK *Analysis of inoculation &c. London.* 1754.

TISSOT. *l'Inoculation justifiée, A Lausann.* 1754.

CONDAMINE *Memoria sull' inoculazione del vajuolo. Livorno* 1755. *Seconda Memoria del medesimo Livorno* 1759.

SAVER. MANETTI *Della Inoculazione del Vajuolo, Firenze* 1761.

Reflexions sus les prejugés qui s'opposent aux progrés, & à la perfection de l'Inoculation par Mr. GATTI *Médecin consultant du Roi, & Professeur en Médec. dans l'Université de Pise. A Paris* 1764.

ANGELO ZULATI *Notizie degl' Innesti del Vajuolo fatti in Cefalonia nel* 1764. *Vide Giornal Medico Venet. T.VI. N.XXXIV. & seqq.*

GIO: B. LUNARDI *Del metodo d' innestare il vajuolo. In Urbino* 1766.

Nouvelles reflexions sur la Pratique de l' Inoculation par Mr. Gatti. A Paris 1767.

The present method of inoculating for the small-Pox &c. e tradotta in Toscano dalla quarta edizione di Londra del 1768. *Vedi Magazzino Toscano T. I. P. I., & seqq. ann.* 1770. di TOMMASO DIMSDALE. PORTA *il Juniore Discorso in favore dell' Innesto del vajuolo. Milano* 1774.

A Medicis quando de præparatione cogitatum. §. 287. Postquam hæc ab imperitissimarum gentium, atque empyricorum manibus ad Medicos traducta est, cogitari etiam cœptum est, qua ra-

tione ad artis leges ea exigi posset, ut utilior, certiorque ejus usus redderetur. Tunc primum visum est rationi consentaneum corpora, quibus inoculatio subeunda esset, opportuniora, aptioraque facere. Hinc plethoram, aut cacochymiam, si qua erat, prius tollendam sanguinis missione, purgatione, diæta, aliisque medicinæ præsidiis, sancitum est. *Præparationem ad inoculationem* dicunt. Sed hodie hæc fere omnino exolevit. Nam inoculatorum peritissimi sic ratiocinantur: inoculandi vel sani sunt, vel ægroti. Si sani, præparatione non egent; possunt enim per eam sic alterari, ut a perfecta valetudine desciscant. Si ægroti, a morbo, quo laborant, priusquam inoculentur, liberari debent, ut valeant, atque adeo inoculationi idonei fiant. Quapropter omnem præparationem rejiciunt, uti supervacaneam, aut noxiam, nisi hac voce intelligendam velimus ipsam valetudinis redintegrationem, quoties ipsa labefactata fuerit.

Sed hodie præparatio pene exolevit

Quorumdam inoculatorum rationes.

§. 288. Itaque sani, et bene valentes insitioni subjiciantur. Sanos autem dices, qui facile, alacriter, et sine ulla molestia, aut lassitudine actiones œconomiæ animalis obeunt; qui bono habitu præditi sunt; qui leniter spirant; quibus halitus oris inodorus est, et minime fœtet; qui nec convulsionibus, nec morbis cutaneis obnoxii, qui viribus pollent, bene appetunt, digerunt, egerunt, somnoque placido utuntur; qui cutim mollem, teneramque habent, et facile, si casu saucietur, consanescentem; qui neque scorbutica, neque venerea, neque scrophulari labe, neque alio quocunque notabili humorum vitio contaminantur. Hi ergo ad inoculationem aptissimi reputantur, quamquam dissimulandum non est, inoculatos interdum fuisse non perfecte sanos, sed vale-

Quinam sani dicendi?

Sani ad inoculationem eligendi

tudinarios, atque infirmos, qui tamen variolis benignissimis (a) affecti sunt.

(a) STORCK. *Diatribe de insitione variolarum e germanico in latinum idioma versa. Vid.* FRANC. XAVER. DE WASSERBERG *Fascicul. I. pag.* 3. Item *Instruz. med. pratic. P. I. p.* 295.

Quævis ætas, sexus, & tempus inoculationi aptum.

§. 289. Nulla ætas, nullus sexus, nullumque anni tempus ab inoculatione communiter excluditur; non infantes, non pueri, non adolescentes, non fœminæ, non ætate provecti. In omnibus enim his facta pericula demonstrarunt, innocue, feliciterque inoculationem sæpenumero tentatam fuisse. Gravidæ tamen, puerperæ, et pubertatis tempus vitari debent. At ætas omnium opportunissima censetur, quæ a quinto anno ad decimum, aut duodecimum extenditur; anni vero tempus vernum præ ceteris, deinde autumni principium, quamquam autumnus a multis damnatur, quod morborum immitium, diarrhœarum, dysenteriarumque feracissimus esse consuevit. Multo magis vitandæ videntur insalubres aeris constitutiones, in quibus scilicet morbi maligni, exanthematici aut putridi populariter vagari cernuntur; quia timor est, ne pravam morborum epidemicorum, aut stationariorum naturam variolæ quoque sequantur, aut cum iis complicentur. Locum vero, quoad fieri possit, eligere expedit, qui sit a contagii seminiis quam maxime immunis, ruri potius, quam in oppidis, sub cœlo temperato, propitio, salubri; in domo perampla, conclavibus magnis, et fenestris in quamque plagam obversis prædita, cui neque viridaria amœna, et oculos oblectantia, neque ambulacra altis sepibus, aut muris utrinque munita, aut pergulis desuper obumbrata desint, in quibus inoculati spatiari possint innoxie.

Excipiuntur gravidæ, puerperæ, & pubertas.

Ætas, & tempestas opportunior.

Autumnus vituperatur.

Constitutiones aeris malignæ vitandæ.

Locus quinam eligendus.

§. 290. Demum non omnis præparatio, saltem quæ a victus ratione procedat, penitus negligenda nobis videtur. Quare decem, aut duodecim diebus ante inoculationem victus instituatur simplex, blandus, magna ex parte vegetabilis, et temperans. Juscula oryzæ, hordei, et panis; carnes teneriores; olera, fructus; ova recentia in primis aliis eduliis permixta, et fercula farinosa concedi solent ea quantitate, quæ appetitui, et consuetudini respondeat. Qui robustiores sunt, sanguineque abundant, aut fervidiore temperamento donantur, hos a carnibus abstinere præstat, juribus tamen earum concessis, reliquisque, quæ indicavi, alimentis. Pisces fluviatiles, ranæ; et pastæ tenuiores in carnium locum suffici quoque possunt. Nec lac, atque ex eo parata, quibus arrideant, cuiquam denegantur. Potui vero datur aqua pura, subinde succo mali medici, aut aurantii, et pauco saccharo medicata. Novimus tamen nonnullos, qui consuetam victus rationem nequaquam mutandam esse censent; exemplisque adductis evincunt, id innoxie factum. Quod facile largiemur iis, qui innocuo victu uti solent, quique neque copia, neque qualitate ciborum peccant, neque acribus calidisque cibis, aut potionibus abutuntur. Nec alienum duxerim, si primæ viæ sordibus scatere videantur, aut de vermibus suspicari liceat, alvum semel, aut bis leni medicamento ducere, aut anthelminthica quædam in usum vocare. Secus, sufficiet alternis diebus enemate alvum, si compressa sit, aperire, opertamque servare. Sunt etiam qui appropinquante inoculationis die totum corpus uno vel altero balneo tepido foveri (*a*) præcipiunt; quod in primis laudarem, ubi cutis arida, et rigida nimis, qualis in adultioribus, atque exercitatis fere offenditur, mollienda, et leniter laxanda videatur.

Non omnis præparatio damnanda.

Victus ratio ante inoculationem.

Quando nihil mutari licet in victu.

Ubi purgandum?

Quando soli clysteres sufficiunt.

Utrum balneo, prius quam inoculatio fiat, utendum?

(*a*) Lud. *Inst. med. Clin. P. I. cap. I. Sub.* 7. §. 208.

Pus variolosum insitioni aptius.

§. 291. Absoluto præparationis tempore ad inoculationem transitur. Inter varia, quæ ad eam præstandam adhiberi possunt, puri varioloso primas deferunt inoculatores, idque recens esse volunt, quo certius contagium impertiat. Effœtum enim, atque evanidum variolis excitandis impar est. Præfertur vero illud, quod e pustulis suppurare incipientibus extrahitur. Id enim cum liquidius sit, multo facilius inseritur, cumque absorbentibus vasis communicatur, quam magis coctum, et crassius, quod pustulæ plenam maturitatem adeptæ suppeditant. Fortasse etiam benignius est maturiori, si vera narrant inoculatores. Mitioris vero naturæ illud esse perhibent, quod ex pustulis eorum, qui variolas insititias habent, educitur. Ex hoc enim variolæ multo benigniores gigni dicuntur; earumque benignitas tanto major fieri creditur, quo per plures inoculationes successivas idem virus variolosum transfusum (*a*) fuerit (*). Sed loci quoque, in quo insitio instituatur, delectus habendus est; nam quamquam quælibet pars ad id accommodata nonnullis quandoque visa sit, tamen experientia docuit, duas speciatim reliquis anteponendas esse, quarum altera est ea exterioris manus pars, quæ inter indicem, et pollicem media jacet; quoniam ibi laxior, flaccidiorque cutis minorem, dum inflammabitur, molestiam excitare debet; et præterea epidermis ibi crassior, et firmior est, insitionique opportunior, cum facile, et sine diruptione e cute sejungi, et elevari possit. Altera porro est superior brachii pars, in qua quilibet locus ad inoculandum idoneus habetur. Sunt qui eum seligunt, in quo fonticuli inuri solent, sunt qui anteriorem, aut exteriorem malunt, medium quasi inter cubitum, atque humeri caput. Inferiores vero artus omnium partium ineptissimi multis

Quale esse debeat?

Insitio benigniores variolas excitat. Quinam locus inoculationi opportunior.

Inferiores artus excluduntur.

de caussis reputantur, sed potissimum quia difficilius in cruribus variolosæ pustulæ arescunt, et quia ulcera ibi nascuntur, quæ ægerrime (*b*) sanantur, ut in confluenti genere sæpe videre est.

(*a*) Gatti *Nouvell. reflexions p.* 82.
(*) Nos minime latet, Storckium, aliosque quocumque variolosi puris genere usos esse indiscriminatim, quin ullum inde discrimen in inoculatis variolis detexerint. (*b*) Gatti *l. c.*

§. 292. Inseritur autem virus vel ope acus ad apicem aliquantulum complanatæ, qui antiquissimus, commodissimusque modus est, vel ope lanceolæ, id est scalpelli, quo venæ inciduntur, quoque speciatim hodie plerique inoculatorum utuntur. Sive acus vero, sive lanceola magis arriserit, alterutra pustula variolosa pure, quale dixi, scatens pertunditur, ut pure expresso bene imbuatur. Sic pure imbuta aut conspersa defertur in cubiculum, in quo inoculandus exsistit, nam is ab ægrotante, ex quo pus depromitur, procul esse debet, ne aut ejus intuitu, aspectuque terreatur, aut ore, et naribus contagiosa effluvia ab ejus corpore manantia attrahat, seque contaminet. Tum cuspis acus, aut scalpelli leniter, transversumque epidermidem inter, et cutim inseritur, sic ut spatium unius lineæ cum dimidia, aut duarum circiter transcurrat. Deinde paullulum ibi detinenda, commovendaque est, ut pus defluat, cutique adhærescat. Demum digito desuper imposito comprimitur epidermis, simulque retrahitur acus, sive lanceola, prout una vel altera adhibita fuerit, sicque omne pus, quo delibuta erat, intus remaneat, necesse est. Nec opus est, ut cuspide, aut acie cutis subter sauciëtur, quod aliquid ad certiorem insitionis effectum obtinendum præcipiunt. Dexterrimi enim

Insitio fit vel acu, vel lanceola.

Cautio.

Insitio unica satis est; vel si plures fiant, quid observandum sit?

inoculatores cavent a quocumque vel levissima sanguinis effusione. Quod si quis dubitet, utrum unica insitio ad variolas excitandas valeat, quæ alioquin satis esse solet; poterit eam repetere in altera manu, aut brachio, aut ad summum tres insitiones faciat, binas videlicet ex uno latere, unam vero ex altero, quibus certe contagium, si corpus ad illud arripiendum comparatum sit, communicabitur. Non enim integrum est inoculationes temere multiplicare; quod usu constitit, eos, qui pluribus vulnusculis, sive insitionibus inoculati sunt, variolas et copiosiores, et graviores passos esse, quam qui una, vel altera insitione usi sunt. Ex quo patet, copiam, et gravitatem variolarum plerumque puris inserti quantitati (*a*) respondere. Retracta acu, sive lanceola, non tegi emplastro, nec deligari ullo modo vulnusculum debet. Virus enim sic applicitum per se satis adhæret, et in venas certo sibi viam aperit.

Copia, & gravitas variolarum respondet puris quantitati insertæ.

(*a*) GATTI *Nouv. reflex.* p. 78. 79.

Aqua pure infecta diu servat suam vim.

§. 293. Animadvertendum autem est, acum, aut lanceolam pure, ut supra, delibutam suam facultatem ad aliquot dies servare, itemque eam diu servari in pure e pustulis expresso, et in vasculum vitreum indito, dummodo probe clausum ab aeris attactu arceatur. Quod si prius recentis copia nobis non fiat, crustæ variolarum exsiccatæ, et in tenuem pulverem redactæ ei subrogari possunt. In hujusmodi pulverem inditur filum xylinum, aut sericum, diuque in eo morari sinitur; immo eodem probe confricatur, ut in se vim contagionis arripiat. Filum hocce epidermidem inter, et cutim ad duas, aut tres lineas acu trajicitur. Trajicitur, inquam; non enim ibidem relinquendum est, ut quibusdam placet;

Cui subrogatur pulvis crustarum deciduarum.

Ejus adhibendi ratio duplex.

quia quidquid extraneum, alienumque est, irritatione inflammat, noxamque infert. Fili loco etiam acus, vel lanceola pulvere varioloso confricata, quo dixi modo, inseri potest; neque opus est, ut pulvis cum ea epidermidem inter, et cutim trudatur (*a*), videlicet ne molestam irritationem pariat. Atque hæc est methodus, quæ præ ceteris probanda.

(*a*) Gatti *l.c. p.* 83. 84.

§. 294. Inoculatæ variolæ sua et ipsæ habent stadia. *Primum* incipit a puris insitione, extenditurque ad levis usque cujusdam inflammationis apparitionem, quæ se in loco insitionis ostendit. Nihil autem prima, et secunda die circa vulnusculum apparet notandum; immo ejus oræ ita coivisse videntur, ut vix incisionis vestigium oculis pateat. At *tertia* ut plurimum *die* levis accedit insitionis loco inflammatio, cum pruritu interdum conjuncta: atque hinc *secundi stadii* exordium dicitur, quod tres circiter dies perdurat, antequam vera febris superveniat, interiora a contagio affici significans. Ista vero inflammatio est quædam variolosæ eruptionis species, a generali deinceps futura eruptione non dissimilis, eumdemque processum habens, quem reliquarum partium pustulæ habere solent. Hoc tamen ab illis differt, quod sine febre, et sine interiorum partium affectione in conspectum veniat, utpote effectum contagii proxima tantum loca adhuc occupantis. Modo unicam pustulam exhibet, in cujus centro punctum quoddam cernitur, morsui pulicis simile, vulnusculi videlicet vestigium; modo congeriem pustularum, veluti corymbum variolarum confluentium, repræsentat. *Quarta die* rubor in circulum dilatatur, pulicari quidem latiori maculæ parem, sed aliquantulum supra cu-

Primum stadium.

Secundum stadium.

Eruptio variolosa in loco insitionis.

Ejus descriptio.

Symptomata comitantia. tim reliquam exstantem. Sæpe pruritu eo in loco percipitur; dolorque sub axillis, atque in suprema brachii parte molestat. Paullatim pustulæ augentur, dolent, elevantur, tactui renituntur; et vere inflammantur. Interea dolor sub axillis increscit, propagaturque ad scapulas usque. Interdum similis dolor inguina premit. Demum accedit capitis gravitas, aut cephalalgia, itemque lumborum cruciatus quandoque ægritudo, virium lapsus, atque in nonnullis uberior urinæ excretio: quæ symptomata proximam febris accessionem, sive *tertium stadium* præmonstrant. Nonnunquam tamen hæc vel omnino absunt, vel levissima, ac brevissima sunt, citoque a febre excipiuntur, quæ febris certum indicium præbet actionis, quam in totum jam corpus exercet variolosum virus.

Antecedentia febrim. Febris accessio, sive tertium stadium.

§. 295. Febris hæc non ubique, neque in omnibus eodem post inoculationem tempore corripit; Communiter in regionibus calidis citius, in frigidis serius. In Italia quinto, vel sexto ut plurimum die. Nec aliter video evenisse iis, qui Vindobonæ verno tempore, et ad æstivum vergente a Cl. STORCKIO inoculati fuere. Febrim comitantur calor intensus, sitis, nausea, dolor capitis, lumborum, et totius fere corporis, oculorum languor, lingua albida, pulsus frequens, inæqualis, celer, somni turbati, et reliqua, quæ naturalium variolarum propria habentur; sed plerumque multo mitiora omnia, et qualia in benignissimo discretarum genere esse consueverunt. Interea pustulæ in loco insitionis ortæ tenui aliquo humore repleri, et pellucere incipiunt. Circum eas rubor latius se se diffundit, cutisque magis tenditur, at dolet. Altero, et tertio a febris accessu die modo horrent, modo calent alternatim

Febris eruptionem generalem antecedens. Ejus symptomata. Interea pustulæ circa insitionis locum suppurant. Altero, & tertio die febris augetur.

ægrotantes, vehementius febricitant, viribus magis languent, vertiginem, doloremque capitis, colli, oculorum, dorsi, immo membrorum omnium apertius queruntur, valde sitiunt, tetramque variolosam mephitim, peculiarem, et hujus morbi propriam exhalant. Pustulæ interim circa insitionem validam inflammationem sustinent, atque ad suppurationem properant. Simul ac vero variolæ in facie, et reliquo corpore erumpunt, febris cum omnibus suis symptomatibus minuitur, quin immo prorsus cessat.

Interim pustulæ insitionis latius suppurant. Eruptio generalis febrim fugat.

§. 296. Ab hac generali variolarum eruptione exorditur *quartum stadium*. Si febris sexto, aut septimo die invaserit, nono, vel decimo eruptio fiet. Solet enim secundo, aut tertio die apparere, postquam febris accessit. Interdum tamen differtur ad diem usque undecimum. Sub eruptione autem ipsa pustulæ supra insitionem, quamquam jam verum, maturumque pus contineat. Altero vero eruptionis die ægri jam bene habent, pulsu propemodum naturali, et tranquillo. Dum variolæ numero increscunt, decrescit rubor stigmatum insitionis, immo postero die omnino evanescit. Eruptio intra tres, aut quatuor dies ita perficitur, ut die duodecima, decima tertia, aut decima quarta, prout nimirum citius aut serius apparuerit, variolæ jam suppurare incipiant (*quintum* hoc *stadium* vocatur); decima vero quinta perfectam, absolutamque maturitatem consequantur. Nec suppurationis tempore ulla febris secundaria, saltem notatu digna insurgit, nisi pro secundaria habeas pulsuum aliquam elevationem, et celeritatem, quæ vespertinis præsertim horis ut suppurationis effectus non sine horripilationibus vagis, pustularum dolore, et nocturni somni aliqua perturbatio accidit; quamquam hæc tunc

Quartum stadium, sive Eruptio variolarum. Pustulæ insitionis pus verum jam continent.

Secundo eruptionis die jam bene habent.

Rubor stigmatum insitionis evanescit.

Suppuratio, sive quintum stadium.

Nulla febris secundaria. Vires, appetitus, quies redeunt. Pustulæ insitionis decidunt. Stadium sextum, sive exsiccatio.

solum accidunt, cum pustularum numerus ingens fuerit, quod rarum tamen est. Maturitate variolarum apparente vires, appetitus, somnus tranquillus mox redeunt. Insitionis pustulæ exsiccantur, et paullatim crusta inde orta secedit, demumque decidit cicatricem rotundam, sive mavis maculam rubram relinquens. Variolæ item mox a suppuratione *exsiccationis stadium*, quod est *ultimum*, ingrediuntur. Exsiccantur vero eodem omnino modo, quo discretæ benignæ, id est sine ullo gravi symptomate.

Quot modis variolæ insititiæ a communi tradita historia abludant.

Variola sine variolis.

Interdum confluunt, & periculo non vacant.

Non semper naturales avertuntur.

§. 297. Atque hæc est communissima, maximeque ordinaria variolarum insititiarum historia. Sæpenumero adeo benignæ sunt, atque exigua adeo earum eruptio, ut paucissimæ pustulæ ad cutim prodeant, ac proinde levissima tam inflammationis, quam suppurationis symptomata eas comitentur. Quin immo non infrequens est, febri inoculationem subsequenti nullas variolas succedere; quo in casu etsi vera eruptio desit, pustulæ tamen circa insitionis locum exortæ omnem miasmatis inserti vim per se solas exantlare dicuntur. Quare certum, ratumque est, febrim variolosam interdum sine variolis observari, eaque sola immunem, qui inoculatus fuit, a variolis credendum esse, æque ac multis variolis conspersus (*a*) fuisset. Non tamen inficiari licet, variolas insititias quandoque in aliquibus confluentes, et periculosas exstitisse, in aliis complicatas cum alio aliquo morbo exanthematico (*a**); in multis ulcera diuturna, erysipelata, abscessusque varios reliquisse, itemque nonnullos, qui insititias jam habuissent, in naturales, sive spontaneas demum incidisse (*b*), quod tamen infortunium commune est iis quoque, qui naturalibus laboraverint.

(*a*) GATTI *Nouvel. reflex. p.* 143. 144.

(*a**) Recentissimum exemplum variolarum inoculatarum, quæ cum morbillis complicatæ fuerunt, & summopere, & cum vitæ periculo confluxerunt, videtur in T. LX. *Journ. de Méd. ann.* 1683. *p.* 120.

(*b*) GATTI *l. c. p.* 11.

§. 298. At benignæ, et tutæ vix non semper esse consueverunt. Benignitas vero, securitasque earum non medicamentis, quorum non egent, sed fere tota, atque universa insitioni ipsi, et regimini diætetico debetur. Regimen autem paucis quibusdam præceptis totum innititur. Ab insitionis die ad febris usque adventum nihil sive in victu jam proposito, aut consueto, sive in vestimentis præter consuetudinem innovandum est. Aeri solum libero, atque assiduis deambulationibus, animique variis oblectamentis inoculatus paullatim assuefaciendus est, ut deinceps, ubi hisce præsidiis magis indigebit, lubentius eis operam navet. Inutile, ac supervacaneum, ni etiam anceps consilium arbitror primo statim die, ut quidam inoculatorum proponunt, pulverem DIMSDALII, emetico-catharticum, ex calomelano, tartaro emetico, et absorbentibus conflatum præbere. Nam sæpe nauseas, vomitus, ventrisque dolores, aliasque turbas excitat; aut, licet eo omisso, variolæ tamen, dummodo reliqua in regimine serventur, æque benignæ esse solent. Neque quodvis aliud medicamentum, quod alvum ducat, propinandum est, nisi nausea, appetitus dejectio, aut alia doceant, primas vias sordibus prægravari. Quo casu, nisi antea jam id præstitum sit, licebit alvum eccoprotico solvere. Alias satis erit alternis diebus alvum, si compressa, sit enemate injecto aperire. Recte faciunt, arbitror, qui primis mox diebus ab inoculatione ad plenam usque variolarum eruptionem pedes in aquam moderate calidam quovis vespere per semihoram demittendos jubent.

Unde earum benignitas?

Regimen quale esse debeat?

Pulvis Dimsdalii inutilis, aut noxius.

Alvus non ducenda nisi quid urgeat.

Sufficiunt enemata.

Quando necesse sit, regimine uti accuratiori.
Aer purus ducatur.
Abstinentia a lecto & somno diurno.
Infantibus somnus in aere aperto conceditur.

§. 299. Oborta vero febre, tum primum ad eruptionis usque finem necesse est, ut inoculatus aerem liberum, purum ac frigidum ducat, et quidem renovatum assidue sic, ut qui semel pulmone egressus est, non iterum respiretur. Præterea is interdiu a lecto, et speciatim a somno religiose abstineat. Quod si ob ætatem, veluti infantibus, necessarius etiam interdiu somnus sit, in aere aperto, et frigido capi sinatur. Mœror quoque omnis, aut tædium procul arceatur jocis, fabulis, cantiunculis, musicis concentibus, aliisque pro ætate oblectamentis, sed præsertim lenibus deambulationibus, quæ nimirum mentem exhilarent, exspirationem adjuvent, non vero corpus, sanguinemque exagitent. At si vires ita langueant, ut inoculatus pedibus consistere, aut incedere nequeat, tunc deferatur in aerem apertum, ibique relinquatur, donec quasi reviviscens sponte pedibus insistere, et deambulare incipiat. Tanta quippe est puri, frigidi, liberique aeris vis (*), ut vires illico resurgant, anxietas conquiescat et febris plurimum deferveat. Sin vero nequaquam id liceat, aut ex voto non cedat; curru, aut rheda eum vehi oportet per amœna viarum, aut spatiosa, apertaque ambulacra. Quod si tempestas pluviosa, aut ventis agitata, aut humida, ac nebulosa, aut subitum acre frigus impediat, quo minus foras prodeat, domo quidem se se contineat, sed per cubicula huc illuc vagetur, cavens quidem a temporis injuriis, non vero ab aeris accessu, et renovatione prudenti. Sic toti dies transigendi sunt, excepto prandii, et cœnæ tempore, quo residere licebit. Sed etiam a longa sessione cavere oportet, ne vires amittantur, et membra torpescant. Cubitum demum petat hora consueta, et prope sessus; dormiatque in amplo conclavi, et bene ventilato. Quod attinet ad victum, toto febris,

Inter oblectamenta prima est deambulatio.
Ejus boni effectus.
Vectio.
Cavendum est a longa sessione.
Quando & ubi dormiendum.
Qualis cibus?

atque eruptionis tempore cibi arbitrio, et gustui ægrotantis accommodentur, dummodo ex eorum genere sint, quorum supra (§. 290.) mentionem feci. Natura rectius, quam medicus cibi quantitatem definiet; nam si appetitu spurio, et fallaci ægrotans ad edendum impellatur, statim satietatem queretur, et abstinebit. Quantum igitur cibi, et quando sumi liceat, natura ipsa docebit. Potui autem aqua frigida, et palato grata datur; quam succo mali medici, et saccharo gratiorem, utilioremque reddere fas est. Qui jentaculo assueti sunt, uti pueri jejunium minime ferentes; poterunt illud sumere, cui jam assueverint, idemque de merenda præcipitur.

Natura consulenda.

Potus.

Jentaculum.

Merenda.

(*) Nemo ullus fortasse pluris fecit aeris frigidi usum, quam celeberrimus inoculator noster GATTUS. Ne quis tamen credat in ejus laudibus modum non esse debere, audiamus eum ita loquentem : *Je me borne donc a demander que les inoculés, pendant la maladie, évitent également les excès de la chaleur, & du froid; qu'ils respirent un air frais, & que le degré de cette fraicheur soit determiné par leur bien etre; qu'ils se conduisent, par rapport à cela, comm'ils se conduiroient en pleine santé, s'ils ne cherchoient que leur plaisir dans l'air qu'ils doivent respirer. Nouvel. reflex. p.* 112.

§. 300. Tale regimen etsi a quibusdam observandum ad finem usque (*a*) eruptionis tantummodo proponatur, quasi hic malum a varioloso miasmate proficiscens finem haberet, et reliqua stadia, suppurationis videlicet, et exsiccationis seorsum considerentur, tamquam pustularum inflammationis effecta, quæ sponte, et sine medica ope feliciter terminari solent: tamen alii et suppurationis, et exsiccationis tempore pergendum in eodem regimine volunt, suadentque etiam in ple-
suppuratione, ut ægri in aere aperto, et fri-

Regimen descriptum quousque necessarium.

gido assidue versentur; neque eos audiendos esse censent, cum horrere se, et frigere ajunt; nam nihil hinc mali unquam derivari affirmant. Nos vero neque necessarium omnino tunc temporis refrigerans ejusmodi regimen, neque temere corpus suppurantibus variolis conspersum aeris inclementiæ objiciendum, cum nocumento id prorsus non vacet, arbitramur. Sanius, tutiusque consilium erit, si ab aere frigidiori, et nimium acri caveant, brevioremque moram extra domum trahant, diutiusque in cubiculis, non tamen undique clausis, sed opportune cum aere libero communicantibus se contineant, et, quantum per pustulas dolorificas, quibus pedes, et crura afficiuntur, licebit, deambulent, et recreentur. Illud etiam animadvertendum est, pustulas pure distentas, ni sponte dehiscant, aperiri acicula, pusque exprimi posse; quod et dolores lenit, et exsiccationem accelerat, impedimentoque est, quo minus pus variolarum intro refluat. Exsiccatione absoluta, mos apud clinicos obtinuit, semel, bis, aut ter ad intervalla convalescentes purgandi; quod improbari nequit, si miti, atque ætati, temperamento, et corporis habitui accommodato medicamento id fiat. Delapsis demum pustulis totum corpus lacte et aqua tepentibus quemadmodum in variolis naturalibus fieri diximus, abluendum, abstergendumque est. Nonnullis magis placet lac ex seminibus melonum expressum, in quo camphoræ aliquantulum solutum sit, adhibere. Ex hoc calente spongiam exprimunt, eaque blande cutim fricant, et mundant, et postea pannis lineis siccis impositis omnem humiditatem absumunt. Interim pro appetitus ratione paullatim ad pristinum ciborum usum revertendum est. Non prius vero ex hisce variolis convalescens alios, qui variolas passi non sunt, conveniat, quam

Cautius sub suppuratione in aerem liberum prodeant.

Pustula quæ aperienda.

Purgatio in fine.

Corpus universum lavandum.

Fit gradus sensim ad sanorum victum.

Quando cum aliis sanis redire liceat.

quadraginta dies ab inoculatione præterierint, novaque vestimenta insectis substituta fuerint.

(a) GATTI *l.c. p.* 132.

§. 301. Quanquam vero insititiæ hujusmodi variolæ benignæ, et regulares solo regimine ad felicem exitum perveniant; si quando tamen ab ordinaria benignitate deflectant, et gravia symptomata sibi adsciscant, quæ soli regimini non obtemperent, poscantque validiorem medicinæ opem; tunc non alia curandi ratio in auxilium vocanda est, quam quæ variolis naturalibus adhiberi consuevit, quæque jam supra exposita est. Nec solum interdum variolæ insititiæ graves, et periculosæ evadunt, verum etiam lethales, licet hoc rarissimum plane sit, si cum naturalibus comparentur, quibus tutiores benignioresque non injuria reputantur. Argumenta vero, quibus inoculationem variolis spontaneis anteponendam communiter contendunt, assertamque ab impugnatoribus, vituperatoribusve vindicant ejus patroni, ad quædam præcipua rediguntur, nimirum 1. Quod in sanis corporibus, aut rite præparatis institui potest. 2. Quod ætas, annique tempus magis accommodatum deligitur. 3. Quod ferales epidemicæ constitutiones vitantur. 4. Quod minima puris variolosi particula ad insitionem adhibetur, et cuti tantum applicatur, nec ore aut naribus miasma attrahitur, ut in naturalibus variolis usuvenit majori cum periculo. 5. Quod contagium sic communicatum minorem in œconomia animali perturbationem inducere experientia compertum est. 6. Quod pubertatis tempus, graviditas, puerperium, senectus, et morborum malignorum grassatio per inoculationem declinantur. 7. Quod venustati faciei prospicitur. 8. Quod qui hereditaria quasi labe pessimas, fatalesque vario

Si qua incidant graviora symptomata, hæc ut in naturalibus variolis curantur.

Interdum non modo graves sunt, etiam lethales ejusmodi variolæ.

Inoculatio cur præferatur variolis spontaneis.

las sibi timent, infortunium istud prævertere insitione, quæ benignas, et discretas ut plurimum excitat, non sine probabili fundamento possunt. Quæ postrema ratio tanti momenti visa est nostris temporibus, ut summi, potentissimique Principes, quorum progenitoribus variolæ spontaneæ perniciosissimæ exstitere, prolem, nepotesque carissimos a tanto discrimine per inoculationem eximendo eventu fortunatissimo curaverint.

Exempla a Principibus ducta.

FEBRIS VARIOLOSA SINE VARIOLIS.

§. 302. Ut variolæ sine febre (§. 160.), sic *febris variolosa* sine variolis interdum occurrit. Hæc in primis tempore, quo variolæ epidemice vagantur, observari solet. Non desunt tamen, qui eam in dubium revocent; sed, ni valde fallor, injuste. *In quibus iam*, aperte inquit LUDWIGIUS (*a*), *licet paucissimis febris variolosa sine eruptione exanthematum accedit*. Cum LUDWIGIUS consentiunt non pauci alii magnæ auctoritatis (*b*) scriptores. At nemini frequentius, manifestiusque ipsa se ostendit, quam variolarum inoculatoribus, ut supra animadversum (§. 297.) est. Consueto enim ab insitione variolosi puris tempore febris non raro supervenit, quæ perstat ad aliquot dies, demumque decedit, quin eam variolarum eruptio subsequatur. Quis eam non variolosam dixerit?

An detur febris variolosa sine variolis?

(*a*) *Instit. Medicin. Clinic. P. I. cap. I. subsect. VI.* §. 176.
(*b*) AZZOGUID. *Lettera sopra il Vajuolo*. Nec ab horum sententia abhorrere videtur cl. TISSOTIUS.

§. 303. Incipit autem hæc febris, progrediturque eisdem prope stipata symptomatibus, quæ variolarum eruptionem antecedere consueverunt;

Descriptio.

nec alia ratione curatur, quam quæ variolis opportuna est. Interdum etiam ptyalismum, qualis variolarum confluentium proprius est, comitem habet (u), quo luculentius ejus variolosa natura demonstrari videtur. Non una vero est in ea durationis ratio. Modo brevius, modo longius spatium percurrit. Finiri autem sine variolis creditur, quod miasma variolosum mitius, et dilutius vasa cutanea laxiora potuerit, quin ea irritatione coarctaret, aut densitate obstrueret, præterlabi, et in auras avolare. Illud etiam verisimile esse potest, quod miasma variolosum non intime se cum reliquis humoribus commiscuerit, neque eos sibi satis assimilarit, ideoque quodammodo vagans, et diffluens, neque ullo modo irretitum per vasa cutanea, quin in iis consistat, et aut hæreat, facile evaporetur. Quandoque tamen in ejusmodi febre mihi videre contigit partem ejus, quod difflari debuisset, in adiposæ membranæ spatiis alicubi depositam, atque accumulatam abscessum genuisse, quo febris critice solveretur. Cur desit variolarum eruptio?

(u) Haen. *Divis. febr.* p. 97.

§. 304. Cognoscitur igitur *febris variolosa sine variolis* ex contagio prægresso, ex epidemica constitutione, ex symptomatibus exanthematicarum febrium communibus, et variolarum propriis, ex solutione demum sine ulla exanthematum variolosorum eruptione. Sydenhamius (a) descripsit febrem quamdam, cui *variolosæ* nomen dedit, quia variolarum symptomata, et speciatim ptyalismum criticum, quo solvebatur, præseferebat. Utrum vere hæc Sydenhamiana cum nostra, de qua sermo est, congruat, vehementer dubito; nam etsi constitutionem variolarum ann. 1667. 68. et 69. comitaretur, prædominantisque morbi mores in- Diagnosis. An febris variolosa Sydenhamii cum nostra congruat?

dueret, quod fere faciunt omnes morbi intercurrentes, tamen longitudine durationis, et exanthematibus petechialibus, alia longe diversa a modo descripta nobis videtur.

(*a*) *Oper. sect. 2. p. 181. edit. Patav.* 1700.

VARIOLÆ SPURIÆ (*).

Discrimen inter veras & spurias.

§. 305. A variolis veris tam naturalibus, quam insititiis multum differunt *spuriæ*, sive *illegitimæ*, sed in primis levitate, et brevitate morbi. Plerumque nulla, aut exigua admodum, et diariæ similis febris eas antecedit. Ac nisi prima, altera certe die erumpunt numero non multæ, sed illico satis conspicuæ, et prominentes, sparsim locatæ, et mutuo inter se dissitæ, et discretæ. Pustulas referunt in marginibus valde rubras, in medio diaphanas, quia ibi vesiculam humore lymphatico, aut mucoso plenam habent; quam ob caussam *lymphaticæ* etiam, aut *crystallinæ* vocantur, a crystallinis tamen, de quibus alias (§. 183.) loquuti sumus, apprime differentes. Celerrime suum augmentum attingunt ad pisi sæpe magnitudinem accedentes. Intra biduum, aut triduum media vesicula plerumque disrumpitur, et pustulæ exsiccantur. Hinc exiguæ crustæ exortæ decidunt, nullas ut plurimum cicatrices, aut quædam tantummodo vestigia, quæ cito evanescunt (*a*), relinquentes. Fereque morbus totus tribus, quatuor, aut quinque diebus absolvitur. Raro diutius durat, et si quando lentius procedit, septima utique die penitus dissipatur.

Lymphaticæ, aut crystallinæ etiam dictæ.

(*) SYNONYMA.

Variola lymphatica SAUVAGESII, *Nosol. cl.* 3. *ord.* 1. *gen.* 2. *spec.* 2.

Varicella Vogelii, *de cognosc. & curand. &c.* §. 128.

Varicella, & variolæ volaticæ Anglorum.

Variolæ lymphaticæ spec. 1. Sagarii, *cl. X. ord.* 1. *gen.* 2. *sp.* 1.

Variolæ simplices crystallinæ Macbridii, *Introd. Method. T.* 2. *cap. XIII. p.* 78. *Lausan.* 1683.

Raveglione, & Morbiglione, Etruscis, *vulgo vajuolo salvatico. Schiopetti aliis Italiæ populis.* Fanton. *Diss. de Antiquit. & progr. Febr. miliar. p.* 65. *Crystalli quorumd.* Fanton. *ib. p.* 65. *Petite verole volante*, aut *Verrete*, aut *verolette* Gallis. *Esclapete* Occitanis.

(*a*) Sagar. *Cl. X. ord. gen. & spec. cit.*

§. 306. Morbus per se levis omnino est, et periculi fere expers (*a*). Interdum sporadice, interdum epidemice (*b*) oberrat. Infantes, et pueros corripit, reliquos vix unquam. Modo ante, modo post veras variolas infestat: sed qui spurias expertus est, non ideo a veris immunis censendus est; in veras enim incidet alio tempore, non secus ac alii solent. Non alia curatione egent spuriæ ejusmodi variolæ, quam blando regimine diapnoico. Hieme moderatus lecti tepor, et diluta calida florum tiliæ, ut sambuci plerumque sufficiunt. Si vero quid ingruat præter consuetudinem, ex iis, quæ ad curandas variolas veras proposita sunt, opportuna adjumenta petantur. Ad summum, finito morbo, alvus leni eccoprotico laxari poterit.

Levis morbus est modo sporadicus, modo epidemicus. Variolæ spuriæ non præservant a veris.

Curatio.

(*a*) Ludwig. *Instit. Med. clin.* §. 177.
(*b*) Haen. *divis. febr. p.* 10.

§. 307. Harum veluti varietas quædam sunt variolæ *verrucosæ benignæ*, sive *acuminatæ*, ut a Vogelio nominantur. Pustulas hæ quoque referunt rubras, sed duras, et verrucis simillimas supra cutim exstantes, quæ septem fere diebus eva-

Verrucosæ benignæ.

nescunt. Ob mitem, innocuamque naturam *verrucosæ benignæ* dicuntur, quo ab alibi (§. 183.) descriptis discriminentur. Alteram varietatem spuriarum habet VOGELIUS (*a*), quibus *duris ovalibus* nomen est. Hæc, inquit, *post aliquot plerumque dierum febrem tubercula format obscurius rubentia, dura, ad ovalem figuram accedentia, halone rubro cincta, verisque variolis paullo majora. Quæ post duos, vel tres dies nonnihil ulcerantur, et paullatim cum nigrore exarescunt; denique pallescunt,* et *subsident; aliis interdum novis interea exclusis, ut, octiduo plerumque finitus morbus, nunc ad aliquot hebdomadas producatur vel sine febre, vel cum febricula lenta.* Num hæ ad variolas spurias vere spectant?

Duræ Ovales.

(a) Loc. cit.

Finis Tomi III.

INSTITUTIONUM MEDICINÆ PRACTICÆ

QUAS

AUDITORIBUS SUIS PRÆLEGEBAT

JO: BAPTISTA BURSERIUS

DE KANILFELD.

TOMUS QUARTUS.



VENETIIS

1817

EX TYPOGRAPHIA JOSEPHI MOLINARI.


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

DE

MORBIS EXANTHEMATICIS FEBRILIBUS.

CAPUT X.

DE PETICULIS SIVE DE MORBO PETECHIALI (*).

§. 308. Ab ineunte sæculo XVI. Peticularum morbus universim in Italia (*a*), immo Europa tota sic innotuit, ut nemo fere sit hodie, qui audito vix earum nomine non intelligat continuo de maculis quibusdam exiguis agi, quæ in cute summa sparsim apparent, rubro plerumque colore, interdum puniceo, aut livido, aut violaceo, aut nigricanti præditæ, forma fere rotundæ; modo parva punctula referentes, modo lenticulis, aut pulicum morsibus, aut potius guttulis sanguineis valde similes, sed planæ, nulloque modo exstantes, neque epidermidem attollentes; exceptis quibusdam rarissimis casibus, in quibus nonnihil supra cutim eminere (**) visæ sunt. Pro varia vero magnitudine, aut figuræ similitudine *stigmata* etiam, *puncticula*, et *lenticulæ* vocitantur. In Gallia ex rubello colore, quem ut plurimum exhibent, vulgo *purpura* eis nomen inditum est. A nostris *peticulæ*, et *pestichiæ*, aut corrupta voce *petechiæ* appellantur, non satis perspecta denominationis (***) origine.

Quid sibi velint peticulæ. Earum ortus in Italia.

Variæ denominationis ratio.

(*) SYNONYMA.

Lenticulæ, & *Puncticula* FRACASTORII, *de morb. contag. l. 2. cap. 6. Peticulæ*, & *Pestichiæ* P. SALII DIVERSI, *de febr. pestilent. cap. XIV. Purpura* GALLORUM, & J. COYTTARI THAEREI, *de febre purpura epidemic. Purpura* SAGARII, *system. morbor. symptom. al. X. ord. 1. gen. 4. Petechiarum morbus* CAROLI STARCKII, *de morbo cum petech.*

(*a*) FRACAST. *l. c.* Morbus novus tum in Italia habitus, & ex plagis orientalibus, speciatimque ex Insula Cypro ad nos perlatus. Discrepatum quidem a nonnullis est, an veteribus medicis esset cognitus, nec ne. Communior sententia fuit, apud veteres nulla vestigia ejusmodi morbi reperiri; nam exanthemata, quorum aliqua mentio ab iis facta invenitur, ad miliares pustulas, & papulas exstantes, quales culices morsu excitant, rectius pertinere videntur. Ut ut res se habeat; scriptor nuperrimus Anglus, cl. LINDIUS (*Memoir. sur les fievr. p.* 144.) non dubitat, ab AETIO in febribus malignis observatas maculas læves, planas, non supra cutim exstantes, pulicum morsibus similes. Verum incertum adhuc est, an legendum ibi sit culicum pro pulicum morsibus. PETRUS certe a CASTRO priorem lectionem probare videtur. *Vid. L. de febr. malign. puncticul. sect. I. aph. VI.* Versio item Jo. CORNARII habet: *vibices similes culicum morsibus*. Vid. AET. TETRABIBL. *secund. serm. I. cap. CXXIX.* Scire demum oportet, antequam peticulæ ab Italis describerentur, observatas eas fuisse a JACOBO DE PARTIBUS medico apud Gallos celeberrimo, qui obiit ann. 1463. aut secundum alios anno 1465. Is enim in *Comment. ad Avicen. prima quarti, Tract. 4. cap. 2.* maculas, quæ febribus acutis superveniunt, pulicum morsibus similes commemoravit. Locus citatur etiam a HIERONYMO MERCURIALI in *Prælect. Pisan. ad Histor. Hippocratis Histor. 2.*

(**) Peticulas benignas rosei coloris, aliquantum exstantes, sive prominentes se vidisse narrat in constitutione epidemica ann. 1591. Tridenti exorta concivis meus, medicusque præstantissimus OCTAVIANUS ROBERTUS (*De peticul. febr. ann.* 1591. *public. vagant. cap. IX.*) itemque in Vindobonensi peticulari febre ann. 1758. Cl. HASENOHRLIUS, Archiater Magni Ducis Etruriæ, & annis 1771. & 1772. in alia constitutione SAGARIUS (*System. morb. cl. X. ord. I. exanth. contag. gen. IV.*). Sed hoc inter rarissima referendum est; ita ut, nisi a viris tantæ auctoritatis affirmaretur, vehementer ad credendum impellerer, papulas illas non fuisse veras peticulas, sed exanthemata miliaria, aut urticata, aut morbillosa,

aut alia generis plane diversi, peticulis interspersa; quæ sæpissime cum peticulis epidemicis complicantur. Miliaria profecto erant exanthemata, quæ cum peticulis grassabantur in illa constitutione, quam descripsit Petrus a Castro; atque ita distincta ipse reputavit, ut duo genera constituerit, quorum alterum febrem *pulicarem*, alterum *culicarem* nominandum duxit. Et ut omittam majorum observationes omnibus plane notas, recentissimum exemplum ejusmodi complicationis satis erit memorare, quod nobis præbuit constitutio epidemica, quæ anno proximo 1783. in oppidis *Belgiojoso*, *Stradella*, aliisque secundum Padum positis locis vagata est. In hac enim frequentissima erat exanthematum miliarium cum peticulis conjunctio.

(***) *Pestichiæ* fortasse ex eo dictæ sunt, quod in Peste frequentissime cerni solent, aut quod interdum ad pestilentem naturam sua malignitate propius accedant. *Peticulæ* vero, quasi *pediculæ* a nonnullis dici creduntur, quod vestigia a pediculorum morsu relicta aliquo modo imitentur. Sed cur non & ipsæ a peste, quasi *pesticulæ* non ducantur? Littera enim omissa, en habes *peticulas*. Sic a *pestichiis* levi mutatione fortasse profluit vocabulum Italicum *Petecchie*. Facile enim apud vulgus ejusmodi vocum corruptio contingit.

§. 309. Ut cetera exanthemata, quod alibi (§. 2.) jam posui, sic peticulæ in *primarias*, et *secundarias* dividendæ esse nobis quidem (*a*) videntur. At de *secundariis* cum *criticis*, tum *symptomaticis* (*), quæ febribus non solum continuis cujusque generis, sed etiam intermittentibus quandoque superveniunt, toties mentionem fecimus alias (*b*), ut nullus iis locus hic esse queat. Igitur reliquum est, ut de primariis nunc speciatim dicam, morbo videlicet exanthematico febrili: quamquam minime me lateat, quosdam recentissimos scriptores, uti Cullenium (*c*), Macbridium (*d*), aliosque spectatæ doctrinæ medicos eas a morbis exanthematicis excludere, et mul-

Prima divisio.

Hic de primariis tantum.

to apertius cl. JOUBERTUM (*e*), qui omnino negat, peticulas primarias unquam esse, sed semper secundarias, tamquam aliorum morborum, et speciatim febrium malignarum, et epidemice grassantium symptomata non infrequentia (**). Quibus tamen cur assentiri omnino non possim, caussas mox in medium adducam, ne quis putet, temere, atque inconsulto contrariam me in sententiam descendisse.

(*a*) Vid. Vol. I. de Febr. §.56.

(*) Vulgo dividuntur peticulæ universæ in *criticas, & symptomaticas*. At criticum improprie hic adhiberi video; nam non id, quod ad morbum attinet, aut a morbo manat, uti proprie sumi solet, intelligi hac voce ab iis, qui hujusmodi distinctione utuntur, comperio, sed eo significatu, quem habet *primarium*, sive *protopathicum*, sic ut apud ipsos *criticum* esse, & *primarium* unum, idemque reputetur. Verum proprie *criticum, & symptomaticum* est aliquid ad morbum spectans, aut ab eodem proficiscens, non morbus ipse, in quem solum competit *primarium* esse. Quare *criticas*, aut *symptomaticas* rectius vocari arbitror peticulas illas, quibus *secundariis* nomen est, utpote ad morbum aliquem primarium spectantes, aut accedentes. Hinc distinctio in *criticas. & symptomaticas* solis *secundariis* quadrare posse videtur. Namque peticulis primariis *primarium* morbum esse, & simul *symptomaticum*, aut *criticum* esse posse, contradictionem omnino, ut patet, involvit. His ergo si qua differentia convenit, nulla erit accommodatior, quam ea, quæ aliorum exanthematum propria est, veluti variolarum, morbillorum, purpuræ scarlatinæ &c. quæ recte in *benignas, & malignas* dispescuntur.

(*b*) Vid. Vol. II. de febr. §§. 172. 323. 382. &c.

(*c*) *Gen. morb. ord. III.*

(*d*) *Introduct. meth. in theor. & Prax. T. 2. cap. XI.*

(*e*) *Histor. de la Societ. Roy. de med. ann.* 1776. *pag.* 529. *Paris* 1779.

(**) Hic non dissimulandum est, PETRUM JO: BERGIUM (*Act. Academ. Scient. Suecic. Vol. XXVIII.*

p. 526.) ut ostenderet, peticulas semper esse *sym*ptomaticas, his usum esse argumentis. 1. Inquit, peticulæ summam habent similitudinem cum purpura miliari rubra, quæ semper symptomatica est. Ergo etiam peticulæ. 2. Eruptione peticularum facta, non minuitur febris, quin immo cuncta symptomata augentur, fiuntque graviora. 3. Non omnibus eodem morbo laborantibus peticulæ erumpunt, & quibusdam, etiamsi eruperint, cito evanescunt, quin tamen ullum detrimentum, aut quidquam deterius consequatur. Immo nonnulli feliciter convalescunt interdum antequam peticulares maculæ prorsus decesserint. 4. Catharticorum, & regiminis refrigerantis usus in hujusmodi exanthemate maxime utilis deprehenditur, quod putridos humores expellit, putredinique coercendæ valet. Utrumque præsidium noceret, si peticulæ primarium morbum facerent; nam earum aut eruptioni se opponeret, aut jam ad cutim propulsas intro verteret, unde pessimæ, lethalesque metastases hominem interficerent. Atque hæc præcipua sunt, quibus suam opinionem tueri sibi persuadet Bergius. Verum, ni valde fallor, ad singula sic responderi facile potest. 1. Similitudinem peticularum cum purpura miliari rubra tantam non esse, cum inter utrumque exanthematis genus non leve discrimen intercedat, ut perspicue patebit utriusque descriptionem, historiamque invicem comparanti; neque purpuram miliarem rubram symptomaticam semper dici posse, ut falso assumitur; ideoque a pari non licere quidquam concludi; immo, si quid concludendum hinc esset, hoc plane consequens esse, peticulas æque ad miliaria non semper symptomatica reapse observari. 2. Non minui quidem febrim post peticularum eruptionem, immo ejus symptomata ingravescere non tantummodo, cum peticulæ symptomaticæ, verum etiam tum, cum primariæ ipsæ sunt, sed malignæ. Minui vero eam, & symptomata simul, ni omnia, præcipua certe mitigari, quando etsi secundariæ, criticæ tamen, & post coctionem prodeunt; aut quando ex primariis si fuerint, benignarum morem sequuntur. 3. Neque semper sine noxa peticulas non erumpere, aut evanescere in morbo vere petechiali, cum historia medica nos doceat,

imperfectam, difficilem, lentamque earum eruptionem, & multo magis retrocessionem repentinam in primariis semper, in secundariis vero tum maxime, cum criticæ futuræ sunt, non modo graviorem morbum reddere, sed sæpe etiam exitium afferre; nisi aliqua alia evacuatio, uti alvus fluxus, aut urinæ copia, aut sudor earum locum suppleat, non secus ac variolis depressis, atque evanescentibus accidit. Si igitur unquam imperfecta, aut deficiens peticularum eruptio, aut earum regressus nocumento vacare comperiatur, id profecto in symptomaticis dumtaxat evenire, non in aliis. Nec mirum cuiquam videri debere, convalescentibus quandoque peticulas in cute adhuc superesse, cum id tantum abest a symptomatica natura, ut potius, rectiusque significet, peticulas aut criticas, sive judicatorias, aut benignissimas exstitisse, sic ut prius febris cum omnibus symptomatibus decesserit, quam exanthema; quemadmodum fieri id sæpe perspicimus in variolis, morbillis, erysipelate, aliisque exanthematibus benignioribus, ut jam in superioribus capitibus satis ostensum putamus. 4. Quod demum attinet ad utilitatem catharseos, & regiminis refrigerantis ab auctore objectam; eam primum limitandam esse: nam sæpe a Clinicis deprehensum est, cathartica in quibusdam peticularum epidemicis constitutionibus inutilia non modo, verum etiam summopere perniciosa fuisse; nec diversum exitum quandoque sequi ex regimine frigido imprudenter, aut temere, aut nimium universaliter adhibito. Deinde, si quando evenit, quod Auctor contendit, ut cathartica interdum in peticulis feliciter cesserint, nihil inde eorum sententiam, qui peticulas primarias agnoscunt, infirmari; cum notissimum medicis omnibus esse debeat, peticulas, etsi primarias, interdum a cacochylia primarum viarum aut foveri, aut comitari, ut non modo tum purgantium administratio necessaria sit, verum utilis etiam, & salutaris. Regimen vero refrigerans ut in omnibus exanthematicis morbis, si scite, atque apposite usurpetur, maxime confert, sic non novum esse, si peticulis quoque non officiat, præsertim, ubi nimius sanguinis fervor, aut ad liquescendum nimia ejus proclivitas, aut corruptionis, & putredinis

motus temperari, inhiberique debeat. Quod si de peticulis porro secundariis, & quidem symptomaticis verba fiant, quales fortasse fuerunt, quas ipse observavit in quadam febrium gastricarum malignarum, & putrium constitutione, ultro fatemur in iis & purgantia, & regimen refrigerans nedum officere, verum plurimum quoque prodesse, quemadmodum ii aliis exanthematibus cum cacochylia complicatis, aut ad putredinem pronis prodesse ea novimus; non vero hinc recte consequi, peticulas *semper symptomaticas* habendas esse.

Demonstratur, dari peticulas primarias.

§. 310. Itaque en rationum momenta, quibus adducor, ut credam peticulas primarias revera existere, negarique eas minime posse. Et primum illud considerandum venit, quod peticulæ, quando epidemice aliquo in loco increbrescunt, non raro solitariæ, et sine febre, aut alio morbo, a quo pendere queant, vagari solent; sic, ut non pauci peticulis conspersi cernantur huc illuc sine ullo incommodo discurrere, et suis negotiis operam dare. Testes appello PETRUM SALIUM DIVERSUM (*a*), PETRUM A CASTRO (*a**), JOACHIMUM BURSERUM (*a***) JOHAN. FANTONUM (*a**** CAROLUM STRACKIUM (*b*), CAROLUM JOSEPHUM DAMILAMIUM (*c*), DUNCANIUM (*d*), immo universos clinicos attentius medicinam exercentes, longoque usu perfunctos, qui ejusmodi peticulas solitarias viderunt. Has nemo dixerit non primarias. Neque cuiquam concedam, deceptos eos esse peticularum similitudine, dum in scorbuticas maculas incidissent; cum ego, quoties eas videre mihi contigit, diligentiori instituto examine certissime compererim, veras peticulas fuisse, hominesque iis correptos alioquin sanissimos, atque a scorbuti vel levissima suspicione quam alienissimos. Nec solum solitariæ ejusmodi peticulæ occurrunt; verum interdum aliquanto prius erumpunt, quam febris accedat, febre postea eas subsequente; quod in

Peticulæ interdum solitariæ.

Interdum febris eas subsequitur.

aliis quoque exanthematibus primariis interdum videre est.

(a) *Loc. cit.*
(a*) *De febr. punct. sect. 3. aph. 32.*
(a**) *De febre petechiali.*
(a***) *De antiq. & Progress. febr. malignarum p. 70.*
(b) *De morb. cum petech. cap. 2. p. 19.* ubi sic ait: *Etiam petechias quo tempore populares eædem erant sine febre, & absque ulla corporis infirmitate vidi.*
(c) *Nuovo Trattato sopra le Malatt. delle migliari in Piemonte ec. p. 131. Mondovì 1774. in 8.*
(d) *Medical Cases vvith remarks Lond. 1778. Histor. VII. & Comment. Lips. T. 25. P. 2. p. 225.*; ubi auctor refert de eruptione quadam petechiali benigna, & sine febrilibus symptomatibus feliciter terminata. Plurima peticularum sine febre exempla GRAFFIUS, *Dissert. de petechiis sine febre. Goett.* 1775. Aliquas historias habet etiam STRACKIUS, *l. c. ægrot.* 40. 41. 42. 43. 44. 45. Etiam apud DIEMERBROECKIUM exstat observatio pueri sexennis, qui peticulis sine febri laboravit, *de Pest. lib. IV. ægr. 41.* Pro veris petechiis has habet etiam SCHLICHTORTUS, *Dissert. de Petech. p. 22.*

Constanter cutim appetunt, ut alia exanthemata, nec sæpe ab ulla re impediuntur.

§. 311. Secundo animadversione maxime dignum mihi videtur, morbum istum natura sua ad cutim contendere, non secus ac alii vere exanthematici morbi faciunt, sic ut citius, vel serius in ea se se prodat, neque ulla interdum arte impediri, quo minus cutim petat. Observatum enim est, quandoque neque regimine refrigerantissimo, neque sanguinis missione, neque catharsi etiam iterata, neque aere recenti, neque crebra indusiorum mutatione, neque potu nivato eruptionem ejusmodi ad cutim inhibitam fuisse (a). Id autem adeo constans, et firmum in hujusmodi morbo est, ut nemo ferme eorum, qui in eum, quando epidemice dominatur, incidunt, a peticulari eruptione immunis servetur,

quicunque eorum exitus fuerit, sive nimirum evadant, sive succumbant. Neque ex eo, quod unus, vel alter peticulis careat, ut interdum, licet rarissime, accidere non inficior, inferri continuo potest, peticulas, quæ in aliis apparuerunt, quia non omnibus fuerunt communes, symptomaticas reputandas esse: nam in his etiam paucissimis, qui peticulis destituuntur, morbus eadem omnino symptomata sibi vindicare consuevit, quibus peticulæ stipari solent, eidemque curationis methodo obtemperat; idque a STRACKIO (*b*) video confirmatum. Ut enim *febris variolosa*, sive *variolæ sine variolis* interdum clinicis se sistunt (§. 302.), sic *febrem petechialem*, sive *peticulas sine peticulis* existere posse, nequaquam absurdum putavimus (*).

Ut variolæ sine variolis, sic peticulæ interdum sine peticulis.

(a SARCON. *Istor. rag. de' mali osserv. in Napoli nel* 1764. *P.* 2. §. 403. (*b*) *L. c. p.* 29.

(*) Exspiratione enim cutanea difflari potest miasma illud, quod sub epidermide retentum alias peticularum formam induisset. Hinc fit, ut peticulari morbo grassante, febris, quæ peticulas proferebat, interdum, ac præsertim æstivo calore accedente, infestare quidem pergat, sed sine peticulis; peticulas iterum ostensura, frigore autumnali succedente. Id etiam in constitutione peticulari ann. 1783. contigit, ut epistola altera CAROLI PINAROLII mihi nuntiatum est.

§. 312. Tertio febris, quam sibi adjungunt peticulæ, experientia, et clinicis prope omnibus suffragantibus, et in primis PETRO A CASTRO accuratissimo ejus observatore (*a*), incerta, variabilis, vaga, atque anomala plerumque est, et nulli peculiari typo, ordini, aut generi adstringitur: immo interdum ipsa vel abest, vel intermittit, vel adesse, aut intermittere videtur, præsertim morbo *ad statum* provecto, ita ut pro principe morbo haberi minime queat, quod cla-

Febris omnino varia, & multiplex.

rius liquebit, ubi postea ejus descriptio tradetur. Id autem fere proprium est reliquorum etiam exanthematum febrilium, quando primarii morbi naturam, locumque tenent. Quarto peticulæ, præter quam quod in omnibus, aut certe plurimis ægrotis, uti dictum est, prodeunt; maturius etiam in singulis se exserunt, plerumque videlicet circa quartum diem, interdum quoque citius, rarissime, et vix unquam, nisi admodum anomalæ fuerint, ultra septimum erumpere cunctantur; dum secundariæ, et symptomaticæ multo rarius, paucioribusque in ægris apparent, immo serius admodum, et morbo ut plurimum provectiore, jamque ad finem vergente, aut ad interitum properante; nisi calidius regimen, et medicamenta calefacientia præpostere adhibita eas ante procrearint.

Primis diebus erumpunt.

(a) *De febr. malig. puncticul. sect.* 1. *aphor.* 1.

Eruptio regularis salubris, & contra. Interdum abest quæcunque alia excretio.

§. 313. Postremo fidissimis ex observationibus compertissimum est, peticularum eruptionem facilem, regularem, perfectam, per totum corpus diffusam, justoque tempore perstantem, plerumque, benigno videlicet morbo existente, bonum eventum sortiri, immo ea sola sine alia sensibili excretione malum omne finiri, et solvi: contra difficilem, imperfectam, anomalam, aut seram nimis earum apparitionem, aut præpropere evanescentem, aut earum defectum, regressum, introitumque ante debitam morbidi fomitis exspirationem funestissimis symptomatibus caussam præbere, quorum sæpe finis mors ipsa est: quod sane de peticulis symptomaticis nec affirmatur, nec affirmari unquam potest. Adde etiam certa esse peticulis istis stadia percurrenda, quemadmodum sunt reliquis morbis exanthematicis; quæ ultra, ubi simplex, purus, et regularis morbus est, non

Retrocessio noxia.

Certa habent stadia.

solet, nisi rarissime, produci. Atque omnia hæc, ni fallor vehementer, notas primarii morbi proprias sic exhibent, ut nemo unus æquus rerum æstimator esse possit, qui hujusce veritatis vim non persentiat. Si tamen cuiqnam vel auctoritate magistri, vel paucis, vagisque observationibus confiso aliter adhuc videatur; ut is sententiam mutet, mittendus erit ad epidemicam aliquam peticularum constitutionem, ubi commode multorum ægrorum curationibus interesse, cuncta sedulo adnotare, et expendere, cutimque in singulis quam accuratissime inspicere possit, nec contentus esse velit tumultuarie, et saltuatim modo hunc, modo illum invisere, sed toto morbi curriculo suos ægros perlustret, cuncta, quæ eis accidunt, quæ natura, quæ ars molitur, quæ casus tulerit, magna animi attentione scrutetur. Cl. Le Roy, optime de re medica meritus, peticulas *primarias* non negabat quidem, sed nondum fortasse videbatur observationibus adeo firmis instructus, ut nulla omnino ea super re dubitatio ei adhuc superesset. Postquam vero ipse peticulas stationarias anno 1764. increbrescere vidit, et eas non perfunctorie contemplatus est, beneque omnia, quæ in iis contingebant, animadvertit, magis magisque in sententia se confirmavit, peticulas primarias a symptomaticis vere diversas, non esse imaginationis (*a*) figmentum.

Si quis adhuc dubitet, quid ei faciendum sit, ut veritatem inveniat?

(*a*) *Prem. Mémoir. sur les fievr. aigues sect.* 2. *p.* 213.

§. 314. Quamquam vero primarias ejusmodi peticulas plerique medicorum animadvertissent, nomen tamen a febre, quacum ut plurimum copulantur, quoniam modo benignæ, modo malignæ, et peticulosæ, plus minus mortiferæ (*a*) specie homines terreri videbant, eis tribuerunt. Quo factum

Febris petechialis vera cur dicta morbus?

est, ut *febris petechialis veræ*, vel *purpuratæ* (*) titulo communiter, ac pene universim insignirentur, denominatione videlicet satis idonea, qua a secundariis, symptomaticisque secernerentur. At primariæ, sive cum febre conjungantur, sive sine febre sint, subdividuntur in *benignas*, et *malignas*; in *regulares*, et *anomalas*; in *sporadicas*, et *epidemicas*; in *spontaneas*, et contagione *communicatas*; in *endemicas* quarumdam regionum, et locorum, et *adventitias*; in *contagiosas*, et *non contagiosas*, et sic porro; nam omnibus hisce modis, aspectibusque se se offerre visæ sunt clinico observatori, quem neque longum artis exercitium, neque assidua morborum scrutatio tædio affecerit. Quoniam vero peticulæ modo solæ, et puræ, modo mixtæ, et cum aliis morbis, et præcipue cum intercurrentibus, qui non semper absunt, ut abesse solent in ipsa pestilentia, et proinde, ubi caput efferunt, vix a peticulis stationariis, aut epidemice regnantibus immunes evadunt, confusæ reperiuntur, hinc alia exsurgit earum differentia, *simplicium* nempe, et *complicatarum*. Cum aliis enim morbis interdum sic complicantur, ac vel in ipso initio concurrunt, ut minime pro eorum symptomatibus haberi queant. Id sæpe manifestum est in variolis, morbillis, et exanthematibus miliaribus, cum quibus sæpe peticulæ commiscentur, ut non prætercam Pestem ipsam cum qua complicari interdum consueverunt, quamquam frequentius in Peste vibices, et maculæ ad ecchymoses, et gangrænulas spectant, et a peticulis, de quibus nunc agimus, valde differunt, utpote effecta, et symptomata differunt a morbo primario, et essentiali. Immo nonnunquam, quod magis mirum est, tria hæc, peticulæ, variolæ, miliaria in eodem corpore una consociata reperiuntur, et sua singulis propria sym-

Aliæ differentiæ.

Item vel sunt simplices, vel complicatæ.

ptomata præsto sunt, ut omnes istos morbos simul conspirasse dubitari non possit.

(*a*) Le Roy *l. c. p.* 212.

(*) Synonyma.

Febris peculiaris Petri a Castro, *l. c. Febris peticularis* Octav. Roboreti, *De petic. febr. ann.* 1591. *public. vagant. cap.* 1. *Febris purpurata* Riverii, *cent.* 1. *observ.* 21. & Jo. Coyttari l. cit. *Febris petechialis, vera* Frid. Hoffmanni; *Med. syst. T. IV. P.* 1. *sect.* 1. *de febr. epid. cap. XI.* Platneri, *Art. med.* & aliorum. *Febris putrida maligna petechialis* Huxhamii, *de febr. cap. VIII. Febris petechialis, vel peticularis, vel puncticularis, vel lenticularis* quorumdam, *Le Roi Melang. &c. Prem. mémoir. pag.* 212. *Febris maligna putrida, aut purpurata, aut petechialis* Buchanii, *Med. domest. T.* 2. *chap.* 9. *p.* 179. *ed. Gallic. Febris pestilentialis Europæ*, Ejusdem. *Febris exanthematica maligna, exanthematica venosa, & perniciosa* Jo. Fortunati Bianchinii, *Lett. medic. pratic. lett.* 4. *p.* 129.

§. 315. Arduum sane, et perdifficile est morbum peticularem secundum omnes ejusmodi differentias (§. 314.) ita persequi, ut absolutissima ejusdem descriptio habeatur. Nihilo tamen minus in eo describendo sic me geram, ut præcipua, ac frequentiora symptomata, quæ in eo aut ipse viderim, aut alii, et præsertim nostrates variis in locis, temporibusque, dum epidemice vagantem studiose intuiti sunt, adnotarint, summatim collecta, atque ordine disposita non desiderentur. Quædam ut plurimum antecedunt morbi imminentis veluti signa, quæ ægrotaturos tribus, quatuor, aut pluribus quandoque diebus exercent; cujusmodi sunt capitis gravitas, aut dolor obtusus, modo fixus, modo vagus; interdum etiam ad collum productus, rheumatico similis; interdum plus minus lumbos, atque articulos, sed erratice discrucians; ciborum fastidium, sive appetitus im-

Descriptio morbi.

Signa morbi prænuncia.

minutio; lassitudo universi corporis; torpor insolitus; mœror; agrypnia; noctes irrequietæ; somni interrupti, ac perturbati; et quandoque sensus quidam molestus, qualis membris contusis, aut labore fessis esse consuevit. Nonnullis subinde circa lumbos horror, sed levis, et citissime desinens accedit; quin tamen in pulsu ulla febrilis concitatio percipiatur. Quibus vero primæ viæ saburra aliqua scatent, os etiam amarescit, et non modo appetitus dejicitur, verum plane aboletur. Interdum tanta est subita virium sine evidenti caussa dejectio, ut nec pedibus stare, nec incedere, nec erecti consistere commode queant, ac facile animo linquantur. Verum id in graviori, malignioriqne casu tantum evenit, et præsertim, ubi contagione morbus suscipitur. Fereque omnes aliquod in sex rebus non naturalibus erratum accusare solent, in primis cutaneam exspirationem suppressam, aut immodicum corporis exercitium, ex quo male habere inceperint.

Stadium primum, sive febris eruptivæ.

§. 316. Ambiguum hunc valetudinis statum excipit deinde febris, quæ a frigore, horrore, aut rigore plerumque exorditur. Rarum enim est, eam clanculum, et repente corripere. Quando vero ab horrore, qui sæpe levis est, incipit; is pluries in die, primis speciatim diebus reverti solet, ac quoties se æger de loco in locum dimovet, aut brachium exserit, aut exserere tentat, toties de horripilationibus redeuntibus, aut invalescentibus conqueritur. Nec solum primis diebus id accidit, verum interdum reliquo etiam morbi tempore fere toto, donec morbus inclinet, identidem plus minus horrere pergit. Tam varia vero, multiplexque est febris ratio, ut vix satis delineari cum omnibus suis variationibus eam liceat. Mitis sæpe, et levis morbi speciem exhibet,

ut spem faciat cito desituram esse. In ea constitutione epidemica, quæ ann. 1505. et 1528. Italiam infestavit, ita placide invadebat malum, ut vix ægri, referente HIERONYMO FRACASTORIO (*a*), medicum admittere vellent; immo complures ex medicis ipsis benignitatis opinione plurimum deciperentur, exspectantes, sperantesque paullo post prosperum finem, sive criticam solutionem. Nec aliam faciem primus ejus ingressus quandoque prætulit in Constitutione Taurinensi ann. 1722. a CAROLO RICHA (*b*) descripta. In utraque enim harum constitutionum febris gravissimis mox sibi ascitis symptomatibus simulatam exuebat benignitatem. Ceterum ubi levis, et mitis videtur febris, quamquam nec calor tactui magnus appareat, nec multum a naturali pulsus discedat, insolita tamen quædam perturbatio, lassitudo, et fractio totius corporis, capitis gravitas, sensuum hebetudo, cubatio supina, atque alia hujusmodi nos admonent de ejus pravitate, quam brevi accedens peticularum eruptio, mentisque aberratio (*c*) manifestiorem faciunt. Contra nonnunquam jam ab initio statim vehemens, atque acuta (*d*) est; quin immo interdum *sine conspicua, et peculiari accessione* plerosque occupat, atrociterque torquet, quod in primis in Taurinensi modo memorata constitutione usque ad peticularum eruptionem (*e*) fiebat: his demum ad cutim prodeuntibus, quæ morbi natura esset, cuiquam facile tum patuit.

(*a*) *De morb. contag. l. 2. cap. 6.*
(*b*) *Constit. epid. Taurin. ann.* 1720.
(*c*) FRACASTOR. l. c.
(*d*) COYTTAR. *l. c. cap.* 18. *lib. I. p.* 161.
(*e*) RICHA *l. c.*

§. 317. Ceterum febris in ejusmodi morbo ut plurimum continuæ remittentis rationem tenet. Febris varietates.

Modo remittens. Modo horrifica. At, ubi crebris horripilationibus ægri afficiuntur, phricodem ipsa æmulatur, et primis duobus, aut tribus diebus adeo obscura, et varia est, ut quando vere accessionem habeat, quando remissionem, certo distingui vix possit. Post eos vero, nisi jam prius distinctiorem typum assumpserit; manifestius remittens fit, modo quotidianæ simplicis, modo tertianæ duplicis instar, modo alternis tantum diebus, præcipue paribus ingravescens, ut in Tritæophyis; et plerumque in accessionibus aliquam horripilationem ciet, in remissionibus vero sudores. Neque tunc desunt interdum (*a*) urinæ turbidæ, crassæ, subjugales; sic ut facile pro febre de genere intermittentium, vel subintrantium TORTII accipi possit.

Modo quotidiana. Modo tertiana duplex. Modo Tritæophya. Modo subintrans.

Modo quotidiana duplex. Interdum quotidianæ duplicis typum servat, duas in nychthmero accessiones subiens, antelucanam unam, alteram vespertinam: qualem in Faventina epidemica constitutione ann. 1759. 60. 61. speciatim observare mihi (*b*) contigit. Quando postremo modo se exhibet, fere semper complicatus morbus esse consuevit cum vera quotidiana intermittenti, sic ut e continua remittenti, et quotidiana intermittenti vera, vel spuria coalescat, quemadmodum fit in Proportionatis (*c*).

(*a*) *Saggi di Medicina Pratic. di P. Paolo Dall'Armi P. I. nelle giunte p.* 63. (*b*) *Ibid. pag.* 60.
(*c*) *Vid. Volum. I.* §. 105.

Modo intermittens. §. 318. Atque hæ sunt præcipue ejus vices; quando continuæ remittentis naturam obtinet. Non raro vero sub veræ intermittentis specie ludit, tum in primis cum a frigore, aut horrore suas accessiones repetit; quod PETRUS A CASTRO in Veronensi quadam epidemica constitutione aperte (*a*), aliique non pauci post eum animadverterunt. Larvam autem intermittentis post aliquot

accessiones deponere consuevit, et in continuam transit die videlicet quinta, septima, aut nona, quod fere longissimum est. Intermittentis in modum ad undecimam usque diem eam decurrere vidit Carolus Richa (a). Simul ac vero continua facta est, suam feritatem mox patefacit, tanto lethaliorem, quanto longior fuit fallacis, et simulatæ periodi continuatio (*). Dum autem intermittentis, aut subintrantis speciem refert, maxime cum accessiones a frigore, aut horrore incipiunt, sudoribus vero solvuntur, non modo juvenes medici, verum etiam seniores in vanam spem eriguntur, se posse cortice peruviano eam cito depellere; quod tamen si tentent, nunquam assequuntur; non enim ista, etsi intermiserit, corticas subjecta est facultati. Quamquam vero errandi sæpe occasionem præbeat; tamen non ita latet ejus vera indoles, ut detegi anteriori indagine non possit. De ea enim sic scripsit idem Cl. Richa: *Nec tamen se se ita prorsus abscondere noverat illa unquam, quin aliquam subesse fraudem suspicio, aut metus foret, quidque mali moris, ac re ipsa divinum vel intermissionis, vel remissionis die appareret. Alii namque de immani capitis dolore, alii de ingenti æstu, ac totius corporis lassitudine conquerebantur. Quidam siticulosi aderant, et diu vigiles. Haud paucos gravis sopor, ut vix excitari potuerint, occupaverat, atque horum neminem servatum (c) memini.* Ad quæ si animus advertatur, et præterea peticulæ epidemice oberrent, et lassitudines spontaneæ antecesserint, et ea non defuerint, quæ magnos morbos prænunciare solent, et febris in primis quotidianæ duplicis typum teneat, quæ alioquin rarissima est, neque perfecta, atque indubia integritate potiatur; et accessionum reditus vagus, atque erraticus sit,

Quando larvam intermittentis exuit.

Cortici peruviano non obedit.

Qua ratione dignosci latens ejus natura possit.

aut certe non admodum ordinate, et regulariter fiat, sudoresque non remissionem tantum subsequantur, sed totam accessionem comitentur, nec ea absoluta prorsus desinant, nec satis lateritiæ urinæ respondere videantur; jam ab ipso initio cognosci poterit, subdolam febri inesse naturam, neque antidoto americano quidquam fidendum esse.

(a) *Loc. cit. aph. 2.* (b) *Loc. cit.*

(*) Historiam febris petechialis veræ, quæ primis diebus quotidianam duplicem chinæ reluctantem mentiebatur, & obliteratis frigore, quo accessiones suas inchoabat, & sudore, quo, ut veræ intermittentes, eas finiebat, continuæ demum factæ vide sis in Opusculo P. Jo. VASTAPANI, Medici Taurinensis clarissimi, quod inscribitur *De china china in synochis animadversiones*, *pag.* 86. *hist.* 2. Apud eundem (*p.* 89. *hist.* 3.) invenies quoque exemplum febris petechialis anomalæ, quæ ab initio tertiana intermittens fuit, quæque cedere visa est chinæ chinæ; sed paullo post sine ullo frigoris, aut horroris antecessu repullulavit continua, sive potius recruduit; & demum peticulas ad cutim protrusit. Notandum tamen est, ambos ejusmodi ægros in Nosocomio, dum peticularis morbus epidemicus erat, decubuisse. Num ex contagioso Nosocomii miasmate anomala ista facies? Non ausim definire. Reliquæ quidem, quæ ibidem extant, historiæ ægrotantium suspicionem non levem injicere videntur, nosocomicam febrim, quæ ut plurimum peticularis est, intermittentibus febribus, si vere tales præexstiterint, ex mora in Nosocomio, & ex contagione supervenire potuisse; quod in primis probabile fuerit, quando febres, quæ intermissionem habebant, cortici peruviano obtemperaverant; nam quæ intermissionem fallacem ostentant, nec vere a fomite intermittentium pendent, vim corticis aspernatur, ut reapse aspernatur febris peticularis, intermittentem, quemadmodum supra exposui, inter initia simulans. Videtur enim tunc Natura iteratis usibus sed finem non assequentibus, qui tot accessionibus febrilibus respon-

dent, moliri separationem, expulsionemque peticularis miasmatis, quo ad febriles motus concitatur, & prout crebius, aut rarius irritabilitas ab eo afficitur, crebriores etiam, aut rariores motus istos excitari, verisimile arbitror; donec veneno integre evoluto cessent inæquales imperfectique conatus, & assidua febris orta exanthematicum morbum manifestum faciat. Vid. etiam *epistola altera* Caroli Pinarolii &c. (c) *Loc. cit.* §. 21.

§. 319. Sed omnium frequentissimus est quotidianæ continuæ remittentis typus. Plerumque pomeridianis horis cum horrore, interdum sine eo febris exacerbatur. Horrori calor succedit, ægris sæpe molestus, tactui ut plurimum mitis, qui ad matutinum usque tempus perseverat; tunc vero remittitur febrilis æstus undique sudore manante cum symptomatum levamine. Id in primis in nuperrima peticularum constitutione, quam proximo superiore anno 1783. Casali Pistorum observavit auditor olim noster, nunc amicus singularis, et medicus longe felicissimus Carolus Pinarolius (a), frequentissimum fuit. Quibusdam vero sudores fere perpetui sunt tam ab initio accessionum, quam augmento, et remissione, profusi, calidi, universales, sed inutiles, et debilitantes, ut in febre Elode, et colliquante esse solent. Id præsertim evenit, ubi cum peticulari morbo miliare etiam venenum complicatur. Sed tum sudores isti transactis aliquot diebus paullatim minuuntur, et sæpe ex toto decedunt. In oppido *Belgiojoso* grassantibus epidemice peticulis nuper sudores hujusmodi visi sunt modo ab initio ad finem morbi usque continuare, modo in principio tantum, raro sub finem; et quamquam alias tunc utiliter erumpere soleant, ibi tamen pene inutiles fuisse (b) narrantur. Scire præterea convenit, pro temporum anni, atque aeris varia-

Plerumque quotidiana continua est.

In remissionibus sudor.

Interdum sudores perpetui.

In fine plerumque utiles.

Pro temporum ratione varias formas induit. tionum ratione, et pro temperamentorum diversitate modo unam, modo aliam formam, et speciem induere. Hiberno tempore, exempli caussa, aut subitis calidi aeris in frigidum mutationibus, aut tempestate frigida, et humida rheumatismi, pleuritidis, catarrhi, rheumatisve similitudinem affectat, ut incautis inflammatoria, catharrhalis, aut rheumatica videri possit. Æstivo vero tempore, et in temperamentis cholericis sæpe sub specie febris biliosæ, aut ardentis, aut colliquantis, sive putridæ decurrit. Prout demum cum cacochylia primarum viarum, aut lumbricis intestina occupantibus conjungitur, *gastricam*, et *verminosam* facile repræsentat, proque tali a plerisque accipitur.

Qualis hieme, qualis æstate?

Qualis ex complicatione saburra gastrica.

(a) TARGIONI *Raccolta d' Opuscoli medico-pratic. Vol. VIII. Lettere intorno l' epidemia del* 1783. *p.* 260.
(b) TROLLIUS *ibid. p.* 224.

Post febrem quænam symptomata?

§. 320. Protinus vero ac febris accessit, cuncta symptomata, quæ morbum prænunciaverant (§. 315.), graviora fiunt, et quædam alia se se eis adjungunt peculiaria, et plane propria. Appetitus igitur si prius tantum diminutus fuit, jam penitus aboletur; pondus ingens præcordia gravat, suspiria imo de pectore trahuntur. Lassitudo, et virium languor magis corpus opprimit; membra torpore gravius afficiuntur; dolor dorsi, artuumque acerbius torquet, tantusque is interdum est, ut ægri uno loco diu conquiescere nequeant, sed huc illuc jactentur. Assidua communiter vigilia eos exercet, ac, si unquam somnus obrepat, brevissimus is est, turbulentus, spectrisque interruptus, nec quidquam reficit. Nonnullis vero etiam inter initia coma accedit, idque toto fere morbi curriculo perseverat. In aliis vigiliæ, et sopores per vices alternatim se

se excipiunt. In primis autem caput circa frontem, et sinciput acutius, atrociusque dolet, et fervet; aut saltem grave admodum est. Quibus acutius dolet, et fervet, sæpe cum pulsationis sensu, et carotidum, temporaliumque arteriarum manifestiori, quam in carpis, micatu conjungitur. In aliis vero, licet caput acriter doleat, temporales, carotidesque eodem, quo in carpis pulsu subsiliunt, id est parvo, debili, non magnopere crebro, cujusmodi fuit in oppido *Belgiojoso* TROLLIO viro docto, et exercitatissimo (*a*) testante. In aliis vero punctionibus vagis, atque erraticis tantummodo pertunditur; sed quocunque modo ipsum se habeat, fere cum dolorifica musculorum cervicis tensione connectitur. In omnibus, quos anno proxime elapso curavit Jo: BAPTISTA CAMBIERIUS, solers, et perspicax homo, dolor capitis fuit acutissimus, et assiduus (*b*). Dolori capitis adjungitur aurium susurrus, ac tinnitus, et quidam mentis stupor. Facies plerisque tumet, pleniorque est, immo intense rubet: qui rubor, nisi a principio adfuit, progressu saltem, et speciatim post peticularum eruptionem certe supervenit, perstatque ad morbi usque inclinationem, videturque erysipelatosus. At is facile in plumbeum, et tetrum colorem mutatur, ubi malum in deterius vergit. Oculi item sanguine suffunduntur, ardent, dolentque ad radices, lucis prope impatientes. In multis sitis intenditur, etsi lingua humida, et rubra apparet, in aliis nulla bibendi cupiditas est, tum etiam, cum lingua arida, scabra, et aphthosa cernitur; quod universum in nupera epidemica peticulari febre (*c*) observatum est. Calor plerumque interior molestus, exterior mitis esse solet; in quibusdam etiam tactui acer, et pungens (*d*), talisque præsertim in accessionum augmento, aut in

gravioribus accessionibus deprehenditur. Quandoque tamen exterior cutis adeo temperata videtur, ut ad tactum fere subfrigida persentiatur. Nec desunt leves mentis aberrationes, potissimum nocturno tempore, ubi febrilis vis corpus vehementius exagitat. Sæpe potus ab ægris respuitur, quia ab eo ponderis molestia circa epigastrium increscit. Respiratio plerumque inæqualis est, interdum frequens, laboriosa, et suspiriis interrupta, non tamen calida, ut in peripneumonicis. Interdum dolor lateris eam comitatur, a quo neque tussis, neque sputum cruentum semper abest; sed is sæpe a spasmis proficiscitur, nec a phlegmone originem ducit. Hinc vel sponte cito evanescit, vel unica sanguinis missione discutitur. Hoc non infrequens symptoma fuit FRASCAROLI in LAUMELLO, ut ex epistola MAURI ANGOLINII medici probatissimi (*e*), et auditoris olim nostri accepimus. Quoniam vero sæpenumero cum peticulari morbo cacochylia gastrica, et verminosa conjungitur, quando id incidit, lingua muco albo, aut flavo sordescit, os amarum, nausea, vomitus biliosi, dolor epigastrii, interdum singultus, flatus assidui, et crebri borborygmi ægros fatigant. Similia patiebantur anno proxime elapso *Casali Pistorum*, simulque siti ardentissima cum oris, et faucium mucoso velamento, modo albo, modo flavo, et cephalalgia atroci cruciabantur miseri illi ægrotantes (*f*).

(*a*) *Lettere intorno l'epidemia del* 1783. Vid. *Raccolta d'Opuscoli Medico-Pratici Vol. VIII.* p. 240.
(*b*) *Ibid. p.* 284. (*c*) TROLLIUS *ib. p.* 223.
(*d*) CAROL. PINAROLLUS *ibid. p.* 261.
(*e*) *Ibid. p.* 290. (*f*) PINAROL. *ibid. p.* 260.

Quales pulsus?

§. 321. Pulsuum magna varietas est. Universim parvi, debiles, humiles, molles, inæquales, parumque crebri, aut celeres reperiuntur;

talesque toto morbi curriculo perseverant. In quibusdam attolluntur, expanduntarque circa augmentum; in aliis augmento, et statu rarescunt ut sanis (*a*), sed obscuri, et humiles. Initio cujusque accessionis deprimuntur, et accelerantur; in incremento vero elatiores, validioresque nonnihil plerumque fiunt, sed sine ea vi, et duritie, quæ in morbis inflammatoriis vulgo invenitur. Quandoque validi, magni, frequentes, durique ab initio usque ad finem occurrunt. Id speciatim in quibusdam anni constitutionibus, temperamentis sanguineis, robustisque corporibus evenit; sive hoc a diathesi phlogistica, sive ab acri quodam principio dependeat, quo vires vitæ exstimulentur. Interdum tales ab initio solum se exhibent; verum post primos dies, aut post sanguinis missionem languidi, parvi, humiles, tremuli, inæquales evadunt, neque validius emicant, ordinatioremque rhythmum adipiscuntur, nisi morbo ad inclinationem tendente. Alvus plerumque adstricta est; nonnunquam laxatur, tenuibus, acribus, fœtidisque egestionibus, quæ modo virent, modo subrubent, modo flavent, modo nigricant, et cum iis sæpe magna lumbricorum vis dejicitur; quod maxime usuvenit, ubi gastrica colluvies morbum comitatur, aut fovet. Interdum dejectiones vidi cinereas, interdum biliosas, aut serosas, et fœtidas cum frequenti et molesto egerendi desiderio; quo casu non deerant borborygmi, ventrisque dolores. In aliquibus alvus naturalem modum, atque ordinem tenet, nec quidquam a consuetudine recedit. In aliis tanta est ad liquationem propensio, ut medicamento vel lenissimo ingens ventris profluvium excitetur magno ægri detrimento. Sanguis initio e vena missus plerumque naturali colore, et crasi præditus apparet, interdum rutilus, et seri ex-

Alvus modo clausa, modo fluens.

pers; interdum pellicula flava, mucosaque obtectus, crassamento interim laxo, et vix cohærente; serosa vero parte subflava, aut virente; sæpenumero, præsertim in perniciosiori genere, nigricans, acer, facile diffluens; secundo missus, tenuis, solutus, magna seri lutei copia innatans, vix concrescens, citoque corrumpi, et colliquari solitus est. In Mutinensi annor. 1692. 93. 94. constitutione tam e vena missus, quam cucurbitulis, aut hirudinibus detractus, aut e naribus sponte profusus generatim bonæ notæ videbatur, sed rutilus valde, et rubicundus. Nec quisquam repertus est, cujuscunque temperamenti, aut habitus esset, in quo detractus sanguis phlogisticum gluten, crustamque pleuriticam (*a*) haberet. Nec dissimilis fuit observatio Cl. Richæ in constitutione illa Taurinensi alias memorata; nam sanguis in omnibus ad liquescendum, putrescendumque (*b*) paratissimus erat. Non tamen desunt exempla sanguinis vere phlogistici in hujusmodi morbo non modo inter initia, verum etiam progressu, immo ad diem usque duodecimam, et ultra, deprehensi (*c*); quamquam eo jam adulto, et longius producto qui prius tenax, et firmiter cohærens visus erat, facile diffluere, et liquari consuescat. Nec tum rarum est animam fœtere, sudores, cutaneamque exspirationem, nec non excrementa quæcumque putridum nidorem exhalare. Contra interdum sanguis qui primo emittitur, rutilus non modo, sed etiam solutus apparet; secundo vero, aut tertio detractus sæpe firmiorem, phlogisticamque diathesim exhibere (*d*) deprehensus est.

Sanguis qualis?

(*a*) Ramazz. *Dissertat. de Constit. ann.* 1692. 1693. 1694. (*b*) *Loc. cit.*

(*c*) Dall'Armi *Sagg. di Medecin. Prat. P. I. nelle giunte Constit. epid. del* 1759., *e* 60. *pag.* 71. Ha-

SENOHRL *Hist. febr. petechial. ann.* 1757. 1758. 1759. *in Wasserbergii Fasciculo primo oper. minor. medic. & Dissert. pag.* 277. HAEN. *Rat. med. Part.* 4. *c.* 6.
(*d*) HASENOHRL *ibid.*

§. 322. Fereque id est, ut descripsi, morbi primum stadium, quod cum omnibus suis symptomatibus ad peticularum usque producitur eruptionem, a qua alterum inchoatur. Die autem, aut nocte, quæ eam præcedit, cuncta symptomata exacerbari solent, in primis anxietas, inquies, respirationis difficultas, febris, et pulsus interdum fit subdurus, et contractus, et si prius non erant; se manifestant manuum tremores, tendinum subsultus, mentis aberrationes, aliaque ejusmodi. Interdum singultus, aut vomituritio antecedit (*a*). Erumpunt deinde peticulæ, nempe intra quartum, et septimum diem; quod maxime regulare, et commune est (*). Interdnm tamen visæ sunt erumpere multo citius, videlicet vel ante ipsius febris accessum, quod supra notavi, vel primo; aut altero a febris invasione die; interdum contra multo serius, nono nimirum, undecimo, vel decimo quarto; sed id tantum evenit in difficiliori, longiorique morbo, atque anomalo. Plerumque apparent in collo, pectore, dorso, brachiis, cruribus, locis scilicet cordi propioribus, aut qua insigniora vasa decurrunt. Quando vero eruptio recte, et ex naturæ instituto procedit, quasvis partes successive occupat ad imos pedes usque, peticulis, quæ prius prodierunt, sensim evanescentibus, et succedentibus aliis in iis locis, in quibus nullæ antea eruperant (*b*). Nec omnino, nec semper faciem intactam relinquunt. Bis tantum in suis ægris eas in natibus, et cruribus obortas nuper offendit PINAROLIUS (*c*). In puerperis femora primum, nates, inguina, abdomenque, dein pectus, brachia eis occupari, ordine prope

Eruptio, sive secundum stadium.

inverso, quam in aliis fieri solet, auctor est Sagarius (d). Interdum latent sub epidermide vix conspicuæ, perque eam tantummodo transversim, et intenta oculorum acie spectatæ translucent; quo sæpe factum puto, ut eas abfuisse, ubi tamen erant, interdum nonnulli minus considerate scripserint. Immo interdum in conspectum non veniunt, nisi cucurbitulis alicubi admotis, ut extrorsum avocentur. Qua enim cutis per cucurbitulas intumuit et rarefacta est, ibi sæpe dumtaxat apparent. Postremo nonnunquam modo prodeunt, modo subeunt, atque evanescunt, sicque pluries redeunt, deceduntque, malo plerumque omine.

(a) Storck, *ann. med.* 1. *mens. sept.* 1758. *p.* 29. & *Decemb. p.* 42.

(*) Qui peticulas epidemicas descripserunt, ad unum omnes nobiscum consentiunt. Sed in primis consulantur descriptiones maxime similes, ut e natura ipsa petitæ, Fracastorii (*l. c.*) Petri a Castro (*l. c.*), Octaviani Roboreti (*l. c.*) Bernardini Ramazzini (*l. c.*), Caroli Richæ (*l. c.*), Leopoldi Trogherii (*Dall'Arm. sagg. di Medic. Prat. P. I. p.* 20., & 28.), Anonymi qui peticularum anni 1764. historiam conscripsit (*ibid. pag.* 15.) & Targionii Tozzettii (*Relazione delle febbri ec. del* 1767. *pag.* 89.) &, ut quam plurimos alios omittam, Trollii, Pinarolli, Cambierii, Angiolinii, Pizzornii nuperrimorum observatorum, (*Targion. Raccolt. d' opusc. med. prat. Vol. VIII.*) ex nostratibus; quibus addi velim pro multis eas, quas Hasenhorlius (*Histor. med. febr. petech.*) & Storckius (*Ann. med.* 1. & 2.) nobis reliquerunt.

(b) Ramazzin. *l. c.* §. 19. & Richa *l. c.* §. 21.

(c) *Loc. cit. p.* 261.

(d) *L. c. cl. x. ord.* 1. *gen.* 4. *spec.* 4.

Variant magnitudine & colore.

§. 325. Ut vero magnitudinem variant peticulæ, modo punctula minuta, modo pulicum morsus, modo lenticulas, modo majores etiam maculas adæquantes; sic colore plurimum differunt. Ru-

bræ tamen, aut puniceæ ut plurimum sunt, interdum violaceæ, aut lividæ, aut flavæ, aut fuscæ, aut pallidæ; interdum etiam, quod rarius omnino est, nigræ. Dixi, peticulas sæpe pulicum morsibus esse similes; a quibus tamen facile discernuntur; quod in centro non habeant saturatius ictus, sive punctionis vestigium, quod indelebile sane est, etiamsi comprimatur, aut confricetur; dum tamen reliquum maculæ a morsu peculiari relictæ pressione evanescere, aut albicare solet. Quo a peticulis satis discriminantur; nam hæ nec pressu, nec alia ratione quidquam mutantur. Quod si dubium adhuc videatur, peticularesne maculæ, an pulicares sint, fricandas esse farina fabarum aceto subacta jubent complures, pulicares enim illico hujusmodi artificio discuti, et dissipari ajunt. Quando autem peticularum eruptio tanta est, ut universa fere cutis iis obsita appareat; sæpe inter eas nonnullæ multo minores, quæ aciculæ quodammodo ictum repræsentant, sparsæ cernuntur. Fereque distinctæ, ac *discretæ* esse consueverunt. Interdum tamen *confluunt*, et una coalescentes maculas quasdam majores formant. Si perfectum circulum efficiant, *circumscriptæ* vocantur; si contra diffluant, et quodammodo extra vagentur, *diffusæ*.

Quomodo a pulicum morsibus distinguantur.

Majoribus, minores intersperſæ.

Quæ discretæ, quæ confluentes, quæ circumscriptæ, quæ diffusæ sint.

§. 324. Differunt demum peticulæ ab aliis exanthematicis papulis, præsertim miliaribus, urticatis, et morbillosis, quod nec cutis superficiem excedunt, nec exasperant, nec pruriunt, nec dolent, nec ulcerantur, nec in squammas abeunt, sed paullatim resolvuntur. Quamobrem minime acquiescimus PETRO A CASTRO, qui vix discrimen ullum ponit inter maculas *peticulares*, sive ut ipse vocat, *pulicares*, et papulas *culicares*, culicum nempe morsibus (*a*); nam in his

Differunt a reliquis exanthematis.

Pulicares & culicares maculæ distinguendæ.

postremis et elatio aliqua, cui apud quosdam Italos *Tacche* nomen est, et vesiculæ quædam, sive pustulæ exiguæ, tam rubræ, quam albæ; quas hodie *miliares* nominant, non oculis dumtaxat, sed tactu etiam deprehenduntur. Discrimen etiam aliquod inter peticulas *primarias* et *secundarias* intercedere animadvertit Cl. LE ROY (*b*), idque in coloris differentia consistere, illas quippe colore dilute rubro, ac roseo donari, et potissimum in lumbis, et cruribus confertim prodite solitas; has contra purpureas plerumque, et vini saturate rubri colorem habentes, quandoque etiam fuscas, aut nigras, numeroque pauciores, rarioresque. Verum illud etiam de primariis, ut alias scripsimus, probe tenendum est, quod mature erumpunt, et quando epidemice discurrunt, non modo in omnibus eodem morbo ægrotantibus efflorescunt, sed cum aliis etiam morbis, quos intercurrentes vocant, (nam hi non semper tum omnino absunt, aut silent, ut perperam nonnulli contendunt) persæpe complicantur: dum contra *secundariæ* serius, ac plerumque circa statum, aut versus finem morbi solum prodeunt, nec in omnibus ægrotis, sed in iis tantummodo, quorum sanguis ita depravatus est, ut ferme putrefiat, gangrænulasque sparsim in cute progignant; aut regimine et medicamentis calidioribus præpostere, et vehementer concitatus, æstuansque in cutanea spatia se se effuderit, non naturæ providentia se se a noxio miasmate liberare nitentis, et ut ita dicam, despumatis. Hinc differre primarias a secundariis ex eo etiam dixerim, quod illæ a peculiari, et venenato miasmate originem ducant; hæ a depravata per morbi vim sanguinis crasi, aut ab ejus concitatiori auctiorique motu, aut a regimine demum calefaciente. De sede autem peticularum nequaquam possumus acquie-

Quale discrimen inter primarias & secundarias?

Signa alia primariis propria.

Contraria in secundariis.

scere DIEMERBROECKIO (c), etsi ad anatomen provocanti, nec aliis magnis viris cum eodem sentientibus, dum opinantur, eam in interioribus partibus, puta adipe, carnibus, et periostio locandam esse, quasi conum efficerent, cujus basis profunde ad ossa usque sita esset, apex vero ad cutem terminaretur. Id quidem de vibicibus, aliisque gangrænosis maculis, quæ in peste defunctis conspici solent, affirmari fortasse posse, ultro largimur; non vero de morbo peticulari, in quo peticulæ, nisi cum gangræna interiori concurrant, non certe infra cutim unquam descendunt (*). Quidquid enim eas efficit, minimis, ac distinctis loculis sub epidermide continetur. Sedes peticularum.

(a) L. c. sect. I. aphor. VII. (b) Loco cit.
(c) *De peste* l. IV. *Hist.* XXXII.
(*) Maculæ gangrænosæ, & vibices, sugillationesque fuisse videntur, quas scalpello sectas humorem *extraversatum* fudisse, aut *ad totam cutis substantiam*, aut ad pinguedinem, immo *ad musculos usque* penetrasse coni instar DIEMERBROECKIANI, narrat STOLLIUS; *Rat. medend. P. I. sect. cadaver.* 8. p. 199. 200. Non tamen negandum est, interiora etiam viscera maculis peticularibus interdum conspersa a prosectoribus reperta esse, ut constat ex fidis observationibus; sed tunc nullam habent cum exterioribus communicationem.

§. 325. Post peticularum autem eruptionem, si hæ benignæ (§. 325.) sint, febris aliquantum defervescit, ac minuitur; anxietas, respirationisque difficultas, aut inæqualitas cessat; singultus, et vomendi nisus, si qui sunt, non a saburra gastrica, sed a sola irritatione nervorum profluentes, conquiescunt; pulsus elevantur, et validiores evadunt; aliaque symptomata mitigantur. Ad minimum certe artuum, dorsique dolores ita sedantur, ut ægri minus queruli, et fer- Eruptionis effecta in benignis.

me ab iis liberi (*a*) videantur. Salubrem macularum eruptionem, quibus large ea fiebat, notavit anno 1528. FRACASTORIUS, et contra, quibus raræ, et sparsæ erumpebant, aut, ubi erupissent, delitescebant (*a**). RAMAZINUS cum omnium symptomatum levamine eruptionem extitisse, quando sensim per universum corpus se se protulit, (*b*) in supra allegata dissertatione testatur. In constitutione epidemica, quæ Faventiæ ann. 1759. et 60. a nobis observata est, quando maculæ peticulares erumpebant multæ, latæ, rubro saturatiore colore præditæ, et toto corpore diffusæ, morbum quam maxime (*c*) levabant. STORCKIUS etiam quando peticulas vidit quarto die paucas primum erumpere in collo, pectore, ac cordis scrobiculo, deinde post novam anxietatem die septimo copiosas ad totum corpus extendi; tunc symptomata gravia *vix non semper* evanuisse, vel saltem longe minus periculosa facta esse, asseverat (*d*). Idemque vir experientissimus alio loco refert, quando die tertio pauca stigmata, quarto vero copiosiora cum levamine, et denuo septimo alia prodierunt, ægros præclare relevatos fuisse; rursusque, ubi die sexto quædam peticulæ, septimo plures exierunt, bonam crisim undecimo (*e*) contigisse. Similia prorsus de benignis habet HASENOHRLIUS (*f*), ut postea opportunius recensebitur. Accidit interdum, ut post peticularum eruptionem ad aliquot dies pacatiora omnia quidem videantur, sed quasi repente iterum febris ingravescat; pectoris anxietas redeat, mens perturbetur, somnusque exulet; quæ demum omnia die nona, undecima, aut decima quarta, aut decima septima efflorescentibus exanthematis miliaribus rursus sedantur, et morbus sæpe ista excretione ad judicationem perducitur. Id nuperrime *Belgiojosi*, et *Stratellæ* non paucis obve-

Confirmantur observationibus aliorum.

Peticulis superveniunt quandoque miliaria.

nit (*g*). Singultum, qui pertinaciter post peticularum eruptionem ad decimam quartam usque protractus fuit, copiosissimis miliaribus pustulis demum prodeuntibus sublatum memorat STORCKIUS (*h*). Interdum quoque etsi aliqua symptomata peticularum apparitione mitescant, pulsus tamen non resurgunt, sed humiles, debiles, parvi, uti antea, manent, subsultus tendinum invalescunt, delirium post diem septimam fit manifestius, aut audacius, vel ejus loco sopor accedit, et malignum genus emanat ancipitis plane eventus, ut recte advertit (*i*) TISSOTIUS.

Peticulæ media natura.

(*a*) TROLLIUS loc. cit.
(*a**) De morb. contag. l. 2. cap. 7. (*b*) Loc. cit.
(*c*) DALL'ARMI *sagg. di med. pratic. l. c.*
(*d*) Ann. med. I. *Mens. Mart.* 1759. *pag.* 63. *edit. Amstelod.* (*e*) *Ibid.* (*f*) *L. c. cap.* 2.
(*g*) TROLLIUS *l. c.* SELIGORN. *ib.*
(*h*) *L. c. Mens. Sept.* 1758. *p.* 29. (*i*) *L. c.*

§. 326. Si vero peticulæ ejus generis sint, quas malignas (§. 326.) diximus, facta earum eruptione tantum abest, ut levamen afferant, ut potius, quemadmodum in variolis malignis contingit, omnia exacerbentur, excepta respirationis functione, quæ, nisi morbus lethalis omnino fuerit, plerumque liberior, et æqualior, quam antea, redditur. Cæterum febris intenditur, pulsus magis, magisque deprimuntur, inæquales fiunt, interdum intermittentes, quandoque rariores, tardioresque, quam naturæ eorum conveniat; manus tremunt, musculi crebro motu subsultant, et convelluntur, tendines sæpe resiliunt; mens aberrare incipit, ac furit; rubent oculi, et lacrymas subinde effundunt; fauces dolent, rubore interdum erysipelatode suffusæ, interdum vera angina, quæ deglutitionem lædit, aut spiritum elidit, correptæ; lingua, quæ prius hu-

Eruptio in malignis non levat morbum.

Symptomata in malignis post eruptionem.

mida, mollis, et rubra erat, illico, aut brevi albicat, aut flavescit, deinde nigricat, et desiccatur, nisi jam a principio aruerit; scabra fit, atque in sulcos finditur, aphthis sæpe, quæ nec labiis parcunt, obsita; oris halitus putet; dentes in primis, et labia sordibus, interdum nigricantibus, scatent; sopor delirio adjungitur, nunc brevis, transitorius, quem rursus excipit pervigilium, phrenitis, et convulsio; nunc permanens, et diutinus cum stupore, insensibilitate, et plena ejus status, in quo versantur ægrotantes, ignoratione. Illud autem fere commune, ac perpetuum est, jamque a FRACASTORIO (*a*) animadversum, quod ægri supini jacent ob virium summum languorem (*), anxii, solliciti, animoque dejecti, et mortem, omni spe amissa, expectantes, aut præter rationem securi, et se bene valere putantes. Multoque magis omnia in pejus ruunt, si peticulæ, quod RAMAZZINIUS (*b*) in constitutione illa Mutinensi observavit, simul ac eruperint, continuo diffugiant; tunc enim vires omnino prosternebantur, pulsus, ut in asphyxia, prorsus deficiebant, corpus universum algebat; urinæ secretio intercipiebatur, morte paullo post insequente.

Fracastorii observatio.

Si cito diffugiunt peticulæ, quid?

(*a*) *Loc. cit.*

(*) COYTTARUS animadvertit, quosdam jam peticulis refertos, tectosque incedere etiamnum rectos; alios nec stare, nec incedere posse, nec tamen in lectulo manere quietos, sed jactari assidue; & si lecto se continere velint, majori incendio exardere. Hinc sibi ipsos videri minus pati, si sellæ insideant, aut deambulent.

(*b*) *Dissert. cit.*

Recensentur alia symptomata.

§. 527. Ad hæc accedit pedetentim surditas; et aliquando etiam tussis modo sicca, modo humida, ac deinde nonnullis pectus opprimitur cum

respiratione rara, magna, inæquali, aut crebra, brevi, et suspiriosa. Quæ periculi plena res est. Quandoque tamen cum capitis subito levamine pectus prægravari vidi, et vicissim pectoris oppressionem desinere, succedente abdominis tumore, ac tensione (*a*) interdum ad pressionem indolente, interdum doloris experte; sic ut a superiori regione ventris ad infimam paullatim transferri morbi vis videretur. Similem observationem reperio apud SARCONIUM in constitutione epidemica anni 1764. quæ Neapoli grassata est. Anno superiore hæc tympanitica, et resonans ventris inflatio morbo jam ad statum provecto fere omnibus peticulis laborantibus communis fuit; et quia cum cacochylia gastrica plerumque peticulæ complicabantur, idcirco a retentis putridis sordibus proficisci vulgo credebatur. Verum iis etiam, quibus pluries alvus ducta fuerat aut excernebatur, symptoma ejusmodi superveniebat (*b*). An tum a spasmis aer in intestinis retentus rarefactusque abdomen attollebat? Plerumque tamen eodem tempore quo venter tendi incipiebat, urinæ excretio imminui (*c*) visa est. Omnibus quidem magna aeris vis intestina replebat; quam interdum aut alvus adstricta aut recrementa fæcum congesta, et putrescentia procreabant, ut ex FRAMBAGLIANIS observationibus (*d*) colligi licet. In oppido *Belgiojoso* non ante apparuit istud abdominis phænomenon, quam Majus mensis calorem atmosphæricum adauxerit, solidas partes laxarit, et fluidas ad putrescendum procliviores reddiderit. Sitim abesse quandoque, etsi fauces atque os arescant, supra (§. 320.) jam posuimus, quod sane facultatis sentientis vitio tribuendum videtur. In hoc vero stadio, etsi sitis ingens sit cum linguæ ariditate, atque asperitudine, sæpe tamen omnem potum, quia ex eo quam maxime ventriculus turbatur, ægri aver-

Quædam de tumore ventris tympanitico.

Potus aversatio. santur, et si ad bibendum quodammodo aut vi, aut suasione adigantur, potum illico vomitu rejiciunt. Id generatim anno superiore, ubicunque peticulæ grassabantur (e), observatum est, sed multo manifestius et familiarius olim omnibus, qui peticulis corripiebantur, fuit apud FAVENTINOS

Spuria hydrophobia. anno 1759. et 60. et sic ut hydrophobos eos (*) dixisses. Tanta erat ventriculi ad spasmum proclivitas, ut potulentorum attactu convelleretur, et quidquid potatum esset, vomitu reflueret.

(a) DALL'ARMI *sagg. di Med. part. l. c.*
(b) TROLL. *loc. cit.* (c) *Idem ibid.*
(d) TARGION. *Raccol. d' opusc. med. prat. T. VIII.*
(e) *Ibid.*

(*) Hydrophobiam non semper a venenato, ac rabido morsu induci, exploratissimum est. Ventriculi inflammationi succedentem, & multis phlebotomiis curatam hydrophobiam referunt acta Academiæ Edimburgensis, T. I. *art.* 29. Hydrophobiæ spontaneæ duo exempla adducit TRONCHINIUS, *De colic. Picton. cap. XVI. obs.* 1. & 2. *p.* 49. Alia exempla vid. *in Ephem. N. C. cent. III. obs.* 50. *Comm. Norimb.* 1740. *hebd.* 36. *n. I. ann.* 1743. *hebd.* 5. *n.* 2. *apud* SANCHEZ *opp.* T. I. *p.* 375. DOM. BROGIAN *De venen. p.* 105. *Journal. de Medec.* 1757. *Fevr. & Juin.* 1767. *Vau.* SWIET. T. IV. §. 1130. Digna quoque quæ memoretur, est historia hydrophobiæ ex convulsione ortæ elegantissime scripta, & typis edita a Jo: BAPTISTA FALETO medico plane docto, & apud Urbinates medicinam primo loco felicissime exercente. Vid. ejus epistola: *De raro morbo hysterico in diario medico* PETRI ORTESCHI, T. V. Frequens etiam fuit hydrophobiæ quædam species in febri epidemica ann. 1764. a MICHAELE SARCONIO descripta.

§. 328. Augmentum et statum morbi post eru-

Augmentum, & status, fuit anno superiore. ptionem, a qua omnia ingravescunt, ut monui, in malignis anno proxime præterito in Casali Pistorum hæc indicabunt: frigus aut horror, quibus vespertinæ accessiones recurrebant, prorsus e-

vanescebat; periodus omnis obscurabatur, et licet vespere pulsus præ matutinis horis multo frequentiores fierent, tamen distincta illa accessionum, et remissionum vicissitudo, quæ antea insignis erat, plurimum deficiebat. Nec mirum, cum sæpe in hisce morbis febrem circa augmentum, et statum viderim amissam omni periodo continentem, et assiduam fieri; immo interdum ita pulsum ex celeri, et frequenti rarum, et tardum evadere, ut omnem febrilem motum, si ad pulsum respicias, desiisse crederes. Vigiliæ præterea, ut ad descriptionem inchoatam revertar, erant longiores, somni brevissimi, turbulenti, laboriosi, non levantes, e quibus ægri expergiscebantur territi, et deliri; venter intumescebat cum urinæ fere totius suppressione; respiratione aliquantum læsa; difficili, ac dolorifica deglutitione; levi phlogosi faucium, et quandoque aphthis comitata; oculis pulverulentis, et languidis, interdum rubris, interdum attonitis, et immobilibus; decubitu supino, stupore; veterno; tendinum subsultibus; ore hiante, subflavo faciei colore; susurru aurium ac surditate (*a*).

(*a*) PINAROLUS *loc. cit.*

§. 329. Quo in statu morbum nunc ad septimam, nunc ad decimam quartam, nunc ultra produci, scribit FRACASTORIUS. In Faventina, quam pluries memoravi, constitutione cum hisce symptomatis, aut saltem earum plurimis continuabat ad nonam usque, ad undecimam, decimam quartam, aut decimam septimam diem. Demum gravius affectis superveniebant totius corporis convulsiones, spasmus cynicus, risus sardonicus, aphonia, et postremo mors; quæ plerumque sub finem secundæ hebdomadæ, aut circa medium tertiæ contingebat. HOFFMANNUS (*a*) eorum com-

Stadii hujus duratio.

Mortis frequentiores caussæ.

plures, qui pereunt, ex gangrænosa ventriculi, intestinorum, aliorumque viscerum inflammatione, aut phrenitide, aut anginosis aphthis fauces, œsophagum, laryngemve depascentibus e medio tolli existimat. Sæpe meninges fuscæ, eorum vasa ampla, et sanguine nigro turgentia, cortex cerebri sublividus; ventriculus, et intestina tumida, dura, nigricantia, pancreas, hepar, mesenterium mole aucta inveniuntur (b). Quibus singultus lethum attulit, sæpe his ventriculus maculis nigris scatebat (c). In aliis varicosæ in meningibus venæ, pulmo gangræna, et sphacelo corruptus, sanguis in cordis caveis niger, et solutus (d). Nec aliquando desunt apostemata, sive abscessus cerebri, aliorumque interiorum pectoris, aut abdominis viscerum. Sæpissime tamen nulla visibilis uspiam labes offenditur, quæ pro mortis caussa haberi possit. Tunc certe cerebrum, nervosque dumtaxat, aut cordis arteriarumque irritabilitatem a venenato, subtili, ignotoque principio affectum fuisse, verisimillimum videtur. Exterior cadaverum facies plerumque maculis latis, multiformibus, violaceis, lividis, nigris hinc illinc deturpata apparet. Tanta autem est eorum ad putrescendum proclivitas, ut intra brevissimum spatium corrumpantur, et teterrimum fœtorem exhalent. Cl. RAMAZZINIUS (e) obtupescebat, quod cadavera ex hoc morbo defunctorum, succosa, non emaciata, vultuque pleno apparerent.

Sectiones cadaverum.

Cita cadaverum corruptio.

(a) *Loc, cit. cap. XI. §. V.*
(b) DALL'ARMI *Sagg. di med. prat. P. I. pag.* 19.
(c) RAMAZZIN. *loc. cit.* §. 22.
(d) TROGHER *apud* DALL'ARMI *loc. cit. p.* 25.
(e) RAMAZZIN. *loc. cit.*

In benigniore morbo remissio.

§. 330. At morbo minus lethifero, et benigniore existente, viribusque naturæ, aut artis superan-

hili versus nonam, undecimam, aut decimam quartam symptomata diminuuntur, caput sublevatur, mens resipiscit, subsultus tendinum sedantur, respiratio ad naturalem facilitatem restituitur, si qua pulmonibus insidet pituita, concoquitur, et excreatur; febris de die in diem decrescit; pulsus æquabiliores, pacatiores, elatioresque evadunt; oculi, et facies pristinum nitorem, hilaritatemque præseferunt. Urinæ, quæ prius erant crudæ, aut parcæ, aut colore saturæ, turbidæ, et lateritiæ, aut naturalibus similes, et coctionem fallaciter mentientes, paullatim clarescunt, uberiusque fluunt, plerumque quidem sine hypostasi, interdum cum sedimento crasso, albo, gravi, et tales ad aliquot dies, etiam finita febri, emittuntur. Alvus utplurimum laxatur, multis ejectis biliosis, concoctis, fœtidis, multisque simul flatibus descendentibus. Hinc abdomen, si prius tendebatur, ac tumidum erat, subsidit, et complanatur. Si vero jam alvus fluebat, ut sæpe incidit, uti saburra primæ viæ scatent, aut acres humores ad intestina undique confluunt; dejectiones quidem biliosæ, flavæ, liquidæ permanent, sed e tenuibus, atque aquosis, fœtentissimisque fiunt pultaceæ, densiores, magis coactæ, minus olentes, et minus crebræ, talesque ad aliquot dies subeunt, donec colorem naturalem, pristinamque firmitatem acquirant. Interdum cum iis vermes egeruntur; ac sudor accedit universalis calidus, æqualis, levans, sicque morbus lente, et prospere sub finem secundæ, aut tertiæ, aut quartæ, quod tamen rarissimum, longissimumque est, hebdomadæ absolvitur, quæ durationis varietas sæpe pendet a majori, vel minori cacochyliæ apparatu, quocum complicatur, sic ut interdum ex hac caussa, et complicatione ad triginta dies aut quatuor hebdo- Finio morbi.

madas protrahi possit. Sed frequentissima, communissimaque duratio a decimoquarto ad vigesimum primum diem circumscribi solet.

Lisis. §. 331. In non paucis insensibili resolutione tantum terminatur malum; et pedetentim, ac quasi clanculum evanescit. Sic nonnulli apud Chartusiam Ticinensem, et Belgiojosi, alibique convaluerunt (*a*). Trollius numquam perfectam, et ne imperfectam quidem crisim ullam (*b*) vidit. Ramazzinius quoque, vir plane fide dignissimus, testatur sola particularum per totum decessione sine ulla alias excretione agricolas (*c*) mutinenses sanatos esse. Negat Roboretus solas peticulas suffecisse ad morbi solutionem, nisi urinæ copia, aut sudor, aut alvi fluxus accederet (*d*). Verum in illa constitutione nimis cito peticulæ evanescebant; nam vix tres, aut quatuor dies, ut ipse fatetur, exstabant, cum certum, perspectumque sit, ad minimum septem octoque dies, ut morbum absolvant, exstare eas oportere: nec benignæ, et puræ, sed complicatæ, et malignæ, quod advertatur velim, erant. Casali Pistorum sudor universalis ad duos dies productus in quibusdam morbum solvit. In plerisque dejectionibus alvi, et urina uberiore sedimentum farinosum habente opus fuit. Ibi enim, uti etiam in Triensi urbe, peticulæ cum biliosa, et gastrica cacochylia conjungebantur (*e*). Nemo vero sola urinarum copia restitui ibi visus (*f*) est.

Solutio per peticulas.

Quando solæ peticulæ non judicant.

(*a*) Cambierius, & Trollius *l. c.* (*b*) *Ibid.*
(*c*) *Dissert. cit.* §. 25. (*d*) *Loc. cit.*
(*e*) Pinarolius, & Frameaglia *loc. cit.*
(*f*) Pinarolius *loc. cit.*

Gangrænæ exteriores per diædochem. §. 332. Quandoque ut aliis morbis acutis ac febribus mali moris, sic peticulis superveniunt

exterioribus in partibus necroses, et gangrænæ. Quoniam vero circa os sacrum, et nates frequentius apparent, plerique eas repetunt a longa, et supina corporis in lecto cubatione, qua diu compressæ partes vitali humorum circuitu priventur; aut ab urina inscio ægro reddita, qua illæ partes madescant, et macerentur, eas oriri crediderint, quod in aliis morbis multo etiam diuturnior in dorsum cubatus, atque urina præter voluntatem emissa vix unquam ejusmodi effectum pariunt. Verosimilius mihi videtur, eam ipsam caussam, quæ interioribus visceribus gangrænam inducit, ut cadaverum sectione compertum esse dixi, extrorsum translatam partes, in quas defluxit, quodammodo adurere, atque enecare. Sæpe iis etiam, qui neque diu supini jacuerant, neque se urina consperserant, circa morbi vigorem ad os sacrum, natesque cutim primum rubere, deinde livere, nigricare, altiusque gangræna corripi vidi, cum insigni et subita totius morbi, omniumque symptomatum imminutione, quam brevi consequebatur apyrexia, ægrique sanatio. Neque hasce partes solum gangræna invadit, sed alias etiam nequaquam pressione vexatas, nec urina madefactas. Vidi vesicantia suris, aut femoris interiori paullo supra genu applicita profundas gangrænas excitasse; vidi plantas pedum, digitosque, quibus sinapismi fuerant admoti, phlyctænis gangrænosis plus minus latis, altisque affectas eodem omnino quem dixi felici morbi exitu; avocata scilicet per stimulantia extrorsum caustica, ac mortifera morbi materie et caussa (*a*). Cave tamen credas, me omnem, et quamcumque ejusmodi gangrænam criticam, ac salubrem prædicare velle. Novi enim tantam interdum esse vim corruptionis, ut modo hæ, modo illæ partes emoriantur, computrescant, et ni-

Quænam utiles, quænam noxiæ?

gricent, pessimo certe eventu. Salubres et criticas intelligo illas tantum, quas *diadoche*, sive ab interioribus ad exteriora morbi transitus facit.

(a) DALL'ARMI *Sagg. di Medit. pratic. P.I. p.67.*

Tumores et abscessus externi. §. 333. Non semper vero materiæ morbidæ ad exteriora translatio gangrænas parit. Sæpe hæc ad parotides glandulas, ad axillas, aliasque partes expellitur sub forma tumorum, abscessuum, erysipelatis, aut ædematis (a); quibus ni judicatur morbus, sæpe saltem plurimum imminuitur. Parotidum vero, ni cito, et perfecte suppurent, incertus plerumque exitus est, ut alibi (*Vol.* II.

Oedemata. §. 303. et seqq.) diffuse dictum est, dicturque iterum, ibi prognosim exponam. Nonnullis post molestum caloris sensum ad crura, crura ipsa intumuerunt prospero eventu, ut refert TROL-

Hæmorrhagiæ. LIUS (b). Nec absunt a peticulis hæmorrhagiæ narium, uteri, ani, interdum etiam oculorum, quibus natura nititur morbum depellere. Quando vero hæ salutem afferant, quando exitium, explicabitur, ubi de signis prognosticis agam.

Menstrua. Belgiojosi, et Casali Pistorum mulieribus menstrua fluebant, quin levamen, aut detrimentum perciperent. Utero gerentes plerumque abortiunt,

Abortus. fætu interdum præmortuo. Abortum passæ tam Belgiojosi, quam Stratellæ omnes feliciter sanatæ (c) sunt.

(a) HASENOHRL. *l. c. cap.* 2. (b) *Loco cit.*
(c) TROLL. *l. c.* PINAROL. *l. c.* SELICORN. *Opusc. med. prat. Vol. VIII.*

Urinæ. §. 334. Urinarum, prout locus admonuit, subinde facta quidem mentio est; sed quales, quotuplicesque generatim hoc in morbo reperiantur,

Quales. non satis exposui. Scire igitur licet, urinam multimodis variari. Inter initia modo tenuis, et a-

quea; modo naturali similis est, enæorema in medio exhibens globosum, inæquale, subpallidum. Interdum etiam jam initio subalbida, plena tamen, mox vero rubra, confusa, et vino granatorum affinis, aut suflava, crassa, turbida, et sedimentosa. Evadit quoque non raro nigricans, quasi fuligine imbuta, aut rubescit sanguine leviter tincta. Interdum in augmento, et statu pene supprimitur (*a*), quod jam supra animadversum est, indiciumque præbet funestum, nisi cito crassa, et sedimentosa profluat: TROLLIUS in suis ægris eam semper deprehendit copia laudabilem, raro tenuem, et pellucidam; sed ut plurimum sedimento vacuam, sæpe colore citrino saturo, quandoque rubro obscuro præditam; numquam tamen concoctam, ut cum bona hypostasi (*b*). PINAROLIUS vero urinas primis diebus pallidas, claras, paucas; in augmento aliquanto rubras, ac confusas, morbo inclinante turbidas, crassas, at non in omnibus (*c*). Contra RAMAZZINIUS jam ab initio turbidas plus minus fuisse testatur, nec unquam naturalibus assimilatas, nisi inclinato morbo (*d*).

(*a*) FRACAST. *l. c.* (*b*) *L. c.* (*c*) *L. c.*
(*d*) *Diss. cit.* §. 18.

§. 335. Hactenus de peticulis, præsertim epidemicis. Ab his parum, vel nihil cum sporadicæ discrepent, speciatim describi eas inutile prorsus est, quandoquidem quæ de illis exposita sunt, ad sporadicas commode transferri possunt, immo debent. Hoc unum cum cl. BIANCHINIO (*a*) addimus, epidemicas ipsas sæpenumero variare pro locorum, regionum, temporum, domorum, hominum, medicationisque ratione diversa; quin immo easdem, quæ benignæ erant prius, in malignas interdum mutari, et contra quæ malignæ, in benignas de

Idem dici debet de peticulis sporadicis.

Peticulæ cur varient?

mum transire. Novi quosdam recentissimos scriptores, qui negant peticulas contagione in alios propagari. Fateor quidem, interdum obscurum, ambiguumque omnino videri, contagiosæ ne revera sint, an contagionis expertes. Extant tamen observationes tam luculentæ, quibus earum in sanos propagatio ostenditur, ut minime negari possit, eas aliquando contagiosas extitisse. Contagiosæ fuerunt, quas descripsit ROBORETUS (b); contagiosæ palam, quæ nuper FRASGAROLI, CASAMATÆ, et STRATELLÆ stragem edidere (c). Contagiosæ demum, quæ anno 1767. totam Æmiliam peragrarunt.

Contagiosæ ne sint?

Affirmatur quamdoque.

(a) *Lett. 4. p. 135.* (b) *Loc. c. cap. 9.*
(c) ANGIOL. PINORAL. SELICORN. *l. c.*

§. 336. Peticularis iste morbus non modo cum epidemicus est, verum etiam cum sporadicus, in quoscunque cadere consuevit. Pueri, adolescentes, viri, senes, divites, pauperes, plebeji, nobiles, desides, exercitati, robusti, imbecilli utriusque sexus eidem obnoxii sunt (a). Verum pro temporum, constitutionumque epidemicorum diversitate quidam magis, quidam minus in eumdem incidere, et vita periclitari videntur. FRACASTORII tempore mulieres paucæ, senes paucissimi, Judæi fere nulli ex hoc morbo tunc populari perierunt; juvenes vero, et pueri multi, et ex his nobiles gravius ægrotarunt, quorum etiam plures (b) occubuere. Divites pariter Tridenti, et nobiles vehementius conflictatos, majorique periculo subjectos, vidit ROBORETUS (c). Halæ anno 1698. juvenes, et viri maxime morbo patuere; maresque præ fœminis periculosius laborarunt; dum infantes, pueri, et senes immunes erant (d). *Montecchii* ann. 1764. robustis, et sanguineo temperamento præditis, atque ætatem quadraginta anno-

Nemo effugit hunc morbum.

Mulieres. Senes. Judæi. Juvenes. Nobiles.

Divites.

Mares.

Infantes & pueri.

rum adeptis, aut sexagenario majoribus infensior, perniciosiorque fuit hæc lues; juvenibus contra, et pauperibus multo minus (e). *Fruscaroli* vero juvenes, adultique in hunc morbum incidentes omnes interierunt; itemque fœminæ præ viris atrocius divexatæ fuerunt, earumque complures, præsertim valetudinariæ, raptæ sunt. Senes contra rarius, et mitius corripiebantur, et facili negotio morbum ferebant, superabantque (*f*). Mutinæ quoque de senibus eadem fuit observatio; sed ibi valetudinarii, et debiles eamdem cum senibus sortem experti sunt (*f**). Alibi vero omnes promiscue, ut in initio dictum est, peticulis prehendebantur, sed multo facilius ii, qui superiore autumno febri tertiana laboraverant (*g*). Nec rarum est, in pauperes, plebejosque primum id mali irruere, et demum in divites quoque ac magnates debacchari. Interdum vero divitum vix ullus eo affici (*h*) visus est. Alias dum ceteris pene cunctis clades inferebatur, soli cœnobitæ, et sacræ virgines illæsæ manserunt (*i*); fortasse quia in cœnobiis vitæ regimen magis excolitur, et minus facilis est ad ea contagionis ingressus.

Ætas media, & senilis.

Fœminæ gravius quam viri.

Senes minus.

Qui tertiana laboraverant.

Divites interdum intacti.

Sic cœnobitæ.

(*a*) FRACAST. *l. c.* ROBORET. *l. c.*
(*b*) RAMAZZIN. *l. c.* §. *XXXVII.* (*c*) *Ibidem.*
(d) HOFFM. *de febr. sect.* I. *cap. X. obs.* I.
(*e*) DALL' ARMI *sagg. di Med. Prat. P. I. p.* 15.
(*f*) ANGIOLIN. *in Vol. VIII. Opusc. med. pratic. del Sig. Targion.* (*f**) RAMAZZ. *l. c.* §. 17.
(*g*) TROLLIUS *l. c.* (*h*) FRAMBAGLIA *ibid.*
(*i*) RAMAZZIN. *l. c. &c.*

§. 337. Regiones quoque, et loca quædam magis, quædam minus a peticulis infestantur. Notum, vulgatumque est, hoc nomine infames esse, orientales plagas, speciatim Ægyptum, Cyprum, aliasque finitimas insulas; item Pannoniam, Austriam, et demum fere universam Eu-

Regiones magis obnoxiæ.

Quinam omnium primi corripiuntur? ropam, sed præ ceteris castra, nosocomia, naves, carceres, et loca palustria, atque uliginosa. Plerumque omnium primi, ubi peticulæ caput efferunt, in eas incidunt, qui in ædibus humilibus, angustis, humidis, parum aere perflatis, sordidis, quales pauperes recipiunt, vitam degunt; deinde ab his ad aliorum etiam ampliores domos gradum faciunt, præsertim quando contagione communicari cum sanis possunt. Non tamen hinc inferendum est, loca salubriora, atque editiora hanc calamitatem effugere.

Etiam loca editiora inficiuntur. Mutinensem planitiem, et summa Apennini juga, quæ austrum spectant, uno, eodemque tempore a peticulari morbo infecta fuisse, narrat RAMAZZINIUS (*a*); colles vero ad Apennini radices positos, utpote ab Austri flatibus tutos, et liberos, illius labis vim nequaquam sensisse.

Plana, & alpina loca ab austro tuta. Benignior morbus ruri, quam in urbe. Addiditque, ruri benigniorem morbum, quam in urbe exstitisse; cujus discriminis caussa fortasse tribuenda fuerit aeris puritati, et ventilationi majori in agris, minori in oppidis, urbibusque populosis. In territorio Iriensi, atque in ipsamet urbe depressiora, humidioraque loca magis obnoxia anno superiore peticulis epidemicis FRAMBAGLIA concedit quidem fuisse, negat tamen montium, et collum incolas flagelli hujus incursionem evitasse (*b*). *Belgiojosum* oppidum neque in humili, neque in sublimi solo situm est; præ eo vero *Stratellæ* vicus altiore, eminentioreque in clivo locatur. At utriusque loci incolæ, si qui alii, epidemicam labem, atque atrocitatem experti sunt (*c*).

Exempla. Interdum salubria loca magis, minus vere insalubria patiuntur. Immo interdum contrarium omnino evenit. Loca salubria, et puriore aere fruentia infestantur; intacta quæ humida, ac palustria sunt, relinquuntur. Anno 1767. Etruria, atque Æmilia fere universa peticulari morbo epidemico vastata est. Memini Aretinos, qui editiore salubrioreque loco vivunt, atrocius vexatos fuisse, quam alios. Sit

Faventini, qui sicco in solo, parumque ab Apennini appendicibus dissito versantur, gravissime affecti fuerunt; dum Ravennates Maris littori proximi, aquisque prope stagnantibus cincti optima valetudine præter consuetudinem utebantur.

(a) *Diss. cit.* §. *XXVI.*
(b) Targion. *Opusc. med. pratic. Tom. VIII.*
(c) Trollius *l. c.*

§. 338. Fama quoque est, eos, qui semel peticulis laborarunt, nunquam in eumdem morbum recidere. Sed experientia id falsum demonstratur. Sæpe mihi occurrerunt, qui pluries eisdem correpti sunt. Nonnullos quoque vidit Roboretus (a), qui bis, terque peticulas passi fuerunt. Verum tamen haud inficior, eos, qui semel peticulari morbo perfuncti sunt, difficilius, et multo minus eodem infici. Nec intercurrentes morbi, qui interdum multigeni (b) sunt, a peticulis immunes servantur. Belgiojosi mense Majo anni proxime elapsi febres intermittentes intercurrebant, peticulis et ipsæ comitatæ, quæ cortici peruviano omnino, citoque auscultabant. Febres item intermittentes, quæ Casali Pistorum peticulis intercurrebant, aut earum constitutionem subsecutæ sunt, peticulis comitatas, et cortice peruviano facile domitas fuisse, nuperrime certiorem fecit Pinarolius (c). Nos quoque hic Mediolani, ineunte vere hujus anni 1784. peticulas cum intermittentibus complicatas, et chinæ chinæ obtemperantes in ruricolis offendimus, tamquam imminentis peticularis constitutionis, quæ deinde inter eos insurrexit, prænuncias. Nunc enim, mense nimirum Junio (*), complures ex agro Mediolanensi in urbanum hoc magnum Nosocomium jam peticulari morbo correpti confluunt.

Qui semel peticulis laboravit, recidere in eas potest.

Intercurrentes morbi cum peticulis complicantur.

Intermittentes febres cum peticulis.

Interdum subsequuntur, interdum antecedunt peticulas epidemicas.

(a) *L. c. cap. XII.* (b) RAMAZZ. *l. c.*
(c) *Altra Lettera ec. Opusc. Med. Pratici T. IX.*
(*) Ann. 1784.

DIAGNOSIS.

Præcipua signa. §. 339. Ex tradita hactenus peticularum historia facile eruitur earumdem diagnosis. Attamen signa potissima, et magis propria earum sunt capitis gravitas, cephalalgia acris; insignis totius corporis, membrorumque lassitudo, ac torpor; dolor lumborum, dorsi, scapularum velut rheumaticus, universosque artus prope contundens, aut lancinans; anorexia; nausea; anxietas; pulsus parvus plerumque, parum frequens, celer, inæqualis; suspiria; lipothymiæ; aurium tinnitus; oculorum in plerisque rubor; faucium et gutturis angor; quarto, quinto, sexto, vel septimo die peticularum eruptio; subsultus tendinum; manuum tremor; mentis aberratio; vigiliæ; sopores; lingua arida; sitis; potus aversatio; deglutitio quandoque læsa; lotii suppressio; abdominis elevatio, et tensio; delirium; motus convulsivi; febris anomala, remittens, vaga, proteiformis. (*) Atque hæc quidem prope communia cuicumque peticularum differentiæ habentur; in malignis graviora, in benignis vero mitiora. Hæ autem ab illis speciatim distinguuntur, quod febris, quæ eruptionem præcedit, cum omnibus aliis symptomatibus mitior est, quod eruptio primum in collo, pectore, epigastrio, deinde paullatim in universo corpore ad extremas manus usque, et pedes se explicat; quod peticulæ ut plurimum rubro, et roseo colore donantur; quod post eruptionem febris, et reliqua symptomata mitigantur, aut prope cessant; oculi nitidi, sereni, vultus lætus, spiratio facilis, æqualis, tranquilla, cutis humida, urinæ ferme naturales,

Signa benignarum.

mens libera, pulsus elatiores fiunt; ni jam fuerint validi, et pleni, quales plerumque esse solent toto reliquo morbi decursu (*a*); demum quod diu peticulæ exstant, septem, octo, novem, aut undecim dies, nec nisi lente decolorantur, atque die ut plurimum decima quarta, aut decima septima (*b*) evanescunt. Omnes, qui pulsum habuerunt magnum, validum, et parum crebrum, Belgiojosi brevi post citam, et facilem peticularum eruptionem convaluerunt (*c*). Eademque observatio est CAMBIERII, cujus ægri omnes hujusmodi pulsu præditi fuerunt, feliciterque morbum (*d*) superarunt.

Pulsus magnus, & validus.

(*) Peticularum signa veluti propria, antequam erumperent, Mutinæ ann. 1692. fuerunt hæc: *ingens totius dorsi lassitudo, capitis dolor, aurium surditas, faucium ardor, mentis stupiditas, præcordiorum anxietas, & totius corporis segnities. Dorsi vero, & regionis lumbaris lassitudo adeo certum erat febris peticularis signum, ut raro falleret*. RAMAZZ. Diss. cit. §. 17.

(*a*) SIMS. *Observ. sur les malad. epid. chap.* 2.

(*b*) SAGAR. *l. c.* (*c*) TROLLIUS *l. c.* (*d*) *I. c.*

§ 340. Magnam habent peticulæ primariæ sive essentiales similitudinem cum gastricis febribus acutis, et speciatim cum *febre gastrica petechiali* (*Vol. II.* §. 332.), quacum facile confundi possunt, præsertim quando cum cacochylia gastrica complicantur. Sed ab ea differunt peticulæ 1. quod in omnibus ægrotis apparent; 2. quod jam primis diebus erumpunt, etiamsi purgatio præmissa sit, et primarum viarum sordes expulsæ; 3. quod non semper cum cacochyliæ signis conjunguntur; et quando cum gastrica saburra complicantur, nec emesis, nec purgatio quidquam earum cursum retardat, aut mutat: dum contra in febre gastrica alterutra, aut utraque evacuatio

Similitudo cum gastricis febribus.

Quomodo distinguantur ab affinibus morbis.

continuo morbum imminuit, et cito averruncat, aut certe mitiorem reddit 4. quod sæpe sine ulla sensibili alia excretione evanescunt; 5. quod retropulsæ, aut cito evanescentes periculum vitæ afferunt. Contra in gastrica febre peticulæ raro erumpunt, et serius omnino, morbo videlicet adultiore; et sæpe ex neglecta purgatione, aut ex regimine calefaciente, atque aliena curationis methodo, et plerumque in graviore dumtaxat casu cernuntur. Immo laxata mature alvo præcaventur. Semper signa cacochyliæ adsunt; et nunquam sine alvinis dejectionibus febris hæc integre judicatur; neque grave aliquod malum ei supervenit, si cito exanthemata diffugiant, aut repellantur. His fere ipsis noti a *febre catarrhali maligna Germanorum* (*Vol. II.* §. 324.) distingui etiam possunt. Quibus vero signis differant a *febre Hungarica* cui valde affines videntur, jam alibi (*Vol. II.* §. 409.) comprehensum est.

PROGNOSIS.

Morbus periculosus.

Benignus minus periculi, plus malignus habet.

§. 341. Periculosum morbum esse, et sæpe mortiferum peticulas *primarias*, sive *essentiales*, nedum Medici, verum ipsæ mulierculæ non ignorant. Attamen benignæ (§ 315.) minus periculi habent, quam malignæ (§. 316.), ut per se cuique patet. Quæ item sine febre invadunt, suumque cursum sine ea, aut cum leviore, et gravium symptomatum experte absolvunt, plerumque discrimine vacant. Tutiores etiam habentur quæ discretæ, circumscriptæ, latæque sunt, ordinatimque in superioribus primum partibus, deinde sensim ad plantas usque pedum efflorescunt, et læte rubent, et diu exstant, nempe sex, septem, octove saltem dies, et demum

Speciatim benignæ, & tutiores quænam?

paullatim pallent, flavent, lenteque evanescunt. Id præsertim in mitiori morbo, et minori humorum labe evenit, atque ubi vitæ vires magis vigent, et valent. Contra *diffusæ* (§. 313.) STRACKIO damnantur, utpote perniciosæ, fugaces, et facile ad interiora refluentes, quod nobis quoque experientia comprobavit. Præ aliis vero periclitantur, quibus sine ullo febris indicio peticulæ erumpunt, sed post earum eruptionem febris (§. 310.) supervenit; nam hæc graviora symptomata solet afferre. Quo copiosiores, confertioresque prodeunt, vulgo pejorem morbum indicare creduntur; sicuti etiam illæ, quæ ægrius apparent, quæ minutæ, parvæ, vixque visibiles (§. 322.) sunt, aut profundius quasi latitant, non meliorem naturam, aut exitum promittere videntur; aut certe difficiliorem, longioremque morbum (*a*) efficiunt. Sola tamen copia, ac frequentia, aut raritas, et exiguitas, aut parcitas nihil certi continet, nisi ad reliqua signa respiciatur. Quæ prematurius, nimirum ante quartum diem, et copiosius se se exserunt, generatim exitiosæ (*b*) reputantur, non quidem quod ante coctionem prodeunt, ut vulgo credebant olim, sed quod copiam, ut ego arbitror, peticularis fomitis plerumque declarant, neque omnem exhauriunt. In Taurinensi constitutione a RICHA descripta fere omnes perierunt, quibus justo citius erumpebant. Puella decennis, cui secunda die eruptio contigit, sexta obiit. Sexta quoque fato cessit Miles, in cujus cute die tertia se ostenderant. Chirurgo cuidam prodierunt die secunda; is decima interiit. Alium dies quarta supra decimam rapuit, cum quarta peticulæ ei erupissent (*c*). Mutinæ quoque ut refert RAMAZZINIUS, omnes occubuere, quibus maturius peticulæ exiverant. Contra TROILIO (*d*) res aliter

Diffusæ cur periculosiores?

Magis pericul[illegible]

Copiosæ, aut ægrius erumpentes quid significent.

Sola copia, aut raritas incerti quid habet.

Prematuræ sæpe malæ.

Exempla.

Interdum bonæ. omnino cessit. Omnes enim, quos mature, id est secunda die, peticulis conspersos vidit, mitiorem, brevioremque morbum habuerunt, et servati sunt. His et eruptio plenior, et maculæ latæ, et pulsus magnus, validusque fuit. SAGARIUS quoque peticulas tertio, quarto, quintoque die exortas (quas nemo dixerit non præcoces) benignas, faciles, levantes observavit (e). Non ergo solum eruptionis tempus, sed et alia simul attendi debent, ut prognosis fausta, aut infausta eliciatur.

Exempla.

(a) TROLLIUS *l. c.* (b) ROBORET *l. c. cap. XII.*
(c) *L. c. §. XXII.* (d) *Loco cit.*
(e) *Cl. X. Ord. 1. exanth. contag. gen. IV.*

Fugaces malæ. §. 342. Perniciem quoque ut plurimum minantur, quando peticulæ modo apparent, modo evanescunt, etsi pluries eruptionem moliantur (a). Sed multo magis timendæ sunt, si justo citius aufugiant, aut repente intro vertantur, quam plurimis id testantibus (b). Vindobonæ retrocessio funestissima symptomata attulit, respirationem videlicet frequentem, anhelosam, inæqualem; pulsum debilem, celerem, intermittentem; sudorem frigidum circa frontem, et collum, ac demum mortem (c). In Faventina peticularum constitutione a nobis descripta, etsi eruptio paucos levaret, earum tamen retrocessionem subsequebantur delirium, pectoris oppressio, convulsiones, et cita demum mors (d). In illa, quæ nuper *Belgiojosum* afflixit, ni mors, mortis sane periculum maximum imminebat ex earum simili ad interiora regressu (e). Scire autem convenit, interdum sine periculo, et noxa peticulas diffugere, aut intro verti; quando nimirum diarrhœa, aut urinæ copia, aut sudor earum defectionem supplent. Variolæ ipsæ, si deprimantur, aut re-

Retrocessionis effecta.

Exempla.

Animadversio.

trocedant, hisce evacuationibus supervenientibus, ab exitio alias inevitabili sæpe liberantur. Hac fortasse de caussa, quoniam post peticularum retrocessionem nullum gravius symptoma interdum insurgere viderunt nonnulli, continuo opinati sunt peticulas tunc symptomaticas fuisse. Color etiam earum observationem meretur. Lividæ, plumbeæ, fuscæ, nigræ, aut ex nigro virescentes corruptionis, aut sphacelismi sæpe signum præbent. Color quoque valde puniceus suspectus est FRACASTORIO (*f*). Si cum iis vibices nigricantes, aut liventes concurrant, exitium significare, nec injuria (*g*), dicuntur.

Cur interdum pro symptomaticis habitæ?

Præsagia ex colore.

(*a*) RICHA *l. c.* §. 22. RAMAZZINIUS *l. c.* HASENOHRLIUS *l. c. cap.* 2. SAGAR. *l. c.*
(*b*) FRACAST. FOREST. DIEMERBROECK. PLATNER. LUDWIG. &c.
(*c*) HASENOHRL. *l. c. cap.* 2. (*d*) *Sagg. di Med. l. c.*
(*e*) TROLLIUS *l. c.* (*f*) *Loco cit.*
(*g*) DUPLANILIUS *in not. ad* BUCHAN. *med. domestic. T.* 2. *p.* 17.

§. 343. Inter notas periculi, et aliquando etiam futuræ mortis universim numerantur summa virium defectio, facilis a leni licet medicamento alvi solutio, profusiorque evacuatio quasi ex liquatis humoribus; sitis vel nulla, vel inextinguibilis; lingua arida, nigra, scissa; ejus tremor, et difficilis emissio; respiratio post peticularum eruptionem adhuc anhelosa, angusta, inæqualis; nullum levamen ex facta aliqua excretione; delirium post sudorem, alvi dejectiones, aliasque evacuationes cum reliquis symptomatibus invalescens; phrenitis, et perpetua desipientia, angina præfocans, faucium ulcera depascentia; magna vocis mutatio, dysphagia, sive difficilis deglutitio, in primis si nullo in faucibus tumore, aut dolore existente a nervorum spasmo, aut resolu-

Signa periculi, aut exitii generatim.

tione proficisci videatur; visus obscuratio, gutta serena, strabismus; oculi pulverulenti, facies ex atro rubra, aut livida, aut cadaveris similis; frequens pectoris denudatio; sudor frigidus, ac viscidus, aut sanguine tinctus, talisve saliva; urina tenuis, cruda, sedimentum non dimittens, neque turbida, aut nigricans, aut nigram hypostasim habens, aut sanguinis mixtione rubescens; abdomen tumidum, ac distentum cum alvo fluente, et liquidis, fœtidissimisque dejectionibus; egestiones ichorosæ, aqueæ, crebræ, inscio, nec advertente ægro, cum extremorum frigore; pulsus parvus, obscurus, languidus, inæqualis, vix febrilis, aut tardus, lentus, intermittens, nisi diarrhœam criticam antecedat; vera asphyxia; tendinum et musculorum subsultus crebri, magni, indesinentes, vigiliæ pertinacissimæ, aut sopores lethargici, aut comatosi; ac demum nervorum distensiones, vicini interitus prænunciæ (*a*). Urinæ quoque suppressio permanens, in primis ex secretionis defectu FRACASTORIO lethalis habetur; vesicæ vitio non item. Quo plura ex his, aut graviora superveniunt, certior vitæ periclitatio, aut mors, et contra (*b*).

(*a*) FRACAST. *l. c.* HOFFMANN. *l. c. cap. XI.* §. *V.* ROBORET. *l. c. cap. XVII.* BUCHAN. *l. c.* RAMAZZIN. *l. c.* &c. (*b*) FRACAST. *ib.* BUCHAN. *ib.*

Febris ardens cum peticulis funesta.

§. 344. Nemini mors parcere visa est, si peticulæ sub Causi, sive febris ardentis specie hominem adoriantur. Id PETRUS A CASTRO jure asseverat (*a*), cujus asserti veritatem pluries ego ipse in quacumque ætate comprobatam dolui. Robustiores, sanguinei, plethorici, juvenes, et viri, ut plurimum gravius ægrotant, magisque periclitantur. In constitutione Montechiana anni 1764. vix ullus eorum, qui grave aliquod erra-

Robusti & juvenes magis periclitantur.

tum in potu, aut victu commiserant, servari potuit (*b*). Hæmorrhagiæ immodicæ apud plerosque male audiunt. Quando enim ex nimia sanguinis tenuitate, et liquatione oriuntur, plerumque lethiferæ sunt. Contra in plethoricis, et juvenibus etsi largæ, in primis narium; sæpe salutiferæ. Stillæ vero sanguinis e naribus inutilem naturæ conatum, victamque facultatem significant. Singultus, non qui eruptionem antecedit, aut a saburra ventriculi, aut a vermibus tantum inducitur, sed qui eruptionem subsequitur, atque a diaphragmatis, ventriculique inflammatione, aut a spasmo per virus peticulare excitato dependet, non modo pertinaciter cuicumque remedio obniti solet, verum plerumque vitam adimit. In mutinensi constitutione frequens fuit hoc symptoma, omnibusque lethiferum (*b*). Ibique observatum est, lumbricos inter initia ore egredientes certum futuræ mortis indicium præbuisse. De aphthis fauces, œsophagum, laryngemque alte exedentibus quid sentiendum, partim supra, partim alibi jam dictum est. Quæ vero os, et linguam occupant, non adeo timendæ videntur. Immo sæpe accidit, ut caustico, et venenato quodam principio ad linguam, orisque cavum naturæ vi detruso, et, ut ita dicam, exonerato, non modo febris, verum alia etiam pejora symptomata mitescant, et sic ad salutem viam aperiant. Abscessus ad axillas, aut ad parotides supervenientes, juvenibus præsertim, morbum sæpe minuunt; non tamen semper harum partium tumores abscedunt, præsertim in senibus. Tunc aut mole fauces intercludunt, et suffocant, aut irritum naturæ fatiscentis conamen ostendunt, aut repente diffugientes metastasim lethalem comminantur. Anno 1759. et 60. paucissimis supervenerunt parotidum tumores; sed hi paullo post morieban-

Errata in potu aut victu progressa.

Hæmorrhagiæ.

Singultus.

Aphthæ.

Abscessus externi.

Parotides.

tur. Belgiojosi quatuor tantum ægros habuit TROLLIUS, binos mares, et binas fæminas, quibus intumuere parotides. Mares, qui senes erant, post longas moras tandem perierunt; fæminæ vero paullatim convaluere. In urbe Iriensi leviter intumuerunt quibusdam parotides, sed cito sine noxa evanescebant, alvo nimirum fluente, et earum vicem supplente. Quemadmodum vero in omnibus acutis morbis, sic in peticulis incertæ sunt tam salutis, quam mortis præsagitiones. Hinc TROLLIUS nullum symptoma tam sævum fuisse in Belgiojosanis ægris testatur, quod certum interitum (c) præmonstraret. Fuerunt enim non pauci, qui ad extrema redacti, et desperatissimis rebus oppressi videbantur, et tamen convaluere. Neque semper signis, qui universim salutaria habentur, confidere oportet, ut omnino de vita ægrotantis nihil timeamus. Non raro enim rerum facies repente mutatur, et ad exitium, quod abesse videbatur, contenditur. Quædam tamen non prætermittenda sunt, quibus præsentibus sæpenumero salus obtenta est. In his primas tenent nitor oculorum naturalis, pulsus elatus, ac mollis, surditas, præsertim circa statum, et quies aliqua subinde capta (d). Respiratio item facilis, lenis, et libera, toti morbo processu æqualis bene sperare jubet. Pustulæ quoque circa labia, et nares morbo ad inclinationem vergente exortæ, aut exanthemata peticulis in augmento super addita, aut moderata ventris laxatio circa quartam, vel quintam diem cum miti calore, et blanda diaphoresi, dummodo aliquod tempus continuet, bene augurantur (e). Sopor a nono, aut decimo die ad decimum quartum, aut ultra protractus in quibusdam morbum solvit; generatim bonus habetur, si versus finem accedat, cum bonis aliis signis.

Incertæ præsagitiones.

Nec semper malis, nec semper bonis signis credendum.

Signa salutaria.

(a) *L. c. sect. 2. aph. 7.*
(b) DALL' ARMI *sagg. cit. P. I. p. 15. & 17.*
(b*) RAMAZZ. *l. c. §. XXII.* (c) *Loco cit.*
(d) TROLLIUS *ib.* (e) BUCHAN. *l. c.*

CAUSSÆ.

§. 345. Inter caussas morborum epidemicorum, et speciatim peticularum video recenseri austrinas aeris constitutiones, calidas nimirum, et humidas; tempestates anni præter morem varias, insolentes, inequales, anomalasque; meridionales ventos; aliorum salubrium defectum; annonæ caritatem; prava alimenta, alcalescentium, aut putrescentium ciborum usum; fruges rubigine (*), aut aliter vitiatas, aut locis humidis repositas; uliginosas paludes, aquasque stagnantes, et corruptas, aut locustis injectis contaminatas; inundationes; stagna, fossas, aliaque aquarum receptacula exsiccata, et fermentantia; cloacas, sentinas, latrinasque reseratas, et temere commotas; cadavera insepulta, et sub dio relicta; vapores cannabis, lini, et coriorum, quando in aquis pigrioribus macerantur; repentem halituum exitialium e specubus, aliisque terræ latibulis eruptionem; aerem impurum, mephiticum nosocomiorum, navium, carcerum, ergastulorum non satis recentatum, ac ventilatum; diutinam moram, frequentemque adhæsionem, aut familiaritatem cum iis, qui ex peticulis ægrotant; et demum habitum corporis laxum, mœrorem, ingluviem, intemperantiam, venerem, famem, vigilias, laboresque immodicos. Caussæ multiplices.

(*) Post rubiginem RAMAZZINIUS non vidit ortas, nisi febres intermittentes; nequaquam peticulas. Ego ipse anno 1765. post rubiginem funestissimam non modo segetibus, verum arboribus etiam omnibus quamplurimas febres intermittentes Faventiæ obor-

tas vidi, quæ tamen rubigini tribuendæ essent, an aquarum inundationibus, quæ eodem anno occurrerunt, non satis perspicuum fuit. Sæpe tamen febribus istis superveniebant, tamquam symptomata, peticulæ, quæ cum ipsa febre cortice peruviano depellebantur. Erant hæ profecto symptomaticæ, & secundariæ, utpote quæ cum febre accedebant, & cum febre per antidotum fugabantur. An hæ futuram peticularum epidemicam constitutionem, quæ anno 1767. subsecuta est, prænunciarunt?

Speciatim annonæ caritas accusari solet. §. 346. Frequentissime vero omnium annonæ caritas accusari solet; quia plerumque pauperes, et plebeji ab epidemicis morbis primi corripiuntur. Hinc plerique medicorum ex malo victu, neglectu corporis, immunditie, et domiciliis angustis, humidis, insalubrisque morbi originem ducunt. Verum non raro peticulæ etiam epidemicæ exoriuntur, ubi nulla annonæ caritas, ubi nulla segetum rubigo, nulla frugum depravatio antecessit, invaduntque etiam divites, optime altos, bene, et commode habitantes, et nullum cum infectis commercium, aut consuetudinem habentes. Immo hi gravius interdum laborant, ac periclitantur; quam alii infimæ sortis homines. Id præsertim in peticulis anni 1528. annotavit FRACASTORIUS, deinde suo tempore Tridenti ROBERTUS. Id multo post RAMAZZINIUS quoque in peticulis illis mutinensibus, quas nec annonæ caritati, nec segetum rubigini ullo ausus est modo tribuere (u). Memini egomet ipse in maligna, funestissimaque peticularum constitutione anni 1767. qua magna pars Italiæ, et speciatim, ut supra jam indicavi, Etruria, atque Æmilia conflictata est, memini, inquam Aretii, quæ urbs non modo editissimo in loco, atque a paludibus maxime dissito sedet, verum etiam illo ipso anno tanta rerum omnium, et in pri-

Quæ contra dici possunt.

nis cerealium et quidem optime notæ copia abundavit, ut sterilitati, inopiæque totius ferme Etruriæ reliquæ prospicere prope sola potuerit, morbum et latius, et diffusius proserpsisse, stragemque edidisse majorem, quod supra jam innui. In Æmilia vero Ravennam, quæ urbs est humiliori, humidiorique solo posita, quæque eisdem aeris, temporumque constitutionibus, atque aliis anni vicissitudinibus, et calamitatibus obnoxia fuit, liceat repetere, cum reliquis finitimis oppidis, et pagis omnino intactam, et a communi lue liberam exstitisse, dum ceteræ Provinciæ salubriores, editioresque civitates sævissime plectebantur. Id ipsum in aliis bene multis constitutionibus evenisse, historia medica docet. Memini etiam, in eadem familia eodem victus genere utentium interdum solum epidemico morbo correptum, reliquis omnibus illæsis; ex quo certe infirmari videtur eorum opinio, qui ab inopia, et pravitate alimentorum morbi caussam derivandam volunt.

(*a*) *L. c. §. XXXVII.*

§. 347. At ubi annonæ caritas accusari nequit, plerique arbitrantur, in temporum præcedentium, aerisque vicissitudinibus peticularum fontem quærendum esse. Verum morbi, qui ex temporum variationibus nascuntur, plerumque brevi tempore durant, nec unam, vel alteram anni tempestatem prætergredi consueverunt; utpote qui adveniente alia aeris constitutione fugantur. Hinc vulgo morbi *stationarii*, sive *tempestatis* vocantur. Et quamquam peticulæ nonnunquam stationariæ esse possint, quales nos ipsi aliquando spectavimus, cum tamen epidemicæ vere fiunt, et universim vagantur, diutius ut plurimum persistunt, et non tantum ad unam, vel alteram

Temporum, aerisque vicissitudo, quos morbos pariat.

Discrimen inter stationarios, & epidemicos.

Peticulæ modo stationariæ, modo epidemicæ. Epidemici morbi unde?

anni ætatem, sed ad annum sæpe totum, immo ad biennium, et triennium protrahuntur; quod ex conscriptis earum, vulgatisque historiis facile cuique patet. Præterea observator ille oculatissimus, et epidemicorum indagator incomparabilis SYDENHAMIUS sub eisdem, aut similibus temporum, aerisque constitutionibus non unum, idemque morbi epidemici genus semper exsurgere, sed sæpe aliud, atque aliud diversissimum perspexit; quidquid contra autument alii non fortasse cum illo observationum numero, ac præstantia comparandi. Immo mirum RAMAZZINIO nostro epidemicorum historia versatissimo visum est, eum morbum, peticulas videlicet *tribus annis, in suis constitutionibus inter se tam dissimilibus cum urbem, tum villas, et vicina oppida* infestare continuasse (*a*). Nec rara ejusmodi exempla inveniet quicumque animo æquo, ac libero morborum ortum, processum, et finem, et simul tempestatum constitutiones, aerisque variationes diu, ac sedulo consideraverit.

Peticulæ per tres annos infestantes, licet constitutio temporum variaverit.

(*a*) *Dissert. cit.* §. *XIII.*

Pleræque aliæ caussæ aliquid noxium aeri suppeditant.

§. 358. Ad reliquas caussas, quam supra (§. 345.) recensio facta est, quod attinet; hæ fere ejusmodi videntur, ut aliquid aeri impertiant, quo deinde corpora, prout magis disposita, ac parata sunt, contaminentur. Id plane perspicuum atque evidentissimum est in aere nosocomiorum, navium, carcerum, ergastulorum, militariumque castrorum, in quem si aliquis ingrediatur, in eoque aliquandiu vel sanissimus versetur, illico in peticularem morbum incidit. Febris enim, quam dicunt *nosocomialem*, *nauticam*, *carcerariam*, aut *castrensem*, ut plurimum peticularis est, quemadmodum sæpius experientia comperi, nobisque adstipulatur clariss. MONROUS iteratis

Febris nosocomica, nautica, carceraria, castrensis plerumque petechialis.

in nosocomiis militaribus diligentissimis (*a*) observationibus. Quid ni ergo Peticulæ epidemicæ ab aere occultum aliquid et noxium præter primarum, ut vocant, qualitatum alterationem habente (*b*) deriventur? Accedit, quod peticularis morbus epidemicus non modo unum populum potius, quam alium, licet communibus meteoris, alimentisque utentem occupat, infestatque (*), ut supra ostensum est; sed etiam de loco in locum pedetentim, paullatimque migrans integras interdum provincias, et regna peragrat, ac vastat. Sæpe etiam cum sanis, et bene valentibus, si penes ægros incautius, et diutius consideant, contagione communicatur. Quas ob res verisimile admodum videtur, aliquid per aerem volitare, quod de loco in locum, quin dissipetur, transferri, et congeri possit, aut ab ægrorum corporibus manare aliquid, quod in sano se se immittat, parique eos labe inquinet.

Caussa peticularum miasma.

Quædam loca potius quam alia afficiuntur. Contagium.

(*a*) *Des maladies des Hopitaux militair.* itemque expertissimus SEBASTIANUS CERA *De febre Nosocomica p. 2.*

(*b*) PETR. A CASTRO *l.c. sect. 2. aph. 2. 3.* HASENOHRL. *l. c. &c.*

(*) TROLLIUS anno superiore id observasse se Belgiojosi scribit; & id ipsum confirmat CAMBIERIUS, qui peticularem morbum epidemicum usque ad Chartusiæ Papiensis viciniam pervenisse, non vero ultra gradum fecisse, quamquam proximus vicus *della Torre* in eadem aperta planitie jaceat, nec situ, nec opibus, nec ulla alia re felicior sit. Vid. TARG. *opusc. med. prat. Vol. VIII.* Morbo Veronam, aliasque urbes vexante, Judæorum contubernia, quæ plerumque angusta, sordida, & male ventilata sunt, licet in eodem cælo, eisdemque temporum, aerisque mutationibus obnoxia contagem effugerunt, FRACASTORIO teste.

§. 349. Quidnam vero sit illud, quod aerem

Quidnam est hoc miasma? inficit, quodque huc illuc vagatur, aut in ægrotis extricatur, dimanatque in vicinos, contagemque procreat, fateor equidem me ignorare. Inclinat tamen animus, ut arbitrer, peculiare quoddam miasma id esse, subtile admodum, volatile, quod semel natum se se aeri admisceat, nec facile disgregetur, et dispergatur, sed contra, si casu aliquo rarescit, dispergiturque, ventis quibusdam iterum condensari, et coacervari alicubi possit, ut noceat. In humores vero nostri corporis immissum, aut in eisdem quocumque modo genitum, aut evolutum se se multiplicandi et propagandi vim fermenti instar habere, et non secus ac variolosum, et morbillosum miasma non solum aeri, vestibus, stragulisque, sed etiam aliis corporibus vicinis, ut odoramenta, adhærescere; fervidioribusque in regionibus potissimum gigni, aut evolvi, minus vero in frigidis, licet in his quoque interdum explicetur, ac sæviat. Hinc apposite mihi videtur scripsisse PETRUS A CASTRO, peticularem morbum, ubi epidemicus est, frequentius furere latrante syrio, rarius hieme, sed tamen atrocius (*a*), quamquam, contrarium quandoque evenire, constitutionum historiæ demonstrent. Et quemadmodum ad evolutionem, aut si mavis generationem et coacervationem variolosi principii quædam aeris, annique constitutiones requiri videntur, et corpora, ut ab eo affici possint, quodammodo præparari, et disponi oportet; sic peticulari miasmati opus esse paribus, similibusque caussis, ut evolvatur, aut gignatur, potestatemque nocendi sibi comparet, hoc vero satis non esse, ut in homines debacchetur, nisi eorum corpora per aliquas caussas ad illius vim atque actionem sentiendam, recipiendamque idonea, atque accommodata prius reddantur. Ex quo patere arbitror, quam ob rem

Comparatio inter peticulare & variolosum miasma.

Caussæ remotæ.

peticulæ modo epidemicæ sint, modo tantum sporadicæ, et cur in epidemicis non omnes morbidi miasmatis vim sentiant. Fortasse etiam fieri aliquando poterit, ut per aliquas ejusmodi caussas in quibusdam hominibus virus peticulare oriatur, et sic sporadicas peticulas gignat, quin ad contagionem referendæ sint.

(*a*) *L. c. sect.* 3. *aphor.* 7.

§. 350. Itaque non longe abusum, ut aeris, temporumque constitntiones quasdam, insolita meteora, annonæ caritatem, cerealia vitiata, alimenta insalubria, vinum vapidum, aquas corruptas, immodicos labores, vigilias protractas, mœrorem diutinum, ingluviem, intemperantiam, venerem immoderatam, aliaque hujusmodi credam vice caussarum procatarcticarum, et proegumenarum fungi; hisque effici, ut miasma illud (§. 349.) et corpora ipsa cum ad agendum, tum ad patiendum apta fiant. Pro varia autem harum caussarum ratione illud etiam consequi, ut modo sanguis ad diathesim phlogisticam, aut rheumaticam vergat, modo ad liquescendum, putrescendumque propendeat, modo naturalem prope crasim servet; modo biliosa colluvies, modo gastrica cacochylia, modo verminatio intercedat, sicque peticularum variæ complicationes oriantur. Atque hinc fieri, ut peticulæ nunc *benignæ*, nunc *malignæ*, nunc *putridæ*, nunc *inflammatoriæ*, nunc *gastricæ*, aut *verminosæ* videantur. Non tamen negaverim, interdum miasma peticulare adeo malignum, septicum, perniciosumque esse posse, ut non solum nervosum et fibrosum systema afficiat, quæ peculiaris ejus proprietas est, verum etiam sanguinem, reliquosque humores, immo corpus universum vel in sanissimis hominibus pervertat, dissolvat, atque ad

Constitutio aeris, annonæ caritas atque aliæ caussæ procatarcticæ, & proegumenæ.

corruptionem, putrefactionem celeriter perducat, quod in primis manifestum est in nosocomiis, in carceribus, navibus, aliisque locis, ubi contagione morbus suscipitur, et pestilentis in modum quandoque grassatur.

Signa dissolutionis.

§. 351. Quo in casu plerumque sanguinem attenuari, ac dissolvi a septico, acrique quodam principio, probabile admodum est. Id videtur ostendi ex sanguine extracto, qui solutus, et tenuis apparet, citoque corrumpitur, ex urina turbida, rubra, nigricanti, aut sedimentum nigricans demittente, ex halitu oris fœtido, sudoribusque male olentibus, ex hæmorrhagiis, ex alvi fluxu colliquativo, ex vibicibus, atque ecchymosibus, ex celeri cadaverum putrefactione, aliisque similibus phœnomenis. Hinc Huxhamius (*a*) sibi persuasit, in omni peticulari morbo sanguinem quodam dissolutionis genere (*) liquari, et corrumpi, atque adeo febrem petechialem putridis, malignisque morbis adnumeravit. Et quamquam fatendum sit, sæpe sanguinem in hujusmodi morbo ad liquescendum inclinare; quod etiam Richa (*b*) in Taurinensi peticularum epidemica constitutione, quam jam pluries memoravi, deprehendit; non semper tamen liquationis indicia manifesta sunt. Ramazzinius (*c*) vix potuit cognoscere, utrum sanguis ad concrescendum, an ad liquescendum pronior esset, etsi demum, si quid conjicere ei licuisset, postremum potius vitium probabilius ei videretur (*d*). Sed non modo ambiguum sæpe est, quam in partem sanguinis constitutio vergat, dum naturalem ferme statum retinet; verum etiam interdum ab omni liquationis metu quam longissime abest. Haenius et Hasenoehrlius (*e*) cum in principio, tum in incremento, et statu, nimirum circa secundæ heb-

Non semper sanguis liquatur.

Interdum nec solvitur, nec coagulatur,

Interdum cogitur.

domadæ etiam finem, eum compactissimum, et vere pleuriticum invenerunt (**). Revera, ne quid dissimulem, in Peticulis interdum symptomata tantum nervosa, interdum colliquativa, et putrida, interdum inflammatoria, et coagulativa, ut vocant, se se clinicis objiciunt; immo in eodem etiam ægro hæc omnia interdum concurrunt, et complicantur, ut difficillimum prope sit decernere, utra prævaleant. Quare tunc opus est attentissimo examine, et maxima cautione, ne quid in judicando temere peccetur.

(*a*) *Essai sur les fievr. &c. chap. VIII. De la fievr. putrid. malign. petéchial.*

(*) Tria liquationis genera communiter in sanguine e venis detracto statuuntur. Primum genus est, quando crassamentum valde paucum in multo sero natat, & tenui pellicula tegitur, & facile diffluit, ac solvitur. Hanc solutionem serosam, atque acrem vulgo appellant. Alterum est, ubi sanguis nullam seri separationem exhibet, sed totus mucosus, albidus, viscidus, & mollis concrescit cum exigua parte rubra intermixta, laxa & ipsa, & colore nigra, quasi corruptionis indice. Tertium demum, in quo cruor valde rubet, nec serum dimittit, nec tamen facile concrescit. Tres pariter veluti gradus liquationis in sanguine eorum, qui ex peticulis decumbunt, agnoscit JOUBERTUS (*Hist. de la Societ. Royal. de Médecin. an.* 1776. *Paris* 1779. *p.* 529.). In primo sanguis est tenuis, & natura sua parum cohærens, in altero acri quodam principio dissolvitur; in tertio putrescit, & corruptione liquatur.

(*b*) *L. c.* §. 36. (*c*) *Dissert. cit.* §. 43.

(*d*) *Id. ib.* §. 47.

(*e*) HAEN. *Rat. med. P. V. p.* 3. *P. IX. pag.* 74. HASENOHRLIUS *Hist. febr. petech. cit. an.* 1757. 58. 59. VOGELIUS *Acad. Pralect.* §. 148.

(**) In febre quadam peticulari, & quasi pestilente, quæ anno 1771. ruricolas Patavinos infestavit, sanguis erat densus, ac tenax: MORGAGNIUS *Epist. anatom. med.* 49. *art.* 22.

Peticulæ quid sint? §. 352. Qui semper in peticulis sanguinem liquari, ac dissolvi opinatur, maculas peticulares pro tot parvis echymosibus considerant, et tamquam guttulas sanguinis plus minus corrupti, ac liquati sub epidermide effusas habent; cujusmodi exempli caussa sunt plerumque maculæ scorbuticæ, atque illæ interdum maculæ, quæ aliis morbis putridis, ac malignis superveniunt, et nobis peticulæ *secundariæ* dicuntur. Hinc nil mirum, si eas semper symptomaticas judicent, et credant. Aliis contra res omnino secus videtur. His enim peticulæ, fortasse quia interdum regimen calefaciens subsequuntur, et quia sæpe rubræ primum apparent, deinde livescunt, aut nigricant, nihil aliud sunt, quam exiguæ inflammationes, facile ad gangrænam tendentes. At non dolent, neque tument, neque calent, neque unquam suppurant, neque semper gangrænosam nigredinem præseferunt, sic ut abesse ab iis præcipuas inflammationis notas, si quis dixerit, eum non falli putem. In hac vero opinionum dissensione, ac discrepantia, quantum ex iis, quæ hactenus exposita sunt, colligere mihi licet, illud prope certum videtur, quod in hujusmodi morbo aliquid heterogeneum peculiaris, venenatæ, at incognitæ naturæ a reliquis humoribus secernitur, propelliturque ad cutim. Quoniam vero fieri non potest, quin aliquo cum humore, qui vehiculi instar sit, mixtum illuc proveniat; necesse omnino est, ut pro ejus humoris diversitate ac natura; differre enim potest pro temperamenti, habitus corporis, ætatis, constitutionisque ratione, in minimis summæ cutis vasculis, aut loculis (§. 12.) hærens, aut etiam sub epidermide effusum maculas formet magnitudine, figura, et colore varias. Cumque his humor, quocum miasma illuc conjungitur, plerumque sanguis sit;

Quid verisimilius?

Unde coloris varietas?

prout ipse purus est, atque integer, aut a naturali statu, ac crasi deflectit, aut cum aliis humoribus mixtus est, colores quoque macularum differant, necesse est; immo qui prius color erat, paullatim prout humor eas efficiens mutationem subit, variari quoque per gradus poterit. Cujus rei specimen aliquod nobis exhibent ecchymoses, in quibus color primum rubet, deinde nigricat, cœrulescit, flavet, palletque, prout nimirum sanguis effusus gradatim varias dissolutionis vices subit. Non tamen hinc existimes velim, peticulas primarias, de quibus speciatim disserimus, a nobis tamquam exiguas ecchymoses haberi, ac reputari. Neque ex eo quod maculæ plerumque rubeant, et quasi phlogosim aliquam interdum, in primis quando *diffusæ* apparent, comitem habeant, aut imitentur, unquam concludere ausim, pro tot inflammatiunculis habendas esse. Fateor equidem peticulas et cum ecchymosibus, et cum inflammatione similitudinem aliquam præseferre; sed non ea est, quæ communem earum naturam ostendat. Color enim vel ab initio sæpe varius, pallidus, lividus, fuscus; constans figura; nullus tumor; dolor nullus, nullus pruritus, atque alia ab utroque morbi genere eas differre, satis evincunt; sic ut quoddam peculiare exanthema, natura, origine, effectibus plane diversum, et sola resolutione, nunquam suppuratione, aut abscessu finiendum constituant (*).

Num ecchymoses, aut inflammationes?

(*) Joh. Henric. Schichthorstus *Dissert. de Petechiis Gottingæ ann.* 1783. *edita p.* 7. scripsit hæc verba: Petechiæ *modo induunt colorem rubrum, roseum, purpureum, lividum, modo flavum, fuscum, castaneum; modo viridem, plumbeum, cœruleum, nigrum; modo in uno ægro omnes simul colores adsunt, & aliæ aliis pictæ, ut cutis inde quasi marmora variegata appareat, quod notaverunt* Monro, Huxhamus, *atque olim jam* Neucrant-

zius, *qui rubras, pallidas, citrinas, subvirides, lividas eodem tempore advertit; atque has versicolores maculas lethales esse affirmat. Quandoque etiam, postquam prodierint, colorem diversimode mutare solent; nunc enim saturatus color diluitur, ac in rubiginem transit, nunc vice versa, quæ rubræ prodiere, purpureæ, & lividæ fiunt.* Quæ colorum varietates, successiones, & vicissitudines, ni valde fallor; neque ecchymosibus; neque inflammationibus, sive phlegmasiis competere ullo modo videntur.

CURATIO.

Indicationes.

§. 353. Indicationes prorsus sunt eædem in morbo peticulari, quas in aliorum exanthematum curatione commendavimus. Naturæ motus, quo se liberare a noxio, heterogeneoque principio nititur, si moderatus, et sufficiens videatur, nec coercendus (§. 13.) est. Contra si deficiat, adjuvari eum oportet; si excedat, prudenter inhiberi. Tota cura eo intendenda est, ut caussa quocumque loco, sive ventriculus is sit, sive sanguis, sive nervosum systema, insederit, extricetur, expediatur, forasque prodeat, et symptomatibus ejus quam cautissime occurratur. Cum vero Natura, ut vera morborum curatrix, sibi primum locum vendicet, simplicissima certe methodo uti expedit, quæ ei quidem auxilietur; non imperet. Experientia enimvero sæpissime demonstravit, eos, qui naturæ rem omnino commiserunt, felicius, faciliusque de morbo triumphasse. Idque probe tenendum in primis, ubi peticulæ benignæ, regulares, puræ, minusque complicatæ sunt; quo casu etiam ROBORETUS (*a*) nullo medicamento utebatur. Mutinæ in triennali illa peticularum grassatione, quam diximus, optima omnium medicina fuit paucissimis uti medicamentis, et sinere, ut morbus sua stadia

Simplicissima Methodus præstat.

decurreret, absolveretque (b). Taurini quoque, ut RICHA asseverat, transactis primis diebus nihil utilius visum est, quam abstinere a remediis, et prudentes cunctari (c), et expectare. Nec minus utilitatis perceptum est Viennæ Austriæ ex simplicissima medendi ratione; nam in peticulis ann. 1758. non modo complures solo sero lactis vinoso feliciter curatos fuisse narrat STORCKIUS, sed etiam candide confitetur, quibus serum lactis non suffecit, ne alia quidem quæcumque remedia suffecisse (d); quod documento esse debet iis, qui nunquam desinunt suos ægros medicamentis aliis, atque aliis opprimere. Ann. 1784 in *Montechianis* peticulis post sanguinis missionem initio institutam decoctum cichorei solum curationem omnem absolvere (e) visum est. PINAROLIUS solo sero lactis, sine ulla sanguinis missione, quam plurimos peticulis affectos feliciter (f) ab orci faucibus eripuit. Nec minori felicitate CAMBIERIUS simplicissimam adhibuit curationem, qua omnes suos ægros servavit (g). Ego quoque pluries in hujusmodi morbo naturæ efficacitatem admiratus sum; vidique plus prudenter cunctando, quam agendo profectum esse. Id præsertim pauperibus usuvenit, qui rarius et visuntur a medicis, et paucissimis uti solent remediis.

(a) *Loc. cit. cap. XVIII.*
(b) RAMAZZIN. *Diss. cit.* §. 30. (c) *L. c.* §. 23. 29.
(d) *Ann. Med. I. Aug.* 1758. *p.* 20. 23.
(e) *Sagg. di Med. prat. cit. P.* 1. *p.* 15.
(f) TARG. *opusc. med. prat. Vol. VII.* (g) *Ibid.*

§. 354. Ex his (§. 353.) manifesto eruitur, quam caute, et circumspecte curatio peticularum ineunda sit, et quanti referat, naturæ obsequentem se ministrum præstare, non dominum. At Medicus naturæ minister.

quia varii morbi gradus, et variæ ejus complicationes, aliæque temperamenti, ætatis, habitus, anni constitutionis circumstantiæ facere possunt, ut natura medici opera aliquando indigeat; idcirco nunc de præcipuis magnis artis auxiliis, quæ in usum vocari, prout res postulat, solent, singillatim sic agam, ut quando ea locum habeant, et quibus cautionibus adhibenda sint, quisque facile intelligat. Exordiar autem a sanguinis missione, de qua magna esse solet inter medicos disceptatio. Alii enim prorsus eam vituperant, rejiciuntque in hujusmodi morbis; alii contra proponunt, adhibentque, utrique experimentis innixi. Est ergo, ubi ea noxia deprehensa sit, ubi utilis, et commoda. Itaque prætermissis utrorumque observationibus, rationibusque, ne longior videar; dabo dumtaxat operam, ur certi fines definiantur, quos intra sanguinem mitti expediat, aut vetitum sit. Generatim peticulæ per se sanguinis missionem non exigunt, neque facile eam ferunt, nisi aliquid accedat, quod eam petat. Sed tunc etiam moderata sit oportet, et parca, ne vires, quæ imbecilles plerumque sunt, dejiciantur. Largior enim, aut iterata non raro exitium afferre visa est. Non enim solum vires vitæ destruit, quemadmodum pulsus languidi, parvi, inæquales, aut intermittentes illico facti ostendunt: verum etiam cerebrum, nervosumque systema sic labefactat, ut delirium, et convulsiones excitentur; sive id a sanguine celerius liquescente, et altius in cerebrum penetrante, sive ab aucta, atque evoluta acritate, sive ab imminuta vi nervea, atque irritabilitate, sive a quacumque alia caussa velis repetere.

De sanguinis missione.

§. 355. Attamen si plethoræ signa non desint, si æger ætate floreat, si bono corporis habitu

gaudeat, si pulsus validi, magni, duri, vehementes vere sint; si dolor capitis acutus assiduus, et pulsans urgeat, aut respiratio difficulter ducatur; cum pectoris pondere, dolore pleuritico, aut sputo cruento, et tussi sicca, et molesta; tunc protinus inter initia, nempe primo quoque tempore, sanguis e vena prudenti et cauta manu detrahatur. Animadvertere vero oportet, pulsum quidem magnum, et vehementem interdum videri, nec tamen plenum et durum esse, utpote qui facile pressioni se submittat, et cedat: tunc enim non a plethora, neque ab inflammatoria diathesi, sed ab acri quodam principio vitalia organa exstimulante ortum ducit, neque ideo sanguinis detractionem exposcit, aut facile admittit. Neque quilibet capitis dolor, licet molestus, venæsectione eget; plerumque enim spasticus est, ac convulsivus, non a sanguinea congestione, aut phlegmone genitus. Si vero, ut dixi, assiduus sit, et pulsans, et cum ingenti calore fronti, et temporalium arteriarum, carotidumque micatu validiore conjunctus, simulque facies, atque oculi rubeant; nec non mens affici ac turbari aliquomodo videatur, tunc, etsi arteriæ in carpis pulsum neque magnum, neque fortem edant, sed tamen duriusculæ, et tensæ tactui appareant, aliqua sanguinis missione opus erit ad phlegmonem cerebri, aut phrenitidem antevertendam. Immo nonnulli venam jugularem aut frontalem tunc incidendam præcipiunt, dummodo ante peticularum eruptionem id fiat. Plerique enim peticulis jam præsentibus satius ducunt a sanguinis missione abstinere. Hoc tamen non ita sumi debet, ac si nunquam prorsus eam adhiberi liceret. Siquidem si magnæ plethoræ indicia supersint, aut inflammatio aliquam partem interiorem occupet, aut eruptio ut plethoram lente

Potest etiam sanguis mitti exstantibus peticulis.

nimis, atque imperfecte fieri videatur, etsi peticulæ jam exstent, secari adhuc venam licet, quod feliciter factum non semel novi, et PETRUS A CASTRO (*), ROBORETUS suo tempore fecerunt. Quorum alter addit, multos ex nobilibus ob omissam venæsectionem interiisse (*a*). In primis vero ad faucium inflammationem respicere oportet. Si hæc magna, et vere phlegmonodes sit, et deglutitionem lædat, ut interdum evenire supra vidimus, aut, quod pejus, spiritum etiam intercipiat, venæsectio sine piaculo omitti non potest. Edimburgi anno 1733. grassata est febris peticularis, quæ faucium inflammationem comitem habebat. Saluti fere omnibus fuit sanguinis missio. Anginæ enim etiam sine peticulis vagabantur, et stationarium veluti morbum constituebant (*b*). Anno superiore, cum Casali Pistorum adventante vere morbus peticularis inflammatoria symptomata assumeret, venam secare etiam iterato coactus fuit PINAROLIUS semper felici effectu, quod nunquam antea necessum fuerat.

(*) Non meliora de vena secanda, de cucurbitulis cum siccis, tum scarificatis, hirudinibusque admovendis præcepta tradi possunt iis, quæ PETRUS A CASTRO uberrime exponit *l. c. sect. VI. ab aph. I. ad XXIV. usque*.

(*a*) *L. c. cap. XV.* (*b*) *Ess. & obs. de med. de la Soc. d'Edimb. T. 3. p. 27. 28.*

Cucurbitulæ scarificatæ.

§. 356. Ubi vero non satis perspicua videatur phlebotomiæ indicatio, et tamen symptoma aliquod capiti, aut pectori infestum postulet, ut ei succurratur, tutissime sanguis per cucurbitulas scarificatas detrahitur. Hæc enim sanguinis evacuatio non modo extrorsum avocat, quo peticularum eruptio promovetur, verum etiam vires minus deterit. Constat enim ex observationibus practicis, evacuationes, quæ e vasis minoribus fiunt,

longe facilius ferri, quam alias. Hinc intelligitur, cur sæpe in hisce morbis narium hæmorrhagiæ, etsi largæ, hirudines temporibus applicitæ, salvatellæ aut raninarum sectio, et similes evacuationes sensim factæ bene cesserint; quod non modo veteres medici animadverterunt, sed etiam moderni, inter quos hac de re consulendus omnino est Cl. XAVERIUS MANETTUS eruditione, et experientia consummatissimus in commentationibus longe utilissimis, quas quidam *Consilio medico* (*a*) adjecit. Cucurbitulæ autem scarificatæ nemini unquam nocuere in Mutinensi peticularum constitutione; dum vena secta plerumque male cessit, ut RAMAZZINIUS memoriæ (*b*) prodidit. RAMAZZINII igitur, aliorumque felicibus experimentis permotus TROLLIUS non solum ægris suis, nemine excepto, protinus ab initio hoc auxilii genus adhibuit, sed etiam, si quid morbo progrediente incideret, quod alias ad venam incidendam provocasset, iterandum illud curavit, optimo semper (*c*) effectu. Rarissime phlebotomia ipse usus est, non quod ab ea semper abstinendum duceret, sed quod fere nunquam in suis ægris pulsum magnum, validum, ac durum, aut alia indicantia inveniret. Præferebat vero cucurbitulas scarificatas venæsectioni tum etiam, cum indicata quodammodo videretur, ut vulgi vituperationem effugeret; nam in illa constitutione opinio invaluerat, omnes, quibus sanguis missus esset, certo morituros. Revera felicius curatio eis cessit, qui a venæsectione prorsus abstinuerunt, aut cautissime, et parcissime ea usi sunt.

(*a*) *Consulto con annotaz. e aggiunt. pag.* 58. *Firenze* 1781. (*b*) *Diss. cit.* (*c*) *Loco cit.*

§. 357. Hactenus, quando, qua temperantia,

Quando venæsectio locum non habeat.

et qua sede tuto sanguis mitti in peticulis possit, paucis indicavi. Hinc planum fit, contrariis, oppositisque in rebus phlebotomiæ locum non esse. Sed potissimum ad vires vitales animum advertere oportet. Si hæ langueant, nimirum si pulsus parvi, debiles, mollesque sint, aut inæquales, et depressi; si lipothymia crebro instet; si calor tam exterior, quam interior vix modum excedat; profecto nulla est caussa sanguinis mittendi. Neque pulsus solus, etsi magnus, quidquam significat, quia cito hic plerumque subsidit, ac deprimitur; et multo minus, si ipse in incremento dumtaxat accessionum talis videatur, et postea magnitudinem, aut robur amittat. Neque solus calor, ubi ingens, atque acer percipitur, sanguinis missionem postulat; cum sæpe is ab acrimonia biliosa, et alkalescentia, aut a rarefactione, aut a motu intestino humorum intendi possit. Præterea phlebotomiam vetant subita virium omnium prostratio, evacuatio aliqua immodica, habitus corporis mollis, et laxus, aut depravatus, gastrica, biliosa, putrida cacochylia; temperamentum pituitosum, melancholicum, aut biliosum; alvi fluxus colliquans; sanguis solutus, aut ad liquescendum proclivis; antecedens victus ratio insalubris, prava, noxia; diuturna animi pathemata; studia et labores immoderati; origo morbi ab halitibus venenatis, ab aere mephitico, a contagione; fœtor undique dimanans; vibices; necroses; peticularum color niger, lividus, aut viridis; et demum peculiare epidemicæ constitutionis ingenium. Notum enim est, in quibusdam constitutionibus noxiam compertam fuisse sanguinis missionem, in aliis non modo utilem, sed necessariam. In illa Fracastorii utplurimum vena secta exitio fuit. *Ita certe*, inquit ipse, *res cecidit annis su-*

perioribus, ut major pars phlebotomatorum perierit (*a*). Nec prosperior fuit exitus a venæsectione in Mutinensi illa RAMAZZINII (*b*), quod supra jam adnotavimus. Perniciosam omnino RIGHA in Taurinensi constitutione eam deprehendit (*c*). Roncegni in peticulis ann. 1752. 53. sanguinis dejiciebat vires, et pulsum; accersebat delirium, aut jam præsens augebat; et morbum (*d*), quod minimum fuit, diutius protrahebat. Atque ut alias prætercam, in quibus phlebotomia nocumento fuit, una sit pro omnibus, quam anno superiore 1783. TROLLIUS, PINAROLIUS, CAMBIERIUS, FRAMBAGIA, et reliqui observarunt. Contra utilem plerumque, et sæpe necessariam an. 1591. fuisse Tridenti testatur ROBORETUS (*e*); nec aliter Veronæ a PETRO A CASTRO visum est, cum in præfatione ad *suos in praxi discipulos* palam scripserit, *sanguinis evacuationem cunctis semper profuisse, sed diversimode, et apto tempore, decentique copia celebratam, non diminutam errore Erasistrati* (*f*). *Montechii* pariter anno 1764. (*g*), Faventiæ anno 1759. 60. (*h*), Vindobonæ anno 1757. 58. (*i*), itemque in Etruria anno 1767. (*k*) prudenti manu, et tempore opportuno missus sanguis plurimum attulit emolumenti. Summa rei totius in eo consistit, quod, ubi bene tolerata est, ac profuit venæ incisio, sanguis firmiori nexu cohærebat; diffluebat vero solutus, et laxus, ubi ex ea detrimentum acceptum est. Itaque magni refert prænoscere, quando sanguinis missio profutura sit, quando nequaquam. Quod ut consequamur, nihil accommodatius, nihilque utilius est, quam exquirere, quinam morbi epidemicas peticulas antecesserint, aut adhucdum vagentur? Si enim temporum antecedentium constitutio, caussæque aliæ proegumenæ morbos induxerint inflammatorios, ejus videlicet generis,

Quando utilis, & necessaria.

Qua ratione cognosci possit, profuturam venæsectionem, vel con- ...

quibus sanguinis detractio conveniat; probabile omnino est, diathesim sanguinis talem cum peticulis etiam tum complicari, quæ phlebotomiam non modo ferat, sed exigat. Sin contra morbi, qui antecesserint, fuerint gastrici, biliosi, colliquativi, uno verbo, ut vocant, putridi, et tempestates, aliæque caussæ proegumenæ non defuerint, quibus scilicet sanguis depravatur, atque ad dissolutionem, liquationemque provehitur; non sine caussa credi potest, similem peticulis diathesim inesse, quæ sanguinis missionem prorsus recuset, rejiciatque.

(a) *De morb. contag. l. 3. cap. 6. p. 64.*
(b) *Dissert. cit. §. 28.* (c) *Loc. cit. §. 36.*
(d) TROGHER *in cit. sagg. di Med. Prat. P. I. pag.* 20. (e) *Loco cit.*
(f) *De febr. malign. punctic. in præfat.*
(g) *Sagg. di Medic. Prat. cit. P. I. p.* 15.
(h) *Ib. p,* 60. (i) HASENOHRL. *l. c.* STORCK. *l. c.*
(k) TARG. TOZZET. *Relaz. delle febbri del* 1767. *pag.* 220.

De emesi & catharsi. §. 358. Alterum locum in curatione peticularum tenent emesis, et catharsis. De utriusque usu quid statuendum sit, paucis ego expediam. Si morbus ex contagio ortus sit, quantocius venenatum miasma, quod salivali latici adhæsit, aut altius ad ventriculum penetravit, aut inspiratione in pulmones adductum est, emetico medicamento expelli debet; deinde si quid ejus reliquum est, et penitiora pervaserit, diaphoreticis adhibitis enitendum est, ut citissime per cutaneam exspirationem, aut sudorem omnino exhauriatur. Sic plerumque in ipso ortu incendium extinguitur. Emetico quoque opus est, si ventriculum putrida saburra oppleat, aut biliosa colluvies duodenum, atque hepar infarciat, id quod per suas notas cognoscitur (Vol. II. §. 391.). In his vomitio,

aut ad vomitum propensio potissimum numeratur. Sed non omnis vomituritio saburram gastricam significat. Sæpe enim in morbis exanthematicis, ut pluries admonui, vomitus ex nervorum irritatione est, et tum eruptione exanthematum facta continuo sedatur. Interdum etiam ab aucto sanguinis motu per vasa ventriculi, aut ab ejusdem congestione, aut ab aliqua epigastrii inflammatione dependet. Utroque in casu emetica, ut manifesto patet, exulent oportet. Exulent etiam, si qua emetici usum prohibent (*ibid*), nec, ubi indicantur, in plethoricis propinentur, nisi præmissa sanguinis imminutione. Si vero intestina sordibus, fæcibusque turgeant, aut vitiata bilis jam ad eam descenderit, tunc leni cathartico, veluti cremore tartari, tamarindis, rhabarbaro, ut præstat, vitatis validioribus, ne fluxus alvi profusior, in quem magna esse solet proclivitas, cieatur. Purgatio autem lenis, dummodo primis statim diebus, nempe altero, aut tertio adhibeatur, vix unquam nocumento esse potest. Nonnulli eam reprobant, quod timent, ne peticularum eruptioni impedimento sit. Sed tantum abest, ut blanda et lenis purgatio eruptionem interturbet, ut etiam promoveat, quemadmodum RAMAZZINIUS et RICHA experti sunt, et, quemadmodum usus sæpe docuit, non secus ac in variolis evenire alibi jam traditum est. Facta vero eruptione, nihil amplius movere alvum oportet, nisi quid summopere instet, ut purgatio iteretur, aut nova saburræ gastricæ turgentis indicia superveniant, quæ alvi ductionem indicent. Sed tunc satius est vel cremorem Tartari, vel Tamarindos exigua dosi, sive per epicrasim dare; vel, si mavis, post dies criticos blande, et leniter alvum expiare, quam valide ducere. Non enim possum eorum probare morem, qui quotidie, aut alternis die- Monita.

bus alvum ducunt, et naturæ alia molimina negligunt, atque irrita reddunt. Neque illis possum assentiri, qui cum Cl. STRACKIO ideo purgantia etiam validiora iteranda proponunt, quod peticulas non aliunde originem habere, quam ex primarum viarum cacochylia, immo ex tenaci muco intestinis hærente opinantur. Nam quantum ejusmodi opinio a vero discedat, satis liquere putaverim ex iis, quæ supra fusius de causis exposita a nobis sunt, sed præcipue ex eo, quod interdum vel alvi ductio, vel diarrhœa superveniens in peticulari morbo exitiosa observata fuit. Nec tutum semper est, tum etiam quando peticulæ ex saburra gastrica gignuntur, aut foventur, ægros catharticis prope dictis immoderate delassare, quidquid contra judicet STRACKIUS. Fortasse corpora frigidiores regiones incolentium, et victui duro, viscido, crasso, et pinguiori deditorum minus lædi a catharticis posse, equidem facile largiar; quam eorum, qui in locis calidioribus degunt, et sensibiliori temperie, et laxiori humorum compage donantur; cujusmodi Itali generatim sunt, qui certe iteratas istas purgationes non innoxie sustinent. Sunt tamen casus, in quibus, etsi saburra non turgeat, purgationem lenem iterare meo quidem judicio licet; nimirum evanescentibus peticulis, et morbo inclinante, aut metastasi ad interiora, aut ad caput imminente, aut tum, cum urinæ e turbidis, et crassis repente tenues, et crudæ fiunt nulla alia excretione earum vicem supplente (*a*). Ceterum post lenem primis diebus purgationem (*), ut dixi, institutam, soli clysteres, aut serum lactis defœcatum ad alvum apertam servandam, aut ad reliquas quisquilias, si quæ primis viis insident, paullatim eliminandas sufficiunt.

(*a*) ROBORET. *loc. cit. cap.* 16.

(*) Nocumenta, quæ attulit purgatio in epidemia anni 1764. GEORGIUS CASTANEA JOANNONES multis adductis exemplis demonstravit *Epist. theoret. practic. De Purgantium agend. ration. &c.*

§. 359. Post sanguinis missionem, emesim, aut catharsim, si locum habuerint, reliquum curationis perficitur diluentibus, temperantibus, acidulis, leviterque exspirationem adjuvantibus. Serum lactis simplex, aut, si vires languidiores postulent, vino paratum utramque paginam adimplet. SWIETENIUS; HAENIUS, atque HASENOHRLIUS, ceteris anteferunt diluentia, quæ simul acritatem demulcent, involvuntque, ut decocta hordei, radicis scorzoneræ, althææ, similiumque. Hunc in finem hydrogalam quandoque adhibitam video, nec ab ea prorsus abhorrerem in assuetis, et lactis usum non modo ferentibus, sed avide desiderantibus, quales fuerunt ægri, quos curavit CAMBIERIUS (*a*), a quo omnes lac efflagitabant, nec ejus serum ferebant. Calorem acrem, sitim ardentem; atque ad alkalescendum propensiores humores succus mali medici, aut citrei, aut aurantii potui additus, aut aceti tantillum eidem instillatum mirifice compescit, et frænat. Ubi major refrigerans, coercens, atque antiseptica vis requiritur, spiritum sulphuris, aut vitrioli admiscendum magna dosi plerique commendant. At tussim exasperat, irritabilitatem cordis infirmat, ac stomachum irritat, et subvertit, nec tuto, si inflammatio aliqua subsit, dari posse creditur. Magna igitur prudentia, et cautione opus est, ut ejus acor quodammodo mitigetur, aut involvatur, aut edulcetur, aut ita temperetur, diluaturque, ne ejus usus noceat. Qua de re jam pluries opportunas animadversiones in superioribus capitibus protulimus. De reliqua curatione.

(*a*) *In opusc. med. Practic. Cl.* TARGIONI *Volum. VIII. p.* 286. 287.

De sudoriferis, & alexipharmacis.

§. 360. Sudorifera calefacientia, atque Alexipharmaca acriora, quæ olim in usu maxime erant, hodie a plerisque inter initia ut noxia damnantur; excipi tamen casu debet, in quo morbus ex contagione, ut supra notavi, natus fuerit. In statu vero, et versus finem, viribusque admodum imminutis paullo liberius iis uti licet, præsertim si vinum, si serum lactis vino paratum, si diluta cardui benedicti, scordii, rutæ caprariæ non satis valuerint viribus erigendis, sudoribusque promovendis, qui in remissione morbi utiles esse solent. At sudores blandi æquales, et moderati sint, oportet; profusi enim, atque excedentes vires magis, magisque prosternunt, atque ideo plurimum nocent. Non igitur nimium incitandi sunt inconsiderate, neque conclavium calore, aut stragulorum aucto pondere immodice urgendi. Interdum salibus volatilibus, contrayerva, spiritu corni cervini, Mindereri, similibusque sudores proficui; sed simul ac abunde fluebant, continuo eorum usum missum feci, ne sudor modum excederet. Ægris sudore madentibus et præsentibus adhuc peticulis disceptatur, an liceat indusia permutari? Non dubitant exercitatiores clinici, si sudor fœtidus, viscidus, acerque sit, et indusia non modo madeant, sed sordido glutine rigeant, aut timor sit, ne refrigerentur, quin ea mutari debeant, dummodo æger bene habeat, et caute id fiat, atque eo maxime tempore, quo sudor substiterit, aut minui (*a*) videatur.

De sudoris regimine.

De mutandis indusis.

(*a*) STORCK. *ann. med.* I. *p.* 75.

De vesicantibus.

§. 361. Vesicantia ut in reliquis exanthematicis, ac malignis morbis, sic in peticulis tam

initio, quam progressu, et statu universim adhiberi solent. Immo quidem, ut cunctantes peticulæ, malusque interior humor extrorsum cito alliciantur; progressu, ut maculæ si retrocesserint, revocentur; ut vires, si depressæ sint, excitentur; ut delirium, soporque arceantur; ut denique metastases evitentur, atque a capite, aut pectore revulsio fiat; statu demum, ut torpens, inersque natura ad aliquid moliendum, excernendumque impellatur. Loca, quibus applicantur, communiter sunt brachia et crura; sed pro varia indicatione, et affectarum partium ratione multis etiam aliis locis, nimirum parti capitis capillatæ, posteriori cervicis parti, dorso, pectori, carpis, tibiis, pedibusve imponi possunt. *Ubi maxima est malignitas*, inquit RIVERIUS (*a*), *totum corpus occupans, et sævissima symptomata urgent, unicum vesicatorium, nempe cervici impositum, non sufficit, sed plura admovenda sunt. Soleo ego in magna morbi sævitia quinque locis admovere, cervici nimirum, utrique brachio parte interiori inter cubitum, et humerum, et utrique femori parte etiam interiori, inter inguina, et genua, felici cum successu*. RIVERII opinionem, experientiamque confirmat ETTMULLERUS, scribens: *si ulla est febris, in qua vesicatoria conveniunt, est in primis petechialis* (*b*). Suppeterent innumeri alii magnæ auctoritatis viri, qui vesicantium usum hoc in morbo proponunt, et celebrant: sed eos missos facio, et prætereo, ne longior sim ad tædium usque. Quamquam vero non immerito vesicantia a multis laudantur, non desunt tamen qui ea vituperant, aut saltem eorum laudes intra quosdam limites coercent. Illud quidem certum est, in quibusdam constitutionibus votis nequaquam respondisse. In peticulis epidemicis a PETRO A CASTRO Veronæ cura-

tis (*c*), in illis quoque, quas RAMAZZINIUS descripsit (*d*), itemque in Taurinensibus, quibus medicam opem præstitit RICHA (*e*), vesicantia non modo inutilia, verum etiam noxia exstiterunt. Sunt igitur constitutiones quædam epidemicæ, in quibus vesicantia profuerunt; suntque aliæ, in quibus nequaquam. Caussam ejusmodi discriminis interest quam maxime nosse, ut tam præstanti artis auxilio apposite, atque opportune uti possimus. Mihi quidem, pensitatis, quoad potui, diligenter constitutionum complurium descriptionibus, videntur vesicantia egregiam opem attulisse in illis epidemicis peticulis, quæ cum diathesi sanguinis phlogistica, aut phlogisticæ proxima copulabantur; nihil vero boni, aut potius nocumenti plurimum, ubi sanguis ad dissolutionem, liquationemque vergebat. Hinc auctor tironibus essem, ut vesicantia adhibere volentes in sanguinis naturam detegendam incumbant prius. Hac firma, et satis cohærenti deprehensa, vesicantia audenter admoveant; sin contra, prudenter ab eorum usu abstineant, ne suis ægris noceant. Nolim tamen hanc legem ita firmam, et perpetuam habeant, ut numquam ab ea discedere se posse credant, si aliquod grave indicans occurrerit, aut constitutionis genus aliunde cognitus aliter docuerit. Nam tum medici sapientis, et periti est a generalibus præceptis opportune desciscere.

Quandoque profuerunt vesicantia, quandoque non item.

Ut eorum effectus prænosci possit.

(*a*) *Prax. med.* lib. XVII. cap. I. p. 348.
(*b*) *Oper. Tom.* 2. *P. I. colleg. practic. cap. VIII.* §. *IV.* p. 398. (*c*) *L. c. sect. VI. aph. XXX.*
(*d*) *Diss. cit.* §. 30. (*e*) *L. c.* §. 24.

§. 362. Non est mihi in animo hic omnia complecti, quæ ad rectum vesicantium usum spectant, cum ista sparsim jam alibi, et pluries

tradita fuerint. Non prætermittam tamen nonnullas cautiones, quas nobis reliquit experientissimus PETRUS A CASTRO. Is primum animadvertit, temperamentum *sanguineum*, *aut biliosum* minus vesicantibus accommodatum esse; *pituitosum* vero, *aut melancholicum* opportunius (*a*); illud, quia ad motus promptius a natura confictum est, neque irritamento eget; hoc, quia segnius, et pigrius est, et stimulo idcirco opus habet. Secundo, *in biliosis, et siccioribus præter vigilias, et ingentes dolores, quos vesicantia inferunt, vel ulcera* excitari *dysepulotica, et quæ facile cacœthiam induunt; vel nullo attracto peccante succo*, spem frustrari (*b*). Tertio subjicit *in melancholicis, et pituitosis, in quibus præ ceteris conveniunt*, videndum esse, num *in cruribus tumores sint scorbutici, aut œdematosi*. Tunc enim ex vesicantibus *necroses immedicabiles* natas memorat (*c*). Quarto a pueris *satis feliciter*, a senibus *primi senii*, et succulentioribus *hoc remedium facilius* ferri, quam ab exsuccis, aut decrepitis (*d*). Quinto, *tempus administrandi* esse *principium morbi*, non statum, nec *quando ægrotantes jam sunt extinctioni proximi* (*e*). Enimvero TROGHERIUS (*f*) vidit ægros plurimum levatos a vesicantibus, quando ante diem octavam apponebantur; nihil, si serius. Quæ singula tamen suas exceptiones habent, ut omnia medica præcepta habere solent; neque hæc poterunt latere medico, qui cuncta consideret, et ea, qua opus est, mentis perspicacitate deliberet. Illud etiam sciri convenit, quod non omnis necrosis vesicantia subsequens statim exitiosa est. Interdum enim translationem maligni, et necrotici humoris ad exteriora significat. Hanc autem a priore distingues ex omnium pene symptomatum decremento, et manifesta naturæ victricis instau-

Cautiones quædam de vesicantium usu.

Epispastica & fomenta. ratione. Denique ubi dubitatio incidat, utrum vesicantibus locus sit, tutius erit fomenta, atque epispastica, quorum multiplex genus est, cruribus, pedibusque imponere, ut deorsum, extrorsumque avocent, ac revellant.

(a) Loc. cit. (b) Ibid. aph. XXXII. (c) Ibid. (d) Ib. aph. XXXIII. (e) Ib. aph. XXXIV. (f) L. c.

De frictionibus siccis, atque humidis. §. 363. Magni, frequentisque usus sunt in peticulari hoc morbo, si unquam, ullibi frictiones universi corporis tum siccæ, tum humidæ. His cunctantes, lenteque erumpentes maculas sollicitare student, aut retrocedentes, aut retro pulsas revocare tentant. Veteribus mos erat manibus inunctis corpus fricare diligenter. In primis utebantur unctione illa Aetii, quæ constat ex aqua, oleo, et nitro una decoctis, aut aliter commixtis, et subactis. Recentiores ad id adhibent aquam Reginæ Hungariæ, aut aliam ejusmodi, quæ spiritalis, et volatilis utcunque sit; nec desunt, qui aceto utuntur. Singulorum unum, idemqne consilium est, etsi ratio alia, atque alia. Profecto lenes, calidæ, et siccæ fricationes meatus cutis aperiunt, exspirationem promovent, et cutim versus humores invitant, atque adeo eruptionem macularum adjuvant. Quæ unguinosis linimentis fiunt, aridam siccamque cutim molliunt quidem, et laxant, sed ejus poros, et exspirantium canaliculorum oscula obstruere videntur. Quæ demum spiritibus, aliisque volatilibus rebus administrantur, non obstruunt quidem, sed non satis assequor, an humores cogant, aut resolvant, num vasa reserent, aut inducto stimulo potius occludant? Quæ dubitatio æque cadit in illas fricationes, quæ oxycrato peraguntur; nam, etsi aceto denegari antiseptica virtus non possit, quæ utilitatem aliquam polli-

cetur; acer tamen ejus, irritandique potestas tanta est, ut vasa, et vasculorum orificia, quæ irritabilia plane sunt, corrugari, constringique debeant. Accedit, quod actu frigida repellunt, aut humida quæque, etsi calefacta, facile frigescunt, et demum, quod frequenti, et sæpe improvida corporis detectione, ejusque aeris inevitabili objectione fieri non potest, quin cutis spasmum incurrat, et convellatur. Quas ob res satius est lenibus, ac calidis frictionibus cutim demulcere, aut cucurbitulis siccis attrahere, ac rarefacere, desuper impositis linteis moderate calidis, aut, si ariditas simul emendari debeat, vesicis aqua moderate calida plenis, et juxta crura sub stragulis utrinque dispositis, aut fomentis concinne aliquandiu admotis, sic tamen, ut vapore quodam tepido, et blando cutis humectetur, et foveatur, non vero ægri nimium incalescant.

Lenes frictiones calidæ, cucurbitulæ siccæ, fomenta magis tuta.

§. 364. De frigidæ aquæ potu, tamquam in febribus quibusdam præstantissimo, ac præsentaneo auxilio sæpius alibi, et præsertim in primo volumine disseruimus. Is interdum etiam in peticulis locum habere potest, speciatim ubi febris *biliosa* atque *ardens* (§. 309.) eas comitatur, quæ ut plurimum ingens vitæ periculum affert. In hac igitur, etsi exanthemata exstent, aqua frigida, immo nivata a nonnullis proponitur, tamquam unicum præsidium. ROBORETUS ea feliciter usus est in peticulis, quando in ægrum juvenem, carnosum, firmum, et robustum cadebant, et tempus erat æstivum, febrisque ardentissima, dummodo signa internæ phlegmonis, et pectoris angustia abessent. Propinabant frigidam copiose, et ad satietatem usque. Non modo autem ut refrigerans remedium, sed etiam ut evacuans eam dabat. Quo nomine ejus libras saltem duodecim

De aquæ frigidæ potu.

brevi spatio hauriendas præcipiebat, ut nimirum incendium extingueret, et sursum, aut deorsum evacuationem aliquam promoveret. Quibus frigida non arridebat, ejus loco quatuor vel quinque seri lactis libras eumdem in finem ingerendas curabat. Nec solum in summo ejusmodi febris incendio, atque æstate præfervida id fieri posse existimat PETRUS A CASTRO, verum etiam, ubi *non multum calor emicat*, *nec humorum coctio* adest; nam potest *latentem illam ac pestiferam humorum vim cum manifesta qualitate conjunctam mirabiliter extinguere*, dummodo frigida *copiose*, *et affatim*, id est, *quantum uno haustu æger* ingurgitare potest, bibatur (*a*). Et quoniam *vomitus*, *qui per eam*, inquit, *solet provocari*, fere *in principio utilis* est, dummodo copiosius; danda est *repetitis vicibus*, *ut vomatur*, *additis interim nonnullis*, *quæ seminaria*, sive miasma putridum, *respiciunt*, *guttulis aceti*, aut succi mali medici, aut citrei, aut spiritus *sulphuris*, *aut chalcanthi* (*b*). Tempus ad id aptum veteres putabant circa morbi augmentum. Verum nostri quovis morbi tempore nivatam aquam potui præbent, hacque sola sine ullo alio alimento, aut certe tenuissimo utuntur a principio ad finem usque, curationemque omnem absolvunt, quando et fervor ardens, et virium robur, et putredinis metus eam indicant. Hac methodo proprium alium ex peticulis laborantem sine aliis medicamentis servavit XAVERIUS BERTINIUS, Medicus Florentinus doctrinæ laude, et fama clarus (*c*); ut exempla quam plurima ejusmodi curationum, quæ passim in Italia a Medicis patrantur, silentio prætercam. Prudentem tamen, et bene peritum, cunctaque apprime circumspicientem hominem hæc medicina requirit, ne pro salute exitum comparetur. *Non paucos* vidit PETRUS A CASTRO, *quos repen-*

te vita privavit aqua frigida, improvide nimirum, et inconsulto adhibita, *naturali simul cum igneo calore extincto* (d).

(a) *L. c. sect. VII. aph. VIII.*
(b) *Id. ib. aph. IX.*
(c) MARTIN GHISI *Letter. Med. Lett. I. p. 33.*
(d) *L. c. sect. ead. aph. VI.*

§. 365. Cortex peruvianus, qui olim ad febres dumtaxat intermittentes fugandas ceu specificum remedium adhibebatur, paullatim detectis miris ejus proprietatibus ad alios quoque morbos bene multos curandos traductus est, sic ut minime sit mirum, si hodie in peticularum etiam curatione non infimum locum teneat, non quidem antifebrili facultate, quam nullam esse adversus peticularem febrim cum nostra, tum aliorum tentamina ac pericula (§. 318.) evicerunt (*), sed antiseptica, cardiaca, atque antispastica virtute. Liberaliore admodum manu, et dosi, quod sciam, non antea a quoquam tentata primus fortasse omnium HAENIUS in febribus continuis malignis, et, ut vocant, putridis eo uti cœpit, tanta profecto confidentia, ut extracti ejus unciam quotidie ad finem usque morbi suis ægris præbere non dubitaret. HAENIUM imitati HASENOHRLIUS, et STORCKIUS eodem remedio, eademque liberalitate peticulas oppugnare aggressi sunt. Et quamquam eo nihil detractum morbi gravitati, ac durationi sit, ut ex eorum, HAENIIQUE clinicis historiis apparet; tamen omnes in animum sibi induxerunt, ejus usu factum esse, ut nullus fere, aut plane rarissimi occumberent. Est apud SIMSIUM descriptio (a) febris epidemicæ cujusdam adeo mortiferæ, ut eam pestilentis quodammodo naturæ judicaverit. Videtur vero fuisse peticularis morbus malignus, et putridus pessimi sane mo-

De cortice peruviano.

Ejus largior usus in peticulis.

Simsii observatio.

ris. Nam inter maculas peticulares, quæ cito in eo prodibant, symptomata præcipua, et quasi patognomonica erant desperatio summa, tremores convulsivi, perpetui, in dies invalescentes ad finem usque. Initio statim, antequam putredo oriretur, sanguine semel detracto, et postea excitato vomitu ægros aeri libero, ut fieri solet in variolis, exponebat ipse, et chinam chinam largiter dabat eis, ita ut singulis diebus illius unciam, immo duplum, triplum, et amplius insumeret. Non dissimulat febriles accessiones ab amplo istiusmodi remedii usu intensiores primum factas, deinde paullatim mitiores, vel saltem, etsi idem febris gradus perstaret, demum feliciter ad finem, solutionemque perductum morbum esse, quin ullus periret, cui ea ratione china

Quando magis conveniat.

china præbita esset. Videtur igitur cortex peruvianus, quod jam alii compererant, ubi vires languent, ubi atonia solidæ partes laborant, ubi nervosum genus a maligno miasmate afficitur, ubi humores ad liquescendum propendent, ubi facilis ad necrosim est transitus. In peticulis nempe malignis, et putridis, et quasi pestilentibus, plurimum boni præstare.

Admonitio.

Largiore equidem ejus usu interdum opus esse, non negaverim; sed modum tamen aliquem adhibendum arbitror, ne inutili copia ægros obruamus. Non enim remedii, si bonæ notæ fuerit, vis in enormi ejus quantitate, quam paucissimi sine molestia, nausea, aut vomitu, aut alvi fluxu diu ferre possunt, sed in prudenti, apta, et continuata præbitione consistere tota videtur.

Ubi demum ab eo abstinendum sit.

Ubi vero contrariæ affectiones, conditionesque occurrant, a quibus tonica, cardiaca, atque antiseptica nequaquam indicantur, prudentis medici plane erit a cortice isto temperare, aut non ita largiter, neque ita universim eum profundere.

(*) Chinam chinam parum profuisse, etiam peticulari morbo ad finem properante, notavit RAMAZZINIUS, *Dissertat. cit.* §. 32. Inutilem quoque eam expertus est anonymus Auctor historiæ constitutionis *Montecchianæ* supra memoratæ, aliique complures.

(*a*) *Malad. epid. p.* 127.

§. 366. De remediis insignioribus non plura. Superest potius, ut pauca de curatione quorumdam symptomatum, quæ peculiarem interdum opem postulant, summatim hic adjiciamus. At quid vigiliis, comatosis affectibus, faucium dolori, ulcerationi, aphthisque; quid siti, linguæque ariditati; quid hæmorrhagiis, sudori immodico, alvi profluvio, urinæ suppressioni; quid respirationi difficili, pulmonum infarctui, aut peripneumoniæ, tussi, catharro, vermibusque, si cum peticulis complicentur, fieri conveniat; toties jam supra, ac speciatim ubi purpuræ scarlatinæ, morbillorum, et variolarum curationem exsecuti sumus, explicatum a nobis videtur; ut prope supervacaneum sit id iterum pertractare, cum eadem prorsus documenta repeti hic quoque oporteret. Dicam tamen de duobus symptomatis, quæ non parum terrere solent, singultu videlicet, et meteorismo abdominis. Itaque singultus, qui ante peticularum apparitionem ingruit, itemque inanis vomendi cupiditas, quæ cum eo sæpe jungitur, plerumque a sola irritatione nervorum cietur, sedaturque paregoricis, atque ipsa macularum eruptione. Cum vero indicia non desint cacochyliæ ventriculum gravantis, leni emetico ea excutienda (*a*) est. Singultum etiam non raro vermes movent. Tunc anthelminthica omitti non possunt. Verum si ventriculi, aut intestinorum inflammatio eum pariat, aut interdum morbo adultiore fit; exitium vix averti potest. Præter enim sanguinis missionem, quæ tamen raro bene

Curatio quorumdam symptomatum.

De singultus, vomiturıtionis, & convulsionum curatione.

fertur, omnia tunc, quæ demulcent, quæ temperant, quæ aliorsum, extrorsumque avocant, opportunissima sunt. Interdum peticulæ intro versæ, aut peticularis fomes retentus ferale hoc symptoma inducunt, ut docent maculæ peticulares tam in intima ventriculi, atque intestinorum facie, quam aliis internis sedibus post mortem repertæ. Tunc blande diaphoretica, et moschus generatim commendari solent. Nec alia convulsionibus, ubi eamdem caussam agnoscunt, accommodata sunt, aut efficacius succurrunt.

Convulsiones.

(a) STORCKIUS *ant. med. I. mens. Decembris pag.* 42.

De ventris meteorismo.

§. 367. Peticulis tumorem ventris tympaniticum, et resonantem, secunda ut plurimum hebdomada, supervenire nequaquam infrequens est, ut jam supra (§. 327.) annotavimus. Meteorismum vulgo nominant. Hunc efficit aer ventriculum, aut intestina, aut utraque simul distendens. Is nunquam non in istarum partium cavo reperitur, vel extrinsecus cum potu, et cibo ingestus, vel ex his calore, et mora evolutus, atque extricatus. Quamdiu libere per eas vagari potest, et naturali continentium tunicarum robore, ac renisu comprimitur, ut præter modum expandi nequeat; abdomen nullo modo intumescit, non elevatur. At si spasmo alicubi nato aer in illis intercipiatur, statim loci calore rarescit, expanditur, et majus spatium occupare nititur, quod fieri nequit sine tunicarum concludentium distractione; hinc enormes ventris inflationes, tumoresque resonantes proficiscuntur, quibus abdomen assurgit, ac tenditur. Id ipsum incidit, si ventriculi, atque intestinorum tonus infirmetur, aut deficiat: nam victa eorum resistendi vi, aer liberius dilatatur, extumescit, et cuncta, spatium sibi quærens, vehementer urget, ac distendit

Meteorismi duplex genus.

Primum illud contingit, quando sensibiles, irritabilesque partes ventriculi, intestinorumque variis, dissitisque locis a principio aliquo acri afficiuntur, puta bile, vermibus, excrementis retentis, medicamentis salinis, irritantibus, catharticis assumptis, aut pravis humoribus ad intestina, aut ventriculum ex universo corpore confluentibus. Notum enim est hasce partes, qua irritantur, se se contrahere, et prorsus occludere. Alterum vero fit, quando nervorum vis ad hasce partes spectantium maligno, ac venefico miasmate, vel alia quaque caussa resolvitur, aut fibrarum, tunicarum firmitas, ac cohærendi potentia a corruptis, septicisque recrementis, stagnantibus, coacervatis, non cito excretis debilitatur, ac pene destruitur. Putredo enim irritabilitatem summopere minuit, atque evertit.

Primi generis ratio.

Alterius generis.

§. 368. Priore casu præter notas caussarum, quas indicavi, alvus sæpe adstringitur, aut pauca, tenuia, acria, urentia, aut mucosa, et cruenta egerit; tormina non raro, dolores, tenesmum ægri queruntur, et tactui abdomen non modo renititur, sonitumque reddit, verum etiam manu compressum aut totum, aut aliqua in sede multo sensibilius est, atque indolescit. In hoc igitur meteorismi genere ea omnia indicantur, quæ molliunt, laxant, demulcent, sedant, ac leniter subducunt. Hinc fomenta emollientia, et discutientia toti abdomini calide imponantur; intrinsecus oleum lini, aut olivarum parva, sed repetita subinde dosi præbeatur, et subter enemata blanda ex decocto malvæ, althææ, chamæmeli, butyro recenti, aut oleo lini addito, parata injiciantur. Quod si hæc non satis abdominis tensionem relaxent, nec alvum subducant, aliquid salis anglici, aut cremoris tartari multa aqua di-

Signa meteorismi primi generis.

Ejus curatio.

luti, aut uncia una, aut altera syrupi cichorei cum rhabarbaro, aut dilutum tamarindorum propinari potest, aut clysteribus aliquid mellis simplicis, dummodo tenesmus absit, adjicit, ut quod in intestinis hæret, irritatque, facilius deorsum propellatur, descendat, excernaturque. Hac utique ratione intra paucos dies non modo meteorismus subsidere solet, verum etiam urina, si substiterit, ut plerumque evenit, liberius fluere

Urina suppressa revocatur.

incipit. Vix ulli eorum, quibus Ischuria vesicalis supervenit, opus cathetere fuit in Faventina constitutione ann. 1759. et 1760. etiamsi fere omnes ex morbidi fomitis de loco in locum successione, ac metastasi (§. 327.) in meteorismum, urinæque retentionem inciderent. His autem non alia curatio adhibita fuit, quam modo proposita. Fomentis etiam TROLLIUS (*a*) abdominis tumorem feliciter discussit.

(*a*) *In Raccolt. d' Opusc. med. pratic. del Sig.* TARGIONI, *Vol. VIII. Lett. I.*

Signa meteorismi secundi generis.

§. 369. Altero casu, videlicet ubi meteorismus ab atonia tubi intestinalis, aerisque dilatatione efficitur, plerumque signa modo memorata (§. 367.), in primis doloris sensus, absunt; purgatio neglecta fuit; alvusque parum respondet. Tunc contraria prorsus ratione ventris tumor oppugnandus

Curatio.

est. Etenim si intestina putridis adhuc excrementis, e quibus aeris copia extricatur, scatere conjicitur, iteratis enematis leniter stimulantibus primum alvus sollicitanda est, ut a sordibus putridis cito liberetur, deinde tonica, atque antiseptica tam intra, quam extra adhibeantur. Præter vini aliquid, quod subinde potui addi debet, utpote vires erigens, corruptioni resistens, irritabilitatique amicum, intrinsecus camphora, scordium, chamæmelum, et corticis peruviani

dilutum, aut decoctum ceteris antecellunt. Acida vero hic, etsi putredini adversa, quia tamen irritabilitatem infirmant, suspecta quodammodo habenda videntur. Horum loco liquor anodynus mineralis, spiritus nitri dulcis, in aqua menthæ, aut chamæmeli diluti dantur utiliter, et flatus egregie discutiunt. Clysteribus quoque ex decocto scordii, chamæmeli, corticisve peruviani paratis adjici camphora potest, quæ et putredinem inhibet, et fibris tonum restituit, et irritabilitatem animat. In ejus tamen usu tam superno, quam inferno modus aliquis servetur: nam nimis liberalis, et largus capiti nocet, nervos lædit, convulsiones huic morbo adeo familiares accelerat, augetque. Nonnulli aquam frigidissimam potandam, immo injiciendam in anum, ventrique extrinsecus applicandam proponunt. Sed non sine matura deliberatione id audendum, aut tentandum est; cum res discrimine non vacet. Satius procul dubio videtur usitatioribus, tutioribusque auxiliis insistere, quam insueta, aut ambigua sectari. Quod si alvus pertinaciter clausa perstet, aperiri ea debet cremore tartari, aut sale polychresto, aut rhabarbaro partitis dosibus, et paullatim dato. Extrinsecus demum fovendum vino calido abdomen est, aut ei imponendum emplastrum de baccis lauri, aut de galbano crocarum, aut aliud cataplasma roboranti, atque aromatica leni vi præditum. Plurimum vero confert totum ventrem pannis laneis siccissimis, et vapore succini suffitis leniter, et sæpe perfricare. Aerem ano detraxit experientissimus FRAMBAGLIA syringæ communis ope in anum immissæ, atque deducto leniter embólo vacuæ redditæ. Sic magnam vim aeris intus conclusi explosam vidit, quam excrementorum copia sequebatur (*a*).

Admonitio circa camphoræ usum.

Frigida potus injectio, applicatio.

Quæ extrinsecus adhibenda.

Aeris extractio.

(*a*) *Loc. cit.*

Alia meteorismi species. §. 370. Prætereo eum meteorismum, quem aer ex humoribus circumeuntibus, et putrescentibus erumpens, et solutus procreare creditur, aut quem interiorum partium gangræna, et corruptio gignit. Nam tum prior iste, si unquam in vivo homine nascitur, tum posterior alter non modo intestinorum, sed cavi ipsius abdominis morbus esset, nec spem ullam salutis relinqueret, jam natus. Prætereo etiam varias morborum cum peticulis complicationes, cum nemo non perspiciat, eorum quoque rationem habendam esse. Exemplo sit febris intermittens, quæ non semel cum peticulari febre consociari visa est. Hanc cito fugat cortex peruvianus. Deinde quod reliquum morbi superest, facile et feliciter (*a*) superatur. Finito demum morbo peticulari sæpe convalescentes manent veternosi, stupidi, obliviosi, ac surdastri. Sed hæc mala sponte paulatim desinunt (*b*). Aliis pedum œdemata superveniunt, quæ pariter sola naturæ vi paullatim resolvuntur. Nonnullis faciem tumore albo correptam vidit STORCKIUS. His vesicans posteriori cervicis parti admotum, et lenia stimulantia (*c*) profuerunt. Nec rarum est scabie morbum finiri, aut jam finito eam accedere. Hæc quia critica est, ideo sini debet, nec ullo topico medicamento repelli. Attamen si nimium protrahatur, sero lactis, purgantibus, et tandem balneis thermalibus eradicatur (*d*).

Morbi complicati suis remediis curandi.

Quæ a morbo relinquuntur, paullatim evanescunt.

Faciei tumor.

Scabies.

(*a*) STORCK. *Ann. med. I. mens. Octob. & Sept.* 1758. *p.* 28.
(*b*) RAMAZZIN. *Diss. cit.* §. 24.
(*c*) STORCK. *l. c. februar.* 1759. *p.* 62. 63.
(*d*) *Id. ib. p.* 26. & 60.

Curatio eadem Peticulis epidemicis ac sporadicis.

§. 371. Atque hæc peticulis tam epidemicis, quam sporadicis fere communia sunt. Neque aliter curantur peticulæ, quæ ob pejorem naturam,

majoremque contagionem, frequentiam, ac mortalitatem *pestilentes* nuncupari solent. Simili quoque ratione medemur febri *Nosocomiali*, *Carcerariæ*, et *Nauticæ*, aut *Castrensi* (*) (§. 348.), quando peticulares sunt, ut plerumque esse consueverunt; nisi quod in his aeris renovatio, ac mutatio adeo necessaria est, ut sine ea nec morbi vis, nec contagio infringi, aut cohiberi possit. Curandum tunc quam maxime est, ut ægri a sanis segregentur, et si fieri possit, in ampliora conclavia, atque in aerem purum, liberum, apertum, ac ventilatum transferantur, nec densi, nec frequentes in uno loco sint. Item nosocomicæ, carcerariæ, nauticæ.

(*) De febre *nosocomiali*, sive *Nosocomica* speciatim scripsit Jo: PRINGLIUS, qui utrumque ejus genus, *petechialem* nempe, & *lentam nervosam malignam*, sive *Typhum* peculiari capite comprehendisse videtur. *Osserv. sopra le malatt. d'Armat. P. 3. cap. VI.* Anno 1779. *De febre Nosocomica* commentarium edidit CL. SEBASTIANUS CERA Clinicus Mediolanensis exercitatissimus, in quo sic febrem *nosocomicam* describit, ut qui peticularum historiam a nobis traditam legerit, illico fateri debeat, unum, idemque morbi genus esse. In eodem commentario nuper recuso, & litteris CL. TISSOTII Regii Ticinensis tum professoris amplissime laudato exstat *appendix de febre carceraria*, Nosocomicæ admodum affine. Sed exemplum *febris carcerariæ contagiosæ, & pestiferæ* inter ceteros nobis multo ante reliquit HUXHAMIUS (*observat. de aere, & morb. epid. vol. 2. p. 82. edit. Venet.*) itemque aliud *febris Nauticæ ferme pestilentis* (*Ib. p. 44. & p. 135.*); quæ loca consulere, atque inspicere quisque poterit.

§. 372. Quod ad victus rationem attinet, hæc tenuis esse quidem debet, sed vires instaurans, et putredini adversa. Universim quæ e regno vegetabili depromuntur alimenta, uti decoctum hordei, panis, oryzæ, horumque cremores ceteris Diæta.

antecellunt. Serum lactis vinosum pro potu, et alimento quibusdam satis est. Quæ animalium regnum porrigit alimenta, hæc apud plerosque male audiunt, ac passim vituperantur, quia alkalescere, et citius putrefieri creduntur. Aliquid tamen regioni, consuetudini, et peculiari ægrotantium constitutioni concedendum est. Jus tenue pulli, sorbitiones ex pane triticeo in jure carnis decocto, vitelli ovorum in aqua mali medici succo medicata, ac saccharo edulcata soluti nonnullos jam viribus destitutos maxime recreant, atque refocillant. Alkalescentiæ metum acida vegetabilia addita quodammodo arcebunt; quamquam ventriculi concoctrice facultate, ni omnino extincta sit, sic mutantur, ut non facile alkalescere, aut corrumpi queant. Alios vinum sorbillare plurimum juvat, idque solum commode eos sustinet, ac reficit. Sed maxime ægrorum quies, mundities, et lecti, linteaminumque frequens mutatio cordi sit. Aer quoque conclavium sæpe renovari debet, et vapore aceti, aut baccarum Juniperi, similiumque imbui, ac suffiri. Aqua etiam aeris impuritates absorbet. Plantis vegetantibus, ac virentibus mephitica effluvia absumi, et emendari, si tamen solaribus radiis expositæ sint, dicuntur. His igitur cubicula instruantur, ornenturque.

Prophylaxis. §. 373. Nec ægrotorum tantum rationem, sed sui quoque, et sanorum habeat medicus, oportet. Hinc apposite scripsit PLATNERUS: *qui grassante hoc morbo, ab eo tuti esse volunt, eos oportet vitare cubicula humida, et aerem paludosum, corpus debent operire, crebrius lintea vestesque mutare, et aeri exponere, maxime si inter ægros versandum est, abstinere a venere, ingluvie, aliisque, quibus corpus debilitatur. Inter cetera auxi-*

lia sic dicta prophylactica optimum est cyathus vini rhenani modicus, animusque compositus (a). Præter ista vero, quæ diligenter facienda, observandaque sunt, plurimum etiam prodest, quod pluries equidem expertus sum, os, faciem, nares, manusque crebro abluere aqua, vino, aut aceto; cubicula a sordibus munda reddere; novo, recentique aere ventilare; vapore aceti acerrimi, vel suffitibus resinosis medicari; excrementa quæque cito auferenda curare; nihil cibi, aut potus prope ægros assumere; salivam sæpe exspuere, ne noxiis halitibus infecta vorentur; obversa facie, aut ad latus inclinata ægros alloqui, et pulsum explorare; se fenestram, aut januam inter et ægrum sistere, ne aeris flatu effluvia ab ægris manantia in nos ferantur, et longam, continuatamque apud ægros moram devitare. Quando vero propius ægrum inspicere oportet, aut cutim, linguam, hypochondria examinare, tunc spiritum comprimere necesse est, ne vaporem, aut halitum ab ægro emanantem proxime hauriamus. Peticulis epidemice vagantibus, plerumque ii in morbum repente incidunt, qui frigori, aut aeri nocturno, humidove incaute se se objecerunt, exspirationis nimirum suppressionem perpessi. Probabile igitur est, si aliquid noxii miasmatis in corpus se se immiserit, id facile viribus vitæ per cutis spiracula, dum patula sunt, sensim difflari sine noxa: occlusis vero illis retineri, et cumulari sic, ut contagionis copia tanta fiat, quanta ad corpus inficiendum, labefactandumque satis sit. Quam ob rem exspirationi cutaneæ de industria indulgendum maxime est; quod in primis efficiemus vitatis caussis, quæ eam cohibent, et sumptis intrinsecus, quæ diaphoresim subinde promovent. Frustulum camphoræ vespere hora somni deglutitum, aut dilutum

chamæmeli scordii, et florum sambuci mane in lectulo sorbillatum optime cessisse vidi. Nonnulli acetum vel simplex, vel plantis alexipharmacis infusis alteratum, quale est illud, quod a quatuor latronibus nominatur, identidem bibunt, eoque sibi suadent septicum principium, quod alkalinæ naturæ esse putant, immutari, ac neutrum reddi posse. At dubium est, utrum illud alkalinam vere naturam obtineat. Novi enim quosdam, qui, ut ab epidemico morbo se immunes facerent, singulis diebus jejuno stomacho aceti optimi cyathum diu biberant, nihilominus morbo implicitos fuisse, et quidem gravissimo, ut etiam ex eo obierint. Utiliorem expertus sum ad prophylaxim corticis peruviani moderatum ac quotidianum usum. TROGHERIUS (*b*) in constitutione peticulari ann. 1752. et 1753. in qua cum peticulis saburra gastrica, et verminosa complicabatur, pilulas prophylacticas felici eventu adhibuit ex camphora, scordii extracto, mercurio, semine santonici, rhabarbaro, aut sena, aut cremore tartari compositas, quibus vermes sæpe dejectos fuisse testatur. Provide etiam cavit, ne lintea sanorum cum iis, quæ ægrotis inservierant, promiscue lavarentur, et ne vestimenta, stragula, culcitræ, pulvinaria, aliaque, quibus ægri usi erant, ad sanorum usum traducerentur, nisi prius diu aeri libero exposita, excussa, et bene lota essent; quod potissimum curari ab iis debet, qui Nosocomiis præsunt. Plethoricis sanguinis missio nequaquam nocere visa est, nec blanda purgatio iis, quibus primæ viæ saburra scatent. Non raro tamen observatum est, post datum prophylaxeos caussa catarthicum extemplo febrem supervenisse, fortasse miasmate facilius recepto, aut ad interiora citius protruso. Quare catharsi emesim præstare crediderim.

(a) Ars Med. *(b) Loc. cit.*

PETICULÆ BENIGNÆ EXEMPLIS ILLUSTRANTUR.

§. 374. DAMILANIUS narrat, se peticulis epidemice discurrentibus offendisse complures pueros febricitantes, et a capite ad calcem usque peticulis ita benignis conspersos, ut per compita incederent, et sola ferme naturæ ope felicissime evaderent; dum interea alii malignis impliciti, et febre putrida detenti vita quam maxime periclitabantur; quin immo magna eorum pars exitium (*a*) subibant extremum.

Peticulæ benignissimæ a Damilanio observatæ.

(*a*) *Loc. cit. p.* 130.

§. 375. Duo peticularum genera in epidemica constitutione ann. 1757. 58. 59. quæ Vindobonæ desævit, descripsit HASENOHRLIUS (*a*), alterum benignarum, alterum malignarum. Benignum genus his se notis prodebat. In quibusdam a *coryza*, quæ fortasse frigidæ tempestati, nam hiems erat, tribui debuit, exordium capiebat, *cum obtuso capitis dolore*, *et gravitate*; in aliis cum doloribus rheumaticis totum corpus vagantibus, et suspecta virium debilitate, atque ad motum impotentia invadebat; in nonnullis præcordiorum anxietate, levi nausea, cibi fastidio, et vomituritione prima sui indicia exhibebat. *Frequentissime vero adoriebatur cum ingenti, ei subita virium omnium prostratione, anxietate præcordiorum, insueto artuum languore sine caussa manifesta, gravitate capitis, siti pauca, vel nulla*, oculi languidis, et vultu tristi; *quæ symptomata vicissitudines levis horroris simul, et caloris excipiebant; pulsus naturali celerior deprehendebatur*. Hæc *plerumque* continuabant *ad quartum morbi diem*, *tanta interea non-*

Peticulæ benignæ, ab Hasenohrlio observatæ. Symptomata primi stadii in quibusdam.

In aliis qua ratione invadebant.

nunquam lenitate , ut multi vim morbi fractam crediderint , ejusque caussam in errorem externum commissum rejecerint ; sed paullo post ingravescente ægritudine deterius habere cœperunt ; accedente vigilia, delirio, aurium tinnitu, aliisque ; quare *lecto affixi detinebant . Hæc huc usque enarrata symptomata ex pluribus , quam centenis ægris solicito examine* collecta sunt. *Ubi morbus regulariter decurrebat quarto , vel ad summum septimo die in superficie cutis emergebant stigmata rubra, læti admodum coloris* CUM LEVAMINE OMNIUM SYMPTOMATUM , *modo punctula sat parva æmulantia , modo late magis patentia , in collo , pectore , et cordis scrobiculo apprime conspicienda : mox per reliquum corpus et extremitates diffusa apparebunt , cutis madescebat ; urina a naturali non multum abludebat , suspensam plerumque in medio gerens nubeculam : oculi antehac tristes , jam incipiebant fieri vividiores ; mens constabat ; pulsus antea debilis , insurgebat ; reliqua symptomata , ut vigiliæ , delirium , sitis , aurium tinnitus vel cessabant integre , vel saltem plurimum imminuebantur ; functionum exercendarum major alacritas ; maculæ petechiales sensim minus coloratæ fiebant : tandem decimo quarto , vel et decimo septimo die ex integro disparebant , aut cum levi desquamatione epidermidis secedebant ; appetitus redibat : vires restaurabantur . Capitis gravitas , vel et temulentia , vertigo , obscuratio , visus , auditus obtusus , œdema crurum , summa ad motum difficultas utpote symptomata a fractis per morbum viribus exorta pedetentim fugam capessebant , neque multum negotii medicis facessebant . Atque hæc erat mitissimi morbi idea .*

Eruptio.

Symptomatum imminutio.

Morbi solutio.

Effecta morbi relicta.

(a) *Hist. med. Febr. petechial. &c. cap. 2.*

§. 376. Ver anni 1765. *Tyroni* in Hibernia longe fuit saluberrimum. Nulli fere morbi præter ali-

quas peticulares febres vagari visi sunt. Hæ autem ita *benignæ* erant, ut raro medica ope eguerint, quia ab eis aberant periculosa symptomata. Siquidem toto earum decursu pulsus erat satis plenus, et regularis, respiratio facilis, mens libera, sitis mediocris, cutis, et lingua semper mollis, et humida. Solvebantur somno profundo, qui plures dies perdurabat. Fateor, inquit SIMSIUS, cui hasce peticulas observare contigit, *me plurimum solicitum fuisse de valetudine ejusmodi ægrorum, qui primi in meas manus inciderunt, cum eos peticularibus maculis coopertos conspicerem. Sed quia non satis assequebar, quænam eis curatio adhibenda esset, constitui, donec aliquid certi mihi illuceret, totum negotium soli naturæ committere, satius fore arbitratus nihil agere, quam naturæ motus perturbare remediis, quæ nulla manifesta indicatione niterentur. Generatim vero non admodum culpandi sunt medici, si interdum cunctatione, et quiete uti sciant. Nam nonnullos vidi, qui medicamentorum mania tacti, et cardiacis, vesicantibusque suos ægros e comate, de quo retuli, excitare parantes, eos in præceps vitæ discrimen adduxerunt. Comparabant, equidem fateor, majorem sibi gloriam, quando accidebat, ut aliquis ex hujusmodi pene deplorato statu, in quem eos præcipitaverunt, evaderet; sed ratio ista vituperario plena est, atque honesto homine indigna; quamquam nec ipsa caret omni culpæ suspicione, cum sæpe cuique facile pateat, ægrum, cui sola natura adstitit, facilius, quam cui medicus, servari* (*a*). Hactenus ille. Hinc in hujusmodi morbis, cum populares sunt, medici minus seduli, minusque medicamenta, aliaque artis activiora præsidia adhibere parati, utiliores suis ægris, quam multa agentes esse consueverunt. Revera pauperes plerumque felicius in ejusmodi casibus convalescunt,

Peticulæ benignæ a Simsio observatæ anno 1765.

Earum descriptio.

Abstinentia a remediis sæpe utilis.

Pauperes qui medicis minus utuntur, felicius sanantur.

eo quod non habent, unde quærant qui eos multis pharmacis jugulent.

(a) SIMS. *Observ. sur les malad. epidem. chap.* 2. *pag.* 10. *& seq.*

Constitutio peticularum, quæ Faventiæ an. 1752. populariter vagatæ sunt. Præcesserunt morbi inflammatorii.

§. 377. Medii quodammodo generis, ni omnino *benignæ*, inter benignas et malignas fuerunt peticulæ, quarum historiam sic subnectere a proposito non alienum existimo. Annus 1751. qui præivit, ad humidum, pluviosum, et varium propius accessit. Subsecuta est hiems apprime humida, pluviis, et nivibus horrida, sæpe variabilis. In ea morbi stationarii erant rheumata, pleuritides, et peripneumoniæ, quibus ut plurimum diluentia, et sanguinis missiones præclare profuerunt. Vere anni 1752. inflammationes, quas dixi, paullatim desinere cœperunt. Sed in earum locum *febris inflammatoria*, sive *synochus putris veterum* successit. Hæc vero triplici differentia notabatur; nempe vel erat mitissima, vel gravis, vel gravissima. In ea sanguis e vena missus apparuit semper densus, concretus, et crusta phlogistica præditus. Postea serpere cœpit aliud febris genus, quod inter initia videbatur mite, sed mox grave et periculosum evadebat adscitis symptomatis, quæ febris lente nervosæ malignæ continentis speciem referebant. Hæc, quia præcedentium morborum constitutionem sequebatur, ideo cum diathesi sanguinis phlogistica complicabatur, et speciatim cerebro, et faucibus inflammationem intentabat. Quamobrem ad eam curandam opus fuit phlebotomiis quidem iteratis, sed modicis, et prudenter administratis. Hæc febris Majo mense penitus destitit. Sed ei successere peticulæ ita frequentes, et multis communes, ut parum abessent ab epidemicis, quarum hæc fuit ratio. Initium morbi faciebat leve frigus, aut levis hor-

Postea insurrexit Febris lenta nervosa.

Maligna erat, sed cum phlogistica diathesi.

Illi successerunt peticulæ.

Initium morbi.

ror, quem aut antecedebat lassitudo totius corporis dolorifica, aut mox subsequebatur, cum virium lapsu, respiratione suspiriosa, vultu tetro, et valde a naturali dissito. Pulsus ab ipso exordio erant parvi, humiles, inæquales parumque frequentes, et quandoque diuriusculi; nec mutabantur deinceps in reliquo morbi curriculo. In quibusdam tamen primis duobus vel tribus diebus magni, et validi extiterunt, sed postea deprimebantur, fiebantque parvi, debilesque, quales erant in ceteris. Id non paucis etiam vix a naturali statu quidquam discedebant, sicque fallaci specie illudebant. Fuerunt tamen, sed hi paucissimi, qui ab initio usque ad finem pulsum magnum, validum, velocem valde, et crebrum haberent. Verum in his semper aliquod interius viscus inflammatione simul laborabat, et sanguis, qui detrahebatur, inops seri, valde compactus, et pleuritico corio tectus apparebat. Febris, quæ cum memoratis symptomatis invaserat, plerumque quotidianæ continuæ, sive amphemerinæ, nonnunquam tertianæ continuæ simplicis aut duplicis, sive tritæophyæ typum tenebat. Omnibus pertinaciter dolebat caput; et temporum arteriæ multo validius, vehementius, et crebrius pulsabant, quam in carpis. Præterea communia erant suspiria, gemitus, lamentationes sine caussa evidenti, stupor mentis, sitis ingens, sed cum potionis aversatione conjuncta, genarum rubor, præsertim in accessionibus manifestior, timor, desperatio, flatus, ructus. Paullatim mentis stupori accedebat perturbatio, et vaniloquium cum perpetuis vigiliis, voce tremula, et stridula, hypocondriorum tensione, continua manuum et brachiorum jactatione, anxietate, copiosisque urinis, hypostasim albam, levem, paucam habentibus. Vigilias demum procedente morbo excipiebat de-

Pulsus varius.

In quibusdam erat magnus validus &c.

In his sanguis qualis?

Febris typus, Symptomata præcipua.

lirium proprie dictum, aut sopor, taciturnitas, surditas, et vana persuasio perfectæ valetudinis.

Signa cacochyliæ.

Aliqui jam ab initio querebantur malum oris saporem, nauseam, et vomituritionem. Alii vero ab his omnino immunes erant.

Ubinam delirium insons?

Nonnulli, quorum pulsus parum a naturali recedere visus erat, subito, et repentino feroci delirio, primum intermittenti, deinde assiduo corripiebantur: a quo tamen nihil funesti unquam vidi.

Calor.

Fere semper cutis calore acri, atque ardenti torrebatur, sed is multo magis capiti, dorso, lumbis, et interioribus sedibus molestus erat.

Lingua.

Lingua magnas vices pro vario morbi tempore, et ægrorum temperie, atque habitu subibat. Modo enim arebat, modo albicabat, modo rubebat, ut sanis.

Eruptio peticulatum.

A quarta die ad septimam usque post quamdam pectoris, præcordiorumque anxietatem, oppressionemque prodibant in dorso, thorace, et deinde in universo corpore peticulæ, parvæ, rubræ, aut dilute roseæ, aut pallidæ, plus minus frequentes pro majori vel minori morbi apparatu.

Mitigatio symptomatum.

Hinc respiratio liberior, faciliorque; mollior, humidiorque cutis; mitior, ac temperatior ejusdem caloris sensus, atque adeo moderatior febris.

Sudor in fine morbi, aut urinæ copia.

Exstabant maculæ tota altera hebdomada, qua ad finem tendente in plerisque sudor largus toto e corpore manabat, et sensim febris ipsa cum omnibus symptomatibus desinebat. Atque hæc erat frequentior morbi solutio. Sudoris loco in aliis uberiores urinæ fluebant, quæ peticulis adjunctæ crisim absolvebant.

Paucissimi alvi fluxus.

Paucissimis alvi fluxus supervenit, atque iis dumtaxat, qui simul saburra gastrica laborabant. Non pauci in augmento, aut statu morbi, id est in secunda, aut tertia, si malum longius trahebatur, hebdomada, faucium dolore, difficili deglutitione, raucedine, ac tussi catarrhali prehendebantur; sed sine ullo discrimi-

ne. Immo hæc bene ominabantur, quoniam brevi feliciter morbo finem imponebant. Non dissimulandum tamen est fuisse nonnullos, sed oppido paucos, et raros, qui profundo somno oppressi, voce rauca, et pene aphoni, in dorsum decumbentes, et quasi immobiles, tendinumque subsultibus assidue exagitati urinas tenues, crudas, aqueasque emittebant. Hi omnes frustrata quacunque arte, circa nonam, aut undecimam, aut quartam decimam perierunt. Narium hæmorrhagia multi corripiebantur, etiam ex iis, quibus inter initia satis sanguinis detractum fuerat. Hinc magnum semper levamen permanavit. Tota ægrotatio duabus, aut tribus, quod longissimum fuit, terminabatur hebdomadis. Quod si hosce fines transgrederetur aliquando, id solum evenit, ubi verminosa affectio cum morbo complicabatur; quam demum lumbrici ano, aut ore ejecti prodebant. Contagione malum communicabatur cum domesticis, ac familiaribus, speciatim iis, qui ægris famulabantur, aut propius accedebant, et diu in eorum cubiculis versabantur. Sed contages hæc potissimum manifesta fuit inter eos, qui angustis, humilibus, et paullulum supra solum evectis ædibus incolebant, uti sunt pauperes, atque artifices, qui necessitate quadam in suburbiis, aut angustioribus, imisque domiciliis, ac contuberniis degere compelluntur. Restat, ut curationis rationem, quæ utilior deprehensa fuit, persequamur. Primis continuo diebus, cum dolor capitis, calor, et vibratio temporalium arteriarum urgeret, sanguis mittebatur, pro ætatis, temperamenti, habitus, et pulsus ratione, et iterato etiam si opus esset, id fiebat donec nimirum capitis dolor, calor, pulsatio tollerentur, aut saltem multum mitescerent. Una, vel altera sanguinis missio plerumque sa-

Paucis dolor faucium in incremento, aut statu.

Quinam perierint?

Hæmorrhagia narium omnibus utilis.

Quando vermes complicabantur, morbus fuit longior.

Contagiosæ erant.

Curatio quænam profuerit.

Sang. missio.

tis erat, et quidem parca, ne pulsuum exigua vis nimium infringeretur. Nec pulsuum parvitas, nec sanguinis primum educti laudabilis conditio nos deterrebat a sanguinis missione, dummodo satis parca, ac moderata, nam vires vitæ oppressæ magis, quam resolutæ videbantur, et sanguis ita a tenuitate, ac dissolutione aberat, ut secundo missus, aut post aliquot dierum febrilem motum detractus in tenacem, firmam, densamque massam, sæpe crusta pleuritica contectam, coiret.

Qualis sanguis?

Mittebatur igitur sanguis magna tamen semper cautione, et parcitate, quando non modo caput dolore acuto, et pulsanti, ingentique æstu afficiebatur, verum etiam ubi calor exteriorum partium modum excedebat, (excedebat autem fere in omnibus) aut interiores sensui ægrotantium exardescere videbantur, multoque magis id auxilii locum habebat, si pulsus magnus, validusque, et febris vehementior, itemque signa alicujus visceri inflammati animum adderent, quo casu etiam liberaliori manu sanguinem mittere expediebat. At si quando sanguinis missio aut non satis indicata, aut non satis bene a viribus tolerata videretur; tunc, ut capitis dolori, accensionique prospiceretur, dorso, et scapulis cucurbitulæ scarificatæ admovebantur, aut una ampla occipiti defigebatur, ut sanguis viciniori e loco prodiens caput levaret. Quod si his parum, aut non satis proficeretur, hirudines temporibus, aut naribus, speciatim ubi aliquæ sanguinis stillæ conatum naturæ illuc vergentis ostenderant, applicare non fuit inutile. Mirum fortasse videbitur in morbo peticulari, cui sæpe noxiam sanguinis missionem experientia demonstravit, hanc ipsam nobis feliciter cessisse. Sed animadvertendum est, constitutionem morborum præcedentium, qui omnes inflammatorii fuerunt, et vernum tempus,

Quando mittendus erat?

Cucurbitulæ.

Hirudines.

Cur sanguis feliciter mittebatur?

quod plethoræ, indeque pendentibus morbidis effectis favet, in caussa fortasse fuisse, cur non modo cerebrum, verum etiam alia viscera phlogosi quadam tentarentur, atque idcirco sanguinis missio, nequidquam obstante pulsu parvo, et depresso, nedum utilis, sed necessaria reperta fuerit. Hinc ea, quando vere indicabatur, aut non sufficere posse cucurbitulæ videbantur, ne omissa quidem fuit tum, cum peticulares maculæ cutim tenerent, aut aliquis ventris fluxus adesset. Neque hinc unquam sinistri quidquam obvenit. Uno verbo ea curandi methodus omnino adhibita fuit, quæ in reliquis morbis exanthematicis, et speciatim in variolis adhiberi non feliciter solet. Nemo ignorat, tuto variolis etiam exstantibus sanguinem mitti, si æger plethoricus sit, si febris magna, delirium non leve, difficilis respiratio, aut imminens peripneumoniæ metus id auxilii suadeant, ut suo loco dictum est.

Præsentia peticularum, aut diarrhœæ quando non vetuit sanguinis missionem.

In principio itidem post semel, aut iterum sanguinem missum, ubi id necessarium visum erat, alvus ducebatur illis, qui pravum oris saporem, et nauseam querebantur, aut ponderis sensum circa epigastrium percipiebant, aut alia signa gastricæ cacochyliæ præseferebant. Rhabarbarum cum sale quodam neutro conjunctum intuitu etiam verminosæ complicationis ceteris purgantibus præstare credebatur. Plurimum vero capiti levando, et vigiliis diminuendis, aut tollendis contulerunt pedum balnea tepida, aut fomenta cruribus diu, et continenter adhibita, sinapismi, et clysmata emollientia. Stupidis, et consopitis non parum profuerunt quoque eadem clysmata, sed acria, atque excitantia; sic ut nunquam vesicantibus uti oportuerit. Præterea diluentia subacida, et nitrosa non modo in prima hebdomada, sed etiam in altera affatim haurienda da-

Quibusnam alvus ducebatur?

Revellentia.

Diluentia subacida & nitrosa.

bantur, quantum per ægros quidem, qui a potu plerumque abhorrebant, licuit. Quia vero in altera hebdomada vitæ vires magis, magisque deprimebantur, et quasi deficere videbantur; ideo eas erigere, reficereque curavimus *mixtura* aliqua cardiaca, et minutis dosibus salis volatilis cornu cervi, aut viperæ, dummodo delirium magnum, aut ferox abesset. Interdum dabantur pilulæ ex pulvere radicis contrayervæ, et extractis cardui benedicti, et scordii, similibusque compositæ. Quibus sane leniter vires omnes non modo reficiebantur, verum etiam sudores, ad quos natura sponte vergebat, eliciebantur, cum morbi primum levamine, deinde optata solutione. Ut vero sudor facile profusior evadebat, sic caute, et circumspecte cardiacis, et sudoriferis utebamur, et simul ac fine potiti eramus, ab iis cito abstinendum ducebamus, ne præ nimia sudoris copia ægri deficerent. Quod si tamen languor aliquis ex hac caussa oriretur, viribusque consulere opus esset, in moderato vini maturi, et bonæ notæ usu omne præsidium inventum est. Denique finita febre, nonnullis nausea, et cibi fastidium non æque cessabat. His remedio fuit rhabarbarum cum salibus mediis epicratice ad aliquot dies datum. Historiam, ni fallor, protuli peticularum *essentialium*, quæ, quia multos eodem tempore aggrediebantur, et facile in sanos contagione transibant, epidemicæ, et contagiosæ dici possunt; et, si minus absolute benignæ, mediæ saltem naturæ benignas inter, et malignas constitui: 1. quod regulariter admodum processerunt: 2. quod earum eruptio aliquod cum febri, tum symptomatibus levamen semper attulit: 3. quod paucissimis lethiferæ fuerunt, et ab ea sanguinis liquatione, quæ frequenter in malignis, putridis, atque anomalis

Cardiaca, & volatilia quando?

Diaphoretica, & antiseptica.

Cautio.

Vini usus.

In fine cunctanti appetitui quid profuerit.

Conclusio.

occurrit, ac perniciosa natura, quam gravissima symptomata comitari solent, plurimum distare visæ sunt.

PETICULÆ MALIGNÆ EXEMPLIS QUIBUSDAM ITIDEM ILLUSTRANTUR.

§. 378. Anno 1590. Tridenti æstas fuit siccissima, et præcalida, autumnus magna ex parte similis; hiems frigida admodum, et nivosa. Accessit annonæ caritas. Hinc anno postero 1591. morbi populares mali moris non plebem solum, sed magnates etiam incesserunt. In primis *febres erant*, ut narrat OCTAVIANUS ROBORETUS (*a*), *ab initio fere insensibiliter invadentes cum levi horrore, vel horripilatione, paullatimque calor, primis quidem diebus haud multum molestus, capitis tamen dolore ut plurimum comitatus, subsequebatur. Cum vero quibusdam ad quartam, quibusdam ad sextam, vel septimam ventum erat, aliis vigiliæ, et deliria valde intensa, atque phrenitides, aliis lethargici sopores pene inexcitabiles superveniebant. Omnibus tamen circa sextam, vel septimam, paucis autem in quarta pulicum morsibus haud multum dissimiles peticulæ, ut plurimum rubeæ, aliquando tamen etiam lividæ, circa dorsum præcipue, atque pectus oriebantur, efflorescebantque. His magna ex parte faucium dolores, et inflammationes, tusses humidæ, quibusdam etiam vocis interceptio, ac omnimoda loquelæ amissio cum ablata fere deglutiendi actione fiebant; lingua arida, sitis, aliquibus alvi fluxus biliosi, non tamen colliquativi, plurimis etiam vermes tum sursum, tum deorsum, hæmorrhagiæ ex naribus copiosæ, et ut plurimum salubres; nonnullis etiam, post soporem maxime, parotides, quibus pariter a morbo ægri vindicabantur, contingebant. Quibusdam etiam licet interiora adeo urerentur, ut lingua aridissi-*

Peticulæ malignæ an. 1591.

Descriptio.

Symptomata ante eruptionem.

Eruptio.

Faucium dolor, & inflammatio.

Symptomata post eruptionem.

ma, scissurisque nonnunquam dissecta conspiceretur, exteriora tamen insignem quamdam, ac pene marmoream frigiditatem, cadaverum instar, obtinebant. Aliqui toto morbi tempore lotium sanis persimile, alii usque ad sextam, vel septimam (in his enim duobus diebus magnæ potissimum mutationes eveniebant) clarum, deinde per duos, vel tres dies admodum turbatum, et subjugale, cicerum rubrorum juri haud multum dissimile emittebant; sicque varia variis pro naturarum diversitate, nec non partium imbecillitate, humorumque dominantium qualitate fiebant accidentia. Quinam magis periclitabantur. *Potissimumque corpora sanguinea, ac bene quadrata periclitabantur, inficiebanturque quam facillime, serpereque in proximos contagione hujusmodi mala clarissime conspiciebantur.* Contagiosa. *Et quamquam etiam multi in eadem domo successive decumberent; maxima tamen eorum pars, potissimum qui medicorum præceptis erant obtemperantes, a principioque curationi se se addicebant, convalescebant;* Pauciores e plebe, quam e nobilibus moriebantur. *ita ut etiam cum morbus maxime vigeret, ex decem, vel duodecim ægris unus interiret, magisque discrimen hoc opulentiores nobiles, atque primates ipsi, quam inops, atque egena plebs experiebatur; cum eorum etiam numerosæ multitudinis rspectu major multo numerus decesserit.* Symptomata lethalia. *Cum iisque potissimum agi male videbatur, qui aliqua alia labe, et maxime gallica essent infecti. Omnesque fere quotquot obiere, convulsi, suppressaque urina, vel suffocati interibant.* Quænam morbi reliquiæ? *Qui vero a morbo convalescebant, magna ex parte surdastri, ac semistupidi per aliquod temporis spatium remanebant, capillique quamplurimis defluebant.* Hactenus continuata oratione auctor. Alia notatu digna. Subjicit deinde, maturius peticulas erumpentes pejores fuisse, nihilque levaminis attulisse (*b*), neque peticulis solis unquam morbum solutum esse, nisi aliqua copiosa per alvum, vel lotium, vel hæmorrha-

giam evacuatio accesserit (*c*); quamquam non neget ibidem, interdum peticularum eruptionem, præsertim cum sudore conjunctam, morbi impetum aliquando fregisse (*d*), ex quo eruitur peticulas tunc grassantes plerumque malignas fuisse, rarissime benignas.

(*a*) *De peticular. febr. ann.* 1591. *cap. I.*
(*b*) *Ibid. cap. XII.* (*c*) *L. c. cap. XV.* (*d*) *Cap. eod.*

§. 379. Sed multo manifestius, accuratiusque malignas peticulas in constitutione epidemica Vindobonensi ann. 1757. 58. 59., quam memoravimus, distinxit, delineavitque ad naturæ exemplum Cl. HASENOHRLIUS (*a*). In his *statim* a principio morbi *omnia symptomata erant vehementiora*, quam in benignis supra ex eodem descriptis (§. 375.), *neque eruptione exanthematum facta multum mitigabantur*. *Lassitudo illa spontanea de die in diem augebatur, tinnitus, et sussurri aurium, dolores capitis intensi nulli remedio auscultabant; oppressio præcordiorum, respirationis difficultas, tussicula perpetua, modo humida, plerumque sicca, subsultus tendinum, mens turbata fatalem minabantur exitum. His se se comites junxerant vigiliæ diuturnæ, quas exceperat delirium; nonnunquam in incremento, nonnunquam in statu morbi, aliquando mitius, aliquando ferocius, quod degeneravit nonnunquam in furorem, quo agitati* (ægri) *surrexerunt, et robustissimorum alioqui hominum actiones exercuerunt: quod in quatuor militibus me observasse memini; ita quidem ut ruptis vinculis, quibus lecto adstringebantur, aufugere meditarentur, hosque etiam in furore fato cessisse vidi. Alios quarta, quinta, et sexta die continuo sopore sepultos, et obscure delirantes notavi, quibus septimo, vel nono die oborto sudore, petechiis prodeuntibus, melius ha-*

Malignæ Hasenohrlii.

Omnia symptomata graviora, quæ parum mitigantur ab eruptione.

Delirium phreneticum.

Eruptio cum sudore quando utilis.

Lingua. Sitis.

bere contigit. Lingua plerumque fuit humida, rarius sicca, muco albicante obducta, quandoque fusca; sitis non multa, raro intensa;

Oculi.

oculi tristes, squallida illorum acies, et minime lucida;

Hypochondria.

hypochondria inflata, quandoque dolentia;

Alvus.

alvus quamplurimis constipata, quibusdam fluida, et soluta;

Urinæ quales.

urinæ ab initio crudæ, tenues, decolores, quandoque cruentæ, vel et fuscæ, in statu criticæ cum laudabili hypostasi;

Sudor quinam criticus?

sudores sæpenumero sponte apparebant, æqualiter per totum corpus dispersi, qui, dum critici, semper erant boni;

Sudores fœtidi prope mortem.

interdum imminente in primis morte, ubi tota compages in madorem, et vaporem valde fœtidum resolvi videbatur, exprimebantur, et tunc erant pessimi.

Qualis pulsus.

Pulsus in initio morbi naturali velocior, attamen mollis; in quibusdam autem durus; in progressu celer, frequens, intermittens, debilis, inæqualis.

Peticulæ interdum non erumpunt, aut lividæ, & nigræ erumpunt.

Porro qui dicta symptomatum complicatione conflictabantur, illis vel omnino non erumpebant exanthemata, vel prodibant purpurea, livida, aut nigra: quæ ultima rarissima; in duobus enim tantum militibus vere nigra vidi.

Peticulæ vix visibiles, ominosæ.

Vel et horum exanthematum vestigia quidem apparebant, sed profunde sub cute hærentia, fatali plerumque omine: victas enim morbi atrocitate naturæ vires, materiæque inimicæ versus peripheriam propellendæ impares significabant.

Funesta retrocessio peticularum.

Funestum quoque, ac exitiale erat ægris, quibus subito disparebant exanthemata: perniciosa enim illico exsurgebant symptomata; respiratio fiebat frequens, anhelosa, inæqualis; pulsus debilis, celer, intermittens; sudor frigidus in fronte, et jugulo; tandem mors.

Symptomatum continuatio post eruptionem.

Subinde eruptione petechiarum licet facta omnia symptomata plurium dierum spatio pertinaciter perstiterunt, neque medicamenta adhibita singularem mutationem in melius attulerunt; his ut plurimum decimo septimo die, raro serius, et parotides emerserunt, cum aliqua fe-

bris, et symptomatum diminutione. Parotides sibi relictæ, ut frequenter vidi in Nosocomio Hispanico, quandoque fausto naturæ conamine retrocesserunt, et tunc diarrhœa superveniens, vel et copiosa, et crassa profluens urina salutem attulit. Quandoque scirrhosam duritiem induebant, nullo modo resolvendam emollientibus; vel et causticis tractatæ in ulcera mali moris degenerabant. Quandoque eo usque intumuerunt, ut ægrum derepente suffocarent. Felicissimum vidi eventum, dum cito ad suppurationem ducebatur, et facta apertura materiei exitus conciliabatur: verumtamen non solummodo ad aures materia morbosa metastatice ferebatur, sed et alia corporis loca petebat, femora, crura etc. axillas, faciem, nasum etc.

Quibus parotides cum levamine? Si retrocedunt, diarrhœa, & urina copiosa & crassa saluti est. Quando in ulcera mali moris vertuntur. Suppuratio saluberrima. Diadôche ad alia loca.

(a) *Histor. medic. citat. cap. 2. pag. 267. in Fascic. I. Op. min. med. & dissertat.* FRANC. XAV. de WASSERPERG.

CAPUT XI.

DE MORBO, SIVE EXANTHEMATE MILIARI (*).

§. 380. Ad morbum miliarem pedetentim pervenimus, peticulari adeo proximum, aut affinem, ut complures olim nullum prope inter utrumque exanthema discrimen ponerent. Revera inter initia, quando miliares papulæ erumpere incipiunt, sæpe peticulis similes videntur, et pro iis facile accipiuntur, nisi caute expectetur, donec eleventur, et supra cutim emineant, quo sane a peticulis, quæ planæ, et sine fastigio esse solent, discernuntur. Non ita pridem id maxime, et manifestissime in ægrotante amico meo conspexi. Quarta, vel quinta a decubitu die supra pectus

Miliaris morbus pro peticulari olim acceptus.

et brachia ei crebræ apparuerunt maculæ rubræ, planæ, discretæ, exiguæ, omnino peticulis similes, quæ tamen versus septimam elevari, atque eminere in pustulas vere miliares cœperunt, et tales per totum morbi decursum, qui fuit non brevis, nec sine aliquo vitæ periculo, perstiterunt, novis et frequentibus subinde priores subsequentibus, et per totum corpus diffusis. Præterea in eodem homine utrumque exanthema interdum una conjungitur, aut unum post aliud sibi succedit; quod in primis notatur ab epidemicarum constitutionum scriptoribus. Hinc PETRUS A CASTRO, etsi probe *pulicares*, sive peticulares maculas a papulis *culicaribus*, sive miliaribus distinxerit, non tamen credidit, natura multum utrasque differre, ut singulæ diversam curandi rationem expeterent (*a*).

Similitudo cum peticulis & differentia.

Complicitur sæpe uterque morbus.

(*) SYNONYMA.

Hidroa GRÆCIS, *sudamina* LATINIS, *Miarola* PEDEMONTANIS, *& Migliarina, aut la migliare reliquis* ITALIS. *Friesel a crebris horripilationibus, vel secundum alios a panno aspero & nodoso* GERMANIS, *purpura* LUDWIGII, *Instit. med. clinic. P. I. cap. I. subsect. VIII. &* *aliorum* QUORUMDAM, in primis Germanorum. *Morbus miliaris* PETRI GERIKII, *Tract. de Febr. miliari cap. I. ann.* 1711. *Miliarium morbus* ALLIONII, *Tract. de Miliar. orig. progress. natur. & curat. cap.* 2. §. 68. *ed an.* 1758. MILIARIA MATTH. COLLINII, *Dissert. de Miliar.*

(*a*) *De febr. puncticul.*

Unde nomen?

§. 381. Nomen habet hic morbus a papulis, sive pustulis, quæ in summa cute erumpunt, et formam, speciemque granorum milii, varii ut plurimum coloris, plus minus exhibent; quemadmodum distinctius, latiusque postea exponemus. Has antiquissimis medicis, et speciatim HIPPOCRATI (*a*), atque AETIO (*b*), compluribus-

que aliis, qui eos subsecuti sunt (*c*), non ignotas fuisse, magno eruditionis apparatu, acrique judicio demonstravit inter nostrates primum Cl. Joh. Fantonus (*d*), deinde Cl. Carolus Allionius (*e*), ambo illustres medicinæ Professores Taurinenses, et demum non pauci alii (*f*). Exanthema notum antiquis.

(*a*) *Epid. l. 2. sect. 3. & l. 7. sect. 2.* item *Coac. prænot. sect. 2. & 3.* Præcipue vero in Fullone, Phericide, & Ephranonis filio (*L. 7. epid.*) pustulæ notantur velut a culicum morsu natæ; sed locus præ ceteris in *l. 2. epid. sect. 3.* exstat, qui totus hic excribendus est, ut quisque æquus rerum æstimator videat, exanthema miliare ab Hippocrate, sive quocunque alio illius libri auctore reapse non prætervisum esse. *Circa septimum* (sic habet), *octavum & nonum diem* (febris cujusdam epidemicæ) *aspredines quædam* MILIACEÆ, *culicum morsibus fere similes, quæ tamen non admodum pruriebant, in summa cute subnascebantur, & ad judicationem usque perdurabant. Ac ne eæ quidem masculorum ulli eruperunt. Mulier vero, cui talia fierent, nulla mortua est: hebetiori tamen erant auditu, & soporosæ, quamvis antea non admodum soporosæ essent, quibus ista evenire debebant.* Hunc vero locum a Vallesio in *Comment.* non satis consideratum esse, jure, meritoque advertit Cl. Fantonus (*De antiq. & progressu febr. miliar. p. 73.*). Etenim asperitates illas miliares, culicum morsibus similes putavit ille maculas esse, *Tabardillo* ab Hispanis nuncupatas, nimirum peticulas, quæ tum jam in Hispania frequenter observabantur, & satis notæ erant. Rectius autem interpretatus est eum textum Martianus (*Comm. in epid. 2. sect. 3. v. 20.*) qui ejusmodi asperitates miliaceas nequaquam pro peticulis habuit; similesque se pluries offendisse in febre ardente laborantibus, asseveravit. Nec facile Gastellerio, aliisque largiar, hippocraticas istas miliares papulas fuisse secundarias, sive, ut vocant alii, symptomaticas, nimirum a primariis, atque essentialibus, de quibus hic agitur, longe differentes. Nam eæ non in statu, aut fine morbi, corruptis videlicet, depravatísque humoribus, sed in augmento erumpebant,

exstabantque ad morbi usque solutionem, nec aliis, nisi fœminis superveniebant. Neque demum ex eo, quod mulieres illæ omnes evadebant, inferre licet, miliarem morbum, qui sæpe lethiferus est, non fuisse; nam exempla non desunt miliaris morbi primarii, sive essentialis, natura benigni, & bonum exitum habentis: non secus ac variolis benignis obtingit, ut deinceps clarius apparebit.

(b) *Tetrabil.* 2. *sect.* 1. *c.* 129.

(c) GALEN. *de atra bile cap. IV.* AVICENN. *lib. IV. Fen. I. Tract. IV. c.* 2. MONTAN. *Cons. Med. cent.* 2. *pag.* 598. PETR. SAL. DIVERS. de febr. pestilent. *cap.* 18. RIVER. *Prax. med. lib. XVII. sect.* 5. *cap.* 1. *observ.* 21. *Cent. I.* DIEMERBROECK. *de Pest. Histor.* 22. & 100. ROBORET. *De febr. peticular. p.* 180. PETRUS a CASTRO *de febr. malign. punctic.* §. 7. PAULUS NEUCRANTZIUS *de purpura. Lubecæ* 1648. in qua urbe observavit morbum hunc epidemicum, & malignum tribus, vel quatuor annis, antequam WELSCHIUS eum Lipsiæ videret &c. (d) *Loco cit.*

(e) *Tractat. de Miliar. orig. progress. nat. & curat. cap. XI.*

(f) MOLINAR. PLANCONIUS, GASTELLERIUS, &c. Sed jam ab anno 1741. Gottingæ prodiit *Dissert.* Jo. C. LUD. SEIPII *de purpura, antiquo morbo.*

Etsi veteribus nota, multo serius bene describi cœperunt.

§. 382. Quamquam vero exanthemata miliaria ab antiquissimis usque temporibus deprehenderint medici in morbis ut plurimum acutis, et malignis; dubium tamen superest, an pro morbo primario, et singulari ab iis habita fuerint, aut potius pro fortuita eruptione, ac secundaria, sive symptomatica (*), cum certe quæ apud eos de hujusmodi exanthemate memorata inveniuntur, nullo modo comparanda sunt cum absolutissima ejus historia, quam hodie habemus. Fatendum enim est, tum primum accuratius ejusmodi morbum observari, et describi seorsum cœptum esse, cum Lipsiæ annis tribus 1652. 53. 54. in Puerperas sævissime debacchatus fuerit, quemadmodum ex ejus historia, quam WELSCHIUS anno 1655.

Statuitur epocha recentior.

evulgavit (*a*), perspicuum est. Ab eo quippe tempore de peculiari morbi genere admoniti medici attentius ægros inspicere, symptomata propria adnotare, regularem progrediendi modum, solutionemque perpendere instituerunt; quod eo facilius extitit, quo latius in alias quoque urbes, et regiones se se diffudit. Multiplici igitur observatione constitit, non modo primarium, essentialem, et peculiarem morbum esse, ab aliis omnino secretum, neque solis puerperis infensum, verum etiam aliis, cujusque ætatis, temperamenti, sexusque hominibus. Qua ratione is progressus sit quaquaversum, et quibus temporibus in singulas regiones se se intulerit, conquisitis undique monumentis amplissime declaravit paullo ante laudatus ALLIONIUS (*a*), quem eruditionis caussa poterit quisque consulere. Hinc tot de eo scripta successive in lucem prodierunt utilissimis profecto observationibus referta, sed interdum ita varia, et quasi opinionum licentia inter se pugnantia, ut non leve negotium legentibus facessant.

Morbus est peculiaris & essentialis.

Origo & progressio ab Allionio descripta.

(*) Magna olim disceptatio fuit inter Medicos non incelebres, an exanthemata miliaria essentialia, sive critica sint, num vero secundaria, sive, ut alii vocant, symptomatica? De abusu autem harum vocum jam alibi a nobis satis tractatum est. Igitur alii priorem, alii posteriorem sententiam pro virili tuiti sunt. Inter primos recensentur TISSOTIUS, STORCKIUS, MATTHÆUS COLLINIUS, aliique, qui experientia confisi miliaria semper primaria, nunquam secundaria, neque factitia unquam esse contendunt. Inter posteriores agmen ducit HAENIUS, qui tamen non ubique sibi constat. Non vero tantum mihi assumo, ut quæstionem dirimere velim. Illud dumtaxat mihi videtur probabile, quod interdum, licet rarius, exanthemata secundaria esse possint, quando nimirum humores a morbo primario ita depravantur, corrumpunturque, ut aliqua eorum pars ad cutim protrusa

pustulas miliares gignat. Hoc autem contingere in multis morbis, præcipue putridis, ut in febre Gastrica acuta, in Lenta nervosa maligna utraque &c. alibi opinati sumus. Nec ab hac opinione recedendum adhuc putamus. Tum vero cum secundaria sunt, modo critica, modo symptomatica nobis videntur. Exempla utriusque generis sæpenumero Clinicem exercentibus occurrunt, & non pauca extant descripta apud Observatores. Ergo nonnulla hic in asserti fidem proferam. Cl. BOUCHERUS Julio mense anni 1781. (*Journal. de Médec. Septemb.* 1781. *p.* 272.) observavit *febrem continuam putridam*, aut *potius biliosam*, ut ipse vocat, quæ multos eodem tempore infestabat. Tertio quoque die exacerbabatur. Videtur igitur fuisse *Tritæophya simplex biliosa*, sive *gastrica*. In aliquibus ex hac febre laborantibus levis eruptio miliaris fiebat, sed non in omnibus, quæ nihil *essentialis*, ut loquitur auctor, addidit morbo, nec curationis methodum aliis communem, idoneamque quidquam mutabat. Curatio enim in omnibus innitebatur parva sanguinis missione, emeticis, atque eccoproticis. Secundaria hæc exanthemata quis non dixerit? Anno 1780. 1781. Florentiæ per hiemem grassabatur peripneumonia epidemica, cui miliaria exanthemata tandem superveniebant, crisimque bonam absolvebant (*Targion. opusc. med. pratici Vol. V. Costit. epid. di Firenze nell'Invern.* 1780. 82. *cap. V.* §. 419. *pag.* 369.) Qua de re Jo. ALOYS. TARGIONIUS commentans, *Hic fortasse*, inquit, *est casus* (intelligit congestionem inflammatoriam in pulmonibus ab effusione sanguinis in textum cellulosum natam), *in quo communicata cum sanguine nova quædam peculiaris infectionis additione* (videlicet per absorptionem sanguineæ staseos putrefactæ) *excitatur alius febris cursus*, *quæ non cedit nisi apparitioni miliarium exanthematum?* Conjecturam hanc num probabilem reddit practica observatio ostendens, omne id speciatim valere ad miliares papulas inducendas, quod in morbis acutis promovet humorum corruptionem? Num veri similitudinem auget, quod hujusmodi criseos species frequentius visa est in secundo stadio Epidemiæ, tum videlicet, cum bilis majorem in morbo vim exerceret? Secundaria quoque, & simul

critica miliaris eruptio fuisse videtur, quam memorat sequens observatio. Rusticus adolescens annorum circiter viginti, *cum, postquam ex laboribus excalefactus esset, obdormiverit super virentes herbulas in solo humido, in Opisthotonum incidit. Maxillæ ejus claudebantur contractæ, non ita tamen, ut cibus, & potus in os indi non posset. Iterato ei sanguis missus est, data oleosa, emulsa anodyna, & paregorica, enemata cathartica, & emollientia, & subinde etiam cum opii, castorei, & moschi additione; extrinsecus adhibitæ inunctiones ex oleo nervino, & inde quoque ex linimento mercuriali balnea tepida, atque alia &c. sed sine ullo emolumento. Pulsus fuit semper parum febrilis. Tandem erupit ad cutim miliare exanthema album, & tunc ager cœpit melius habere, & post duorum mensium ægrotationem perfecte convaluit* (DALL' ARMI. *Sagg. di Medic. P. 2. observ. VIII. pag.* 95.). Sed de secundariis sive criticis, sive symptomaticis miliaribus exanthematibus hic satis. Non enim hoc loco agendum nobis est, nisi de primariis.

(*a*) GOTOFRED. WELSCHII *historia medica novum Puerperarum morbum continens. Disput. die* 20. *April.* 1655. (*b*) *L. c. cap. I.*

§. 383. Sed illud in primis animadversione dignum est, quod non pauci, cum gravissimam quamdam constitutionem epidemicam, perniciosissimis comitatam symptomatibus, et sæpenumero mortiferam tantummodo vidissent, continuo, sed non satis considerate, sibi persuaserunt, non alium miliarem morbum habendum esse, quam qui malignus, terrificus, et pene lethalis esset, reliquos casus, in quibus exanthemata hæc aut sine febre, aut cum exigua, et miti, aut sine symptomatum terrentium comitatu appareant, et placide sua tempora transigant, ab hoc genere ablegantes. Nec satis inter eos convenit, an exanthemata primarium morbum, an febris facerent. At plerique exànthemata miliaria pro effe- Quinam sit morbus miliaris quibusdam.

Ab aliis miliaria pro affectis febris mali moris habentur, puerperis propria. Alii miliarem puerperarum diversam volunt a communi. A nonnullis dicuntur Miliaria factitia, & facile vitanda. Item certis regionibus propria.

ctis, aut epiphænomenis habentes ad febrem duntaxat peculiaris indolis, malique moris animum adverterunt. Aliis opinio insedit, hoc genus febris puerperis solis proprium esse, quod in his frequentem eam offenderint, non aliis communem. Nonnulli contra miliaria exanthemata, sive febrem miliarem, ut vocant, puerperarum plane diversam ab ea, quæ passim, aut epidemice vagatur, esse existimarunt. Neque defuerunt, qui exanthemata ista non morbo, sed regimini, et medicamentis calefacientibus tribuenda esse putarunt, atque ideo, utpote factitia, et ab externis caussis oriunda, et futura evitari, aut præsentia omnino negligi sine detrimento posse. Immo nonnulli morbum hunc quibusdam tantum regionibus, et locis insidere prædicarunt, non aliis; ac proinde factum est, ut multi suorum ægrorum cutim aut nunquam, aut negligenter admodum intuerentur, de miliariis pustulis nihil solliciti, utpote in eorum regione insolitis, aut si qua miliaria unquam exanthemata obviam fierent, pro nihilo, aut pro fortuita eruptione reputarent (*). Hinc nil mirum si in curandi quoque ratione discrepantes sententiæ sic invaluerint, ut quæ potior sit, non facile definiveris.

(*) Hinc fortasse evenit, ut miliaris morbus in quibusdam locis serius cognosci cœperit. Adde interdum miliaria adeo exigua esse, & cutis colorem non alterantia, & crystallina, ut nisi transversim spectata, & luci obversa oculis detegi possint. Qui igitur negligenter inspexerit, eum facile effugiunt. Memini, me in urbem quamdam ingressum esse, in qua miliaria ignota prorsus, & nunquam ibi visa dicebantur. Dum ibi aliquandiu mansissem, in ægros incidi, in quibus ex consuetis signis miliarem morbum prædixi, & reapse paullo post miliaris eruptio contigit. Ab eo tempore miliaria exanthemata & in fœminis, & in maribus tam sporadica, quam epide-

mica non defuerunt diligentioribus medicis. Hanc ipsam caussam, quo minus maturius alicubi visa sint, accusare videntur GASTELLERIUS etiam, & PLANCHONUS nuperrimi inter Gallos de miliari morbo scriptores.

§. 384. Non is ego sum, qui in re difficultatibus obsita, et controversiis implicata mihi pollicear aut nodos extricare, aut lucem tenebris afferre. Experientia tamen non brevi confisus, et rationis lumine, et novissimorum auctorum præsidio adjutus sic me geram, ut ubique studium veri unice præfulgeat. Itaque dicam primum, utrum exanthemata miliaria (§. 380.) more aliorum exanthematum, de quibus hactenus actum est, occurrant interdum sine febre, deinde an cum febre, et quotuplicis generis? Quod ad primum attinet, nemo melius, quam Cl. Jo. FANTONUS, rem expedivit: *Miliaria*, inquit, *exanthemata, quæ, interdum citra febrem obveniant, cunctis fere nationibus communia esse arbitror. Hujusmodi sunt ea, quæ* HIPPOCRATES, *ceterique græci scriptores Hidroa, Latini sudamina* (*), *vel sudorum papulas nuncuparunt* (*a*). Subjicitque idem Vir doctissimus, ab ACTUARIO, et SERAPIONE duas sudaminum species constitui, alteras *rubei coloris*, alteras *longe minus* rubentes, sive phlegmaticas, quas *albas* hodie dicerent, et generatim a *fervore quodam suffersuras* vulgo appellari, referente FRACASTORIO, et a Siculis *bruxoli*, vel *brusoli*; a Neapolitanis vero, ut narrat INGRASSIAS, *Migliarino; quod granis milii persimiles sint. Et recte quidem*, addit, *miliares papulæ nominantur in universum, quæ inde in rubras, et albidas dividuntur*. De rubris certe loqui videtur BONTIUS apud Indos frequentibus, *quæ, nulla febri comite, asperitatem cutis, et pruritum acerrimum inducant. Ejusmodi autem malo molestissimo corri-*

An miliaria sine febre.

Affirmatur.

pi eos affirmat, *qui recens in Indiam venerint* (*b*). Nec possum prætermittere reliqua FANTONI verba, utpote maxime meo scopo opportuna: *Fabius Paulinus*, pergit ipse (*c*), *et alii plures* GALENI *sectatores hidroa, sive pustulas, de quibus hic sermo est, ab exundante sudore fieri putant bilioso, et valde mordaci;* FERNELLIUS *autem ab ejusmodi portione humoris, qui sub epidermide coercitus per cutis spiracula evadere non queat. Miliares vero papulæ et sæpe inter sudationem, et interdum in sicco habitu corporis erumpunt. Quanquam enim assiduus mador cutaneus, quasi salsugo, ad easdem ciendas idoneus stimulus sit, tamen a solo fervore, et appulsu sanguinis acrioris ad cutem, præsertim cum exterior causa quædam accesserit, facile id genus exanthemata excitantur: quam ob rem ubi calida regio, vel æstivum tempus est, solent illa maxime in puerorum, et adolescentium brachiis, pectore, dorso, reliquis etiam partibus efflorescere.* Quod non modo in pueris, adolescentibusque, sed etiam in adultis obvium esse, nemo ignorat.

(*) Prævideo, non paucos ex recentioribus male laturos, *hidroa*, & *sudamina* veterum hic adhiberi ad miliares pustulas significandas. Putant enim, Veteres illis vocibus diversum a miliariis exanthematibus morbi genus intellexisse; ita ut ii, qui negare volunt in suis ægris miliares pustulas, si forte exoriantur, veniantque in conspectum, protinus dicant: hæc *sudamina*, sive *hidroa* sunt. Sed profecto nomina quidem, non rem, neque morbum mutant. Verum an recte judicent, audiamus quid senserit PETRUS FORESTUS. Habet is observationem sexagesimam libri septimi, *de Puerpera papulas rubentes habente* inscriptam. Huic anno 1556. die a partu decimaquarta supervenerunt papulæ miliares, quibus frigore retropulsis successit ingens præcordiorum cum pulsu admodum debili oppressio, & angustia. In scholio autem papulas illas *sudamina*, sive *hidroa* fuisse aperte concludit, & regimine diapnoico com-

mendato, ut morbi fomes ad cutim revocaretur, tandem sic inquit: *Non tamen omnia hidroa, & sudamina adeo periculosa sunt; ideo advertendum, num quid malignitatis in se habeant: quæ enim sine febribus fiunt, nihil mali afferre solent; interea tamen neque has pustulas contemnere debemus. Quocunque enim modo repercutiantur, motum naturæ impedientes, facile lædere possunt, & gravissima quoque symptomata inducere, quod exemplum sequens demonstrat*, observatio nempe sexagesima prima, quæ inscribitur: *De Muliere sudamina habente, & a Medicastris male tractata, unde tandem mors subsecuta est*. In scholio autem hujus posterioris historiæ animadvertit non solum *hidroa*, & *sudamina rubra* existere, sed aliam quoque speciem, albidam nimirum, aut crystallinam, qualem hoc nomine designavit FERNELIUS his verbis. *Sunt enim* (hidroa) *exiguæ, & aquosæ pustulæ, quæ emergunt repente sparsim, toto corpore, sed frequentius in manibus, pedibusque milii magnitudinis, aqua plenæ sine rubore, sine ullo dolore*. Ex his, ni fallor, satis liquet, *hidroa* veterum cum exanthematis miliariis recentiorum omnino congruere, & duplex eorum genus multo ante, quam WELSCHIUS de Morbo puerperis Lipsiensibus pernicioso scriberet, cognitum fuisse, benignum unum videlicet, malignum aliud, & utrumque pustularum colore in *rubrum*, & *album*, quemadmodum miliaria exanthemata communiter solent, jam tum distinctum. Quod maxime advertatur velim, ne auctoritate HAENII, aliorumque ejus sectatorum in errorem trahamur, credamusque *hidroa* a pustulis vere miliariis differre.

(a) *L. c. p.* 66. 67. (b) *Medec. Indor. l.* 4. *c.* 18.
(c) FANT. *loc. cit.*

§. 385. Præter memoratos auctores de miliariis exanthematibus rubris sine febre a se visis refert FRID. HOFFMANNUS (a). Morbum, non febrem, miliarem appellandum duxit PETRUS GERIKIUS, quod exanthemata hujusmodi sine febre interdum observantur (b). LUDOWIGIUS quoque *Purpuram* vocare maluit, quam febrem, quia aliquando *sine* Exemplis affirmatio roboratur.

ea est (*c*). JUNCKERUS etiam testatur, *nonnullos* sine febri in hunc morbum incidere, *ita ut ægri negotiis suis vacare possint*, *et nil*, *nisi pruritum sub cute persentiant* (*d*). Nec dissentit omnino VOGELIUS (*e*) veritatis vi compulsus, quamquam paullo post quodammodo se corrigere satagat. His robur addit observatio practica JOSEPHI DAMILANII, qui, *vidi*, inquit, *pustulas miliares exortas in cute*, *frequentes*, *eminentes*, *discretas*, *et crystallinas*, *sudore fœtidissimo comitatas in fœmina quadam populari mea* (*quæ adhuc vivit*) *quin ullum unquam vel minimum indicium febris habuerit*. *Sudabat quidem universo corpore*, *et pulsum habebat apprime mollem*, *et amplum*, *sed tardissimum* (*f*). Similemque observationem adducit DUPRÆUS DELISLIUS (*g*). In duobus ægris item MATTHÆUS COLLINIUS vidit sine febre miliares pustulas tam rubras, quam albas (*h*), et quamquam hæc exemplararariora esse concedat Vindobonæ, interdum tamen easdem ibi cum pulsu vix febrili, cum aliqua lassitudine, sed sine ulla notabili functionum læsione deprehendi affirmat (*i*). Et, si meum quoque testimonium addere fas est, non semel mihi quoque contigit observare pustulas miliares vel in puerperis tam rubro-albas, quam crystallinas, febre vacuas. Hæ a quibusdam *spuriæ*, et *fatuæ* vocantur (*k*). Vocentur quidem, si lubet, dummodo miliaria esse non desinant. Ne quis vero neget, exanthemata ejusmodi vere miliaria esse, is animadvertat velim, quamquam vera febris non ea comitetur, aliquam tamen molestam corporis ægritudinem, jactationem, anxietatemque præcedere eruptioni, deinde papulas in cute summa oriri, formam, figuramque miliarium habere, plus minus prurire, paullatim augmentum capere, interdum maturescere, ex rubris, aut diaphanis, pure veluti facto, albicare, demum dis-

Argumenta, quibus ostenditur, miliaria vera esse etsi febri vacua.

rumpi, arescere, et in squamas, furfures, vel farinam, ut ita dicam, resolvi, epidermide videlicet siccata, et lamellatim secedente. Quod si temere, aut consilio, aut casu introvertantur, anxietates inde, dolores, deliria, convulsiones, aliaque deteriora mala, et febrim ipsam progigni: quæ omnia miliarium nisi propria agnoscas, nescio quænam alia esse possint. Quare prima hujus exanthematis differentia nobis erit *Morbus miliaris apyreticus*. Interdum hæc species pluries revertitur speciatim ad quædam anni tempora, et quandoque etiam diu trahitur, et ferme habitualis fit, atque hinc in Germania, ubi frequentius id incidit, *Purpura chronica* appellari solet, sæpe in scorbuticis, aliave sanguinis inveterata dyscrasia affectis obvia. Purpura autem ex rubro papularum colore vocare eam Germanis placuit, etsi id nominis etiam albis pustulis, aut crystallinis ab iis datum esse deprehendatur, addito epitheto, quod albedinem denotet. Novi generosissimum, amplissimumque virum, arthriticis affectibus maximam anni partem obnoxium, cui subinde hæc miliaris eruptionis species supervenit, suaque regulariter tempora absolvit, finiturque post aliquot dierum intervallum sine ullo gravi, et febrili comitatu.

Prima differentia morbi miliaris.

Purpura chronica.

(a) *Med. Rat. systemat. T. 2. sect. 1. c. 9. p. 86.*
(b) *Tract. de febr. miliar.* (c) *L. c. §. 211.*
(d) *Tabul. LXXV. n. III.* (8).
(e) *Prælect. Academ. §. 142.*
(f) *Nuov. Trattat. Pratic. &c. Mandovi* 1774.
(g) *Dissert. sur la fievr. miliar. des femm. en couche p. 7. & 18.*
(h) *De miliar. rectaq. med. rat. p. 31.*
(i) *L. c. pag. 67.* (k) DAMILAN. *l. c. p. 41.*

§. 386. Ut plurimum vero, quod altero loco quærendum (§. 384.) posui, cum febri jungi-

tur miliaris morbus. Ex quo factum est, ut a plerisque scriptoribus *Febris miliaris* (*) nomen acceperit. Nobis autem vocabitur *morbus miliaris pyreticus*, sive febrilis, atque hæc erit *altera differentia* ab ipsa natura deprompta. Ratio autem febris, quæ eum et antecedit, et comitatur, adeo multiplex est, ac proteiformis, ut ad nullum notum, et stabile genus redigi queat, non secus ac de ea dictum est, quæ cum peticulis consociatur, aut aliis exanthematis, de quibus satis suprà pertractavimus. Modo enim continuæ remittentis quotidianæ, modo tritæophyæ simplicis, modo tertianæ intermittentis, modo amphemerinæ catarrhalis, aut rheumaticæ, modo lentæ nervosæ malignæ, modo inflammatoriæ, et ardentis similitudinem, speciemque obtinet, prout melius in ejus descriptione, quam mox trademu, elucebit.

Febris miliaris unde dicta? Morbus miliaris pyrericus, altera differentia.

Febris multiformis, & varia, uti in peticulis.

(*) Synonyma.

Febris cuticularis P. a Castro, *de Febrib. puncticul. sect. I. aph. VII. Febris miliaris, sive versicularis* David Hamiltonii, *Tract. de febr. miliar. c. I. Febris purpurea, seu miliaris* Junckeri, *Tab. LXXV. Purpura cum febri* Ludwigii, *Inst. med. clin. §.* 211. *Purpura* Jo. Godofr. Salzmanni, *Histor. Purpur. miliaris, Argentorat. & viciniam infestant. Argentor.* 1766. *Miliaris* Sauvagesii, *Nosol. cl.* 3. *ord.* 1. *Gen. V.* Sagarii, *cl. X. ord.* 2. *G.* 7. Franc. Berettæ, *Dissert. de Miliar. natura, different. & curatione* 1778.

Varietas papularum miliarium.

§. 387. Nec minor est papularum miliarium tam magnitudine, et colore, quam frequentia, et numero varietas. Milii quidem seminibus fere similes sunt, elevatæ, duriusculæ, et renitentes ita, ut tactu commode, et distincte percipiantur (*a*). Interdum magnitudinem hanc, sed raro, excedunt. Vidi ego in Juvene sanguineo, et robu-

sto eas magnitudine, duritie, et rubore variolis discretis non dissimiles. Sæpe se multo minores ostendunt; immo interdum adeo exiguæ sunt, ut acuum apices adæquent, et vix oculis, nisi obversa luce, et transversim spectare, cernantur. Semper tamen asperam cutim plus minus reddunt, et tactui exquisitiori tantummodo patent. In quibusdam statim rubræ apparent; in aliis colorem cutis non mutant, exiguis vesiculis humore limpido plenis non dissimiles. Hæ jure *albæ*, sive rectius *crystallinæ* communius dicuntur. Quandoque circa basim tantummodo rubore cinguntur, in apice vero parvam vesiculam pellucidam, vel lactescente humore turgidam exhibent, et sic vario, et inconstanti colore, præsertim quæ albæ dicuntur, fere donantur (*b*). Nonnunquam et rubræ, et crystallinæ, et ex rubro pellucidæ in eodem homine satis conspicuæ, et distinctæ reperiuntur. Has *mixtas* dico cum VOGELIO (*c*), aliisque. Prout vero mole augentur, et crescunt, sæpe colorem variant. Quæ rubræ erant, non raro maturescendo in *albas*, aut *lacteas*, sive *purulentas* migrant; et quæ crystallinæ erant, pellucidamque lympham continebant, opacantur, aut latescunt, et etiam leviter circum rubescunt; omnes demum exsiccandæ suo tempore, et in squamulas abituræ. Copia vero differunt, quod in aliis multæ, et confertæ, in aliis paucæ, et dispersæ prodeant. Quandoque etiam confluunt sive albæ, sive rubræ (*d*) fuerint. Confluentes aliquando vesicas hic illic formant pisi, aut nucis juglandis magnitudine, in ambitu rubras (*e*). Plerumque hujusmodi coloris, et formæ variationes a temperamento, habitu corporis, ætate, aliisque accidentibus pendere videntur (*f*). Sanguinei enim juvenes, plethorici frequentius rubras pustulas gignunt; phlegmatici, debiles, humidiores, ut pue-

ri, et fæminæ, aut magnis, præsertim sanguinis, evacuationibus fracti, crystallinas, et albas (*). Inter eas, quæ colorem cutis non mutant, notanda est illa differentia, quæ pellem anserinam æmulatur, a MEZEREYO (*g*), atque a BARAILONO (*h*) visa, et descripta. Hæc speciatim circa collum, atque hypochondria erumpit, et quamquam cutis colorem retineat, habet tamen interjectam alicubi aliquam cutis rubedinem. BARAILONUS, et DUPRARUS DELISLIUS alias quoque pustularum differentias recensent, quas, cum vel ad jam memoratas, uti varietates, spectent, vel ad peticulas, aliasque eruptiones referendæ videantur, silentio prætermittimus. Inepta igitur est distinctio in *rubras*, et *albas*, quæ omne miliarium pustularum genus comprehendi vulgo solet; aut, sin minus inepta, non certe satis singulis earum speciebus, ac varietatibus accommodata. Multoque minus acquiescendum est opinioni eorum, qui cum pustulis albis, et crystallinis perpetuo malignitatem conjungi, cum rubris benignitatem volunt. Etenim utrumque genus benignum, et malignum esse posse, clinicorum observatione compertum est, nec desunt, qui rubras albis deteriores plerumque repererint (*i*). Jure igitur LUDVVIGIUS monet, morbi indolem sive benignam, sive malignam *magis ex caussis, et symptomatibus, quam ex pustularum differentia* declarandam esse (*k*).

(*a*) LUDWIG. *l. c.* §. 114. (*b*) *Id. ib.*
(*c*) *Acad. Prælect.* §. 136.
(*d*) *Idem Acad. Prælect.* §. 137. AND. OTTOM. GOFLIKE; *Diss. de Purpura alba confluente Francof. ad viadr.* 1740. STORCKIUS, qui rubram confluentem vidit, *Ann. med. I. p.* 66.
(*e*) VOGEL. *l. c.* (*f*) LUDWIG. *ib.*
(*) Damilanius animadvertit pustulas, quæ cunctantur usque ad finem prodire, albidas magis esse.

Sed hoc videtur fieri ex eo, quod cunctantibus pustulis exire, plerumque sanguinis missiones repetuntur in toto morbi cursu: quod in caussa est, ut albæ demum erumpant.

(g) *Method. aisée &c. p. 7.*

(h) *Hist. de la societ. Roy. de med. T. I. p. 193. Paris* 1779.

(i) *Constit. epid.* 1700. *Vratislav. p.* 334. JUNCKERUS *Tab. LXXV. in Prognosi n.* 12. GASTELLIER. *Essay sur la Fievr. miliar. p.* 99. & *p.* 358. ALLIONIUS *l. c. cap.* 3. *p.* 35. MATTH. COLLIN. *Diss. de Febr. miliar. p.* 27. (k) *L. c.* §. 214.

§. 388. Morbi miliaris pyretici, sive febrilis adeo variabilis est facies, et ratio, ut eum in quædam genera dividere coacti fuerint qui ejus descriptionem tradere instituerunt. HALMITONUS duo summa genera in eo agnovit, *simplex* videlicet, et *complexum*, utrumque malignum; neque ullum aliud pro miliari habuit, nisi illud quod alba exanthemata profert. *Rubra* enim non *miliaria*, sed *papillaria* vocavit, segregavitque a febre miliari, sive *vesiculari*, quam ipse nominat, si solitaria fuerint. Si vero cum albis concurrant, tunc compositum, sive complexum morbum fieri statuit. Qua divisione videtur communem, et antiquam exanthematum differentiam in *rubra*, et *alba* rejicere; cum tamen utraque in morbo miliari sæpe distincta occurrant, et benigna æque, aut maligna, et perniciosa esse possint, quemadmodum experientia multorum demonstravit. Nec eo perstringitur omnis morbi hujusce amplitudo, contra quam ipsi visum est. Adde, alba iterum a quibusdam subdividi in *alba*, et in *pellucida*; sed animadvertendum est, observante GMELINO (*a*), pellucida facile maturescendo *albida* fieri, et opacari; rubra vero paullatim in apice pellucidam vesiculam ostendere, et quandoque etiam fere ex toto pellucere, aut

Morbi miliaris varia facies, & varia divisio.

Subdivisio alborum.

Gmelini monitum.

Gerikii divisio. albescere. GERIKIUS morbum miliarem distinxit in *idiopathicum*, sive essentialem, aut primarium; in *symptomaticum*, sive secundarium; et in *complexum*, sive cum alio morbo complicatum. At neque hac divisione omnes ejus differentiæ comprehendi rite possunt, ut deinceps constabit.

Symptomatica rara admodum. *Symptomaticus* præterea etsi a nobis non omnino excludatur, uti supra patuit, attamen adeo rarus, aut incertus videtur, ut a multis, et in primis a MATTHÆO COLLINIO (*b*), a TISSOTIO (*c*), a FRANCISCO BERETTA (*d*), aliisque nullo modo admittatur.

Allionii divisio. ALLIONIUS demum, cui aliorum divisiones non placuerunt, maluit eum distinguere in *simplicissimum*, *simplicem*, et *complicatum*, sive *complexum*, concedens ultro, singulorum limites non facile definiendos esse ob facilem unius in alium transitionem, frequentemque cum aliis morbis complicationem, et demum ob multiplices alias caussas una sæpe concurrentes (*e*).

Aliæ differentiæ. Alii vero alias, atque alias differentias constituerunt a morbi benignitate, aut malignitate, a manifesta, aut occulta et larvata ejus facie, a simplicitate, aut complicatione depromptas.

Cur differentiæ multæ, & quales? Enimvero quamquam unus, idemque morbus sit, pro varia tamen fomitis copia, aut pravitate, aut corporis, sanguinisque dispositione, temperamenti, habitus, ætatis, sexus, anni temporis, regionis, constitutionis epidemicæ, aut stationariæ, complicationisque ratione, et pro diversitate caussarum, quas proegumenas, et procatarcticas vocant, sic alterari, nova, atque insolita symptomata assumere, et modo plus, modo minus desævire, ut maximum in modum differre videatur, atque adeo nunc benignus, nunc malignus, nunc regularis, nunc anomalus, nunc manifestus, nunc larvatus, et tectus, nunc complicatus (*), aut purus appareat, et sic porro.

(*a*) §. 11. (*b*) *Loco cit.* (*c*) *Lettre a Mr. Hirtzel.* (*d*) *Dissertat. de Miliar. natur. different. & curat.* (*e*) *Loc. cit. cap.* 3.

(*) Complicari morbum miliarem cum aliis morbis, nemo certe inficiabitur; certum enim est, morbos sporadicos (quod alias pluries dixi, atque hic iterum repetendum duco) semper aliquid de morbo epidemico, aut stationario dominante mutuari, et assumere; epidemicos item, et stationarios aliquantum variari ab anni tempore, a tempestatum, aerisque constitutionibus mutatis. Quare miliaria sæpe, dum grassantur, se immiscent febribus gastricis, catarrhalibus, lentis, nervosis, inflammatoriis, intermittentibus, aliisque morbis intercurrentibus; et tunc sane complicata dicuntur. Pro temporum vero vicissitudinibus, et anni tempestatum diversitate symptomata gastrica, catharralia, biliosa, inflammatoria &c. facile induunt. Hinc varietates summæ, hinc anomaliæ, quas probe distinguere medicum oportet.

Descriptio morbi juxta ejus tempora.

§. 389. Itaque eum describi in universum oportet, ut singulæ ejus varietates melius patefiant. Ac quoniam in eo, ut in ceteris exanthematicis morbis, tria potissimum tempora distincta notantur, *apparatus* nempe, sive *ebullitionis*, *eruptionis*, atque *exsiccationis*, horum persequi ordinem æquum est. Quod si quartum tempus adjungere cuiquam lubeat, videlicet *suppurationis*, aut *maturationis*, quæ inter *eruptionem* et *exsiccationem*, ut in variolis, media est, et plerumque contingit, is a natura ipsa nequaquam deflectet; neque quidquam subtilius mente confinget. Morbus autem iste accedere, et corripere solet vel repente, et sine ullo ferme valetudinis læsæ indicio præcedente, vel cum aliquo appropinquantis ægrotationis significatione. Quando secundo modo invadit, præcedunt per aliquot dies lassitudines corporis, dolores artuum, aut insuetus quidam fractionis sensus, calor præter consuetudinem auctus, vigiliæ, aut somnus implacidus, turbu-

Antecedentia.

lentus, interruptus, aut contra insolita ad dormiendum propensio, capitis gravitas, aut dolor, aliqua pectoris oppressio, interdum imminutus ciborum appetitus, sæpe vero magna in sudores (*a*) proclivitas.

(*a*) DAMILANIUS *l. c. p.* 14.

Initium febris. §. 390. Exacto duorum, vel trium, vel quatuor dierum intervallo in isto valetudinis ancipiti statu jam febris adoritur, a frigore, et horrore plerumque, aut pedum saltem, et manuum refrigeratione, aut oscitationibus exordiens. Calor. Frigus, aut horrorem subsequitur calor vario gradu, plerumque ardens, et acer, interdum mitis, pro temperamenti scilicet, habitus corporis, ætatis, regionis, anni temporis, plethoræ, cacochymiæ, diathæseos sanguinis, aliarumque circumstantiarum ratione. Febris varia. Febris autem ipsa plurimum variat, ut non supra (§. 386.) adnotavimus, et omnes prope scriptores perhibent. Ut plurimum vero non admodum magna, si pulsus spectetur, est, nec multum premit ægrotantem. Sæpe post viginti, aut triginta horas subsequente sudore remittit, ephemeramque simulat, sed facile incautos spe vana fallit; nam paullo post, et præsertim pomeridianis, aut vespertinis horis iterum invalescit, redeunte levi, aut magno horrore, vel calore intensius aucto, sudorque fere Sudor qualis. perpetuus fit, copiosior tamen in remissionibus, primis diebus inodorus, deinde fœtidus, pinguis, vel viscidus, acidum olens peculiare, et veluti corruptum. Rarum enim est ejusmodi sudorem Accessionum ordo. abesse. Accessiones vero, et remissiones sic repetit, ut quotidianæ, aut tertianæ continuæ modo simplicis, modo duplicis typum referant; immo remissiones interdum ad integritatem, sive apy-Urina. rexiam perveniunt, aut pervenire videntur, uri-

nis croceis, crassis, subjugalibus, aut lateritiis comitantibus, quæ de intermittente, aut periodica febre extensa, aut subintrante augeant conjecturam, suspicionemque: verum hæ brevi in tenues, et citrinas, aut quasi decolores, et copiosas mutantur. Quo casu si quis corticem peruvianum adhibeat, frustra eum adhibet, nec febrem sistit. In plerisque horrores, aut frigoris, et caloris itus, et reditus sæpe se mutuo excipiunt, in primis quoties se æger dimovet, aut aliquam corporis partem detegit. Sed inordinate, et ita frequenter, etiam sine ulla caussa incidit in nonnullis, ut horrores quandoque duodecies in die reversos animadverterit BARALDIUS (*a*). Adeo autem acuto sensu cutis prædita est, ut ad quemvis ambientis aeris attactum frigore percellatur. Hinc ægri solertissime se stragulis undique contegunt, ne horrore, aut frigore corripiantur. In aliis non horrores, nec frigus, sed calores quidam, sive vapores ab imis, infernisque partibus ad superiora quodammodo ascendentes subinde exaltantur, et tum rubore fugaci facies suffunditur, sic ut auræ liberioris usum desiderent. Medici minus exercitati has, similesque vices pro hystericis, aut hypochondriacis affectionibus temere accipiunt. Sed facile errorem detegunt febris continuatio, sudores fœtidi, acidumque spirantes, et reliqua signa (*b*).

Cortex peruvianus inutilis.

Calor & frigus revertens.

Calores crebro redeuntes.

Hyporismi simulatio.

(*a*) *Storia d' una constit. endemico-epidemic. di febbri migliari. Modena* 1781. *pag.* 18.
(*b*) DAMILAN. *l. c. p.* 23.

§. 391. Quandoque febris, quæ mitissima videtur, parumque pulsum movet, subdola est, et fallax; nam talis ad exanthematum usque eruptionem persistit; sed tunc benignitatis speciem deponit, et symptomatibus perniciosis explicatis,

Febris sæpe subdola, & specie benignitatis fallax.

et magno impetu furens se primum gravem, periculosam, ac malignam prodit. Hujusmodi vero perniciosam febris naturam, futuramque mutationem animus sæpe ægrotantis præsentit; nam, dum alii securi, et tranquilli ex ea benignitatis similitudine manent, ipse solus anxius, et sollicitus sibi timet, et omnia tristia ominatur, sensorio fortasse communi, nervorumque origine a fomite miliari jam affectis, et clanculum perturbatis.

Cacochyliæ signa. Quibus in primis viis putrida, aut biliosa cacochylia insidet, manifestiora ejus indicia hi præbent; nam nauseant, vomituriunt, linguam habent vel ab initio albam, muco obductam, aut flavam, et luridam, interdumque vomunt materiam amaram, biliosam, aut viscidam, corruptam, acidamve, multiplici ratione vitiatam; et non raro alvi fluxu ejusdem naturæ, immo interdum, torminoso, et dysenterico corripiuntur.

Potus aversatio. Tunc illud evenire opinor, quod Baraldius in suis ægris fere perpetuum, et constans notavit (*a*), ægros nimirum omnem potum aversari, donec maxima cacochyliæ pars fuerit expulsa.

Vomitus, & diarrhœa sine cacochylia. Scire vero convenit, interdum sine ullo cacochyliæ indicio vomituritionem aut singultum, aut utrumque symptoma a quibuslibet assumptis excitari, aut etiam ventrem moveri, tendi, atque meteorismo intumescere. Id autem a nervorum irritatione maxime, aut a miliari fomite ad ventriculum, atque intestina confluente pendere tunc, probabile admodum est.

(*a*) *L. c. p. 6.*

Alia symptomata. §. 392. Varium esse calorem jam diximus; nam alii non admodum calent, alii contra interius, exteriusque exardescunt. Quibusdam dolet caput, aut saltem grave, et obtusum est, aliis prope liberum.

Vires. Nonnulli vires languent, et pe-

ne deficiunt, et crebro, facileque levi animi deliquio tentantur; aliis constant, et vigent, aut quasi sanorum similes videntur. Fere omnes pectoris oppressione cum sensu veluti constrictionis, aut ponderis circa sternum, et præsertim in latere sinistro (a) thoracis molestiore anguntur; quo fit, ut suspiria ex imo trahere subinde cogantur, et spiritum inæqualiter ducant: hæc autem gravius, et manifestius patiuntur ut plurimum, quam in peticulis, reliquisque exanthematibus. Sub ipsis porro accessionibus et oppressiones, et anxietates, et artuum dolores, et spasmi ingravescunt, vehementiusque divexant. Quando ad somnum se ægri componunt, somno obrepente, et oculis vix conniventibus mox excitantur veluti territi, aut subsultu corporis, aut spectris, aut respirandi difficultate, aut tussi repente correpti. Tussis vero plerumque exigua, et mitis est: quandoque tamen adeo ferina, sicca, inanis, et crebra est etiam extra somnum, ut *convulsivam*, sive *pertussim* adæquet, ab acri miliari fomite laryngemque, pulmonemque irritante genita. Alios sopor comatosus fere perpetuus tenet, et stupidos quasi reddit, et si senes fuerint, apoplecticis persimiles. Noctu tam qui vigilant, quam qui veterno sopiuntur, vana plerumque loquuntur, garriunt, et somniis agitantur. Plerisque manus, et lingua, dum exseruntur, quodammodo trepidant; et crampo, aut stupore quodam pungitivo digiti, crura, pedesque afficiuntur. Inter hæc pulsus maximis mutationibus obnoxius est; modo frequentior, modo rarior; modo tardior, modo celerior; modo major, elatiorque; modo minor, et depressior; sed in omnibus peculiariter irritatus, et inæqualiter inæqualis, et quandoque intermittens. Intermittere autem regulariter, et ordinate, nimirum post novem, un-

Oppressio pectoris, & suspiria.

Spiritus inæqualis.

Anxietates in accessionibus majores.

Somni interrupti.

Tussis.

Sopor.

Vaniloquia.

Tremor manuum, & linguæ.

Crampus.

Pulsus.

decim, aut sexdecim pulsationes solet, ut observat GASTELLERIUS (*b*), et talis jam ab initio esse dicitur. Compluribus est parvus, debilis, aut contractus, sed renitens, et quandoque subdurus; contra in aliis magnus, validus, idemque nunc mollis, et laxus, nunc durus, et tensus. In omnibus vero aliquid subinde convulsivi, si attente expendatur, præsefert. Multi siti ardenti torrentur, lingua licet pulchra, et humida; idque in primis experiri dicuntur qui pustulis rubris laborant. Alii, etsi sitiant, ex potu male habent, atque ideo bibere renuunt; quod frequentissimum est, ubi ventriculum cacochylia biliaris, aut putrida gravat, et convellit, ut supra jam monui. Interdum sitis omnis abest, præsertim in iis, qui aquosis, lymphaticis, crystallinisve vesiculis laborant, ut BARAILONUS notavit (*c*). Raro appetitus deficit; sed si ei indulgeant, mox graviores accessiones patiuntur, et peccati pœnas luunt.

Potus aversatio.

Appetitus.

(*a*) GASTELLERIUS *l. c.* (*b*) *l. c. p.* 83. 84.
(*c*) *Mèmoir. de la Societ. Royal. de mèdecin. T. I.* p. 193. *a Paris* 1779.

Antecedentia proxime eruptionem.

§. 393. Eruptione vero imminente, febris vehementius excandescit, atque omnia symptomata intensiora fiunt, sic ut plerumque quæ eruptionem præcedit nox, gravior, et molestior sit. Anxietas enim, calor, pectoris oppressio, mentis aberratio, inquies, jactatio, spasmi, aut sopor ingravescunt, et animi dejectio, timorque mortis, si prius non erant, sæpe se se tunc manifestant. Interdum etiam convulsiones, ut in variolis, accedunt, eruptionis prænunciæ. Inter sudores persæpe pruritus molestus, et puncturæ in universa cute frequentes percipiuntur. Nonnullis, cum eruptio appropinquat, plus, minus venter attolli-

tur, tumet, et tenditur (*a*). Quandoque fauces dolent, rubentque, et exiguis pustulis, sive aphthis linguæ apex, aut ejus latera scatent. Facies nonnunquam subtumida evadit, et rubicundior, nec oculi a rubore immunes servantur. Illuc enim aliquid miasmatis miliaris irruit, immo ad interiora etiam confluere a nonnullis creditur.

(*a*) Baraılon. *l. c.*

§. 394. Eruptionis autem tempus incertum maxime est, et varium; modo enim exanthemata citius, modo serius erumpunt. Nonnunquam secunda die, vel tertia, immo prima efflorescere visa sunt; interdum solum decima quarta, aut decima sexta (*a*). In Corregiensi constitutione anni 1782. non apparebant, nisi post undecimam, aut decimam quartam, et in difficiliori, aut neglecto morbo, post primam et vigesimam (*b*) dumtaxat, et quandoque serius etiam. Ego ipse vidi aliquos, quibus tardissime prodierunt, videlicet circa vigesimam septimam, et trigesimam quartam. Nec desunt observationes eruptionis ad quintam, sextamque hebdomadam protractæ (*). Hamiltonius eruptionis tempus circa undecimam diem, non ex quo febris orta est, sed ex quo homo minus bene valere cœpit, constituendum putat; quod fere in septimam a febris initio (*c*) cadit. Aliis frequentius eruptio intra octavam, et duodecimam diem contingere (*d*) videtur. Communissimum, et magis consuetum est tertio, aut quarto die, rarius septimo miliaria exanthemata prodire, cum morbus regulariter procedit, in collo primum, pectore, interdum in brachiis, carpis, digitorum interstitiis, deinde in dorso, abdomine, ac reliquo corpore, rarissime in facie; interdum in femoribus, et cruribus, aut in toto corpore tantum (*e*). Ut plurimum in superioribus

Eruptionis tempus varium.

partibus incipiunt, successive vero in inferioribus; quamquam ordine interdum inverso efflorescere deprehensa sint. Si perfecta, et absoluta morbidæ materiæ una vice separatio contingat, hæc plerumque absolvitur intra viginti quatuor horas, aut intra paullo amplius spatium. Sin vero imperfecte, et non universus fomes unica eruptione secernatur, et prodeat, pustulis pluribus exsiccatis febris, et reliqua symptomata repente recrudescunt, et nova fit eruptio modo in hac, modo in illa parte, idque bis, ter, quater, et quandoque pluries adhuc, eadem prope ratione, sed minori semper symptomatum apparatu iteratur. Accidit etiam, ut pustulæ aliquæ sparsim appareant, et difficulter prodeant, et illico diffugiant, se se oculis subducentes, atque hinc increscant interiorum viscernm læsiones, et nervosi systematis noxæ, conversa ad interiora morbida materia (**).

(*a*) Barailon. *l. c.* (*b*) Barald. *l. c. p.* 6.
(*c*) *L. c. cap.* 2. *p.* 50.
(*) Damilanius putat, cutem a principio semper densiorem esse, & ejus vasa, meatusque angustiora, quam circa finem. Hinc videtur caussam deducere, cur tardius interdum exanthemata erumpant, & felicius. Nescio tamen, quantum hoc verum esse possit in iis, qui inter initia jam, & ante eruptionem aliquot dies perpetuis sudoribus madent, & quasi balneo innatant. Nam in his cutis, atque ejus pori adstricti, an laxi?
(*d*) Baril. *l. c.*
(*e*) Juncker. *Tab.* 75. §. 3. Vogel. *l. c.* §. 136. Allion. *l. c. cap.* 4. §. 74.
(**) Plerumque sponte eruptio miliarium cunctatur, aut imperfecta est. Interdum vero retardatur refrigeratione, & siccitate cutis, nimio refrigerantium usu, catharsi frequenter iterata, nimiis phlebotomiis &c.

§. 395. Ut eruptionis, sic durationis exanthematum tempus varium, incertumque est pro materiæ copia, ac natura, et pro temperamenti, tempestatis, aliarumque circumstantiarum ratione. Paullatim ut plurimum augentur, mole increscunt, et maturantur eo, quem supra (§. 387.) diximus, modo, deinde rumpuntur, siccantur, et demum in squamas, aut tenuem pulverem farinæ instar resolvuntur magno sæpe cum pruritu. Interdum epidermis in magna frusta abscedit, et decidit. Exsiccatio autem ista plerumque accidit septima, nona, decima, undecima (*a*), aut etiam octava supra decimam die, uberiore videlicet materiæ miliaris fomite existente, aut vigesima, et vigesima demum prima, aut paullo etiam serius (*b*), immo multo post, prout eruptio ipsa tardius contigerit. Post eruptionem vero, si natura omne virus ad cutim protruserit feliciter, et intaminati manserint reliqui humores, non solum cito febris mitescit, pulsus dilatatur, et mollescit, et singula ejus symptomata decedunt, verum etiam continuato blando sudore, aut copiosis, coctisque urinis, aut saltem copiosis, et frequentibus, nec omnino aqueis, redditis, aut utroque evacuationis genere paullatim, et brevi morbus cum ipsa febri finitur, redeuntque ad pristinam integritatem omnes corporis functiones. Si vero eruptio imperfecte fiat, nec omne virus secesserit, sanguinisque partem sibi assimilaverit, sive id naturæ, sive medici culpa, sive cutis densitate, et renisu obveniat, febris excandescit vehementius, sudores, qui prius manabant, supprimuntur; universa cutis arescit; delirium, tendinum subsultus, difficilis respiratio, anxietas, convulsiones superveniunt, aut si aderant, cum reliquis symptomatibus exacerbantur, sicque intenduntur, ut plerumque cita mors

Pustularum duratio varia.

Post eruptionem perfectam omnia sedantur.

Post eruptionem imperfectam quæ eveniant.

Depressio pustularum. subsequatur. Similia eveniunt, si exanthemata jam propulsa ad cutim nimio calore externo, aut frigore admisso, aut erecto corporis situ, aut animi aliquo pathemate, in primis ira, aut terrore, aut nuntio funesto, aut alia caussa subsideant, et introrsum vertantur; nisi aliqua evacuatio insignis, uti sudor copiosus, aut alvi fluxus, aut citus ad cutim reditus suppetias ferat, periculumque avertat. Humor autem morbidus, quando aut non ad cutim rite propellitur, aut caussis modo memoratis intro vertitur, varia infert symptomata pro varietate viscerum, ad quæ transfertur. Ad caput delatus inducit delirium, comatosos affectus, apoplexiam, convulsiones. Ad pulmones, oppressionem, suffocationemque lethalem. Ad viscera chylopojetica, cardialgias, vomitus vehementes, singultum, diarrhœas colliquantes, nisi cito ad exteriora revocetur. Ad cellulosam telam, stagnat in reticulosis ejus vasis, in cellulisque, cum aliis humoribus quasi fermentescit, et demum computrescit. In omnibus hujusmodi casibus mammæ puerperarum detumescunt, secretio lactis desinit, lochia sistuntur, et meteorismo venter inflatur (*c*). Interdum hæc omnia accidunt, copiosissimis licet, et pene confluentibus pustulis ad cutim exclusis, et alte exstantibus, prominentibusque, ut de regressu earum ne suspicari quidem fas sit. Tunc febris in primis non modo sine ulla remissione continuat, verum etiam vehementius concitatur cum pulsu magno, valido, et frequentissimo, facie tumida, oculis micantibus, et mentis perturbatione, cujus sæpe prodromus est repentinus animi mœror, et subitus sine caussa exteriore mortis timor, quo æger correptus etiam, atque etiam petit sacro viatico muniri: cui illico mos gerendus est, nam intra paucas horas delirus, et

Subitus mortis timor quid significet.

convulsus ut plurimum perit, ut pluries a me, aliisque observatum est. Tanta enim est miliaris materiæ copia, ut totam recipere eam cutis apta non sit, vel ejus natura adeo prava, et maligna, ut pene universos humores sibi assimilet, corrumpatque, et prout cerebrum hinc, aut pulmones, et cor, aut reliqua interiora viscera impetuntur, animales, vitalesque functiones, aut naturales, aut una omnes lædat, aboleat, et destruat. Nonnunquam etiam evenit, ut nec febris, nec symptomata omnino decrescant, aut augeantur, sed pene in eodem statu post eruptionem permaneant, vel partim minuantur, partim intensius urgeant, sicque ambiguus exitus sit, donec natura morbum superet, vel superetur. Atque hic status medius fere est inter utrumque, quem supra exposui. Status medius inter utrumque casum.

(a) Vogel. *l. c.* Hamilton. *l. c.* (b) *Idem ib.*
(c) Chambon de Montaux *Malad. des Femm. T. I. chap. VIII.*

§. 396. Atque hæc communior, et obvior in miliari morbo rerum facies, et processio est. Non parvam tamen variationem inducunt caussæ multiplices tam internæ, quam externæ, et fortuitæ complicationes. Nam quibusdam alvus compressa est, aliis soluta. Quibus solvitur, hi sæpe dejectiones habent aquosas, flavas, sanguineas, dysentericas, et interdum verminosas. Præter sudores acidum olentes nonnullis etiam ructus acidi erumpunt (a). Interdum, sed raro id quidem incidit, otalgiæ atroces, cephalalgiæ acutissimæ, phrenitides, asthmata convulsiva, apoplexiæ, insultus epileptici, et copiosus ptyalismus ægros premunt (b). At plerumque ptyalismus iis supervenit, quibus lingua, et fauces aphthis vehementer vellicantur, ut non semel videre mihi

Variationes quædam.

Quædam symptomata rariora.

datum est. Nonnunquam hæmorrhagiæ, in primis narium, huic morbo superveniunt. GASTELLERIUS, et BARAILONUS narium hæmorrhagiam vix unquam, alii vero frequenter (c) observarunt. Nec parvam variationem inducit endemica, et epidemica constitutio (*), in sporadico vero morbo peculiaris ægrotantis natura, anni tempus, et morbi stationarii, aut epidemici dominantes. Notum enim est, sporadicos, sive intercurrentes morbos semper aliquid a stationariis, atque epidemicis mutuari, quod varietatem aliquam faciat. Hinc nil mirum, si ob sibi adscitos catarrhales, aut gastricos, aut inflammatorios affectus, a nonnullis catarrhalem, rheumaticam, biliosam, aut inflammatoriam febrim esse miliarem morbum, judicatum (d) sit. Anni etiam tempus aliquid discriminis affert, sic ut pro tempestatis ratione symptomatica varia, ac diversa sibi assumat, curationisque rationem sæpe variam desideret.

Hæmorrhagiæ.

Emdemica, epidemica, & stationaria constitutio.

Anni tempus.

(*a*) BARAILON. *l. c.* (*b*) *Idem ib.*

(*) Taurini, & fere in toto Pedemontio, Mantuæ, Ticini, Corregii endemicus esse perhibetur, itemque in Monte Arguo, & in Picardia, generatimque in regionibus humidis, & palustribus. Cl. FELIX ASTIUS, multis opusculis medicis jam universim notis, & praxi medica versatissimus in suo *Anno medico tertio Mantuano*, *p.* 83. animadvertit, miliarem morbum, qui olim Mantuæ fere epidemicus, & contagiosus erat, nunc rariorem admodum ibi esse, & prope sporadicum. Epidemice vero sæpe eum vagari ita notum est, ut qui negare id possit, nemo sanæ mentis inveniatur; longum enim catalogum, si vellem, proferre possem constitutionum epidemicarum, in quibus exanthemata miliaria, omni fere tempore, & in primis nostro, descripta, & observata fuerunt.

(*c*) BARALDIUS *l. c.* DAMILANIUS *l. c.*

(*d*) HOFFM. *Med. Rat. Syst. T. IV. Sect. I. Cap.* 9. BARALD. *l. cit.* AGOSTINI, *osservaz. medic. pratiche intorno alle febbri migliari popolarmente &c. Novara* 1755.

§. 397. Præterea miliaris morbus contagione interdum contrahitur, et propagatur. Non ignoro equidem id a quibusdam in dubium vocari, immo ab aliis recentissimis scriptoribus prorsus negari, ita ut SAGARIUS (*a*) cum nonnullis Nosologis eum ad morbos exanthematicos non contagiosos retulerit. Verum si recte perpendatur, qua ratione Lipsiæ, et Taurini ortus sit, et deinde ad alios populos per aliquem advenam infectum traductus, diffususque, quemadmodum ex WELSCHIO, FANTONO, atque ALLIONIO accepimus, contagiosum esse, reapse apparebit, non minus quam ipsas variolas, præsertim cum morbus adolevit, halitusque venenatos, et putridos quaquaversum expandit, offenditque in hominem ad suscipiendum, retinendumque virus paratum, atque idoneum. Quæ Corregii anno 1776. miliaria alba observata fuerunt, facile ab ægris in sanos migrabant, testante BARALDIO (*b*); qui præterea binas refert observationes miliaris morbi per contagium communicati, et cum phthisi pulmonari complicati, quæ prope singulares sunt (*c*). Per consortium aeris ope morbum hunc sæpe communicatum fuisse non dubitat ALLIONIUS. Hic *contagiosa*, inquit, *ejus miasmata non ab aere simpliciter, sed ab iis, qui in morbosa regione venenum contraxerant, ad alia loca* perlata, accuratior observatio docuit (*d*). Sed missis aliorum innumeris testimoniis, quibus contagiosa morbi hujus natura ostendi posset, tres ego casus adducam singulares qui, ni fallor, ad contagionem comprobandam sufficere mihi videntur. Epidemice vagabantur in urbe Fanensi miliaria exanthemata. PETRUS PAULUS DALLARMIUS, quo a puero familiarissime usus sum ad ejus usque obitum, medicus præstantissimus, idemque omnis eruditionis laude, ut memoria mirabili valebat,

Miliaris morbus contagione interdum propagatur.

Probatur tribus historiis.

excultissimus, quem adhuc lugent Fanenses, quadam die, cum apud ægrum sibi amicissimum esset, videretque ejus domesticos non rite sudorem, quo madebat, abstergere, ipse adjutrices manus admovit, parum sollicitus, an noxium

Observatio I. vaporem undique erumpentem hauriret. Sed paulo post ita se sensit ab eo affectum, contaminatumque, ut palam adstantibus profiteretur, certissime se tunc morbum ex contagione arripuisse. Hinc domum mox reversus minus bene primum habere, deinde vere ægrotare cœpit, et malignissimo miliaris exanthematis genere correptus

Observatio II. intra paucos dies vitam amisit. Simili ferme modo Franciscus Raffius Faventinus in Divi Benedicti Cœnobio apud Mantuam contagem ex ægro, cui ipse incaute nimis, et nimis assidue assidebat, suscepit, et qui eum ab orci faucibus eripuerat, non potuit ipse servari, ut ab ejus patre, fratribusque fide dignissimis mihi narratum

Observatio III. fuit. Nuper alium medicum vidi miliari morbo sed benigno correptum, qui cum ad fœminam eodem sporadico laborantem vocatus esset, et incaute nimis, atque inconsiderate, ut exanthemata in pectore exorta inspiceret, diutius, quam oportebat, se ejus halitui, atque exspirationi objecisset, dum optime alioquin valebat, sine alia caussa in eundem morbum incidit. Ad rem

Observatio Baraldii. maxime facit observatio modo laudati Baraldii (e). Is vidit in quodam adolescente, qui patri ex miliari morbo decumbenti sedulo inservierat, paucis post diebus ab obitu patris exiguam febrim exortam, quæ intra paucos dies soluta est. Casu vero obviam ei factus in via adolescens, quem jam sanatum reliquerat, multas pustulas in cute exstantes exhibuit quam simillimas illis, quæ in cute defuncti patris eruperant.

(a) *Syst. morb. sympt.* (b) *L. c. p. 2. 3.*

(c) *Ib. p* 54.
(d) L.c. *p*.78. §.162. *in notis* 5. & *p*.25. §.58.
(e) *L.c. p*. 73.

§. 398. Miliaria quoque exanthemata interdum contactu in alios propagata, in constitutione epidemica Novariensi anni 1755. quam conscripsit, et typis edidit ANTONIUS DE AUGUSTINIS, memorantur (*a*). Nec rarum est, quemadmodum animadvertit BADALDIUS (*b*), ut variolas matribus, aut aliis, qui pueros variolis laborantes contrectant, et brachiis quandoque gestant, variolas alicubi, etsi jam semel eas passi sint, subnasci, sic quoque miliares pustulas adhærere, imprimique sine alio symptomatum apparatu. Quam rem confirmat ALLIONIUS singulari sua observatione, quæ sic habet: *Nobilis matrona filiæ suæ hoc morbo detentæ diligentissime assistens, et frictiones ipsa exercens retulit pustulas miliares in manibus et brachio sine incommodo efflorescentes: talis efflorescentia quum aliquamdiu perdurasset, et ex improviso evanuisset, simili morbo paullo post laboravit* (*c*). Nec minus probabile existimamus, ut variolosam febrim sine variolis, sic miliarem morbum sine miliariis pustulis quandoque observari. Febris enim non semel a nobis observata est, in primis cum epidemice miliaria vagarentur, quæ omnia, aut pleraque symptomata miliarium propria exhibebat, una excepta exanthematum eruptione. Videtur tunc virus miliare cutanea vascula facile permeare, difflarique sub sudoris, vaporisve specie. Ceterum, nisi perfecte morbus miliaris judicetur, aut justo citius convalescentes aeri se se objiciunt, aut exspirationem, sudorem, aliasque excretiones negligunt, aut supprimunt, aut liberiori, pleniorique cibo tempestive indulgent, in eumdem morbum sæpe

Aliæ observationes contagionem confirmantes.

Miliaris morbus sine exanthematis.

Quando recidivus sit.

Quæ relinquantur a morbo miliari. recidunt, quandoque lethalem. Alii ex retentis morbi reliquiis in chronicos affectus delabuntur. Quibusdam remanet tussis pertinax in sputum cruentum, et in phthisim interdum desinens. Alios excipit hydrops thoracis, aut anasarcha, leucophlegmatia, œdema. Nonnullis superveniunt febriculæ lentæ, diuturnæ, tabes, tumores, marasmus, furunculi, abscessus, arthritici dolores, in puerperis tumores mammarum, nimius fluxus urinæ, et lochiorum; memoriæ defectio, hypochondriaca, et hysterica pathemata, lenta corporis consumptio cum anorexia conjuncta (*c*), aliique chronici, rebellesque morbi. Adolescentem novi ex morbo miliari evadentem, mente imbecillum, et pene fatuum factum, deinde delirio melancholico diuturno, et pertinaci prehensum fuisse.

Observatio.

(*a*) *Loco cit.* (*b*) *Loco cit.*
(*c*) *L. c. p.* 78. *in nota.* (*d*) VOGEL. *l. c.* §. 140.

DIAGNOSIS.

Qui dignosci possit ante eruptionem. §. 399. Quamquam ex hactenus exposita morbi historia cuilibet pateat, miliarem morbum cognosci facile posse, in primis cum exanthemata ad cutim prodierint: tamen ante eorum eruptionem, in primo scilicet stadio, sive tempore morbi diagnosim vix possibile, ut certe maxime incertam, ac fallacem prædicant non pauci, præsertim ubi morbus anomalus est, aut larvatus, aut complexus. At si medicus cuncta attente, quæ præcesserunt, et comitantur symptomata, consideret, poterit quorumdam signorum tam communium, quam propriorum syndrome, atque ope de miliari futura eruptione judicium ferre sine temeritatis nota. Signa autem hæc fere sunt: dolores prægressi, de quibus supra meminimus (*a*),

crebræ primis diebus horripilationes, sudor copiosus jam ab initio obortus, non criticus, non judicans, sæpe viscidus, pinguis, acidum peculiare, et veluti corruptum olens (*), quem pro principe, et certissimo indicio præ omnibus aliis signis habet DAMILLANIUS (*b*), oppressio pectoris cum constrictionis sensu ad sternum, et maxime ad sinistrum thoracis latus (*c*) plus minus molesto, et plerumque intensiore, quam in reliquis morbis exanthematicis, ex quo ægri suspiria subinde, et gemitus edere coguntur (*d*); inquies summa cum continua vigilia, anxietate, respiratione difficili, atque inæquali, animique dejectione; ambiguitas ægri dubitantis, quo morbus, licet levis plerumque videatur, evasurus sit (*e*); febris inter initia aut parva, aut varia, et proteiformis, interdum cum delirio, manuum tremore, tendinum subsultibus (*f*); virium dejectio sine manifesta caussa (*g*); pulsus varius, convulsivus, sed plerumque frequens, et debilis (*h*); stupor pungitivus in manibus, digitis, cruribus, et pedibus plus minus sensibilis, si quando adest, nam non in omnibus invenitur (*i*), vel ejus loco spasmi, quos crampos vocant; puncturæ in cute molestæ; tussis sicca, quando adest, modo exigua, modo vehemens; dolor, aut ardor faucium; deglutitio difficilis, aut saltem incommoda; facilis, et subita, quando ægri ad somnum se componunt, excitatio cum tremitu, pavore, aut corporis universi resilitione, uti HAMILTONUS (*k*) omnium fortasse primus observavit, nosque ipsi pluries vidimus. Quod si his accedat epidemica constitutio, aut suscepti contagii suspicio, eo probabilior erit de morbo miliari conjectura. Pulsum ordinate intermittere jam ab initio qualibet nona, undecima, aut decima sexta pulsatione, supra ex GASTELLERIO adnotavimus.

Intermissionem autem hanc tanti facit GASTELLERIUS (*l*), ut ex ea prædici certo miliarem morbum posse non dubitet. Necesse vero minime est, ut hæc omnia simul concurrant, sed satis est pleraque, et magis propria una conjungi. His igitur miliarium exanthematum eruptio præsagiri poterit, aut saltem miliaris morbi genus illud cognosci, quod sine miliariis pustulis incidere paullo ante monuimus. Eruptione vero facta exanthematum, morbus patescit lippis et tonsoribus, ut vulgo ajunt.

(*a*) HAMILTON. *de febr. miliar. cap.* 2. *p.* 49. 50.
(*) BARALDIUS (*L. c. p.* 73.) peculiarem sudoris hujus odorem, quasi sudoris corrupti, *Dysodiam* vocat, affirmatque non reperiri talem, neque ita constantem; & perpetuum in febribus malignis, aut putridis; qualis in miliari morbo est.
(*b*) *L. c. p.* 14. *& pag.* 56. *in not.* (*c*), ubi inquit; si hoc signum deficeret, licet reliqua omnia adessent, non metuendum de exanthemate miliari; sin vero alia omnia deficerent, & hoc solum adesset, satis esse, ut exanthemata miliaria expectentur.
(*c*) GASTELLIER. *l. c.* (*d*) DAMILAN. *l. c. p.* 14. & 13. (*e*) *Idem ib.* (*f*) VOGEL. *l. c.* §. 137.
(g) HAMILTON. *l. c.* (*h*) *Idem ib.*
(*i*) ALLIONIUS *l. c.* DAMILAN. *l. c. p.* 14.
(*k*) *L. c.* (*l*) *L. c. p.* 83. 84.

Diagnosis morbi benigni. §. 400. *Benignus* esse miliaris morbus cognoscitur ex absentia gravium symptomatum, et notarum malignitatis generalium (*a*); febre moderata; facili, et completa pustularum eruptione; et post eam febris, atque omnium symptomatum cessatione, aut saltem diminutione tanta, ut in-

Et maligni. tra paucos dies æger feliciter convalescat: *malignus* contra ex subdola febris natura, ex virium defectu, quamquam interdum in maligno, et lethali vires satis firmas, et valentes notaverim; ex eruptione imperfecta, et difficili, aut incerta, et

fugaci, et potissimum ex febris, et omnium symptomatum inexpectato augmento post ipsam pustularum apparitionem, et cutis, quæ copioso prius sudore madebat (*b*), ariditate (*). Hinc sequitur, ut omnium *benignissimus* censeri debeat, qui sine febri est, aut quam minima comitatus, integris plerisque totius corporis reliquis functionibus. *Regularem* denotant ipsa consueto, communiorique tempore eruptio, ejus duratio solitum tempus non excedens, pustularum incrementum, maturatio, exsiccatio, nec propera nimis, nec nimis sera, et longa; verbo tota modi facies nihil insoliti, et præter consuetudinem sistens. In *anomalo* vero, sive *irregulari* hæc accidunt. A consueto cursu morbus aliquantum recedit, aut insueta, et aliena symptomata assumit. Exanthemata imperfecte, et partitim, dissitisque spatiis, atque temporis intervallis erumpunt; singulasque eruptiones præcedit semper una vel altera vehementior febris accessio cum tremoribus, siti, ardore, oppressione pectoris, quasi suffocante, subdelirio, donec universum miliare miasma iteratis conatibus foras protrusum sit; id quod interdum absolvitur intra quatuor, quinque, aut sex dumtaxat hebdomadas (**). In hoc casu fomes morbificus non totus uno tempore evolvitur, sed partitis vicibus. Prout nempe aliqua ejus pars aut gignitur, aut extricatur a reliquis humoribus, natura irritata et febris invalescit, et cuncta symptomata iterum in scenam veniunt, novæ eruptionis veluti prodromi: ea vero facta, iterum sedantur, et quiescunt; sicque tumultus novi, novæque eruptiones redeunt, et decedunt, donec omne heterogeneum expulsum sit. Cl. BARALDIUS multa exempla tardioris, et iteratæ eruptionis refert, sed insignis est illa observatio cujusdam ægroti, cui post centesimum et vigesi-

Signa morbi regularis, & anomali.

Observatio.

mum diem nova eruptio cum magno pruritu contigit, pluriesque rediit, et tandem cum cuticulæ desquamatione finita (c) est. Non ita pridem in nobili viro, cui ter ejusmodi vices cum magnis perturbationibus, huic malo propriis obtigerunt, morbus ad quadragesimam diem protractus est. Nec tamen perfecte natura se expedivit ab omni noxio humore, nisi translatis morbi reliquiis ad os illum, et deinde ad intestina crassa, illic dolorem atrocem ischiadici similem, heic alvi fluxum cum tenesmo excitantibus: quo demum fluxu et dolor ille, et reliquus morbus omnino solutus est.

(*a*) Vid. *cap.* 1. hujus voluminis.
(*b*) Ibid. item Juncker. *loc. cit.* *Frid.* Hoffman. *Med. rat. syst. l. c.* Collin. *l. c.* Storck. *l. c.* Gastellier *l. c.* Beretta *l. c.* Barailon. *l. c.*
(*) Cl. Baraldius *in miliaris morbi endemico-epidemica constitutione Corregiensi tria malignitatis signa, modo sejuncta, modo copulata deprehendit. Primum erat* dolor quidam gravativus *in crurum suris, qui aliquot ante diebus inchoabat, & deinde febrem etiam comitabatur ad quartam usque, aut sextam diem, quin aut sedendo, aut decumbendo cessaret. Secundum signum præbebat* tussis molesta, aut sicca, *cui cito se addebat tertium, videlicet simplex phlogosis tonsillarum cum punctis quibusdam albis, & cum stria quadam rubra secundum marginem veli palatini ad uvulam protensa, & terminante. Hæc phlogosis modo resolvebatur intra sex, aut septem dies, modo in aphthas gangrænosas, quæ protendebantur ad fauces, ad œsophagum, ad palatum, ad gingivas, ad labia, desinebat* (p. 16.). *Tussis vero in plerisque perdurabat ad eruptionem usque, quæ tardissime contingebat. Ex sicca vero, prout progrediebatur morbus, fiebat humida cum sputis viscidis catarrhalibus primum crudis, deinde concoctis, quæ debebantur congestioni pulmonum, certo suffocaturæ, nisi apta curatio adhiberetur* (p. 17.). *Præter hæc sæpe observavit* lumbaginem, *quæ interdum ante morbi accessionem incipiebat vexare, & eum co-*

mitabantur usque ad finem (ibid.). *Animadvertit demum omnes constanter lucis impatientes fuisse* (ib.).

(**) *Videbitur fortasse aliquibus miliaris morbus* anomalus *non differre ab eo, quem appellavimus* secundarium. *In utroque enim eruptio pustularum tardior est, quam in regulari, & proprium ferme characterem constituit. Idcirco alterutrum supervacuo a nobis poni, judicabunt; videlicet vel exanthemata, quæ secundaria appellavimus, ad anomala vere spectare, vel anomala ad secundaria. Verum illud inter utrumque discrimen est, quod exanthemata, ut effecta alius morbi, in statu, aut fine ejus supervenientia careant maxime signis miliaris morbi propriis, inprimis iis, quæ eruptionem antecedere* (§. 399.) *consueverunt; anomala contra nullo modo illis careant. Hinc facile nobis largituros esse speramus, non supervacuo & posita, & sejuncta fuisse.*

(c) Loc. cit. p. 54. & seq.

§. 401. Implicatior, obscuriorque res est, quando miliaris morbus sub aliorum morborum aspectu, sive larva, et similitudine ludit, unde *larvatus*, sive *personatus* tum audit. Non enim infrequens est, eum complurium aliorum malorum formam, speciemque induere, ut magis medicum fallat. Supra non prætermissum est (§. 390) animadvertere, interdum *histeriam*, et *hypocondriasim*, aut febrem intermittentem, aut catarrhalem, rheumaticamque, aut inflammatoriam (§. 396.) aut biliosam, et gastricam ab eo simulari. Nunc non prætermittam indicare alios morbos, quorum speciem, naturamque sic imitatur, ut difficillime nisi post miliarium pustularum eruptionem, internosci soleat. Sunt autem pleuritis, peripneumonia, angina, rheumatismus, arthritis, apoplexia, epilepticus insultus, colica nephritica, faciei erysipelas, aliique; sed modo memorati frequentius. In his enim casibus materia, sive fomes miliaris hanc, vel illam partem, prius quam ad cutim feratur, invadit, ibi- Larvatus obscurior.

que defixus eorum locorum morbos imitatur. Hinc jure, et recte miliaris morbus tunc *larvatus*, aut *personatus* dicendus est, quia ab eadem ipsissima caussa effectus, sub quibus se abdit, omnino dependent; contra quam *complicatus*, qui vere cum alio morbo aliam caussam habente conjungitur, ut deinceps dicemus. DUPRÆUS DELISLIUS (*a*) exempla adducit miliaris morbi, qui apparuit sub larva comatis profundi cum delirio, auriumque tinnitu. In Cœnobio S. Lazari Mediolani Monialem, cui BELLINIA cognomen erat, incessit malum cum delirio continuo, et spasmo cynico, et risu sardonico fere perpetuis, viriumque dejectione. Eruptio circa decimam quartam diem tantum contigit, quæ omnia quidem symptomata levavit, ut spem faceret, convaliturам; sed post decimam septimam metastasi facta ægra convulsa obiit. Historiam quoque habet HAMILTONUS (*b*) morbi miliaris sub larva delirii furiosi jam a primis diebus insolescentis. Apud eumdem exstat alia observatio cujusdam miliaris morbi, qui primum sub affectionis hystericæ, deinde convulsionum, et demum diutinæ, et maxime mirabilis syncopes, sive asphyxiæ larva latitavit (*c*); itemque alia, quæ paralysim inferiorem artuum fere ad finem morbi persistentem exhibet (*d*). Nec deest apud hunc ipsum scriptorem exemplum miliaris morbi, qui ab apoplexia initium duxit (*e*). Anginam simulantis exempla facile invenies apud observatores. Peculiare, et notatu dignum videre est in nitida, elegantique FRANCISCI BERETTÆ Dissertatione supra allegata (*f*). Multo adhuc facilius, crebriusque clinicem exercentibus obviam fiunt pleuritides, ac peripneumoniæ, quæ exanthema miliare in se recondunt, occultantque; et plerumque pustularum eruptione feliciter judicantur. Pleuroperipneumoniæ,

Observatio.

Observationes Hamiltonii.

qua se morbus abscondidit, et septima die exanthematum eruptione detexit, alias historiam (g) attuli.

(a) *Loc. cit.* (b) *L. c. p.* 147. (c) *Ib. p.* 113.
(d) *Id. ib. p.* 90. (e) *p.* 83.
(f) *Dissert. cit. p.* 51. *in nota.*
(g) *Sagg. di Medec. Pratic.* DI PIETRO PAOLO DALL'ARMI *P.* 2. *p.* 137.

§. 402. Magni autem interest, larvatum miliarem morbum, qualem exposui (§. 401.), mature, et antequam eruptione exenthematum se prodat, cognoscere. Solet enim plures dies, utplurimum, ægrum conflictare, et medicum anxium et sollicitum reddere, antequam exanthemata prodeant, et velum, quo uterque obtegebatur, amoveant. Sed hoc opus, hic labor. En quæ mihi discere contigit longo usu, et assiduà omnium phænomenorum indagatione. Illud in primis animadverto, quod morbus, quo se tegit miliaris, alieni semper aliquid habet, quod ad ejus veram, et legitimam naturam, quando solitarius, et genuinus est, non bene respondet, et contra plerumque aliquid ei deficit, quod alioquin veluti proprium, aut saltem frequentissimum in eo deprehendi consuevit; denique quod remedia, quæ alioquin aliquid boni præstare solita sunt, suos effectus non edunt, et præter consuetudinem parum, vel nihil proficiunt. Interea miliaris morbi, qui larva alius affectionis decipit, propriæ non desiderantur notæ, quæ larvam ei detrahant, sudores videlicet profusi, continui, inutiles, acidum spirantes, aut fœtidi, pectoris oppressio, qua suspiria, aut gemitus exprimuntur, respiratio laboriosa, inæqualis, stupores artuum pungitivi, et crampi, nervosi affectus, hystericos, aut hypochondriacos sæpe æmulantes, Larvati diagnosis.

languores, deliquia, pulsus varius, plerumque contractus, atque inæqualis, somni interrupti, et reliqua, quæ supra (§. 389.) indicavimus. Addo demum, in plerisque morbis, nedum in miliari non larvato, ut plurimum primis diebus leviora et mitiora symptomata videri, paullatim increscere, et ad suum maximum gradum sensim pervenire; in larvato vero statim ab initio vehementia, gravia, periculosa apparere, et quasi repentina aggressione invadere hominem, nec prius mitescere, quam miliares pustulæ in cute efflorescant. Tunc enim solummodo omnia symptomata, simulque morbus, sub cujus specie miliaris latebat, minuuntur, et cessant, prosequentibus tamen suum consuetum curriculum exanthematis; eo casu dumtaxat excepto, in quo eruptio imperfecta, aut sera nimis fuerit, et morbus, quem simulat miliare malum, altas radices jam egerit, et in *essentialem* transiverit; nam tum et ipse prosequitur, et, facta licet eruptione, non desinit.

Discrimen inter larvatum & non larvatum in modo invasionis.

§. 403. Exemplo aliquo res illustranda est. Pleuritidis simulatione adoriatur miliaris morbus. Pungens lateris dolor, tussis, sputum sanguine tinctum, difficilis respiratio, et febris acuta pleuritidem quidem denotabunt; sed deerit pulsus magnitudo, et durities stabilis, vel tanta non erit, ut in pleuritide pura; sanguis primis vicibus detractus vel crusta pleuritica carebit, vel non admodum cohærebit ipsa, vel crassamentum laxum habebit, vel sero abundabit, vel rutilans, et coccineus videbitur; nec solamen, quod phlebotomiæ saltem ad aliquot horas afferre alias solent, obtinebitur. Dolor ipse pleuriticus sæpe locum mutabit, et fugax erit (*a*), sputumque cito ex rubro flavum, aut pallidum, aut luri-

Exemplum sub larva pleuritidis.

dum apparebit. Vel si dolor fixus, et stabilis permaneat, acutusque sit, ut interdum accidit, ei tamen nec febris, nec pulsus respondebit. Quod si simul et vomitus, aut nausea, aut insueta, assiduaque inquies sine evidenti caussa, nec ab acerbitate doloris derivanda ægrum agitet; aut calor excedat motum in pulsibus notatum; si sitis minus premat, quam caloris excessus postularet; si lingua muco albo, aut flavo fœdetur; si vigiliæ contumacissimæ, quæ a dolore minime repeti queant, urgeant; si spasticæ ventris affectiones hysteriam, aut hypocondriasim æmulantes, borborygmi, languores, deliquia, anxietates, sudores præmaturi, inutiles simul concurrant; jam patet, latere sub larva pleuritidis aliud morbi genus, cujus symptomata ista propria sunt. Ad rem facit Dallarmii observatio vigesima nona cum alia a me adjecta in additamentis, quæ si perlegantur (*b*), lucem aliquam afferre poterunt tironibus, et nondum propriis observationibus satis instructis.

(*a*) Allion. *l. c. cap.* 6. §. 99.
(*b*) *Sagg. di Med. Pratic. P.* 2. §. 129.

§. 404. Virum senatorium sexagenario majorem, sanguineum, et bono habitu præditum ex suscepto frigore, atque exercitatione corporis in aere aperto, et humido corripuit febris acuta cum difficili mox respiratione, sputis catarrhalibus sanguine diluto tinctis, raris, et exigua tussi exeuntibus, viribus prostratis, magna ad somnum propensione, mentis stupore, et aliqua aberratione, sudore profuso, pulsu magno, forti, sed non admodum duro, linguæ tarditate; atque hæc omnia quasi repente atque in ipso morbi initio. Sanguine iterato misso vix quidquam levaminis consequitur; respiratio anhelosa, alta, sublimis, Observatio.

inæqualis, rara tussis, dormiendi cupiditas, et stuporis, insensibilitatisque quædam species permanent fere eædem. Febris continua remittens suas accessiones vesperi repetit, pulsu primum depresso, deinde alto, pleniore, veloci, suspiriis crebro emissis, sudore quasi perpetuo, urinisque crassis. At brevi accesserunt dejectiones liquidæ, biliosæ, tenues, et ventris meteorismus tympaniticus, et resonans. Admota brachiis, et cruribus vesicantia cum aliquo capitis levamine fuerunt; data quoque eccoprotica, et enemata injecta, ut intestinalis saburra, biliosaque colluvies subduceretur, et spasmi inde orti cessarent. Dum hæc aguntur, et alia ad liberandum infarctum, ut putabant, pulmonem resolvendi, incidendique facultate prædita proponebantur; septima die ad finem inclinata pustulæ miliares universim prodiere ad cutim, quæ non modo veram morbi naturam detexerunt, sed etiam omnia symptomata tam pectoris, quam capitis, abdominisque sustulerunt, et febrim sic mitigarunt, ut deinde paullatim æger perfecte judicaretur; quod quarta decima die feliciter evenit.

Quo discrimine discernatur a larvato complicatus?

§. 405. De miliari morbo *larvato* haud plura. Ad *complicatum* progredimur. Magna est utriusque inter se similitudo, atque affinitas; in utroque enim miliaria exanthemata cum aliquo alio morbi genere consociantur. Hinc a quibusdam et *larvatus*, et *complicatus* persæpe confunduntur, et permiscentur, dum tamen eos distingui, et seorsum considerari oportet. Discrimen vero omne in eo ponitur, quod priorem idem miliaris fomes efficit; posteriorem alia diversa caussa procreat; et quod ille erumpentibus miliaribus pustulis fere ex toto illico evanescit, hic vero non item, nisi forte ejus caussa simul tollatur, et

suum ipse cursum fortunato absolverit. Morbi autem, quibuscum miliaris complicari frequentius (*a*) solet, sunt peticulæ, variolæ, morbilli, purpura scarlatina, pleuritis, et peripneumonia vera, et primaria, podagra, arthritis, febres intermittentes legitimæ, non simulatæ (*), febris gastrica acuta, tritæophya biliosa, fortasse etiam febris lenta nervosa remittens, puerperium, lac aberrans, lochia imminuta, aut suppressa, uteri quandoque inflammatio; nec repugnat eumdem cum quovis alio morbi genere complicari posse. Cum phthisi pulmonari complicatum bis memorat BARALDIUS (*b*); sed tamen regnabat epidemicus. Ego vero sporadicum vidi fracturæ ossis femoris supervenisse. Æstas erat, et ut diurnum calorem nocturna frigidiori aura contemperaret FRANCISCUS GYPSIUS, nobilis juvenis Faventinus, alioquin bene valens, et sanus, per urbem huc illuc spatiari solebat. Nocte quadam in lapidem quadratum ingentem offendit, et magno impetu prolapsus sibi femoris dexteri os confregit. Postero die febri cum crebris horroribus corripitur. Mox sudoribus copiosissimis, et urinis aqueis, dilutis, uberrimis accedentibus, miliares pustulæ ad cutim frequentes, et turgidæ rubri coloris efflorescunt sine ullo symptomatum, et febris levamine. Immo supprimitur sudor; urina parcior, et coloratior fit; delirium, convulsiones, et prope subita mors superveniunt. Exstabant adhuc pustulæ humore plenæ, quarum aliquæ maxime circa collum, et supra pectus albido, et purulento humore scatebant. Maturationis igitur tempore raptus est post paucos dies a febris initio (**).

Morbi, cum quibus frequentius complicatur.

Observatio complicati cum femoris fractura.

(*a*) ALLION. *loc. cit. cap. VI.* p. 52.

(*) *Febres hic intelligo intermittentes non simula-*

tas, nec spurias, quales febris eruptiva, antequam exanthemata prodeant, sæpenumero imitatur, ut supra (§. 386.) *notatum est. Neque eas intelligo, quæ intermittentes quidem veræ sunt, sed comitatæ a miliariis. In his enim quavis accessione miliaria se in cute ostendunt, & plerumque integritatis, sive apyrexiæ tempore evanescunt, & propterea vere ipsius febris effecta sive symptomata* (Vol. I. §. 178.) *habentur. Ni talia essent, cortice peruviano cum ipsa febre non fugarentur. Quo maxime argumento si alia non suppeterent, inducor, ut miliaria secundaria, sive ut alii vocant, symptomatica non omnino rejicienda putem. Itaque hic intelligo tertianam, vel aliam cujuscumque typi febrem intermittentem legitimam, quæ minime a fomite miliari pendeat, nec per se miliaria exanthemata gignat, sed casu cum morbo miliari concurrentem, & conjunctam, cortice peruviano facile tollendam, quin tamen miliaris morbus, ea depulsa, cesset, & finiatur.*

(b) Loco cit. ibid.

(**) DAMILANIO *quoque* complicatus *miliaris morbus dicitur ille, qui cum aliis morbis genere, & natura differentibus conjungitur. Is vero cognosci, & distingui nequit, nisi ex suis signis pathognomonicis, quæ tamen, ipso judice, non a principio apparent, sed tantummodo in* statu, *aut* inclinatione *illius morbi, quorum miliaris morbus complicetur. Hinc ni fallor, colligitur, Cl. virum existimare, morbum quemdam quemcumque, & veluti primarium antecedere; huic vero succedere miliarem. Immo ipse adjicit, nisi prior ille occidat, timendum esse exitium a posteriore, nempe miliari, qui difficillime superari solet. Verum, bona ejus venia, anceps hæreo, immo dubito, utrum miliaris istiusmodi morbus vere* complicatus *dici possit. Absunt enim tam initio quam progressu, quæ eum præcedere, & futurum præsagire solent, & latentem ejus fomitem prænunciant. Quamobrem, quoniam miliaris miasmatis, sive morbi phænomena se tantum ostendunt in* statu, & inclinatione *alterius morbi, qui antecessit; ideo verosimilius mihi videtur, exanthema miliare, quod subsequitur, tamquam effectum depravationis humorum, quem genuit prior gravis, & periculosus mor-*

bus, habendum esse. Quod si ita sit, uti ego suspicor, jam consequitur, ut miliaria exanthemata isthæc rectius secundaria, *&* epigenomena *dici debeant, quam complicata; quemadmodum* secundaria *sunt illa, quæ sub finem morborum putrium, aut inflammatoriorum erumpunt, aut in cadaveribus emicant, quæque idcirco ab eodem ipso ornatissimo scriptore* mortua *appellantur. Revera morbus, cujus historiam attulit* pag. 21. *uti* miliaris complicati, *fuit miliaris, si quid judico,* secundarius. *Puella quædam robusta temperamenti sanguinei incidit in peripneumoniam, qua persistente novies ei detractus e vena sanguis est. Cum peripneumonia jam vergeret ad finem, pustulæ miliares effloruerunt. Ab his, atque a peripneumonia sub finem trium hebdomadarum libera omnino extitit. Manifestum plane videtur, cum miliares pustulæ prodierint priore morbo inclinante, neque sui indicia, quantum ex historia apparet, dederint,* secundarias *eas fuisse, & quidem ex eo, quod feliciter morbo finem imposuerunt,* criticas. *Memorat aliud quoque exemplum* complicati miliaris morbi *ex juvene robustissimo annorum viginti septem, cui in pleuritide ad vigorem, sive statum provecta, circa videlicet octavam diem a morbi initio, exanthemata miliaria copiosissima supervenerunt. Non inde melius æger habuit; nam undecima convulsus* (p. 22.) *periit.* Secundaria *&* quidem symptomatica *hæc quoque fuisse videntur. Tertia vero, quam* pag. 23. *adducit, observatio fortasse quidem fuit* pleuritis biliosa complicata cum miliari morbo, *quia antequam miliaria efflorescent, pectori primum, deinde capiti, postremo iterum pectori minitata multimodis sunt; quod miliari miasmati aut latenti, aut complicato non raro obvenit, & veluti proprium est. Dum hæc sub prælo erant, historiam miliaris morbi* secundarii, *& per epigenesim orti, nisi mavis* complicati, *&, quod magis animadvertendum est,* critici *mecum communicavit amicus, & collega meus singularis, quem ingenium, doctrina, medendique exercitatio de meliori nota commendant,* Leopoldus, *inquam,* Thonhauserus. *Is mense Januario hujusce anni* 1785. *vocatus est ad puellam annos tredecim natam, quæ jamdiu febri, tus-*

si, & sputis purulentis laborabat, cumque in ea febrem vehementem, tussim molestissimam, difficilem respirationem cum pulsu duro, & valido deprehendisset, sanguinis missionem proposuit, quam deinde ad tertiam usque vicem iterare debuit. Sanguis enim pleuriticus omnino semper apparuit. Iterata autem venæ sectione, remediisque antiphlogisticis, & bechicis effecit, ut symptomata inflammatoria quidem tollerentur, non vero tussis, febris, & sputa purulenta desinerent. Cum igitur amphemerina, sputa purulenta, tussis pertinax, ac insequens macies ægram tenere pergerent, de phthisi pulmonari confirmata, sive ulcerosa judicium tulit. Sub initium tandem mensis Martii, post aliquam tussis, & febris exacerbationem, majoremque spirandi difficultatem repente exanthemata miliaria partim alba, partim rubra, primum in inferioribus corporis partibus, deinde in superioribus, sed sensim, & agminatim se se exseruerunt, donec tota cutis contegeretur. Quo hæc erumpere cœperunt, & quo magis augebantur, & maturescebant, tussis etiam mitigata valde est, febris imminuta, appetitus, & somnus, & vires rediere. Eruptio quatuor circiter hebdomadas perstitit, novis subinde pustulis miliariis accedentibus, antequam ad exsiccationem pervenirent. Exsiccationem tandem excepit vera epidermidis desquamatio, frustulatim decidentis; lenta quidem & ipsa, prout lenta fuit eruptionis ratio, sic ut non ex toto absoluta sit, nisi mense Majo ineunte. Hinc puella multo melius habet, viribus, appetituque acquisitis, & corpore nutriri cœpto. Tussis tamen, licet multo minor, febricula lente, & puris sputum, sed valde parcius, adhuc perstant: quibus tamen ægra non impeditur, quo minus e lecto surgat, deambulet, hilari, & læto vultu sit, suis oblectamentis, & occupationibus operam det, & spem faciat aliquam pristinæ valetudinis recuperandæ.

Complicati cum peticulis exempla.

§. 406. Quod ad complicationem miliarium exanthematum cum peticulis attinet, jam alibi (§. 325.) ea memorata est. Solet autem frequentissime in epidemicis, rarius in sporadicis

deprehendi. Hanc ipsam OCTAVIANUS ROBORETUS Tridenti (*a*), PETRUS A CASTRO Veronæ (*b*), et P. SALIUS DIVERSUS Faventiæ (*c*) jamdudum viderunt, ut posteriores quosdam prætercam (*). Ante annos undetriginta circiter Lausannæ, deinde Vevey complicatio ejusmodi observata etiam (*d*) fuit. Biennio post, nempe anno 1758.; vagabantur peticulæ, et miliaria Vindobonæ, modo seorsum, modo conjunctim (*e*). Multo ante utrumque exanthema complicatum Mantuæ sæpe conspexit FELIX ASTIUS (*f*), et nuperrime TROLLIUS in constitutione epidemica anni 1783. (*g*). Miliare autem cum peticulari modo una conjungitur, atque interspersum peticulis cernitur, modo eis præsentibus, aut effugientibus, ut jam inclinatis supervenit. Adsunt communiter utriusque morbi signa, plus minus manifesta, prout unus, vel alter prævaleat. Si vero uni succedit alterum exanthema, plerumque apparent peticulæ, deinde his recedentibus prodeunt miliares papulæ. Tunc *urinæ*, inquit ALLIONIUS (*h*), *quæ primum turbatæ, et crassæ fuerunt, diluuntur*, stupor pungitivus, sive *granf* dictus *aliqualis persentitur*, *surditas recedit*, *bombus in tinnitum mutatur*: *sopor in vigilias*, *aut coma vigil*; *prostratio corporis tollitur*, *pulsus elevatur*, *et frequentior fit*. Addit præterea, delirium quam maxime augeri, statim ac *miliare miasma* cutem ferit; immo si maturius *peticulis* miliares *pustulæ* accesserint, convulsiones lethales supervenire; contra, si serius, et longo intervallo peticulas miliaria exanthemata subsequantur, *salutis spem* superesse (*i*). In Vindobonæ epidemica constitutione anni 1758., quando peticulis superveniebant miliaria, præcedebat levis horripilatio; accedebat deinde pectoris oppressio, atque anxietas; postea prodibant pustulæ miliares albæ copiosissimæ cum levami-

Signa peculiaria.

ne. Quibus, praegressa anxietate, hæc eruptio non fiebat, his urina crassissima profluxit, aut, hac deficiente, lenis, et levans alvi fluxus ejus vices supplevit (*l*). In oppido *Belgiojoso* cum peticularis morbus jam inclinare ad salutem propius videretur, repente febris intensius resurgebat, symptomata quædam invalescebant, et per duos, vel tres dies hæc continuabant. Deinde, miliariis exanthematibus feliciter ad cutim expulsis, omnia mitigabantur, et ægrotans paullatim convalescebat (*m*). Generatim duplex morbus majus discrimen continet, aut saltem malum protrahit; sed plerumque bonus, aut malus exitus benignitati, aut malignitati exanthematis supervenientis respondet. Nec tempus, quo accedit, aliquid perpetui habet; nam modo benignum vidi, quando mature prodiit, modo malignum, quando serius, et contra.

Prognostica.

(*a*) *L. c.* (*b*) *L. c.* (*c*) *L. c.*

(*) Cum peticulis Miliaria complicabantur in constitutione epidemica Wendingensi ann. 1689. & in Donawordensi; (*Rosin. Lentil. Miscell. med. practic. N. C. Dec.* 3. *ann.* 5. & 6. *append.* p. 132.) in Wratislaviensi ann. 1715. (*Godofr. Klaunning. obser. circa febr. malign. petechiales Eph. N. C. cent. v. obs.* LXIII.) itemque in Constit. ann. 1737. Wratislaviæ, & Silesiæ (*Fabr. Ferd. Pauli Histor. febr. catarrhal. malign. in Act. N. C. vol.* VI. *observ.* 66.) &c.

(*d*) TISSOT *Lettr. a M.* HIERZEL p. 5.

(*e*) STORCK *ann. medic.* I. *mense Jul. & August.*

(*f*) *Terzo Anno Medic. Mantuan. o sia Storia delle malattie del* 1783. *ec.* p. 83. Vid. *opusc. med. Pratic.* TARGION. *T.* 8. pag. ead.

(g) *Lettr.*3. TARGION. *opusc. med. pratic. T.* 8. p. 248.

(*h*) *L. c.* §. 108. (*i*) *Ib.* §. 109.

(*l*) STORCK. *l. c. mens. aug.* p. 15. & 16.

(*m*) TROLLIUS *l. c.*

§. 407. Quando cum variolis, morbillis, aut

scarlatina miliares pustulæ junguntur, non facile, antequam erumpant, eas prænosci licet. Attamen, quia cum variolis, aut morbillis, aut scarlatina maligni conjungi ut plurimum solent, eorum morborum malignitas de miliarium etiam complicatione poterit nos admonere, et multo probabilius, si epidemica constitutio præsens, nota, et perspecta in auxilium veniat, paucis, quos habuit curandos variolis cum miliariis complicatis laborantes ALLIONIUS (*a*), vidit *lumborum dolorem acerbissimum* præcessisse, *variolas primum erupisse*, *deinde miliares pustulas*, febrem a variolarum apparitione *non remisisse cum pulsu molli*, *et validiusculo*, *sed contractionem*, *et celeritatem pulsus increvisse*; *variolarum incrementum miliares pustulas impediisse*; *tendinum motus frequentes fuisse*; *cum pulsu admodum tenso deliros factos ægros sexta*, *aut septima die interiisse*; neque in his stuporem pungitivum *granf* ab eo dictum, qui maximum miliaris morbi signum esse consuevit, admodum sensibilem fuisse, immo tantummodo *fugacem*. Narrat præterea ex ELIA CAMERARIO (*b*) *variolis ad suppurationis summum perductis* supervenientes *cum felici exitu* miliares pustulas albas; ex HALLERO (*c*) vero memorat *variolas malignas*, *quas* subsequebatur *miliaris morbus*. In duobus demum, in quibus cum morbillis miliaria complicabantur, animadvertit *faucium inflammationem*, *et tussim*, *quæ morbillos præcedunt*, *vehementer afflixisse*, morbillorum *primum cum magno calore* eruptionem contigisse; *deinde iis successisse agminatim prodeuntes miliares pustulas*: *stupores* autem illos *pungitivos* digitorum, manuum, et pedum in his frequentes cum reliquis miliaris morbi signis extitisse, nec aliter morbum processisse, quam benignus, sive *simplicissimus*, ut ipse vocat, soleat (*d*).

Complicati cum variolis, morbillis, & scarlatina difficilis prænotio.

Signa complicati cum variolis.

Signa complicati cum morbillis.

Credibile quoque est, vix quidquam differre purpuræ scarlatinæ cum miliariis exanthematibus complicationem.

(a) L. c. cap. VI. §. 110.
(b) Ib. §. 111. Act. N. C. vol. 2. p. 338.
(c) Ib. ex opusc. pathol. p. 120.
(d) L. c. §. 112.

Quomodo a larvato complicatus dignoscatur.

§. 408. Miliaris morbus, quando cum pleuritide, aut peripneumonia complicatur, sæpe *larvato* similis est ita, ut facile alter pro altero sumi possit. Larvatus vero quomodo se se commonstret, quantum fieri potuit, exposui supra (§. 402.) Nunc qua ratione *complicatus* discernatur, dicere non omittam. In hoc pleuritis, et peripneumonia omnia phænomena exhibet, quæ horum morborum, quando solitarii sunt, præsentiam indicant, nec a proprio signorum apparatu recedunt quidquam. Caussæ item, quæ eos inferre solent, præcesserunt, et simul anni tempus, atque aeris conditio talis est, quæ eorum genesi favent; multoque id clarius fiet, si interea aut stationarii, aut epidemici infestent; aut epidemicis miliariis intercurrere identidem videantur. Neque simul ac miliaria exanthemata prodierint, ipsi cessant, ut in larvato genere evenire dictum est, sed suum cursum de more peragunt, non secus ac solitarii essent, finemque sive bonum, sive malum pro sua cujusque indole, et gravitate assequuntur. Quod postremum etiam accidit in miliari morbo cum podagra, aut arthritide *complicato*, nam tum arthritis, aut podagra ab exanthematum eruptione non levantur, uti in *larvato*, sed suum regularem plerumque cursum, qui fere semper diutinus est, persolvunt. In complicatione vero febris intermittentis illud solemne est, quod præter continuam febrem

Signa complicati cum pleuritide, & peripneumonia.

Signa complicati cum podagra &c.

Signa complicati cum febre intermittente.

remittentem, quacum conjungitur miliaris morbus pyreticus, accessiones cum frigore, aut horrore quotidie, aut alternis diebus superveniunt, quæ deinde augmentum, statum, et inclinationem, ut veræ intermittentes, prætergressæ, solitis sudoribus solvuntur, permanente continua remittente, uti in febribus proportionatis, et hemitritæis fieri solet. Sed hoc habent funesti, quod in ipsa frigoris accessione exanthemata miliaria subsident, et introvertuntur, exitiumque ægrotanti celerrimum afferunt ex metastasi. Cl. ALLIONIUS tertianam febrim simplicem, in cujus secundo, aut tertio paroxysmo miliares pustulæ eruperant, vidit; sed *frigoris tempore, cum rediret accessio retrocedentibus repente* exanthematis *æger* periit (*a*). Recenset quoque ex *actis Berolinensibus* (*b*) purpuram albam cum quartana febre complicatam, demum lethalem repercussis horroris tempore pustulis miliaris.

(*a*) *L. c. cap.* 6. §. 107.
(*b*) *Decad. II. vol.* 7. *pag.* 102.

§. 409. Quando cum febri gastrica acuta (*Volum I.* §. 373.), aut cum Tritæophya biliosa (*ibid.* §. 419.) aut ardenti (*ibidem* §. 422.) aut remittente lenta maligna, nervosa dicta (*ibid.* §. 437.) exanthemata miliaria complicantur, evidens omnino est, notis singularum harum febrium, et miliaris ipsius morbi (§. 399.) complicationem istam dignosci. Ad propria igitur horum moborum signa attente respicere oportet. Ubi alvus soluta est, ut sæpe in gastrica, et tritæophya biliosa esse solet, paullo serius exanthemata prodire animadvertit ALLIONIUS (*a*), scilicet fluxu alvi *imminuto et explicatis* eruptionis imminentis *simptomatibus*, nimirum *octava*, *undecima*, aut *decima quarta die*. Fortasse ex hac

Signa complicati cum aliis febribus.

etiam caussa miliares pustulæ cunctabantur præter morem ad cutem apparere in constitutione endemica epidemica, quam descripsit BARALDIUS. In ea enim miliaris morbus videtur complicatus fuisse cum Tritæophya biliosa, quam ipse appellavit febrem ex classe biliosarum nunc putrium, nunc inflammatoriarum; et in omnibus quidem ægris exanthemata, sed multo serius (*) erumpebant (*b*). Cum Lochiis suppressis, uterique inflammatione, aut lacte aberrante, ut supra (§. 405.) monui, non rarum est miliaria complicari. Tunc *febris statim post parum prehendit*, aut *occasione febris lacteæ, quæ solito vehementior corripit*, et symptomatis miliaris morbi propriis (§. 399.) comitatur. *Pulsus celer admodum est, et lochia varie fluunt, aut subsistunt. Dolet sæpe uteri regio*, et tenditur. *Dum vero sudores, aliaque* symptomata eruptionis futuræ indicia invalescunt, urgentque; *evanescit* uteri *dolor miliariis pustulis efflorescentibus, quarum plerumque exitus*, ALLIONIO (*c*) referente, funestior est. Sæpe etiam lac *parum fluit*, aut aberrat, aut *liquida alvus est*, eodem observante, aut alia peculiaria mala puerperis familiaria adsunt, ut aliquanto fusius dicemus, ubi de febre miliari puerperarum nonnulla subjiciemus.

Signa complicati cum suppressione lochiorum &c.

(*a*) *L. c. cap.* VI. §. 113.

(*) Febris enimvero ista, si bene consideretur ejus historia, fuit certe ejus generis, ut plerumque gastrico, vel bilioso-inflammatoria, interdum gastrico, aut bilioso-putris videretur. Erumpebant miliaria die undecima, vel decima quarta, vel vigesima prima, & quandoque cunctabantur usque ad quadragesimam.

(*b*) *L. c. p.* 77. (*c*) *L. c.*

PROGNOSIS.

§. 410. Quod attinet ad prognosim, incertissimas hujus morbi prædictiones jure pronunciavit Allionius (*a*), cum vel mitiori ejus aspectui credi vix possit. Ego equidem non novi fortasse morbum isto fallaciorem, ac magis infidum, ita ut, quando is mihi curandus est, nunquam minus securum, nunquam magis sollicitum me sentiam; quod facile sibi persuadebit qui pluries eo laborantibus operam suam adhibuerit, aut ejus historiam attente perlegerit, consideraveritque. Excipio tamen *apyreticum* (§. 385.), et eum quoque, qui *purpuræ chronicæ* (*ibid.*) nomine donatur. Utraque enim differentia periculo vacare solet, si recte curetur, et pustularum ratio debita habeatur, ut non intro vertantur, antequam noxius humor penitus evaporáverit. Itaque generatim morbum *pyreticum* (§. 386.), uti vocatur, et gravem, et periculosum esse dicemus, sic tamen, ut *benignus*, et *regularis* (§. 400.) multo minus discriminis habeat; *malignus* vero, atque *anomalus* (§. *eod.*) multo plus, præsertim contagione (§. 397.) susceptus. Verique simillimum est, *larvatum*, sive *personatum* (§. 401.) itemque *complicatum*, sive *complexum* (§. 405.) utplurimum simplici, ac manifesto graviorem, et periculosiorem esse, utpote pluribus, quam assolet, symptomatibus aggredientem, aut ex duobus æque gravibus, aut alterutro pejore compositum, quorum uni tolerando vix natura valeret. Fereque inter exitiosiores complicationes censetur illa, quæ cum (*b*) variolis malignis, aut peticulis mali moris, aut morbis epidemicis gravioribus fiat.

Morbus fallacissimus, & semper plus minus periculosus.

Excipitur apyreticus, & purpura chronica.

Periculosior malignus, larvatus, & complicatus.

(*a*) *L. c. cap. VII.* §. 115.
(*b*) Allion. *l. c.* §. 136.

Periculi magnitudo unde æstimetur.

§. 411. Periculi autem magnitudo æstimanda est ex gravitate, intensione, numero, et duratione symptomatum, partiumque affectarum præstantia. Quo igitur intensiora, et plura symptomata, quo pertinaciora, et magis diutina, quo plures partes affectæ, quo nobiliores, eo periculosior morbus est. Hinc quæ caput, et nervos tenent, uti delirium, convulsio, vigiliæ, cephalalgiæ, tendinum subsultus graviora censentur, quam nauseæ, vomitusque primas vias affici significantes; periculosissima vero, et prope semper lethalia quæ pectori obveniunt, ni cita, et larga pustularum eruptione leventur (*a*). Nec absurdum est, quod ALLIONIUS opinatur, majus, aut minus periculum generatim pendere a veneni miliaris copia; humorum et lymphæ in primis visciditate, et lentore, quo illud irretitur; et cutis densitate, irritabilitateque majori, aut minori (*b*), quidquid sit de ejus opinione, qua plurima et graviora symptomata a sola cutis irritatione, et spasmis inde proficiscentibus repetit. Effecta utique majora ab uberiore miasmatis copia expectanda sunt, quam a parciore, nec fortasse semper a copia tantum, sed etiam sæpius ab ejus pravitate, maligniorique ingenio illa pendebunt. Uberior autem quantitas veneni non modo corpus magis perturbat, verum difficilius etiam a reliquis humoribus tota, atque universa secerni, separarique potest; eoque magis, si lentore, et densitate illi sic peccent, ut arctius et firmius eam sibi adhærentem retineant. Cutis vero densitate, irritabilique natura aut exanthematicam materiam non admitti, aut appulsam corrugatione repelli, nemo est qui non facile perspiciat.

(*a*) LUDWIG. *l. cit. P. I. cap. I.* §. 212. GASTELLIER. *l. c. cap.* 5. *p.* 91. 95. (*b*) *l. c.* §. 116.

§. 412. Eruptionis etiam tempus quibusdam dat bonum, aut triste augurium. Plerique citam, et præmaturam pustularum eruptionem reformidant, laudant vero tardiorem; primam, quod sine coctione accidat; alteram, quod coctione peracta crisim bonam præstet. Inter hos versatur ALLIONIUS, qui non dubitat affirmare, miliaria exanthemata quo citius apparent, eo diutius morbum protrahi (*a*); pluribusque eruptionibus indigere, ut tota miliaris materia efferatur. DAMILANIO quoque adeo firmiter insidet hæc ipsa opinio, ut certissimum habeat, spem sanationis in universum tanto majorem esse, quanto serius pustulæ efflorescant, distentque a morbi exordio. Ex ejus itaque sententia spes major affulget illi, cui post tres hebdomadas efflorescunt, quam, ceteris paribus, cui post duas tantum, et huic adhuc major, quam ei, cui prodierint ante, et contra (*b*). Quod asserti genus etsi a multis probetur, et pro axiomate certo universim accipi videam, limitanda tamen est ejus amplitudo, fidesque. Pluries enim pustularum eruptionem valde seram, ac tardam in miliari morbo maligno, et lethifero notavimus, et contra in benigno, et felicem exitum habente cito, et mature, videlicet primis jam diebus, factam. In anomalo item exanthemata sero admodum prodire notum est, nec ideo minus periculi tunc imminet, nec minus dubius ejus eventus redditur; ut silentio prætercam, miliaria mortis plerumque prænuncia, rarissimeque salutaria, quæ in fine quorumdam morborum, in primis putrium, ac malignorum, cum quibus complicantur, aut a quibus gignuntur, efflorescere interdum. Jure igitur BARAILONUS (*c*) subitam, citamque pustularum miliarium apparitionem nihil certi, et fixi habere, aut significare decrevit. Falso porro, ut

Præsagia a tempore quo eruptio fit.

Limitatio.

Subita, & cita apparitio pustularum nihil certi significat.

Miliaria non egent coctione humorum.

arbitror, maturam eruptionem cruditatis insimulant, et contra tardam probant, utpote coctione elaboratam, et perfectam; nam exanthemata primaria, sive essentialia non egent coctione, nec coctionis veræ capacia sunt, ut reliqui ut plurimum morbi; sed heterogenei, venenatique miasmatis a sanis humoribus segregatione, et cita expulsione curantur. Quod potissime in variolis, morbillis, purpura scarlatina, erysipelate evidentissimum est. Si quando tamen aliquid funesti portendit præcox, nimisque cita miliarium eruptio, non id tempori, quo contingit, sed copiæ morbidi fomitis tribuendum existimo, cui recipiendæ sola cutis impar sit. Lenta vero, ac tarda, ubi eam infaustus eventus subsecuturus est, aut diuturnior morbi duratio, naturæ imbecillitatem verius significat, ob quam separando, expellendoque humori noxio non valeat; aut lentum nimis, viscidumque sanguinem, quo retineatur; aut cutis densitatem, rigiditatem, adstrictionemque, quæ eum prodire vetet. Illud demum experientia comprobavit, quod, si exanthemata multa, et copiosa, verbo quanta ad omne virus offerendum sufficiant, in cutem prodierint, et diu in ea maneant, morbus brevior futurus est, promptiorque ad salutem transitus. Id in suis ægris maxime expertus est BARALDIUS (*d*). Ceterum imperfecta, partialis, interrupta eruptio, nisi iteratis conatibus natura eam perficiat, suspecta esse debet, et sæpe periculosa est, aut morbum diuturniorem reddit. Non tamen quis credat, plenissimam, et copiosam certo meliora, et tutiora prædicere; nam nisi reliqua symptomata mitiget, nec sublevet ægrotantem, mortifera esse potest (*e*). Si facta eruptione pulsus fiat mollis, et amplus, desintque convulsivi affectus, et pustulæ grandescant multo sero plenæ, id fauste morbum finiturum indicium est (*f*).

(a) *L. c. cap.* 7. §. 127. (b) *L. c. p.* 51.
(c) *L. c.* §. 157. (d) *L. c. p.* 26.
(e) Gastellier. *l.* 5. *chap. V. pag.* 96.
(f) Allion. *l. c.* §. 119.

§. 413. Quid præsagiendum sit ex pustularum colore, vix decerni potest; nisi ut animadvertit Ludwigius (*a*), nosque supra (§.387.) jam admonuimus, ad reliqua symptomata respiciatur. Hinc aliis rubra, aliis alba (§. *eod.*) videntur benigna. Ut plurimum tamen rubra albis præferuntur. Inter alba melioris notæ illa habentur, quorum inferior margo, aut basis rubet; pellucida, crystallina, aquosa, et lactea deteriora dicuntur. Colori quoque videtur aliquid tribuere Ludwigius (*b*) ad prognosim in puerperis, etsi ad symptomata etiam respicere non omittat. Subjicit enim, *miliaria* exanthemata *alba* in iis, si tertio, aut quarto post partum die erumpant cum delirio, æstu summo, aliisque symptomatibus gravioribus, *semper funesta esse*, præsertim si sudor copiosus ea præcessit, si urina pallida, stranguriosa cum retentione lochiorum simul sit; si inflammatio uteri, et refrigerii sensus in abdomine percipiatur; si cum miliariis peticulæ prodeant. Concedit tamen, aliquam interdum spem salutis superesse, quando symptomata aliquo modo mitiora fiunt, et febris cum fluxu largo materiæ fœtidæ ex genitalibus remittit. Contra vero in eisdem puerperis *exanthemata rubra* mitiora esse, si quinto, septimo, vel nono die efflorescunt, si symptomata leviora sunt, et excretiones consuetæ ex voto procedunt. Sed sive alba, sive rubra sint, valde ancipitem exitum habent, occiduntque sæpe ægrotantes, quod opportune monet Vogelius (c). Minutæ vesiculæ, translucidæ, vix spectabiles, quas supra (§. 383.) memoravimus, in primis, si multæ, ambiguum, diffici-

Quid ex colore pustularum conjiciendum.

lemque exitum, aut morbi longitudinem, ac pervicaciam plerumque designant (d). Copia demum suas prædictiones suppeditat. Copiosæ, et confluentes miliares pustulæ omnium pessimæ censeri solent, utpote quæ promptius subsident, et occidunt (e). Non minus tamen suspectæ, et terrificæ videntur, quæ paucæ, et sparsim, difficulterque erumpunt. Sed in his omnibus LUDWIGIO judice, adstipulanteque experientia nihil perpetuum, aut universale est. Habitus enim corporis, temperamentum, ætas, regio tempestas, præpostera medendi methodus, regimen neglectum, epidemica constitutio, aliæque circumstantiæ nonnunquam plurimum varietatis inducunt. Mali vero ominis semper reputantur quæ fuscum, nigricantem, lividumque colorem induunt.

(a) *L. c. P. I. cap. I.* §. 218.
(b) *Ibidem.* (c) *L. c.* §. 140.
(d) ALLION. §. 128. *deinde* BARAILON. *loc. cit.*
(e) ALLION. *l. c. cap.* 7. §. 129.

Facta eruptione quid notandum. §. 414. Si post exanthematum eruptionem graviora symptomata cessant, aut saltem mitescunt, bene sperare convenit: contra multum timere, si illa perseverent, aut ingravescant. Illud in benigno genere, hoc in maligno usuvenit (*a*). Ni cutis, postquam pustulæ exiverint, aliquantum tum tumeat, et quodammodo tendatur, malum. Malum quoque si applicitis cucurbitulis non elevetur, nec vesicantia vesicam excitent. Malæ demum pustulæ, quæ exeundo non punctionem in cute efficiunt, sed pruritum tantummodo movent (*b*), materiam aut ad interiora ferri, aut esse acerrimam indicant. Nullum vero exanthema ita facile subsidet, aut intro vertitur, evanescitque, quam miliare (*c*). Pustulæ, quæ modo subsidunt, et evanescunt, modo iterum effe-

runtur, metuendæ semper sunt; nam vel in discrimen vitæ ægrum adducunt, vel longam ægrotationem pariunt. Pessimum signum, si evanescant, præsertim si simul æger in vomitum incidat, et visionis obscuritatem queratur, singultiet, blateret, balbutiet, et dum potulenta demittit, strepitum edat (*c**). Retro pulsæ sæpe revertuntur graviores. Interdum vero subito subsidunt, atque delitescunt, idque præsertim accidit cum maturitati propiores sunt. Tunc ut plurimum brevi lethum afferunt ob metastasim (*d*). Ad caput facta metastasi, delirium oritur obscurum, oculi obtenebrantur, et nebulosi fiunt, atque hæc mortem proximam, inevitabilemque indicant (*e*). Interdum oculi, et facies rubent, et micant, deliriumque phreniticum supervenit; quod deinde convulsio, et mors excipiunt. Verum quæcumque alia aut tumoris critici, aut erysipelatis subita retrocessio, nisi materies ad alias exteriores partes feratur, aut per urinas copiosas, turbidasque excernatur, metastasim periculosam facit (*f*). Ingens quoque periculum instat, si æger summopere paveat, et spem omnem abjiciat, aut graviter territus, et subsiliens, et tremens e somno excitetur; quod in primis ab ALLIONIO (*g*) adnotatum video, deinde ab aliis etiam, sed præterito ejus nomine, ne unde profecerint, fateantur. Pavor autem, timorque iste inter deterrima signa numerandus est. Pluries equidem vidi ægros repentino timore mortis corripi, quandoque sine aliis pravis signis, quod in primis nocte evenire solet, et quinque vel sex horis post eos mente motos, deliros, convulsos, et vehementer cum pulsu magno, valido, et frequentissimo febricitantes, citissime demum vita exui, quin interdum miliares pustulæ subsederint, aut evanuerint. Itaque cum hoc

Timor repentinus funestus.

timore affectos mane noctem inquietam, et vigilem subsequente reperio, nec bonis verbis quidquam me proficere sentio, mentisque aliquam motionem aut prægressam noctu, aut præsentem deprehendo, eoque magis si urinæ tenuissimæ, et copiosissimæ crebro mingantur, aut ex tenuibus, copiosis parcissimæ, et turbidæ, et crassæ evaserint, nihil moror monere ægrum, aut ejus familiares, ut citissime sacris Ecclesiæ auxiliis se muniat, rebusque ceteris, dum tempus suppetit, consulat. Quandoque etiam accidit, ut facta eruptione, et omnibus rite procedentibus, repente, et sine caussa evidenti morbus cum omnibus symptomatibus ingravescat, et intra tres, vel quatuor horas vitam intercidat. Id quando evenit, GASTELLERIUS (*h*) testatur, febrem excandescere; caput et pectus opprimi; delirium, et convulsiones accedere; pustulas aut partim, aut ex toto evanescere; lipothymias, syncopes, suffocationes, pulsuum intermissiones, atque inæqualitates summas, et demum mortem supervenire.

Repentina in pejus mutatio.

(*a*) ALLION. *l. c. cap.* 7. §. 130.
(*b*) *Id. ibid.* §. 128. & §. 131. *Dein.* BARAIL. *l. c.* §. 153. (*c*) VOGEL. *l. c.* §. 140.
(*c**) ALLION. *l. c. cap.* 7. §. 128. 129.
(*d*) LUDWIG. *l. c. cap.* 1. §. 218. BARAILON *l. c.* §. 156.
(*e*) GASTELLIER. *l. c.* (*f*) BARAILON *l. c.* §. 157.
(*g*) *L. c. cap.* 7. §. 130. (*h*) *L. c. p.* 25.

Alia signa prognostica.

§. 415. Sed multa alia sunt, quæ recte perpendi debent, ut periculum, aut securitas, ut exitium, aut salus certo, aut probabili conjectura provideatur. Quorum singula breviter primum recensebo, deinde cumulata, et conjunctim sumpta referre non prætermittam, qualia in universum bonum, aut malum exitum prædicere ex-

perientia demonstravit. Itaque de sudoribus primo dicam, quoniam in hoc morbo frequentissimi occurrunt. Hi quo diffusiores, copiosiores, et magis præcoces sunt, præsertim si cum pulsu valde contracto junguntur, eo pejores existimantur (*a*). Si vero instante, aut incepta eruptione omnino cessant, et cutim aridam, siccam, ardentemque relinquunt, multo magis metum, ac periculum augent. At moderati ante eruptionem, et post eam continuati, et blandi, ut universum corpus humido vapore, et quasi balneo madere videatur, copiosæ exspirationi, æquali, et universim diffusæ similiores, cute, et pulsu molli, et expanso existente, aut reddito, bene sperare jubent. Largos vero, sive copiosos tum pro criticis habendos, et revera esse, CHRISTOPHORUS MOLINARIUS (*b*) affirmat, cum circa statum, aut inclinationem, sive, ut ipse ait, post coctionem prorumpant. Male suspicatur, immo pronunciat ALLIONIUS de capitis dolore, si is ante quartam diem speciatim in sanguineis repente evanescat (*c*). Idem vir præclarissimus *stuporem pungitivum*, *granf* vulgo dictum (§§. 392. 399.) commemorans, quo digiti, et extremi artus sæpe afficiuntur ante eruptionem; hunc, si frequens est, et plures partes corripit, copiam morbidi fomitis significare scribit; si vero rarus, et levis cum pulsu contracto, sudore, urina aquea, aliisque copiam fomitis miliaris significantibus jungitur, perniciem minari, quod humorum tenacitate eum irretiri, nec se expedire posse, indicium (*d*) est. Copiosam autem eruptionem pustularum expectandam esse, si digiti doluerint, auctor, testisque est BARAILONUS (*e*). Sanguis e vena missus, quando coccineus, floridus, et sero carens invenitur, timendi occasionem porrigere creditur, præsertim si præcox pustularum eruptio (*f*) fiat. Nec ille,

Ex capitis dolore.

Ex stupore pungitivo grant dicto.

Ex digitorum dolore.

Ex sanguine misso.

qui lardaceam, tenacemque naturam exhibet, minus malus aliquibus (*g*) videtur.

(*a*) ALLION. *l. c.* §. 122.
(*b*) *De miliar. exanthem. indol. & tract. Vienn.* 1764. *p.* 147. (*c*) *I. c.* §. 120.
(*d*) *L. c.* §. 153. (*e*) *Loco cit.*
(*f*) ALLION. *l. c.* §. 134. (*g*) MOLINAR. *l. c.*

Quid ex pulsu prædici possit? §. 416. Observatio pulsuum ut in aliis morbis, sic in hoc maxime necessaria est. Nam inde multa prognostica signa eruuntur. Pulsus maxime contractus morbi gravitatem portendit; eoque majorem, quo debilior, inconstantior, inæqualiorque est. Si etiam intermittat, nec intermissio a primarum viarum irritatione proficiscatur, tunc multo periculosior morbus esse perhibetur. Plane perniciosum ab ALLIONIO (*a*) decernitur, si pulsus post eruptionem adhuc contrahi pergat, atque acceleretur, tendaturque; nam ex hac ejus tensione convulsionem imminentem conjectat. BARAILONUS (*b*) vero ex pulsu convulsivo post eruptionem perseverante, aut etiam magis convulsivo reddito non convulsionem, sed novam pustularum eruptionem fore suspicatur. Paullopost tamen admonet, pulsum convulsivum, serratilemque pessimæ notæ esse, formicantem vero lethiferum; proximam mortem demum indicari, si pulsus ita inanis videatur, ut ad quamlibet pressionem cedat, obscureturque. Generatim pulsus debilis, parvus, contractus, celer, aut tardus male; contra fortis, plenus, expansus, etsi frequens, bene significat (*c*). At si in tertio morbi stadio ad naturalem rhythmum non redeat, et febrilis esse perseveret, conjicere licebit, non integre morbum judicatum iri, sed aliquid relicturum, quo æger adhuc conflictetur (*d*). BARAILONI observatio est, si pulsus ad morbi inclina-

Nulla desquamatio quid?

tionem plus in uno latere, quam in alio tendatur, et frequentius subsiliat, exspectandam esse in illo latere corporis aliquam morbidæ materiæ alicubi collectionem, tumorem nempe, œdema, aut abscessum (e). Ex Sinensium demum et BORDEVII de pulsibus doctrina idem Auctor non dubitat statuere, pulsum ut vocant, *capitalem* partibus superioribus, *parvum* vero, et *serratum* inferioribus minitari. Post pulsuum observationes non prætereunda sunt signa, quæ ex urinis peti solent. Quamquam communiter incerta, et fallax urinarum inspectio habeatur, ac proinde a multis parvi fiat, nobis tamen in primis cum aliis signis copulata magnam lucem afferre quandoque posse videtur. Urinæ dolor ex citrino, aut rutilo in aqueum, ac pallidum subito mutatus metastaseos futuræ metum (*f*) incutit. Aquea etiam urina constans, et diu talis persistens, præsertim post eruptionem, aut metastasim periculosam ad cerebrum, aut novam miliarium papularum eruptionem prænuntiat (*g*). Albescens vero lacti similis plerumque morbi longitudinem, interdum etiam mortem (*h*) comminatur. Copiosa denique, colore cinnabarino tincta, et matulam incrustans, per plures dies continuata, CHRISTOPHORO MOLINARIO observante (*i*), boni exitus spem facit, itemque illa, quæ copiosam hypostasim habet (*k*).

Quid pulsus in uno latere plus, quam in altero tensus, & frequens? Pulsus capitalis, aut abdominalis.

Ex urinarum inspectione.

(*a*) *L. c.* §. 121. (*b*) *L. c.* §. 159.
(*c*) GASTELLIER. *l. c. chap. V.*
(*d*) BARAILON. *l. c.* §. 159.
(*e*) BARAIL. *l. c.* §. *eod.*
(*f*) HAMILTON *p.* 61. ALLION. *l. c.* §. 123.
(*g*) ALLION. *ib.* BARAIL. *l. c.* §. 137. VOGEL. *l. c.* §. 140. (*h*) ALLION. §. 123. VOGEL. §. 140.
(*i*) *L. c. p.* 128. 132. (*k*) *Id. p.* 147.

§. 417. Alvi fluxus moderatus, et excrementa

Prognostica ex alvi fluxu. non admodum prava, sed concocta efferens plerumque salutaris est (*a*), præsertim in morbo cum saburra gastrica, et biliosa complicato. Hinc si sponte subsistat præmaturius, aut adstringentibus, aut opio inconsulto sistatur, multa mala imminent. Plethoricis, et capite, colloque sic conformatis, ut ad morbos capitis propendeant, apoplexiam ex ejus suppressione supervenire vidit HAMILTONIUS (*b*). Quamquam vero sæpe alvi fluxus utilis repertus sit, non semper tamen ei fidendum esse monet ex BIAINGANI observatione (*c*) VOGELIUS (*d*). Diarrhœa enimvero serosa, et colliquans exitialis esse consuevit. Dejectiones vermibus intermixtæ, ac sanguine tenui, et soluto conspersæ omnem spem tollunt (*e*). Puerperis quæ supervenit diarrhœa, officit pustularum eruptioni, et lochiorum fluxui. Hinc symptoma periculosum dicitur ab HAMILTONO (*f*); immo lethale ab aliis (*g*). Quid sanguinis e naribus fluxus indicet, mox dicam. Hunc plerique utilem experientia edocti prædicant, in primis ANTONIUS DE AUGUSTINIS (*h*), BARALDIUS (*i*), BOYERUS (*k*), VOGELIUS (*l*), DEBRESTUS (*m*), PLAIGNINUS (*n*), aliique. Caput enim levari, febrem minui, denique gravissima symptomata eo compesci viderunt.

Ex narium hæmorrhagia. Non ita vero evenit, quando a sanguinis dissolutione hæmorrhagia nascitur (*o*), ut facile cuique patet. Largior tamen debet esse sanguinis fluxus, ut prosit. Non prodest tamen, etsi largior, quando pustulæ minutissimæ ægre prodeunt, aut quando cutis solummodo rubet cum pessimis nervorum affectibus, et signis. Metuendum quoque est, quando hæmorrhagia post pustularum eruptionem sistitur (*p*). Nec mirum, si stillæ sanguinis e naribus, quocunque tempore appareant, funestæ (*q*) dicuntur, cum id omnibus aliis acutis morbis commune sit.

(a) GASTELLER. *l. c.* VOGEL. *l. c.* §. 140.
(b) *l. c. p.* 61. (c) *Act. Helvet. T.* 2.
(d) VOGEL. *l. c.* (e) GASTEL. *l. c.*
(f) *L. c. p.* 61. (g) BARAIL. *l. c.* §. 152. (h) *L. c.*
(i) *L. c.* (k) GASTELL. *l. c. p.* 342. (l) §. 140.
(m) §. *Journal de Médec. T.* 19. *p.* 118.
(n) *Journal de Médec. T.* 23. *p.* 338.
(o) *Journal de Médec. T.* 32. *p.* 419.
(p) ALLION. *l. c.* §. 133. (q) *Id. ib.*

§. 418. Somnolentia tutior est, quam vigilatio; immo quo ægri magis somnolenti sunt, eo felicius convalescere nonnulli asseverant (a); sed id aliqua cum limitatione intelligendum est, nimirum dummodo profundus, et lethargicus somnus non sit, et cetera symptomata non dissentiant. Oculi torvi, et ardentes, genæque rubræ phrenitidem imminere significant (b). Lingua arida, et nigra, et sitis ingens signa mala habentur, nisi ex prava medendi ratione (c) profluant. Vesicantium ulcera si nimis cito arescant, morbi gravitatem denotant, difficilemque exitum. Fœtor vero, quem ulcera ista, eorumque emanans humor exhalat, nihil mali portendere consuevit, BARAILONO teste (d). Respiratio difficilis, vox faucibus hærens, linguæ tremor, præ ceteris dyspnœa convulsiva, symptomata sunt valde periculosa (e). Si pustulæ miliares in febre scarlatina colori rubro extincto superveniant, eas saluti esse, notavit HAMILTONUS (f). Tumor leucophlegmaticus accedens, præsertim in puerperis, plerumque infausta prædicit (g). Desperatam rem esse dicit GASTELLERIUS, si gingivæ, et dentes incrustentur humore cretaceo, flavo, nigro; aut aphthæ ejusdem coloris ori innascantur (h). Duo itidem lethalia signa idem auctor enumerat, nempe levem gutturis dolorem, quem adstantes, ægrique ipsi pro affectu catarrhali accipiunt, et

Phrenitidis proximæ signa.

Lingua. Sitis. Ulcera vesicantia. Eorum fœtor.

Respiratio difficilis, vox faucibus hærens, linguæ tremor quid significent.

Miliaris scarlatinæ supervenientia quando salutifera.

Tumor leucophlegmaticus.

Signa lethalia a Gastellerio notata. velum quoddam, quo corneæ perspicuitas aliquandiu tollatur. Quibus enim, inquit, levis gutturis dolor cum vocis aliqua raucitate supervenit, his proxime instat mors, quæ utplurimum intra viginti quatuor, aut quadraginta octo horas ad summum accedit. Levis gutturis dolor cum raucedine. Exitiosum vero illud velum, pelluciditatem corneæ tollens ipse habet, etsi primis jam diebus appareat, et intra horas viginti quatuor evanescat. Velum quod corneæ pelluciditatem tollit. Hoc symptoma in quodam ægro secunda morbi die vidit; ægerque undecim post dies obiit. Plerumque tamen ejusmodi symptoma quinque, sex, aut octo diebus ante mortem exoriri observavit (*i*). Convulsiones. Convulsiones, quæ eruptionem præcedunt, plerumque feliciter solvuntur; aut non valde periculosæ sunt; contra quæ eruptioni succedunt, aut pustularum depressionem subsequuntur, exitiales (*k*). Certum quoque exitii futuri indicium præbet rigor, et immobilitas totius corporis cum languoribus, et lipothymiis (*l*).

(*a*) HAMILTON. *l. c. p.* 61. VOGEL. *l. c.* §. 140.
(*b*) BARAIL. *l. c.* §. 123. (*c*) *Id. ib.* (*d*) *Ib.*
(*e*) HAMILTON. *l. c.* (*f*) *Id. p.* 62.
(*g*) VOGEL. *l. c.* (*h*) *L. c. chap. V.* (*i*) *Ibid.*
(*k*) ALLION. *l. c.* §. 132. DAMILAN. *l. c. p.* 93.
(*l*) DAMILAN. *p.* 19. 20.

Quando febris ab initio vehementior non indicat gravius malum.

§. 419. Febris in primo stadio vehemens, quando non a miasmate miliari, sed ab aliis caussis originem ducit, graviorem morbum non efficit. Sæpe enim tum aliis ex caussis intenditur. In has igitur inquirere oportet, ut recte prædictio fiat (*a*). Delirium, convulsio, immo ipsa apoplexia inter initia, quia plerumque symptomata comitantia sunt, facilius medici opera tolluntur: at in augmento, et in declinatione, quando nempe æger imbecillior est, et miliares pustulæ aut a suscepto frigore, aut a malo medicamentorum

usu deprimuntur, et delitescunt, mortem afferunt, quia ex metastasi ad cerebrum, nervosque oriuntur. Si morbus mitioribus symptomatibus ab initio conjunctus negligatur, nec æger debitum regimen observet, aut medicus pharmacis calefacientibus, quæ minime diaphoresi faveant, eum tractet, sæpe in deterius ruit, et mortem, aut certe longam durationem minitatur (*b*). Homines mitioris indolis facilius, quam iracundi, et implacidi evadunt (*c*). Robusti, sanguinei, strigosi, difficulter perspirantes, inquit ALLIONIUS (*d*), herpete, aliisque similibus cutis vitiis antea affecti, podagrici, vini potatores, et longo animi mœrore fracti magis periclitantur: mollioris contra texturæ homines, et imbecilli facilius servantur. Hinc fœminæ præ maribus, et multo felicius pueri morbum sustinent, et superant. Addit BARAILONUS, eos etiam, qui convulsionibus, nervosisque affectibus obnoxii sunt, gravius ægrotare, majusque periculum subire (*e*). GASTELLERIUS vero admonet, robustos, et præsertim flavo capillo præditos interdum intra tres, vel quatuor dies deliros, convulsos, et singultientes perire; animadvertitque in iis, qui pathematibus, mœrore, aut venere attriti in hunc morbum incidunt, et pereunt, signa putridæ dissolutionis universi sanguinis plerumque apparere (*f*). Tales utique magis miliari morbo obnoxios, et periculosius habere jam HAMILTONUS cognovit. Morbo vero soluto, si nulla, aut exigua desquamatio cuticulæ sequatur, et contra aliqua convulsiva symptomata supersint, persistantque, ægrum relapsurum in eumdem esse, ex ALLIONIO discimus (*g*).

Mitis morbus ab initio quando in deterius ruat.

Quinam gravius, quinam minus periclitentur.

Fœminæ, & pueri frequentius evadunt.

Gastellerii monitum.

Dissolutionis signa quibus accedant.

(*a*) ALLION. *l. c.* §. 125.
(*b*) HAMILTON. *l. c. cap. V. p.* 60.
(*c*) *Idem ib. p.* 61. (*d*) ALLION. §. 117.
(*e*) *L.c.* §. 151. (*f*) *L. c.* (g) *Loc. cit.* §. 136.

Notæ generales boni exitus.

§. 420. In universum, et generatim optimum est ægros viribus constare, facile spiritum ducere, moderata et miti febri ab initio ad finem usque comitari, quiete, aut somno aliquo nocte, aut interdiu frui, omnes secretiones, et excretiones liberas habere, non excedentes modum, non debilitantes, sed blandas, et levantes; pustulas cum assidua, levi, universali diaphoresi erumpere; pulsum non admodum durum, nec nimis celerem, aut inæqualem, aut pressum, aut contractum esse, urinas potui respondere cum aliqua coctione, tam ratione coloris, quam contentorum; symptomata omnia, uti dolorem capitis, anxietatem, pectoris oppressionem, calorem, suspiria, sitim, et reliqua non valde intensa, nec pertinacia esse; nervorum affectiones aut abesse, aut non multum urgere; mentem non aberrare, nec perpetua agrypnia, nec contra profundo, et invincibili veterno opprimi. Tanti autem facit HAMILTONUS facilem respirationem, ut, licet cum debilitate, et pectoris oppressione, suspiriisque conjuncta sit, eam tamen pro boni exitus indicio habeat, dummodo deinde exanthemata erumpant leni, et assidua diaphoresi comitata (*a*). Bonum quoque exitum a larga hæmorrhagia in constitutione epidemica Novariensi vidit ANTONIUS DE AUGUSTINIS, etiam tum, cum in augmento, et statu sudor, qui alias utilis, et necessarius esse consuevit, evanesceret, nec amplius rediret (*b*).

(*a*) *Cap. V. p.* 60. VOGEL. *l. c.* §. 140.
(*b*) *Loco cit. p.* 45. 46.

Signa collectiva periculi, & mortis.

§. 421. Contraria vero malum omen habent; sed speciatim summa virium dejectio; languores, respiratio anhelosa; pectoris oppressiones sine subsequente pustularum eruptione; febris ardentissima; crebra suspiria, et animi deliquia; stillæ san-

guinis e naribus; lacrymæ involuntariæ; exanthemata interrupta, intermissa; eorum lividus color; vigiliæ assiduæ, aut somnus profundus, et lethargicus; urinæ tenues, pallidæ, copiosissimæ, aut paucæ, et rufæ, aut turbidæ jam ab initio; delirium; phrenitis; subsultus tendinum; convulsiones; aphoniæ; linguæ tremor, aut ejus veluti decurtatio; paralyses artuum; apoplexia; dolor faucium anginodeus; sudores nimium profusi, et præmaturi, aut frigidi; peripneumonia; suffocationes; tussis molestissima; præcordiorum pondus, singultus; vomitus vehemens, creber, difficilis materiæ crudæ, serosæ, aut biliosæ; hypocondria distenta; abdomen tumidum, resonans, tactu indolens, pulsu varius, inæqualis, parvus, serratus, myurus, aut ex duro mollis factus sine morbi imminutione; calor acer; cutis arida; oculi languidi, et pene extincti, aut semiaperti inter dormiendum; aut contra mobilissimi, irrequieti, et quasi scintillantes; obtutus defixus; visus obscuratio; cæcitas; insensibilitas; stupor; dentium, et labiorum nigrities; fœtens halitus, animi dejectio, et desperatio; extrema frigida; dejectiones serosæ, pingues, veluti adipi fuso similes, aut inopinata alvi solutio cum intermixtis vermibus, et virium exsolutione, quam omnino lethalem observavit MOLINARIUS (*a*). His addit ANTONIUS DE AUGUSTINIS, ut signum periculi plenum, molestum pruritum in tota parte capillata capitis, et in extremis naribus (*b*). Quo plura ejusmodi signa concurrunt, eo majus periculum, et certior futuræ mortis significatio; quo pauciora, minus. Non enim necesse est, ut omnia simul compareant, sed satis est aliqua adesse. Nec eorum oblivisci oportet, quæ singillatim supra recensuimus, ut prognosis recte fiat. In epidemica Corregiensi constitutione singultum,

sordes nigras, aut flavas circa dentes, et labia, delirium, convulsiones, carpologiam, quæ ut plurimum lethalia signa esse solent, talia tamen non exstitisse in omnibus testatur BARALDIUS (c).

(a) *Loco cit. p.* 116. (b) *Loco cit. p.* 44. 45.
(c) *Loco cit. p.* 78.

CAUSSÆ.

Multiplex de caussa proxima opinio.

§. 422. De caussa proxima hujusce morbi, sive potius materiali, ut vocant, non convenit inter scriptores, immo non satis inter eos liquere videtur. Alii enim unam, alii aliam, atque aliam, ponunt, prout in diversas sententias de morbi ipsius ortu, ac natura iverunt. Aliqui etiam non satis sibi constant, dubiique quasi hærent, utrum unam, aut plures agnoscant, qualisque frequentior, et probabilior reliquis habenda demum sit. HAMILTONUS, cui principem locum tribuimus, serosi humoris copiam, atque acorem incusat, eo innixus fundamento, quod viderit, pallidos, ac debiles huic morbo obnoxios in primis esse, sanguinemque serosiorem habentes, et sudorem, qui ex eorum corporibus manat, acidum olere, ac spirare. Comprobat autem hanc suam de acido sero opinionem felicibus morbi curationibus bene multis, quas antacidis, absorbentibus, et leniter diaphoreticis peregit. FORDYCIUS, referente PLANCHONO (a), sexdecim annorum experientia edoctus profitetur, vera omnia se reperisse, quæ ab HAMILTONO antecessore suo de miliari exanthemate scripta fuere; ex quo videtur caussam etiam ab eo constitutam, et probatam confirmare. CAMBONUS quoque de MONTAUX (b) Regiæ Societatis Medicæ Parisiensis sodalis, et scriptor novissimus, non ignarus certe eorum omnium, quæ contra ab aliis aut scripta, aut excogitata sunt, non dubitat tamen HA-

Hamiltonii sententia.

MILTONO adhærere, caussam ab eo propositam existimans ad evidentiæ claritatem sic evectam esse, ut de ea nefas sit disceptare; additque vir doctissimus, nonnullos HAMILTONI argumentis non contentos applicuisse chartam cæruleam cuti ægrotantium, ejusque colorem in rubrum mutatum reperisse, manifesto indicio, sudores in miliari morbo serosi humoris acorem ostendere.

(a) *Dissert. sur la fievr. miliar. de femme en couche §. 3.* (b) *Malad. des femm. T. I. chap. VII. p. 470.*

§. 422. Neque ab HAMILTONO longe abest FRID. HOFFMANNUS; nam materiam, quæ miliarem morbum *proxime facit*, in *lympha corrupta specificæ indolis* insidere tradit, eamque ab *interioribus maxime nervosis partibus* sub forma exanthematum miliarium tam alborum, quam rubentium *ad summam cutem* naturæ ope protrudi (*a*). Quoniam vero miliares ejusmodi pustulas duplicis omnino generis esse putat, rubras nempe, et albas; duplicem quoque humoris corrupti naturam, aut degenerationem, quæ utrique generi earum gignendo idonea sit, admittere cogitur; unam videlicet *acido vappidam paullo fixioris indolis*, alteram *sulphureo-fœtidam indolis magis alcalinæ, atque volatilis*. In illam pronum esse credit pellucidum, insipidum, gelatinosum succum, quem lympham dicimus; in hanc sanguinem, ejusque serum, quibus inest magna sulphuris, et salis copia. Lympham igitur corruptam exanthemati miliari albo, sanguinem vero, ejusque serum rubro caussam esse censet. Nec temere, nec sine probabilibus rationibus ita opinatur; nam multa, inquit, lympham in albo acidam esse evincunt, nimirum magna *per sudores effusos, urinas copiosas tenues*, quandoque ptyalismum, aut *dejectiones* aqueas aquosæ partis

Ad eam accedit Fr. Hoffmannus.

Duplex humoris miliaris natura Hoffmanno.

a sanguine secessio, ut acoris sanguinem cogentis, et aqueam partem exprimentis effectus; nocumentum ab acidis cujusque generis, et a refrigerantibus largius in curatione sumptis; juvamen ingens ab antacidis, et blande volatilibus; præcedens acidorum, et acescentium abusus; vita deses, et otiosa ante acta, et demum grumi in vasis majoribus, et cordis thalamis eorum, qui exanthemate albo defuncti sunt, inventi acidum cogens significantes (*b*). In rubro vero *serum acre salino-sulphureum* peccare conjicit ex pruritu, et ardore cutis, longe molestiore, quam in *albo*; ex eo item, quod maxime in *rubrum* incidant qui sanguinis impuri copiam habent, uti scorbutici, senes, consuetis sanguineis evacuationibus carentes, diætæ falsæ, et vinosis liquoribus dediti, et laxiori corporis habitu donati, et parum exercitati, ex caussis sordes serosas acres, quæ per cutis poros exire debuissent, retinentibus, uti aura frigidiori, potu gelido sudanti ingesto, repentino terrore, similibusque; ex utilitate involventium, et temperantium medicamentorum; ex augmento ardoris, et pruritus, quod efficiunt calefacientia, volatilia, et calidum regimen (*c*).

(*a*) HOFFM. *med. ration. system. T. 4. P. I. c. IX. §. I. & §. VII.*
(*b*) *§. VIII.* (*c*) *§. IX.*

Plerique vitium in lympha, & sero sanguinis agnoscunt: sed quale sit, non audent definire.

§. 424. Reliqui demum scriptores, ni omnes, certe major pars, aut ad HAMILTONUM, aut ad HOFFMANNUM accesserunt. In eo certe conveniunt, quod lymphaticum, serosumque humorem corruptum, aut impurum, et acrem insimulent. VOGELIUS quodcumque miliaris morbi genus, sive primarium, sive symptomaticum, aut, si mavis, secundarium, tam rubrum, quam album, sine ulla distinctione, *peculiari, et spontaneo lymphæ*

vitio, sed vix determinando acceptum refert, non tamen negare ausus, *interdum immoderato conclavis æstu, et stragulis multis, et cardiacis copiose datis in acuta febre extorqueri eum posse, cui alias non accessisset* (*a*). Serum quoque sanguinis causatur JOUBENTUS, cavens tamen a definiendo peculiari ejus vitio. Ex collatis quippe compluribus observationibus colligi posse, sibi persuadet, miliaria exanthemata semper effici a sero sanguinis multipliciter alterato, vitiatoque; seque in hac sententia confirmari ait, 1. quod huic morbo magis subjiciuntur juvenes sanguinei, qui nullum vitæ regimen observant, et omnibus vitiis ætati propriis se dedunt, otio indulgent, intemperanter bibunt, parum dormiunt, et crebris, multisque pathematibus anguntur; 2. quod puerperæ in primis eodem prehenduntur ex lochiis suppressis, aut lacte repercusso; 3. quod post hiemem frigidam, et humidam, qua exspiratio supprimitur, aut rectius minuitur, frequentius exanthemata ista se se ostendunt; quando nimirum vere ineunte serum depravatum secedit, et ad excretionem tendit. Quamobrem evenire, ut tam crebro cum febribus catarrhalibus, et rheumaticis jungantur. Hoc igitur sero per ejusmodi caussas impuro reddito, ac depravato, ad vasa cutis exhalantia perlato, ea irritari, perstringi, corrugari, et stagnatione ejus pustulas miliares (*b*) procreari, ipse colligit.

(*a*) *Loco cit.* §. 140.
(*b*) *Histoir. de la Soc. Roy. de Médec. an.* 1788. *pag.* 429. *Mémoir. sur les fievr. exanthematiq.*

§. 425. Corrumpi *serosa*, et *lymphatica* sanguinis pars, et *caustica* quasi reddi in hocce morbo creditur quoque a PLANCHONO (*a*), qui eam sic perverti, depravarique putat ab impedita cutis ex- Planchoni opinio.

Exspiratio cutanea retenta. spiratione, communissima, et frequentissima caussa. Materia igitur miliaris non est, ut ipsi videtur, inflammatoriæ indolis; sed putridæ, et corruptivæ. At in puerperis loco exspirationis retentæ humorem lacteum accusat, atque eum persæpe a lochiis cohibitis, et refluentibus plus minus vitiari, et quandoque ad talem septicitatis gradum perduci judicat, ut totam œconomiam pessumdet, humoresque perturbet. Nec aliter visum est GASTELLERIO (*b*). Is enim exspirationem retentam, et acriorem factam potissimum pro caussa habet, quæ lympham, sanguinem, bilemque corrumpat. Negat autem, acidam esse materiam morbum facientem, etsi sudores acidum spirent. Verum præter exspirationem cutis retentam fateri cogitur, noxia miasmata ab aere impuro, palustri, aut aliter infecto in sanguinem extrinsecus quandoque immitti, quæ priorem caussam deteriorem, morbumque graviorem faciant, quasi hæc posteriora per se ad eum excitandum non satis essent.

Humor lacteus.

Lochia cohibita.

Exspiratio retenta etiam Gastellerio probatur.

Miasmata.

(*a*) *Dissert. sur le fievr. des femm. en couch.* §. 9.
(*b*) *L. c. p.* 70. 71. 72. 73. 74.

§. 426. Ab expositis hactenus sententiis omnino dissentiunt alii, ingenio, experientia, et operibus editis non minus conspicui, inter quos honoris caussa nominandi sunt ALLIONIUS medicinæ, et Botanices Professor Taurinensis, TISSOTIUS fama, et celebritate nemini secundus, STORKIUS archiatrorum cæsareorum comes, MATTHEUS COLLINIUS, et MOLINARIUS (*a*) Clinici Vindobonenses non infimæ notæ; quibus si adjeceris JOSEPHUM QUARINIUM Archiatrum aulicum, novique magni Nosocomii, quod Vindobonæ providentia Josephi II. e fundamentis excitatum est, rectorem, moderatoremque supremum, puto, te recte factu-

rum, cum ipse et ab *epidemica quandoque constitutione*, et a *stimulo in aere latente*, quem possibilem cum magno SWIETENIO concedere videtur, exanthemata hæc prodire non negat (*b*). Hi enim miliarem morbum ex peculiari quodam miasmate, sive veneno, non secus quam in variolis poni solet, oriri, et foveri contendunt, eoque febrim sui generis gigni, quam nulla ars potest imitari, aut procreare. Atque hoc quidem nostris quoque, in primis BARALDIO (*c*), et ANTONIO DE AUGUSTINIS (*d*), et FELICI ASTIO (*e*), mihique, si quid judico, verisimillimum videtur. Nam serosior sanguinis diathesis, serique acescens, aut acida degeneratio, cui originem miliarium exanthematum tribuit HAMILTONUS, per se vix credi potest, proximam eorum materiem continere, quamquam non inficior, pallidos, debilesque huic exanthematum generi facilius quidem patere, eorumque sudores, ubi hoc morbo implicantur, acidum nidorem exhalare, veroque acore esse præditos: sed illud etiam scire convenit, quod facilius etiam evadunt; contra quam, si duplex ejusmodi lymphæ, aut seri vitium morbum faceret, sequi deberet, cum in iis præ ceteris utrumque abundet. Hanc vero utramque caussam sæpissime in cachecticis, virginibus chloroticis, in pueris, rachiticisque, in quibus serosus humor abundat, nec plerumque acidum spontaneum abest, concurrere multa suadent, nec tamen frequens in iis exanthema istud videmus, quemadmodum alias, si ab hujusmodi caussis solis gigneretur, videremus. Obnoxii ei quoque sunt sanguinei, et bono habitu pollentes, in quibus nec serosam sanguinis partem excedere, nec acorem spontaneum præsentem esse, dici potest. Neque assentiri fas est HOFFMANNO, qui *alba* exanthemata lymphæ acidæ, *rubra* sanguini, ejus-

Animadversio in Hamiltoni sententiam.

que sero salsis, sulphureis, alcalescentibusque principiis referto deberi docet. Nam non modo in eodem homine et *rubra*, et *alba* quandoque cernuntur, verum sæpenumero etiam quæ alba prius erant, in rubra mutantur, et rubra vicissim in alba, quod supra a nobis jam comprehensum est (§. 388.), ita ut color caussæ diversitatem significare nequeat, sed tantummodo ab ægri temperie, habitu, ætate, curationis ratione, aliisque circumstantiis verosimilius derivandus. Si vero exspirationis retentæ materia vera, et proxima caussa esset miliarium exanthematum, ut PLANCHONUS, et GASTELLERIUS præcipue existimant; cur, quæso, cum hujusmodi caussa communissima, et frequentissima sit, miliaria aut rarissime occurrunt, aut quibusdam tantum in regionibus, aut locis, aut temporum constitutionibus caput extollunt, et universim in quosque debacchantur? Cur hi ipsi scriptores quasi incerti, ac diffidentes, perspirabili materia seposita, modo ad lochia suppressa, modo ad humorem lacteum retentum, modo ad noxia paludum effluvia, aliaque miasmata extrinsecus in corpus ex aere transmissa se convertunt?

Opinio Hoffmanni expenditur.

Planchonni & Gastellerii opinio de expiratione retenta examinatur.

(*a*) *De miliar. exanth. indol. & tractation. p.* 53.
(*b*) *Method. medend. febr. cap. VI. p.* 78. 79.
(*c*) *L. c. p.* 36. (*d*) *L. c. a p.* 27. *ad* 29.
(*e*) *Terz. Ann. Med. Mantovan. p.* 107.

§. 427. Præterea miliaris morbus quandoque epidemicus, aut endemicus est, nemini parcens, quæcunque fuerit hominum constitutio, temperies, ætas, et vitæ ratio. Sæpe contagione communicatur, et robustos, exercitatos, sanissimos inficit, in omnibus pari modo decurrens, et simillima phœnomena, et potissimum nervosa symptomata, et demum miliares pustulas certa qua-

Argumenta quibus peculiare miasma confirmatur.

dam lege, et constanti pariens. Exanthemata ipsa adeo essentialia, propria, inseparabilia sunt, ut minime pro epiphænomenis, aut accidentalibus, aut factitiis haberi queant, nec ulla plerumque arte evitari, arcerique. Non enim a regimine calido, aut a remediis bezoarticis, aut sudoriferis, aut spirituosis progigni unquam visa sunt, COLLINIO (*a*), TISSOTIO (*b*), HALLERO, CRANTZIO (*c*), aliisque clinicis fide dignissimis (*). MOLINARIUS asseverat, se pluries vidisse miliaria suis ægris supervenisse, etsi refrigerantibus, atque antiphlogisticis curati essent, et aeri frigido continenter objecti (*d*). Hoc ipsissimum confirmat QUARINIUS inquiens: *Anno* 1768. *omnes febre acuta decumbentes hæc exanthemata habuerunt licet primis viis purgatis, nec stragulis onerati, aut medicamentis calidis vexati ægri fuissent* (*e*). Quod multoties a me quoque, atque ab aliis studio partium liberis observatum est. Experientia quotidie fere medicinam facientibus ostendit, nullo quandoque modo ea præcaveri posse; nam et regimen refrigerantissimum, et potum gelidum, et sanguinis missiones vel septies, noviesque interdum iteratas, et emesim, et catharsim repetitam, et frequentes clysteres nonnunquam eludunt, aspernanturque. His enim inter initia, ante videlicet eruptionis tempus adhibitis, vix unquam fit, ut exanthemata ad cutem, prout natura feruntur, non demum appellant. Quæ cum ita sint, cur non peculiare quoddam virus, sive miasma, quale in variolis, et morbillis omnes agnoscunt, in miliari quoque morbo exsistat? Hoc siquidem explicabitur illud *peculiare lymphæ vitium vix determinandum*, de quo suspicatus est VOGELIUS (§. 424.), aut illud aliud indefinitum seri sanguinis inquinamentum, multiplexque depravationis genus, quod in hoc morbo ex colla-

tis observationibus statuendum censuit Joubertus (§. *eod.*), ut supra retuli. Hujusmodi autem caussa proxima recepta, consequens est, ut reliquæ a scriptoribus adductæ (§§. 424. 425.) pro remotis tantum, tam proegumenis, quam procatarcticis habendæ sint:

(a) *L. c. p.* 49. (b) *Lett. a M. Hirtzel. p.* 51. 52. 61. 64. (c) Collin. *p.* 53.

(*) Testimonium a Quarinio adducitur celeb. Baldingeri, qui *notat rara fuisse in exercitu Regis Borussiæ miliaria; licet calor cubiculi, & remedia calida vexassent ægros L. c. p.* 78.

(d) *L. c. p.* 55. (e) *L. c. p.* 79.

Miasmatis proprietates.

§. 428. Miasma autem hoc (§. 427.) tenue, acre, nervisque potissimum inimicum perhibent, et reapse phænomena ipsa tale declarant: *tenue*, quia facile in halitus resolvitur, et ab ægrotantibus in sanos transmittitur vaporis forma, recipiturque inspiratione, inhalatione, afflatu. Nec obstat, quod ad cutim delatum sub epidermide sistatur, ibique hæreat; quemadmodum Allionio objicit Collinius. Non enim id semper evenit; in primis cum liberum, et quasi solitarium illud ad eam appellit: quo casu sine mora, et insensibili exspiratione quandoque illud effugere, jam supra patuit. Quando vero ibi subsistit, pustulasque format; non id ejus lentori, ac densitati, sed humorum, quibuscum commixtum, atque implicatum est, tenacitati debetur. Neque credendum est, semper per vasa minima exhalantia illud efferri. Probabile enim est, quandoque per poros inorganicos exsudare, et sub epidermide colligi, ibique coerceri. Nec rationi repugnat, nonnunquam cum lympha, quæ nervos alluit, eorumque vaginis continetur, ad summam cutim pervenire, atque ex nerveis papillis, quæ vaginale involucrum ibi deponunt, exstilla-

Allionius defenditur.

re sub epidermidis tegumento, eamque in pustulas elevare. *Acre* vero illud esse ex eo liquet, quod non modo febrim, et sæpe acutam, valdeque calorificam, sed etiam inflammationes, punctiones, pruritumque non levem excitat, et demum cuticulam ipsam exsolvit, ut in squamulas secedat, et decidat. Nervis porro maxime *infensum*, quia caput in primis invadit, vigilias, aut coma vigil inducit; *crampos*, sive spasmos physodes, tremores, tendinum subsultus, dyspnœam convulsivam, singultum, convulsiones, epilepticos insultus, similesque nervorum affectiones parit. *Septicum* nonnulli, propius ad ejus naturam aggredientes, esse illud addunt, quod naturalem sanguinis crasim subvertit, partes ejus constituentes sejungit, serosum laticem e cruore sic ejicit, ut abunde per renum, cutisque laxata vascula urinarum, et sudorum copia undique effluat, humoresque ad putrescendum reddat proclives; quod non modo ex halitu corrupto ab ægris manante, verum ex cita cadaverum putrefactione satis patefieri contendunt. Tantumque abest, ut ex sudoribus acidum olentibus, acoremque adeptis naturam acidam ei tribuant, ut potius lymphæ, serique corruptionem ex iis demonstrari putent. Notum enim esse ajunt, lymphaticum humorem, aliosque succos allibiles, antequam penitus putrescant, acescere, acidumque exspirare. Non tamen ex his, ut quidem mihi videtur, necessario, et recte colligitur, miasma istud, quamquam putrefacientem, sive septicam vim haberet, putridæ ipsum esse naturæ. Non enim omne id, quod humores corporis viventis ad corruptionem perducere potest, putridum sit, oportet: quod apprime norunt physiologiæ, et pathologiæ non ignari. Utinam putrida ei esset natura, nam acidis, et antisepticis illico, antequam

An septicum.

An putridum?

corpori humano noxam inferret, emendari, innocuum reddi, et pene destrui posset; quod minime illa præstant, ut experientia iterata compertum est. Neque effecta ejus talia sunt, ut certam, et claram septicam ejus facultatem ostendant. Sæpissime enim sanguis eductus inflammatoriam diathesim exhibet, eamque confirmant et febris ardens, et pulsus vehemens, et durus, et peculiares viscerum inflammationes, quæ in primo, et quandoque etiam in secundo stadio iteratas phlebotomias desiderant, quas profecto putrida humorum dissolutio nequaquam ferret, neque admitteret. Atque hinc factum est, ut ALLIONIUS crediderit, miasmati huic cogendi sanguinem, aliosque humores facultatem inesse. Cadaverum vero cita putrefactio morbi potius vim, potestatem, et effecta, quam caussæ eum efficientis indolem, peculiaremque naturam commonstrat. Si quis igitur venenum miliare adhuc non satis perspectum esse dixerit, et ab omnibus aliis omnino differre, et peculiare quoddam genus constituere, solis phœnomenis cognoscendum, is nullo modo reprehendi posse videtur.

Incognita adhuc miasmatis hujus natura.

Undenam miasma miliare.

§. 429. Miasma hujusmodi (§. 428.) quamquam unanimi ferme consensione recognoscant, et probent laudati scriptores; undenam tamen adveniat, aut silentio prætereunt, aut non satis explanant. Disquirendum ergo restat, sponte ne in nobis ipsis gignatur, an vero alibi natum in nos extrinsecus irrepat? Ardua sane, et difficilis indagatio! cui me omnino imparem fateor. Attamen, si aliquis conjecturæ locus datur, utrumque non absurdum crediderim. Cum enim loca, in quibus endemice regnat miliaris morbus, aquis stagnantibus, cœnosoque solo circum cingantur, ideoque in aere multiplici effluviorum, exhalatio-

numque genere scatente perpetuo quasi innatent, cur non ex his noxiis emanationibus miasma illud derivetur? Certe triginta abhinc annis accidit Mantuæ, ubi ab aliquo jam tempore miliaria exanthemata sparsim discurrere cœperant, ut tempestate æstiva epidemica fierent, et integras familias unam post aliam corriperent, et omnes fere ægrotantes neci darent. Tanta erat morbi vis, et pernicies prope lethifera. Nulla alia manifestior caussa insolitæ, et terribilis illius stragis exstitit, quam fossarum, quibus urbs munitur, recens expurgatio, et cœnosi putridi sedimenti penes mœnia ad aggeres complendos transportatio; hinc enim calore solis elevata venefica effluvia aerem eum tota civitate infecerant. Hanc aucti, diffusique præter consuetudinem miliaris veneni originem vere fuisse, ex eo deinde constitit, quod elapsis duobus vel tribus annis, et paullatim vitatis ejusmodi caussis ita morbi vis, et frequentia imminuta est, ut hodie miliaria sporadice tantum, et plerumque benignæ indolis in illa eadem urbe conspiciantur (*a*). Præterea, si omnia quæ epidemicum miliarem morbum alicubi grassatum antecesserunt, accurata indagine perquirantur, ac considerentur, semper aliquid invenietur, quod aquæ stagnantes, et corruptæ, aut inundationes, aut alvei fluviorum, aut paludum ima detecta, et fermentantia, aut terræmotus, aut antra, cavernæ, cloacæ adapertæ, aut lini, canabisque vicinæ macerationes, aut venti austrini, et a plagis insalubribus spirantes, aut insolita meteora cum aere atmosphærico communicarunt, aut vitiatæ fruges; aut olera, aut vina, aut panis corruptionem passa suppeditarunt. Quæ omnia, ni fallor, ostendere videntur, virus miliare sæpissime extrinsecus nasci, nobisque adventitium esse. Nihil tamen obstat, quo minus in nobis i-

psis tales caussæ oriri possint, quæ primarum viarum sordes, succos, et præsertim bilem, reliquosque etiam humores sic pervertant, depraventque, ut miasmatis miliaris naturam omnino acquirant, morbumque miliarem in primis sporadicum procreent, plus minus per emissa seminaria, venenatosque halitus cum sanis facile communicandum. Atque hoc quidem virus miliare in pyretico morbo locum maxime habere arbitror. Utrum vero in apyretico, et speciatim in eo, quo pueri, et adolescentes æstivo tempore (§. 384.) prehenduntur, istud ipsum admitti liceat, aut potius sanguinis fervor, acritasque tantum accusanda sit, non ausim decernere, nisi velis sic mite, et benignum esse, ut quam longissime a veri veneni natura discedat, quemadmodum exemplo est variolosum virus, quod in variolis spuriis ita blandum est, ut vix cum eo, quod veras variolas procreat, comparari queat.

(*a*) Asti *Terz. Ann. Med. Mantovan. p.* 83.

Caussa remota. §. 430. Hinc sequitur, ut reliquæ caussæ, quas auctores enumerant, remote tantummodo huic morbo gignendo valeant, et quidem aut uti procatarcticæ, sive *occasionales*, miasma ad agendum excitantes, aut uti proegumenæ, sive *prædisponentes* corpora ad ejus genesim, aut receptionem. Tales, ne quidquam omittam, præter jam adductas sunt alimenta ex farinosis, dulcibus, fermentescentibus, et fructibus horæis, potus parcus, crassus, aquosus, impurus; aer humidus, vappidus, heterogeneis principiis refertus, aut aliter depravatus; diutina alvi adstrictio; neglecta cutanea exspiratio; cacochymia; criticarum, aut consuetarum evacuationum suppressio, aut omissio, magnæ sanguinis jacturæ cum subsequente virium lapsu; animi pathemata, in pri-

mis ira vehemens, et mœror, diuturnæque sollicitudines; vigiliæ; studia protracta; vita otiosa, et motus expers; immodici labores; inopia; debilis, et laxa habitus constitutio; temperamentum sanguineum, aut phlegmaticum; ætas secundum HOFFMANNUM (*a*) puerilis, aut senilis præ adulta, et florida; secundum vero ALLIONIUM (*b*) juvenilis præ puerili, et senili, et præcipue *sanguinea constitutio*, etsi quodvis temperamentum ad id idoneum habeatur; sexus sequior præ virili; partus; violenta placentæ extractio; lochia retenta; inquinamenta primarum viarum; aer cubiculi nimium calidus, aut non renovatus, atque alia, quæ plethoram, acritates, atoniam, debilitatem, obstructionesque aliquo modo inferunt. Austrinæ quoque diuturnæ, et inæquales temporum, atque aeris constitutiones, præsertim hieme dominatæ, miliaria quandoque exanthemata epidemica antecedere visæ sunt. *Cum æstas*, inquit ALLIONIUS (*c*), *anni* 1733. *fuisset præcalida, et sicca; idemque autumnus, et hiems etiam præter morem tepida exstitisset, anno* 1734 *Augustam Taurinorum, et pene totum Pedemontium affecit vehementissima epidemia miliarium, et peticularum. Eamdem temporis constitutionem eo anno gentibus in celsissimo alpium Bavariæ jugo viventibus invisam adhuc miliarem febrem attulisse narrat* JOSEPH GRUNWALD. Nec ipse longe abest, ut credat, calefacientium in febribus usum nimium huc spectare. De anni vero tempestatibus sic sentit, ut ver magis, minus autumnum, minime omnium æstatem (*), et summam hiemem hujusmodi morbo favere putet. Concedit alioquin, aerem humidum, et inæqualem, aut solummodo valde inæqualem (*d*) ei gignendo aptiorem, quam purum, et æqualem esse; humidum vero, sed æqualem, nisi alia accedat caus-

Ætas magis obnoxia.

Aeris constitutiones quæ omnibus antecedant.

Quæ anni tempore magis huic morbo idonea.

sa, mitiorem morbum efficere: calidius contra cœlum ejus generationi adversari (*e*). His autem similibusque caussis opinatur, *venenum ad agendum excitari*, aut *eam mutationem* induci corporibus, *propter quam agere aptum sit*.

(*a*) *L. c. sect. I. cap. IX. §. X.*
(*b*) *Loc. cit. §. 61.* (*c*) *Loc. cit. §. 64.*
(*) Æstatem minime omnium gignendo miliari morbo favere, sic intelligi debet, ut excipiamus miliaria exanthemata benigna, & apyretica, quæ æstivo maxime tempore in pueris, adolescentibusque frequentia occurrunt.
(*d*) *Loco cit. §. 60.* (*e*) *Ibidem.*

CURATIO.

Ignoratur antidotum. §. 431. Cum nullum hactenus antidotum inventum sit, quod specifice miliare virus corrigat, aut innocuum reddat, aut prorsus destruat, neque singularis ejus natura satis nota sit, ut contrariis oppugnari certo possit; necessario consequitur, ut nulla curatio huic morbo opportunior videatur, quam illa, quæ in universum adversus reliqua exanthemata, et speciatim adversus variolas, cum quibus magnam affinitatem habet, proposita est. Indicationes. Itaque acritas miasmatis, quoad fieri potest, generalibus medicamentis obtundenda, ac temperanda est; ejus separatio a sanis humoribus adjuvanda; excretio promovenda, atque idcirco omnia corporis excretoria, et præsertim cutanea, per quæ emendari solet, aperta reddantur, ut facile quacumque via libuerit, egredi possit; et demum symptomatibus opportune succurrendum. Semper vero naturæ vires, motusque ita regendi sunt, ut neque deficiant, neque excedant. Quando natura sola sufficiat. In apyretico, itemque in benigno, puro, ac simplici genere sola natura sufficit, nec alio plerumque auxilio indiget, quam diætetico

regimine, quod postea, quia cuique generi commune, sub finem opportunius perscribam. In maligno autem, aut larvato, complicatove, naturæ soli morbo subigendo impari ars in auxilium veniat, oportet. In universum febris si moderata est, quemadmodum pluries inculcavimus, nec incitetur, nec minuatur. Si justo minor, et quodammodo torpeat, et cætera consentiant, nimirum si omnes vitæ functiones, actionesque langueant, stimulo aliquo, atque incitamento prudenter intendi, solicitarique debet. Si contra nimium excandescat, eam refrenari, compescique convenit, donec ad mediocritatem redigatur. Exanthemata non studiosius propellenda, sed potius sustinenda sunt. Calidum regimen, cardiaca, alexipharmaca, concitantia generatim nocent. Blanda tamen diaphoretica, quibus expiratio, et pustularum eruptio leniter adjuvatur, non omnino reprobanda sunt, in primis diluentibus adjuncta, et nitro, si fervor etiam adsit, contemperata (*a*).

Quando ars naturæ opem ferre debeat.

Mediocritas ubique servanda.

Calefacientia nocent. Mitia diaphoretica prosunt.

(*a*) LUDWIG. *l. c.* §. 221.

§. 432. Non leve tamen negotium medentibus facessit medicamentorum, quibus indicationum diversitati satisfaciendum est, apta adhibitio. Experientia enim demonstravit, non omnibus ægris eadem medicamenta prodesse, sed alia, atque alia requiri; quia eorum effecta plurimum variari, clinici compererunt, quam ob rem vehementer de iis inter se dissentiunt (*a*). Id in primis de sanguinis missione verum est, cum a quibusdam hoc in morbo plerumque supervacua, aut noxia prædicetur, ab aliis non modo utilis, sed prope necessaria extollatur. Per se utique miliare exanthema eam non desiderat, ut recte monent HAMILTONUS (*b*), COLLINIUS (*c*), aliique, præsertim album, et aquosum, aut crystallinum,

Dissensio auctorum circa remediorum effecta.

Per se miliare exanthema sanguinis missionem non desiderat.

et nisi aliquod grave symptoma urgeat. Jure igitur HOFFMANNUS (*d*), et GASTELLERIUS (*e*) raro, et cautissime eam adhibendam esse præcipiunt. Posterior etiam addit, se tum solum ea usum esse, cum symptomata inflammatoria adessent, unquam magnum emolumentum in suis ægris ex ea percepisse, fortasse, ut ipse suspicatur, quod scorbutica labe plerique erant affecti. MEADIUS, etsi in principio, modo vires sinant, mittendum esse sanguinem putet; si tamen corpus sudoribus diffluat, a sanguinis detractione abstinet, aut eam unum, vel alterum diem differt, vel in tempus opportunius servat; et non prætermittit animadvertere, *quo minori copia missus fuerit sanguis, eo tutius ut plurimum finiri morbum: deficientibus enim extremis diebus viribus, pustulæ, inquit, retrocedunt, et æger moritur* (*f*). Illud quidem certum est, quod ubi vires languent, facies pallet, pulsus debiles, parvi, depressi, mollesque sunt; crebræ animi defectiones instant, corpus imbecillum est, et sanguinis inops, ut in ea specie, quæ alba, crystallina, aquosa, et pellucida exanthemata profert, potissimum evenit; omnia hæc symptomata quamcumque sanguinis evacuationem contra indicant, ac prohibent. Idcirco rarissime sanguinis missione in hujusmodi casu opus est, nisi plethora, aut suppressa aliqua consueta excretio, aut aliquod aliud indicans, uti asthma, pleuritis, vel simile forte concurrat, cogatque, primis illico diebus eam tentare.

Raro igitur ea opus est.

Interdum etiam indicata parum proficit.

Quando omittenda est.

Ejus nocumentum sub finem manifestius.

Contra indicantia.

(*a*) VOGEL. *l. c.* §. 141.
(*b*) *De febr. miliar. cap.* 6. p. 65.
(*c*) *Loco cit. pag.* 71.
(*d*) *L. c. in cautel.* §. *VI.*
(*e*) *Loco cit. pag.* 361.
(*f*) *Monit. & præcept. medic. sect. IV.* p. 13. 14.

§. 433. Nihilo tamen minus miliare virus interdum, in sanguineis præsertim, plethoricis, robustis, bonoque habitu præditis, certisque anni, aerisque constitutionibus tale est, ut sive copia, sive acrimonia majore, sive utraque simul cor, vasa, nervosque peculiariter irritando febrem vehementiorem, acutioremque excitet. Quapropter ALLIONIUS opinatus est, facultatem in eo esse sanguinem cogendi, et extrema vasorum minimorum inflammandi, atque adeo frequentius occasionem mittendi sanguinis præbere, quam in peticulari morbo usuveniat. Ut ut res se habeat, hanc quidem morbi ad inflammationes proclivitatem nemo prorsus negaverit, qui diu lateque medicinam fecerit. In epidemica enimvero constitutione Novariensi anni 1755. tanta erat inflammatoria diathesis, ut nullus fere miliari morbo implicitus evaderet, nisi cui liberali, largaque manu plu-ries sanguis fuisset detractus (*a*). *Corregii* etiam, quamquam sanguis non esset adeo phlogisticus, uti fuit Novariæ; nam densus quidem, et concretus, sed rutilans, coccineus, et seri multum dimittens plerumque apparebat; præsentibus *indicantibus* quibusdam, aut febre vehementiore, ingenti æstu, atque ardore urgentibus, a sanguinis missione non abhorruit BARALDIUS. Itaque si febris ingens, atque ardens, pulsus magnus, validus, durus; calor et sitis urens, facies rubra; respiratio anxia; capitis dolor; temperamentum, habitus corporis, ætas florida, atque alia hujusmodi, si non omnia, complura saltem sanguinis detractionem *indicent*, tuto, antequam exanthemata erumpant, sanguis mittitur, immo mitti debet; interdumque non semel tantum, sed iterum iterumque, nimirum quamdiu symptomata persistunt, in primis pulsuum magnitudo, durities, vibratio: meliusque est, ALLIONIO judice, paullo

Exceptio.

Allionii opinio.

Morbi ad inflammationes proclivitas.

Exemplum morbi inflammatoriæ indolis in Novariensi, & Corregiensi epidemia.

Quæ sanguinis missionem petant ante pustularum eruptionem.

liberalius sanguinem detrahendo peccare, quam omnino eidem parcendo. Sic enim et frenum aliquod malo injicitur, et pejora, exitiosioraque symptomata, quæ deinceps certo supervenirent, provide averti solent. Idque multo magis fieri expedit in miliari morbo *larvato* (§. 401.), et in *complicato* (§. 405.); quandoquidem in his mala, sub quorum larva ludit, aut cum quibus complicatur, plerumque ejusmodi sunt, ut repetitas venæsectiones expetant, et ferant, eoque facilius, si manifesta inflammatio aliqua, uti pulmonum, faucium, uteri, aliusve visceris, aut suppressio mensium, lochiorum, hæmorrhoidumque adsit, aut propinqua timeatur. Iteratis certe experimentis didicit MOLINARIUS (*b*) in puerperis hoc morbo correptis, si eis lochia substiterint, sanguinem tam ex pede, quam ex brachio felici semper eventu mitti. Quo in casu, si pulsuum, si virium languor a venæ incisione deterreat, metus contra hysteritidis ex lochiis retentis promptam opem exposcat, hirudines vulvæ labiis applicitæ levamen prope certum sine virium detrimento afferre consueverunt. At ubi nulla sanguinis detrahendi indicatio suppetit, sed tamen anxietates cum pulsu celeri, et dolore capitis ægrum angunt, tunc generatim antiphlogistica laudantur, et inter hæc excellere dicitur decoctum radicis althææ cum oxymele, et stibio diaphoretico non abluto. His enim non modo cunctans eruptio acceleratur, quæ utplurimum omnia symptomata fugat, verum etiam ad finem usque morbi bene sustinetur.

Quid præstet sanguinis missio.

Cur in larvato, & complicato sanguis multo magis mitti debeat.

Tuto mittitur etiam in puerperis, si lochia subsistunt.

Hirudines vulvæ labiis applicitæ sine detrimento hysteritidem discutiunt.

Loco venæsectionis quæ eruptionem promoveant, & sustineant.

(*a*) DE AUGUSTIN. *L. c.* §. 28. 29. *p.* 61.
(*b*) COLLIN. *p.* 72. 73.

§. 434. Major vero de mittendo sanguine dubitatio, ut in omnibus aliis exanthematibus as-

solet, medicos subit, cum jam pustulæ cutem occupant. Timent enim ne sanguine misso illæ subsideant, et intro vertantur. Factis tamen periculis compertum, si gravis inflammatio viscus aliquod teneat, aut vehementissima febris sit, largam sanguinis missionem tentari posse, quin exanthemata concidant, aut intro redeant (*a*). Tanta enim vis circulationis a venæsectione adhuc tum superest, ut ad peripheriam propelli humores non desinant. Præsentibus pustulis mitti etiam sanguis potest, quando præter acutissimam febrem venter tenditur; urinæ tenues, aqueæ, aut pallidæ redduntur; uterus acriter dolet, ac calet; lochia restitant; caput gravatur; pulsus supprimitur, aut vehementius micat; pectus oppletur, spiritusque intercipitur etc. (*b*). Quamquam recte animadvertit ALLIONIUS, febris impetum, delirium, et reliqua symptomata in hoc secundo stadio, nimirum exstantibus pustulis, per sanguinis missionem vix sedari, immo sæpe convulsiones accersiri, et mortem accelerari (*c*); id quod egomet ipse non semel vidi, in iis præsertim, quibus ante exanthematum eruptionem jam sanguis iterato detractus fuerat. Quod si inflammatio alicujus visceris, etsi vires admodum depressæ timorem faciant, ne penitus per phlebotomiam exsolvantur, promptam tamen, et citam opem invocet, parcius quidem, et suspensa quodammodo manu, sed mittendus etiam tunc sanguis est (*d*).

Num exstantibus pustulis mitti sanguis possit? Affirmatur, indicantur casus opportuni.

Allonii observatio, & monitum.

Inflammatio alicujus visceris etsi viret languent. v. s. sed parcam petit.

(*a*) COLLIN. *l. c. p.* 62. MOLINAR. *l. c.*
(*b*) COLLIN. *p.* 71. (*c*) *L. c.* §. 141. (*d*) COLLIN. *ib.*

§. 435. Minus de cucurbitularum applicatione disceptatur. Plerique eas tam ante eruptionem, quam post ipsam dorso, artubusque admotas approbant, earum ope credentes, extrorsum miliare

Cucurbitulæ a plerisque probantur.

venenum avocari, revulsionem a capite fieri, sicque dolori capitis, delirio, comatique commodissime succurri. Noxium vero cucurbitularum usum, tam ante, quam post exanthematum miliarium eruptionem expertus est DAMILANIUS (*a*). Ad hunc accedit BARALDIUS serio admonens, earum applicatione pustulas retardari, aut etiam reprimi (*b*). Fateor equidem, me pluries subdubitasse, utrum tanti eas facerem, quanti vulgo ab aliis in hoc morbo fieri solent. Non enim fieri posse mihi videbatur, ut cucurbitulæ, quantacunque velis cautione adhibita, nudo corpori imponerentur, quin cutis, quæ in miliari morbo multo sensibilior est, aeris accessu, et frigore exteriore quasi perculsa se se corrugaret, contraheretque. Nihil dico de irritatione, quam cucurbitulæ cuti inferunt; nihil de cutaneorum vasorum oppletione, atque infarctu, qui imminutum aeris pondus, elateriumque subsequitur. Quæ omnia hercle faciebant, ut subvererer, ne obicem erupturo miliari fermento ponerent, aut jam egressum repellerent. Non tamen ausim omnem earum usum rejicere, cum aliorum experientia alioquin comprobatum videam. Hac ipsa innixus ALLIONIUS (*c*) iis omnino non adversatur, maxime si cum scarificatione applicentur. Per eas enim *inquietudines, et advenientes convulsiones aliquando* sedari, aut præcaveri asserit; utilius vero adhibitas fuisse scribit, ubi pustularum loco aliquis tantummodo rubor cum minutissimis punctulis cutem suffundit, videturque virus in ipsa profundius hærere. Delirium certe a cucurbitula magna cum scarificatione occipiti imposita interdum sedatum narrat. Sed hoc genus auxilii efficacius sibi visum esse, ait; quando delirium in primo stadio, aut initio secundi accesserat, nec admodum invaluerat. Facta quippe metastasi, aut

Palam damnantur a Damilanio, & Baraldio.

Caussæ dubitandi de earum bono effectu.

Non tamen omnino rejiciendæ.

Quando utilius adhibentur.

completa congestione vix ulla spes est, eam resolutum iri. Hirudines quoque temporibus applicitæ caput quandoque egregie deplent, et delirium arcent. Hirudines idem præstant.

(*a*) *L. c. p.* 122. (*b*) *L. c. p.* 35. 36. (*c*) *L. c.* §. 149.

§. 436. Nec in minori de evacuantibus stricte dictis dissensione versamur. Quidam omne evacuantium genus, ut viribus, atque eruptioni exanthematum inimicum, suspectum habent; alii emetica catharticis præferunt, et, si unquam cathartica adhiberi concedunt, sub finem morbi dumtaxat (*a*) concedunt. Nonnullis a blandis alvum laxantibus, et præsertim antiphlogisticis alieni non sunt (*b*). Nec desunt alii, qui cathartica satis valida cum SYDENHAMIO (*c*) inter initia in morbo simplici, et puro, et quidem ad minimum ter iterata proponunt, hisque confidunt exanthemata præcavere, et quasi radicitus eorum fomitem extirpare (*d*). Quid vero de hisce omnibus aut sentiendum, aut tenendum sit, paucis dabo. Primum igitur si cacochyliam circa ventriculum collectam signa pluries memorata ostendant, aut morbus contagione communicatus fuerit, illico inter initia, antequam exanthemata appareant, blando emetico uti expedit. Generatim tutius, utiliusque est partitis dosibus, quam unica illud præbere. Vomitu autem non modo ventriculi sordes, biliosa colluvies, et miasmatis aliqua pars brevissima via, antequam interiora pervadant, educuntur, verum etiam exanthematum ad cutim expulsio blande, feliciterque promoveri dicitur. Immo si ventriculo omnis fomes insideat, etiam exanthemata omnino præcaventur. At si inferius saburra locata sit, magisque intestina occupet, et alvus aut adstricta sit, aut minus officio suo fungatur, aut non satis per

Dissensus circa evacuantia.

Quid de his sentiendum. Quæ emesim velint. quæ catharsim.

Emesis promovet eruptionem; interdum etiam præcavere potest.

Purgatio quando eruptioni favet.

se quisquilias egerere possit, medicamento purgante per inferiora eam ducere oportet; natura enim ipsa sæpe monstravit, post spontaneam alvi solutionem, ubi primas vias sordes obruebant, eruptionemque irritatione tubi intestinalis remorabantur, exanthemata ad cutim feliciter propulsa fuisse.

Blanda laxantia etiam puerperis conveniunt.

Nec timendum est blando laxante uti, etiam in puerperis, quando saburræ intestinalis indicia non absint (*e*). Ex salibus, et manna parata lenientia, nisi largiore dosi dentur, quod minime probamus, non sufficere, nec semper innocua videntur Ludwigio (*f*).

Cur Ludwigio magis arrident, oleum, & enematum usus.

Idcirco ceteris antefert oleum amygdalarum dulcium recentissimum, vel lenissima clysmata sine stimulantibus, præsertim morbo provectiore, cum dici vix possit, quam sensibilia fiant corpora in morbi processu. Atque hoc monitum in puerperis potissimum, quæ mitius, et cautius tractandæ sunt, observandum arbitror.

Quænam eccoprotica tutiora.

Inter eccoprotica vero ea quæ blandiora sunt, non aliena existimantur serum lactis defœcatum, vel simplex, vel cum tamarindis decoctum, flos cassiæ, cremor tartari, tartarus solubilis, sal mirabilis Glauberi, atque alia ejusmodi.

Enemata universali consensu probantur.

Tutissima autem omnium in toto morbi curriculo ad alvum laxandam, apertamque servandam, nemine discrepante, reputantur enemata emollientia. Hæc laxando, molliendoque intestina, et spasmos, irritationesque sedando, aut arcendo id etiam efficiunt, ut pustularum eruptio facilius consequatur, et facta perstet, et maturescat.

Sub eruptione toleranda alvi adstrictio.

Sub ipsa tamen eruptione tolerandam alvi adstrictionem volunt nonnulli (*g*) ex cautissimis medicis, nisi gravia symptomata omnino jubeant, eam vel oleo, vel clystere aperiri.

Eruptio facta vetat purgantia.

Egressis vero, et exstantibus pustulis miliariis a medicamentis catharticis proprie dictis abstinere oportet, quia tum nocere alvi ductionem,

experientia (*h*) edoctus ALLIONIUS testatum facit. Excipiendus tamen casus est, in quo vesiculæ valde exiguæ, pellucidæ, vix conspicuæ in cuticula se ostenderint, neque idoneis remediis patentiores evaserint, neque ad justam molem, et maturationem pervenerint. Tunc non diu nimis internis medicamentis ejus generis insistere oportet; sed, antequam vires longa valetudine exhauriantur, cum hujusmodi cutaneæ asperitudines morbo tollendo impares omnino sunt, per intestina potissimum morbi fomes blandis remediis uti rhabarbaro, manna, sale glauberiano expurgandus est, non intermisso interim vesicantium usu, aliisque excretionibus (*i*). Exsiccatis demum exanthematibus, absolutoque morbo commode etiam alvus ducitur, ut quæ relinquuntur inquinamenta in corpore recidivum morbum non faciunt, aut alias successiones malorum generent. Ad illud vero, quod de impediendis exanthematibus per cathartica traditur, nostra experimenta non satis respondent, ut confirmari id possit, nec aliorum tentaminibus confirmatum esse novimus, nec, ut libere dicamus, optandum fortasse esset in morbo, cujus propria, ac naturalis crisis in exanthematum ad cutim eruptione tota consistit.

Exceptio

In morbi fine purgandum est.

De prævendis per purgantia pustulis quid experientia doceat.

(*a*) GASTELLIER. *p.* 362.
(*b*) MOLINAR. *p.* 74. VOGEL. §. 141.
(*c*) *De nov. febris ingress.*
(*d*) ALLION. *l. c.* §. 190. (*e*) MOLIN. *l. c.*
(*f*) §. 223. (*g*) LUDWIG. §. 123. (*h*) *L. c.*
(*i*) MEAD. *monit. & præc. med. sect.* 4. *p.* 14.

§. 437. Vesicantia pariter variam sortem habuerunt; hinc laudantur ab aliis, ab aliis deprimuntur (*a*). ALLIONIUS nec ea commendat, nec vituperat, sed modo inutilia esse, modo noxia, modo aliquid boni efficere vidit (*b*). Generatim

Vesicantium varia sors.

Damilanio noxiæ. nocuisse ea, narrat DAMILANIUS, sicuti etiam sinapismos, atque epispastica, præsertim in morbi principio, uti febris vehementius exarsit cum pulsu contracto, et ubi ægri graciliores, sensibiliores, sicctioresque habitu corpori fuerunt; quod funesto quodam exemplo (*c*) etiam comprobare nititur. BARALDIUS quoque vesicantibus non favet, ea si non noxia, inutilia, atque inefficacia certe declarans (*d*). Nec dubitat deinceps asserere, maturius adhibita pustularum eruptionem retardare (quod tamen negat ALLIONIUS (*e*); immo etiam pustulas jam egressas, exstantesque repellere, idque iterato repetit (*f*). Nec mirum est, BARALDIO sic accidisse, quod miliaria in ejus ægris cum tritæophya biliosa, et quasi ardente complicabantur, ac proinde non egebant calcari ullo, nec ullo incitamento, sed potius freno, et moderamine; cujusmodi fere exstiterunt illi quoque, in quibus male cessisse vesicantia, refert DAMILANIUS. Quam ob ipsissimam caussam a vesicantibus, a frictionibus, atque aliis quibuscumque commoventibus in Novariensium miliari morbo inflammatoriæ indolis abstinere ut plurimum debuit AUGUSTINIUS (*g*). At contra ubi pulsus sunt languidi, et debiles; ubi calor mitis; ubi humores lenti, et pituitosi, ubi habitus mollis, et laxus, aut ubi sanguinis non parum detractum fuerit, uno verbo, ubi incitantibus, et stimulantibus opus est, vesicantia tam ad eruptionem tardam, imperfectamque sollicitandam, quam ad exanthemata, si retro pulsa fuerint, revocanda, et ad coma, lethargum, catarrhum, pulmonumque infarctum, immo ipsum alvi fluxum, ex morbidæ materiæ metastasi natum tollendum, avertendumque opportunissima prædicamus. HAMILTONUS sane ea frequentissime adhibere solitus fuit, tantique salubrem eorum effectum æstima-

Baraldio item.

Eruptioni officere, & eam etiam repellere visa sunt.

Ratio affertur.

Confirmatur observatione Augustinii.

Quando utilia.

Hamiltoni auctoritas.

vit, ut unis exsiccatis nova alio tamen in loco imponenda curaret; et jure quidem id præstitit, cum plerumque exanthemata miliaria, quibus mederi debuit, alba fuerint, lymphatica, aut crystallina cum exigua febre, et in habitu pituitoso, et laxo præditis, aut viribus destitutis. HAMILTONUM plerique fere sequuntur. LUDWIGIO vesicantia ampliora placent, quam parva diversis licet locis applicita, sed diu aperta, et fluentia desiderat (*h*). Mature nonnullis iis utuntur. MOLINARIUS quarto, vel quinto die post sanguinis missionem, quando humores densi, inertesque videntur, extrorsumque avocandum est, applicanda (*i*) suadet, cautelis, quas de usu vesicantium sancivit BAGLIVIUS, ad amussim observatis. Non semper tamen Baglivianis præceptis adhærendum esse existimat FREINDIUS (*k*) longa experientia fretus, et PETRUS DE ROTUNDIS (*l*) medicus Romanus non ignobilis, primusque hydrargyroseos parcioris inventor (*), quod interdum etiam in sicciore, gracilioreque temperie, dummodo revellendi, avocandi, excitandique indicatio illa efflagitet, innocue, utilissimeque adhibuerint, adhibitaque alii clinici feliciores testentur. Matrona enimvero habitu gracillimo, tenuissimoque, et præterea ex rachitide in adolescentia gibbosa facta incidit in miliarem morbum sporadicum cum febre parva, pulsu humili, inæquali, debili, tenui, depresso. Exanthemata aquea, lymphatica, alba apparere debito tempore inceperant, sed eorum eruptio quia imperfecta erat, morbum non minuerat. Respiratio in primis laboriosa, inæqualis, anxia, et suspiriis interrupta perseverabat. In somnum maxime propendebat ægrotans, et vana subinde obloquebatur; sed quotiescumque oculi claudebantur, evigilabat subsultu membrorum, et pectoris oppressione excitata. Duo suris vesi-

Ampla laudantur.

Mature applicanda.

Bagliviana præcepta interdum supervacua.

Observatio.

cantia imposita. Non effluxere horæ viginti post eorum applicationem, quin omnia symptomata evanescerent. Pulsus æquales, elati, expansi, validiores facti; respiratio libera, somnus placidus, nulli subsultus; tota quodammodo morbi vi ad sura conversa. Sub vesica a cantharidibus inducta eschara quædam albida, crassa, et in marginibus nigra, gangrænosa, fœtidissima cernebatur, quæ lenta, sed laudabili suppuratione paullatim separata est, relicto cavo, profundo, magnam vim puris boni, albique diu fundente ulcere, quod sensim carne impletum, et cicatrice feliciter obductum est. Hoc prope solo artis, naturæque auxilio LUCRETIA COSTA nobilis mulier Faventina e morbo omnino evasit, convaluitque.

(*a*) VOGEL. *l. c.* §. 141. (*b*) *L. c.* §. 147.
(*c*) *L. c. pag.* 115. 116. (*d*) *Loc. cit. pag.* 51.
(*e*) *L. c.* §. *eod.* (*f*) *pag.* 35. 36. 53. 51.
(*g*) *Loc. cit.* (*h*) *Loc. cit.* §. 222. (*i*) *L. c. p.* 149.
(*k*) *De febr. comment. IX.*
(*l*) *De victu acut. pag.* 122.
(*) Vid. *ejus præfat. p.* 24. ubi legitur scriptum ab eo fuisse consilium, in quo adumbrabat *Luis venereæ per illitionem argenti vivi curationem, quam nullum salivationis tædium consequeretur*. Anno 1718. hoc consilium transmisit Lutetiam Parisiorum, ut inde ad Monspellienses medicos remitteretur. Biennio post a Monspelliensi medico edita fuit *nova Luis venereæ curandæ ratio illitu vivi argenti, unde salivatio non moveatur*. Sic vos non vobis &c.

Acidorum usus controversus.

§. 428. Inter medicamenta, quorum usus in miliari exanthemate non omnibus æque respondit, referenda sunt quoque acida quæcumque (*a*). Fieri enim non potuit, quin ista ab iis, quibus sanguinis serum, aut lympha acida, aut acescens materialem, et præcipuam caussam morbi constituere videtur, uti ejus fomitem augentia reprobentur; e contrario vero magno in pretio habean-

tur ab aliis, qui miliare virus putridæ, septicæque naturæ esse sibi persuaserunt. Quæ utrique opinioni faveant, aut adversentur, supra (§.426.) jam aliquo modo aperuimus. Nunc quid ipsa experientia, qua sola verum detegi potest, in hac controversia definiverit, videamus. Certissimum quidem est, prioris sententiæ patronis, HAMILTONO videlicet, HOFFMANNO, aliisque non deesse felicissimas miliaris morbi curationes, quas solis absorbentibus, alcalicisque remediis perfecerunt; nec unquam eos suæ methodi pœnituit. Nec dissimili medicamentorum genere utebatur MEADIUS (*b*). Ad alcalina etiam, et quidem volatilia, quæ absorbentibus, alcalicisque fixis anteponit, confugere non dubitat CHAMLONIUS de MONTAUX, neque ad spiritum corni cervi rectificatum, quo etiam interdum utebatur HAMILTONUS, ad oleum animale DIPPELLII sali volatili admixtum, ad spiritum MINDERERI, quem sali volatili interdum substituendum censet. His enim et acori limphæ, et ejusdem lentori occurrere (*c*) studet. Magnus item BOERHAAVIUS in morbis puerperarum, inter quos miliaris non infrequens est, alcalica, et antiacida commendavit, adhibuitque, quod in illis acorem, sive a lacte, sive ab alia caussa repetendum, peccare crederet (*d*). Itaque si standum est experientiæ, profecto non video, quam ob rem acidorum usum hic magnopere inculcemus. Inter posterioris sententiæ fautores nemo denegabit locum ALLIONIO. Is tamen veri diligentior, quam propriæ opinionis, candide, et sincere referens quæ experimento compererit, nequaquam dissimulat, acidis in prima periodo pustularum eruptionem retardatam fuisse; in secunda, si assidue, et largiter præberentur, etiam non leve nocumentum (*e*) illatum. Ne autem sui ipsius oblitus videretur, addit de-

Absorbentia, & alcalica experimentis comprobata.

Laudantur etiam a Boerhaavio.

Allionius acida retardasse eruptionem, & etiam aliter nocuisse testatur.

Noti corrigunt miasma miliare. Saltem in graviore malo inutilia. nique, acidis, præsertim vegetabilibus, *miasma aliquo modo corrigi*, et temperari; quibus verbis plane indicat, quam exigua, atque incerta fuerit eorum efficacitas (*f*). Exiguam profecto, incertam, aut potius nullam reapse eorum esse facultatem quotidie experimur in hocce morbo, expertusque est MOLINARIUS, qui in eo genere,

Immo nocua. quod malignum vocatur, nihil unquam boni ab acidis effectum vidit (*g*). Id ipsum antea HOFFMANNUS post HAMILTONUM adnotaverat; quin immo aperte nocuisse, scripsit. Quæ cuncta ut acidorum hic dubiam virtutem, saltem quod ad miasmatis vim refrenandam, obtundendamque spectat, ostendere videntur; sic dubitationes nostras de septica, putridave ejus natura magis, magisque confirmant. Acida igitur, et quidem vegetabilia, scilicet mitiora, et caute adhibita potius ad morbi effecta minuenda, coercendaque opportuna dixerim, quam ad ejus caussam directe oppugnandam; nimirum tum indicari, cum calor, et motus febrilis modum excedit; cum vitæ vires intensius vigent; cum bilis æstuat, atque ad alcalescendum propendet; summatim cum continenda, frenandaque est solidarum partium immodica irritabilitas, et fluidarum ad alcalescendum, putrescendum, aut liquescendum propensio.

Effectibus morbi magis idonea, quam caussa tollenda. Indicantur aliquando.

(*a*) VOGEL. §. 141.
(*b*) *Monit. & præc. med. l. c.*
(*c*) *Des malad. des femm. T. I. chap. VIII.*
(*d*) *Aphor. de cogn. & curand. morb.* §. 1331.
(*e*) *Loco cit.* §. 145. (*f*) *L. c.* (*g*) *L. c. p.* 113.

China-china, & opium. Quando china china utilis, quando non.

§. 439. Duo insignia artis præsidia, opium et china-china, non sine animadversione præteriri possunt, cum alii alia de eorum effectibus sentiant. Quod attinet ad chinam-chinam, quamquam passim tam uti febrifuga, quam uti antiseptica in

hocce morbo adhiberi soleat, et magnis etiam laudibus efferatur, non tamen promiscue, et sine distinctione uti ea licet. In primo stadio, quando febris intermittentem mentitur (§. 390.), aut ejus larva se tegit (§. 401.), frustra, inutiliterque china-china tentata sæpius est (*a*). Tunc febris, etsi intermittat, aut periodice ita remittat, ut subintrantes, aut subcontinuæ remittunt; quoniam non ex fomite verarum intermittentium, sed e veneno exanthematico oritur, quemadmodum suo loco explicatum est, nullo modo antipyreticæ illius antidoti potestati subjicitur. *Miliare enim miasma*, ut ait ALLIONIUS (*b*), *a cortice peruviano corrigitur*. Sin vero malum cum febre intermittente vera complicatur, tunc intermittens febris, quæ cum eo conjungitur, china-china supprimi certo potest, utpote vera ejus domitrice. Consulunt tamen aliqui, ne ad eam præmature nimis confugiamus, videlicet in ipso primo stadio, nisi prius per sanguinis missionem, et diffluentia *status inflammationis*, *tensionisque*, in quo fibræ, et vasa omnia reperiuntur, emendatus (*c*) sit; huic enim tonica, et roborans medicamenti vis alioquin noceret. Facta vero exanthematum eruptione, si febris intermittens adhuc persistat, ut persistere solet, quando vere talis a principio fuit, et vere complicatur cum miliari morbo, ni prius cortici fuit locus, continuo properandum ad corticem peruvianum est, ut ea confestim tollatur; alias enim sub frigore febrili exanthemata deprimuntur, delitescunt, introque redeunt summo cum vitæ periculo (§. 408.), quod in duobus robustis hominibus ex hac caussa abreptis accidisse conqueritur auctor modo (*d*) laudatus. Interdum in progressu tantum febris ad subintrantis naturam, modumque accedit, remissiones habens manife-

Miliare miasma a china china non corrigitur.

Cautio in ejus usu.

Vera febris intermittens quando cito supprimenda.

Interdum remittens cortice fugatur.

stiores, ita ut, nisi intermittens fiat, proxima ad intermittendum videatur. Tunc etiam china-china optimo cum effectu dari consuevit. Juveni ex miliari morbo decumbenti supervenerant in lingua, labiisque aphthæ dolorem, cruciatumque molestissimum inferentes, comitabanturque perpetuo, et copioso ptyalismo. Febris nec ab aphthis, nec a ptyalismo, nec a miliariis pustulis exstantibus quidquam minuebatur. Quotidie vespere invalescebat, exacerbabaturque sine frigore, et quasi clanculo; tota nocte ægrum calore ingenti, inquietudine, ac siti cruciabat; mane vero sudore erumpente sic remittebat, ut prope ad integritatem accederet. Corticem peruvianum ei dedi, et cito febris cum omnibus symptomatibus depulsa est. Quid simile cum de aphthis, tum de febre per corticem fugandis pollicetur MEADIUS (*e*), SYDENHAMII auctoritatem, experientiamque commemorans. DAMILANIUS quoque, cui alias suspectus chinæ-chinæ usus, eum non rejicit, quoties aut febris *vera intermittens*, aut *remittens* putrida sit, speciatim in puerperis, et cum ea complicetur miliaris morbus (*f*). Sed insolens, et prope novum fortasse videbitur, non modo non fugari cortice febrem primo stadio, quemadmodum dictum est, quando intermittentem simulat, verum etiam eruptionem pustularum sic retardatam esse in *Corregiensi* constitutione, ut quandoque ad quadragesimam, et quinquagesimam usque diem dumtaxat exanthemata prodierint (*g*): quæ cunctatio si vere corticis usui, et non anomalæ, et peculiari morbi naturæ tribuenda fuit; id fortasse non remedii culpa, sed morbi ipsius potius qualitate, tonicam, roborantemque illius virtutem recusante crediderim. In febre enim tritæophya biliosa, quacum complicabatur miliare virus, tales erant pulsus

Observatio.

Meadius consentit.

Nec omnino adversatur Damilanius.

An china-china retardet eruptionem.

magnitudo, sanguinis fervor, lentorque phlogisticus, et solidarum partium tensio, ut incitamento opus non esset. In tanto igitur virium omnium, actionumque incremento, per corticem etiam adaucto, secretio, et excretio miliaris miasmatis qui fieri poterat? Ceterum febris impetu aliquantum infracto, pulsibusque ad mediocritatem restitutis, et multo magis, si vires vitæ concidant, aut deficiant, china-china tam longe abest, ut eruptioni obsistat, ut potius favere soleat: quod pluries a nobis observatum est; aut saltem illud hoc remedio confecimus, ut febris, et morbum felicem profecto exitum consequerentur. Hoc idem BARALDIUS ipse, etsi chinæ-chinæ effectibus non plane contentus, concedere tamen cogitur, observationem proferens, quia ostenditur, dato cortice omnia symptomata sedata fuisse, vires erectas, et cito, feliciterque pustulas miliares expulsas; biduo nimirum post inchoatum ejus usum, decima vero quinta die a morbi initio (*h*). Eodem remedio, quando vires languent, febrim mitigari, eruptionem promoveri GASTELLERIUS etiam (*i*) profitetur.

Quando eam promoveat.

Confirmatur observatione ipsius Baraldii.

(*a*) DAMILAN. *p.* 124. BARALD. *p.* 31.
(*b*) §. 188. 210. (*c*) ALLION. §. 210. (*d*) *Id.* §. 211.
(*e*) *Monit. & præcept. med. sect. IV. febr. miliar. pag.* 15. (*f*) *pag.* 124. (*g*) *L. c. p.* 31.
(*h*) *p.* 37. 38. (*i*) *pag.* 363. 364.

§. 440. Opium, quia magnum artis auxilium est, ut cetera heroica remedia, maxima prudentia, et cautione administrari debet. Generatim in hoc morbo ab ALLIONIO (*a*) suspectum creditur; sæpiusque nocere, quam prodesse dicitur. Inflammatoria sanguinis diathesis, plerumque præsens, aut magna ad inflammationes morbi proclivitas multimodis manifesta ejus usum ve-

Opii usus quibusdam suspectus.

Praesertim in altera periodo. tare ei videtur. In secundo speciatim stadio, sive altera periodo, in qua cutis tenditur, et inflammationis specie quadam afficitur, vehemensque febris est, et ad caput sanguis confluit uberius, in eoque congeritur, quasi a renisu, spasmoque cutis illuc compulsus, nullum opio locum dari judicat (*b*); adjicitque neque convulsiones, quæ eruptioni exanthematum interdum succedunt, ab ejusmodi remedio compesci, ne tum quidem, cum ab irritatis cutaneis nervis, quæ est ejus opinio, permanerent; perniciosissimumque certe ejus usum esse in complicato genere, plerumque inflammatorio, et demum in eo etiam casu, in quo miliaria profundius in cute hærent, et latitant, nec facile extrorsum efferuntur (*c*). Hæc cum observatione, atque experientia viri clarissimi innitantur, contemnenda, aut negligenda nequaquam videntur; ex eo etiam, quod confirmata sunt ab ANTONIO DE AUGUSTINIS, qui in epidemica miliarium constitutione anni 1755. pluries memorata opium ad vigilias adhibitum nocumento suis ægris fuisse (*d*) refert, dum contra emulsa ex seminibus papaveris, quibus vigilias, convulsiones, delirium, inquietudines sedare annisus est, utilia maxime deprehensa fuere. Quousque vero ista observata circa opii usum tenenda, probandaque sint, quisque intelliget, si ea, quæ hac de re alibi, et speciatim in capite de variolis (Paragr. 241.) pertractata sunt, attente considerentur. Ceterum memini, adolescenti cuidam morbo miliari cum acutissima pleuritide complicato laboranti, exstantibus jam ab aliquot diebus exanthematis, et vigiliis, delirioque urgentibus, et nihil copioso sudore, alvique fluxu proficiente, cum vasa per sanguinis missiones satis depleta jam essent, mixturam, quæ laudani liquidi SYDENHAMII non

Neque convulsiones sedare dicitur.

In complicato vere noxius habetur, itemque in difficili eruptione.

Ex papavere parata innocua.

Consuli de opii usu debent quæ alibi dicta sunt. Observatio.

exiguam dosim habeat, cochleatim ad intervalla a Medico Bononiensi doctissimo æque, ac prudentissimo datam optimo effectu fuisse. MOLINARIUM etiam invenio suis periclitationibus confisum ab opio nequaquam abhorruisse; immo comperisse, inflammationes ab eo nec inductas, neque, si quæ erant, adauctas esse (*e*). Puto autem, eum loqui de inflammationibus iterata phlebotomia, et diluenti potu quodammodo subactis, et domitis, aut ab acri stimulo proxime nervos vellicante magis, quam a diathesi inflammatoria genitis; nam has certe opium non auget, sed sensibilitatem aliquantum sopiendo, et spasmum tollendo mirifice mitigat. In puerperis, ne lochia supprimantur, ab opio jure abstinent prudentiores. Vis enim ei inest quascunque evacuationes, sudore excepto, sistendi. At si abdominis viscera, uterusque spasmis, ut quandoque accidit, afficiantur, atque ex hac caussa lochia aut parcius fluant, aut ex toto subsistant, recte idem MOLINARIUS (*f*) admonet, opio dato spasmos tolli posse, atque laxatis inde vasorum osculis sanguinis fluxum interdum promoveri, aut restitui.

Negat Molinarius opio inflammationes induci, aut augeri. Sana interpretatio.

Quando in puerperis lochia promovere possit.

(*a*) §. 231. (*b*) *Ibid.* (*c*) *Ibid.*
(*d*) *L. c. p.* 72. (*e*) *Pag.* 62. 63. (*f*) *Ibid.*

§. 441. De peculiarium remediorum administratione non plura. Aliquid potius dicam de curatione quorumdam symptomatum; quamquam in superioribus capitibus, et speciatim, ubi variolarum curatio exposita (§. 275. et seq.) est, satis fuse de ea egimus, ita ut supervacaneum prope videatur eamdem crambem, ut ajunt, hic recoquere. Ne igitur repetitionibus lectores defatigentur, eos ad illa loca remittimus, contenti pauca tantum hic adjicere, quæ peculiariter exanthemata miliaria respiciunt, et propria eorum

De singularibus quorumdam symptomatum curationibus.

veluti sunt. Itaque regressum pustularum, ut gravissimorum, et lethalium symptomatum caussam (§. 414.), considerabimus. Inquirere in hoc casu oportet, undenam iste contigerit (§. 345).

Curatio in pustularum repressu varia pro caussarum diversitate.

Si a motu nimio febris, aut plethora, aut a calefacientium usu, aut ab immodico externo calore repressa exanthemata fuerint, aut retenta intus, revocanda erunt, aut allicienda extrorsum compescentibus, refrigerantibus, nitrosis, aeris renovatione, integumentorum imminutione, missione sanguinis, cucurbitulis scarificatis, potuque aqueo copioso, et diluente. Si vero frigus admissum, terror, aut animi, viriumque defectiones occasionem dederint huic regressui, in auxilium veniant diluta florum sambuci, scordii, cardui benedicti calide hausta, fricationes, inprimis thoracis; ope panni lanei probe siccati, aut vapore succini (*a*) imbuti, dummodo odor ejus bene ferri possit, nec suspectus sit ratione partus, aut peculiaris idiosyncrasiæ, lotiones ex aqua calida, fomenta humida, et calentia, et, ubi pulsus debilis, et parvus invenitur, medicamenta, quæ excitant. Neque his solis *bezoarticis fixis*, videlicet pulveri *bezoartico* pharmacopœæ londinensis, aut pulveris *e chelis cancrorum composito*, qui maxime hic commendari solent, aquiescendum est, sed tentandum aliquid efficacius, valentiusque, LUDWIGIUS idcirco proponit *essentiam alexipharmacam* STAHLII, *liquorem cornu cervi succinatum*, et camphoram ipsam (*b*), non neglecta vesicantium amplorum, et acrium applicatione suris, cervici, et brachiis, præsertim si sopor simul opprimat. MEADIUS laudat *pulverem contrayervæ compositum*, et *confectionem cordiacam* pharmacopœæ modo nominatæ (*c*). Nec parum proderit, ubi terror, aut animi pathema aliquod regressum istum effecerit, liquorem anody-

num mineralem HOFFMANNI ex aqua ægro propinare, aut aliquid opii, aut laudani liquidi SYDENHAMII reliquis medicamentis adjicere, cui et spasmos sedandi, et cutim versus ducendi mira inest facultas.

(a) VOGEL. *l.c.* §. 141. (b) *l. c.* §. 222. (c) *L.c.p.* 14.

§. 442. Delirium quoque mitigant, aut placant hirudines temporibus applicitæ, itemque magna cucurbitula occipiti cum scarificatione affixa; balnea pedum tepida, aut his substituta fomenta, aut epispastica plantis pedum admota; et non raro vesicans deraso capiti impositum, ut extrorsum avocet. Nec anodyna, ut diacodium, et emulsa papaverina, præsertim vigiliis, et anxietatibus ægrum agitantibus sua laude fraudanda sunt. Quod si convulsiones immineant, aut jam invaserint, aut singultus torqueat, præter liquorem cornu cervi succinatum, et anodynum mineralem, atque alia hujusmodi sedantia, et antispastica, moschus præ ceteris celebratur, quia spasmos relaxat, somnum placidissimum conciliat, et blandissime diaphoresim promovet. Sed optimæ notæ sit oportet, et dosi paullo liberaliore dandus est, si aliquid efficere eo velimus. Moschi potissimum caussa hic *pulvis Tunquinensis* (*) excellere quam maxime dicitur (*a*). Inquietos, et convulsionibus jam proximos mulcent, levantque plurimum frictiones lenes corpori, membrisque adhibitæ; quod expertus commendat, et suadet ALLIONIUS (*b*). Fricandum item pannis laneis subcalidis totum corpus, sed præcipue pectus (*c*), aut dorsum, quando sudor elici debet, aut si substiterit, revocari. Tunc etiam plurimum conducit fomentis humidis, et calidis cutem laxare, et rarefacere, aut vapore aqueo humectare, et mollire. Certius vero optato fine potioris, si pulveri bezoartico, aut e chelis cancrorum composito, aut cui-

Delirium quæ mitigent.

Convulsioni, & singultui speciatim moschus proponitur.

Pulvis Tunquinensis.

Frictionum efficacitas.

Quid sudori eliciendo, aut revocando valeat?

cumque alii absorbenti addideris granum unum opii (*d*). Quamplurimis magno in prætio est camphora, non modo ut antiseptica, verum etiam ut antispastica, et diaphoretica facultate mirifice pollens. Sed non semper expectationi respondet; quod fortasse in hoc morbo vires vitæ plerumque modum excedunt. Hinc ab ea, ut noxia, ut plurimum abstinuit AUGUSTINIUS (*e*), et vix aliquid emolumenti ex ea perceptum vidit GASTELLERIUS (*f*). Immo pluries eam nocuisse, et convulsiones induxisse, aut accelerasse, mihi compertum est. Non sine igitur matura deliberatione, et tunc solum, cum vires languent, et calor exiguus est, ut excitari, atque intendi debeant, ea uti convenit, nec illico largiores doses, ut vulgo fieri solet, ingerendæ sunt. Quando autem vires dejectæ sunt, et deficiunt, eas decocto florum chamæmeli excitare tentabat COLLINIUS (*g*). STORCKIUS adhibebat *claretum ex conserva* florum cordialium. Apud nos vini aliquid largiri in usu est, et vere nihil vires præstantius erigit. Serum quoque lactis vinosum excellit. Si cum viribus dejectis pulsus simul minimus percipiatur, validiora etiam excitantia, uti camphora, quam modo dixi, vesicantia, aliaque ejusmodi non reprobantur (*h*). Præterhæc ab aliis chinæ cortex aut solus, aut radici serpentariæ, valerianæ, contrayervæ adjectus utiliter adhibetur (*i*). Diarrhœam vero, nisi prope vires prosternat, adstringentibus cohibere non licet. Ex ejus suppressione sæpe exitium consequitur. HAMILTONUS pluries id conqueritur. Ipse contentus est pulvere margaritarum, aut theriaca, aut diascordio eam compescere, et vesicantium ope, diaphoreticisque miliarem fomitem extrorsum prolicere, ne totus intestina versus confluat. Inter ea, quæ interdum morbus non perfecte judicatus re-

Camphoræ laudes limitantur.

Vires deficientes quibus excitentur.

Alvi fluxus si sistatur, exitium.

linquit, frequens est tumor leucophlegmaticus (§. 398.) Hunc cathartica, et diuretica discutiunt (k). Reliqua sive symptomata, sive morbum subsequentia mala qua ratione curanda sint, ex iis, quæ alibi tradita sunt, quisque non ignorabit.

Tumor leucophlegmaticus a morbo relictus discutitur catharticis & diureticis.

(*) *Pulvis Tunquinensis*

℞. *Moschi optimi gran. XVI.*

Cinabr. nativ. pp. Coccinell. ana gr. XXIV.

M. f. pulv. dandus pro una dosi, aut in duas divid.

(a) VOGEL. §. 141. (b) §. 148. (c) VOGEL. *l. c. ib.*
(d) *Id. ib.* (e) *L. c. p.* 69. 70. (f) *p.* 362.
(g) *L. c. p.* 73. (h) COLLIN. *p.* 74.
(i) GASTELL. *p.* 363. 364. (k) VOGEL. *l. c.*

§. 443. Præcipuas de singularibus quibusdam remediis animadversiones attulimus, et quædam breviter complexi sumus ad peculiaria symptomata etiam spectantia. Nihil vero de curationibus, quas morbi complicationes poscunt, dictum est, quia variari illæ debent pro vario morbi genere, quocum miliare exanthema complexum est, aut cujus speciem induerit. Evidentissime enim liquet, ad morbi simulati, aut complicati naturam respiciendum esse, accommodandamque curationis rationem, qualem nempe morbus iste requireret, si a miliari sejunctus esset, non tamen omnino neglecta conjuncti exanthematis consideratione, sic ut mixta curatio exsurgat, utrique malo opportuna. At non possum in universum satis inculcare, simplicissimam medendi methodum compositæ, et generosiori esse plerumque præferendam, feliciusque illos ægros e morbo evadere, qui naturæ opus non turbaverint, et diluentibus, temperantibus, idoneoque diætetico regimine plus confisi sint, quam medicamentorum farragine, aut multiplici operationum adhibitione: quæ animadversio si in quolibet morbo acuto utilis est, in exanthematicis vero, et speciatim in variolis, et

Larvati, & complicati morbi curatio.

Simplicissima methodus compositæ præfertur.

miliaris pernecessaria est, nam natura ipsa fere omne opus absolvit. Itaque institutis in primo stadio, prout indicantia postulaverint, sanguinis missionibus, emesi, aut alvi ductione, reliquum curationis naturæ, tempori, et diætetico regimini maximam partem concredatur. Nos in Italia copiosissimum potum a principio ad finem usque præcipimus, et talem commendatam (*a*) video a plerisque ex nostratibus. Parari is solet ex decocto hordei, graminis, acetosæ, cichorei, schorzoneræ, aut panis albi, aut ex aqua purissima, uti est Nucerina, aut alia simili. Ei aliquid nitri adjicitur, aut succi mali aurantii lusitanici, aut medici, aut citrei, aut oxymelis, prout diathesis inflammatoria, aut alcalescens humorum natura exigere videatur. Acida vero non promiscue, atque indiscriminatim præscribantur, sed eorum usus ad experientiæ normam supra memoratam (§. 438.) expendendus est. Sic sanguis diluitur, temperatur, ejus acrimonia obtunditur, atque emendatur. Diluentem, refrigerantem, atque antisepticum potum impendit etiam GASTELLERIUS (*b*), præstantioremque eum prædicat, qui lenem simul diaphoresim adjuvet. Id vero usui tantum erit, ubi sudores absint, aut non profuse effluant; alias enim diaphoretica aliena omnino essent, et nocua. Diaphoresim promovendi consilio LUDWIGIUS non timet decoctum radicum chinæ, bardanæ, et sarsæparillæ proponere in potum ordinarium, et fortasse in regionibus frigidis, in quibus ipse degebat, opus est paullo activiore medicina (*c*). Apud nos tale decoctum, præsente febri, vix locum inveniret. Absente igitur febre, ut in miliari morbo apyretico, aut in chronico, cui *purpura scorbutica* nomen est, si unquam dandum est, accommodatius videtur. Generatim potiones neque omnino calidæ, neque omnino frigidæ esse debent,

Post generalia initio adhibita quid magis prosit.

Potus qualis.

Diluens, refrigerans, & diaphoresim promovens.

sed temperatissimæ, DAMILANO (*d*), AUGUSTINIO (*e*), LUDWIGIO (*f*), aliisque suasoribus. Hieme ad calidum potius quodammodo inclinent; æstate ad frigidum, aut ad eam temperiem, quæ in atmosphærico aere, atque in cubiculo est. In altera certe periodo nunquam frigide bibere permittit ALLIONIUS (*g*). At, inquies, inventi sunt, qui non modo frigidam, sed nivatam etiam aquam potui affatim dandam consulunt. Verum hoc quidem; sed vel in eo solum casu id exsequuntur, in quo exanthemata deficiunt, vel in climate calidissimo, et in hominibus potui perfrigido assuetis tentare audent; vel tanta apud nos curationum sic præstitarum nondum exempla suppetunt, ut sine temeritatis nota eorum consilia sequi universim liceat. Præterea decocta modo laudata conceduntur etiam emulsa ex seminibus melonum, et serum lactis defœcatissimum, prout ægris magis arriserit, aut medicus opportunius existimarit.

Potus nec caleat, nec frigeat.

Frigidum aliqui laudarunt.

(*a*) ALLION. *l. c.* DAMILAN. *l. c.* BARALD. *l. c.*
(*b*) *Loco cit. p.* 163. (*c*) *Loco cit. p.* 229.
(*d*) *Loc. cit.* (*e*) *Loc. cit.* (*f*) *Loc. cit.* (*g*) §. 233.

§. 444. Vitandus magna cura est nimius conclavium calor, et nimia stragulorum copia; arcendusque itidem subitus aeris incurrentis afflatus, aut repentinum frigus; nam tam calor nimius, etiam exterior, ut alibi (§. 395.) ostensum est, quam subitum frigus, aut aeris novi irruptio impedit, quo minus exanthemata egrediantur, aut jam egressa repellit (*a*). Temperatissimus igitur aer, et cubiculi sit, oportet. Quoniam vero aer cum hominum, aut adstantium frequentiæ, tum ægri ipsius halitibus facile depravatur, ineptusque exspirationi excipiendæ fit, is subinde opportunis horis, consuetisque cautelis renovari debet. Si æger in cubiculo amplo degat, tutissimum

Calor, frigus, aerisque afflatus vitandus.

Temperatissimus sit calor, aerque cubiculi.

Cubiculum amplum.

erit; difficilius enim effluviis contaminabitur magna aeris moles, et facilius novus admitti poterit aer, quin æger irruentis aeris flatum, aut frigus persentiat. HAENIUS, qui alioquin aeris frigidi et fautor, et laudator acerrimus fuit, in hoc tamen morbo, cum adhuc liberum a quæstionibus animum haberet, quamcumque auram frigoriferam damnavit, et timuit (*b*). Non me latet, multos hodie esse, qui neque aerem frigidum, neque linteaminum, indusiorumque mutationem unquam suspectam habent, aut reformidant. GASTELLERIUS certe utrumque sine nocumenti metu suis ægris permittit (*c*). At alii nonnisi cautissime id faciunt. HAMILTONUS aeris frigidi damna conqueritur (*d*). Linteorum vero, et indusiorum mutationem in altera in primis periodo omnino prohibet ALLIONIUS (*e*), nec facile in morbi fine, nisi sero admodum concedit. At interdum ita sudore madent, et fœtidissimis effluviis scatent, ut noxii halitus, ni auferantur, iterum corpus subeant, aut inspiratione iterum recipiantur. Eo in casu illa mutari licet (*f*). Mutanda pariter sunt, quando lintea madida refrigerari incipiant, sensumque frigoris inferunt. Hinc enim algor ægrum corripere potest, et exanthemata repellere. Tunc renovari ea fas est, sed magna cautione adhibita, ne nudo corpori frigus accedat. Cavendum præterea est, ne lintea, aut indusia frigida, aut excalefacta nimis sint, nam prima frigore offendunt, altera æque nocent cutim siccando, et corrugando. Neque calefactorium inter lintea, et stragula, quando humida sunt, immittendum est, ut vulgo fieri solet, quo exsiccentur. Calor enim ejusmodi ægro, et cuti molestus evadit (*g*). Satius est, si nondum mutanda videantur linteamina, pannis lineis, siccis, levissime tepefactis sic ut nec frigore, nec calore officiant, sudorem

Aeris renovatio.

Aeris frigidi damna. Lintea, & indusia quando mutari liceat.

Calefactorium nocet.

Qua ratione differri possit linteorum mutatio.

de corpore abstergere, et similes etiam inter corpus, et indusia madida interponere, ut diutius, et facilius sudor sine interruptione ferri possit. E lecto etiam surgere periculosissimum est, præsertim puerperis. In syncopem enim facillime incidunt, atque hinc pustularum regressus, et convulsiones lethales subsequuntur. HAMILTONUS sæpe funestissima immaturæ, aut incautæ ejusmodi electo surrectionis effecta vidit (*h*). Quod ad victum attinet, is quidem tenuis esse debet, præsertim febre vehementi, et inflammatoria urgente. Talis tamen sit oportet, ut vires languidas instauret, reficiatque. Nonnulli jus carnis vitulinæ, aut pulli gallinacei ad libræ circiter pondus tertia, aut quarta quaque hora suis ægris concedunt. Puerperis aliquid plus largiuntur, si morbus trahitur, aut ad inclinationem vergit. His enim juscula ex pane trito ter, vel quater in die parva copia dari permittunt præter jus tenuissimum, quod potui ordinario datur. Sed consuetudinis, regionis, temporisque ratio habenda est, ex qua variari non parum victus potest (*i*).

Non licet e lecto surgere.

Victus.

(*a*) DAMILAN. *l. c.* (*b*) COLLIN. *p.* 75. & 89.
(*c*) *Loco cit.* (*d*) *L. c. cap. VIII. p.* 77. item *hist. V. p.* 109. & *hist. XI. p.* 142. (*e*) *Loco cit. p.* 225.
(*f*) AUGUSTIN. *l. c.* (*g*) ALLION. *loco cit.*
(*h*) *Cap. VI. p.* 65. 66. 67. (*i*) ALLION. §. 234.

Nonnulla speciatim de febre miliari puerperarum.

§. 445. Narratum a nobis supra (§. 383.) est, ex quo miliaria exanthemata in mulieribus recens enixis attente observari cœpta sunt, morbum istum solis puerperis infestum, et veluti proprium universim fere habitum esse, et peculiare hinc nomen, *febris* videlicet *miliaris puerperarum*, obtinuisse. Postquam vero a puerperis in alios cujusque sexus, ac conditionis homines æque gradum facere visus est, uti post Lipsiensem illam

Quid febris miliaris puerperarum?

cladem præcipue contigit, communem omnino creditum esse; neque essentia, caussis, effectisve ab illo puerperarum discrepare, nisi quod in puerperis ob puerperii complicationem sæpius periculi magnitudine, ac gravitate perniciosor videretur. Nostra demum ætate non defuisse, qui miliarem morbum non essentialem, neque primarium reputaverint, sed factitium, aut symptomaticum venditare annisi sint. Neque id tantum de iis exanthematibus miliaribus, quæ puerperis obveniunt, verum de omnibus etiam aliis, quæ indiscriminatim in ægrotis apparent, generatim cogitatum esse, ita ut exanthemata ista vel omnia symptomatica, vel nulla esse possent. Quam graviter autem in judicando illi erraverint, STORCKIUM, COLLINIUM, TISSOTIUM, aliosque expertissimos viros invictis argumentis sic demonstrasse, ut pene nullum dubium hac super re reliquum esset.

Non differt a morbo miliari primario, nisi periculo majore.

Errant qui factitia, aut symptomatica esse semper volunt.

§. 446. Novissime tamen admissæ communioris, veriorisque sententiæ quasi pertæsi plerique medicorum Parisiensium, ut est genus hominum novitatis studiosissimum, paullatim in eam opinionem, quæ miliaria exanthemata puerperarum differre a communibus, et epidemicis, atque adeo symptomatica esse contendit, prolapsi sunt, quemadmodum nuperrime accepimus a Cl. CHAMBONO DE MORTAUX (a) Parisiensi item Medico, eodemque Regiæ Societatis medicæ sodali (b), qui eos aperte carpit, et damnat, et se cum aliis ferme omnibus medicis provincialibus contra sentire pronunciat. Quapropter probabile admodum est, PLANCHONUM et GASTELLERIUM (c), ut gratiam apud societatem medicam Parisiensem inirent, quæ enodandam de febre miliari puerperarum quæstionem proposuerat, peculiari commentario respondisse, miliaria exanthemata, quæ puerperis superveniunt, morbum *essentialem* sive primarium non esse, sed

Parisienses medici novissime in aliam sententiam iverunt.

Planchonus, & Gastellerius negant miliaria essentialia in puerperis.

symptomaticum, et omnino diversum a communibus, vulgaribusque illis, quæ epidemice interdum discurrunt, et vere essentialem morbum efficiunt, quod alibi (§. 383.) jam subindicavimus.

(*a*) *Malad. des femm. T. I. chap. VIII.* p. 470. in 8. *Paris* 1784.
(*b*) *Dissert. sur la fievr. miliair. des femm. en couch. & sur leur traitement &c.* §. 4.
(*c*) *Traité de la fievre miliair. des femm. en couch.* p. 31. & *seqq.*

Eorum argumenta.

§. 447. Argumenta vero, quibus miliaria exanthemata puerperarum a vero morbo miliari secernenda esse putant, in medium proferri oportet, ut quantum roboris, firmitatisque habeant, quisque comperire possit. Sunt autem hujusmodi: Differt 1. inquiunt, febris miliaris puerperarum a vulgari, communi, atque epidemica; quod hæc *essentialis*, sive primaria est, et nulli sexui, ætati, et conditioni hominum parcit; illa vero puerperas tantummodo corripit, ditioresque potius, quam pauperes, ob peculiarem vitæ rationem, conclavia calida, et regimen calefaciens. 2. Miliaris morbus essentialis invadit, quin exanthematum eruptionem sudores præcedant, et sine his singula sua stadia percurrit; contra in puerperis sudores et antecedunt exanthematum eruptionem, et comitantur assidui, adeo ut nulla exanthemata appareant, ubi nullus sudor manaverit. Hinc sudoris effecta miliaria dicenda omnino sunt. 3. Caussa etiam differens est. In essentiali malo lympha, et nervorum liquor peculiari, nec satis noto principio contaminatur; in puerperali humor lacteus aberrans, lochia retenta, gastrica saburra, aliæque impuritates exanthematis, omnibusque symptomatibus caussam, materiamque suppeditant. 4. In illo exanthematum eruptio minuit, et levat malum; in hoc nihil demit de symptomatum gravitate. Ubi vero

nulla, aut minima febris puerperarum exanthemata comitatur, tunc (ut difficultatem, quæ eos manet, prævertant) consideranda esse ajunt, ut additamentum ad reliquas excretiones, quibus natura in puerperis se ab accumulatis, congestisque pravis humoribus liberare nititur. 5. In illo exanthematum ad interiora regressus fere lethalis est; in puerperarum morbo non item. Hinc in illo curatio summa cum prudentia, et cautione ineunda est, ne exanthemata intro vertantur, in hoc sine detrimento negligi ea omnino possunt. 6. Essentialibus sanguinis missio nocet, symptomaticis, sive puerperalibus necessaria, utilisque est vel post eruptionem, excepto casu, in quo dissolutione putrida humores liquescant. 7. Catharsis generatim prioribus noxia est, quia ea intro vocat, neque unquam, nisi sub finem, locum admittit: posterioribus quovis in stadio opportuna, immo necessaria. 8. Sectiones cadaverum nullum conspicuum vitium detegunt in morbo illo essentiali; in isto vero puerperarum inflammationes ostendunt, corruptiones, gangrænas uteri, intestinorum, pulmonis, cerebri, et præcipue viscera abdominis multimodis male affecta (*a*).

(*a*) GASTELL. *l. c. p.* 31. *& seqq.*

Allata argumenta examinantur.

§. 448. Atque hæc quidem magna persuasione, et veri etiam specie dicuntur, ut illis, qui auctoritati potius, et celebritati scriptorum, quam rationum momentis acquiescunt, prima facie satisfacere possint, iis vero, qui penitus res intueri, et ad lancem revocare soliti sunt, et qui verum, vel saltem probabile pro ingenii modo investigare volunt, fortasse non possint. Quædam enim falsa omnino assumuntur; quædam dubia; quædam exaggerantur; quædam gratuito asseruntur, aut certe non accurate intra justos fines conclusa, ut singula eodem or-

dine, quo prolata fuere, persequentes ostendere non difficulter speramus. Itaque quod *primo* statim *loco* ponunt, id nihil aliud innuere videtur, quam discrimen, quo morbum sporadicum ab epidemico differre, omnes norunt. Quid hoc ad quæstionem, an miliaria puerperarum essentia, et natura discrepent a reliquis, pertinet? Numquid pleuritis, exempli caussa, quæ sporadica est, desinit esse pleuritis, si epidemica evadat, et contra? Deinde protinus a principio tamquam certum, ac demonstratum habent, caussam in utrisque esse diversam, dum id est, quod in controversia quæritur, et in disputatione versatur; aliundeque constat, ut indubiæ observationes, quarum supra (§. 427.) mentio facta est, demonstrarunt, neque calorem cubiculi, neque vitæ genus, neque calefacientia per se satis esse ad miliaria gignenda, nisi aliæ caussæ intercedant; et, si quando ista aliquid ad eorum genesim conferant, caussarum remotarum locum obtinere; quod non magis proprium et familiare est puerperis, quam alis quibuscumque, divitibus æque, ac pauperibus, quemadmodum ex historia hujus morbi facile patet. Enimvero, quando puerperæ, ut in aliquibus constitutionibus, et locis aliquando contigisse scimus, fere omnes miliari exanthemate corripiuntur, quis, quæso, unquam certo ostendat, singulas eodem vitæ genere, et conclavium calore, et regimine usas esse, et ditiores ideo frequentius, et gravius conflictatas; pauperculas vero ob contrariam vitæ rationem quasi immunes exstitisse? Sed demus, aliquando puerperas ex ejusmodi caussis in miliaria incurrere, aut symptomatica in iis interdum esse posse; num idcirco sequitur, ut a miliari morbo essentiali semper immunes esse debeant? Num partus eas, quasi privilegio quo-

Sive sporadicus, sive epidemicus idem morbus sit, nihil mutat ejus essentiam.

Caussa non est diversa in utroque.

Per se calor, & calefaciens regimen miliaria non gignit.

Non semper puerperæ immunes sunt a morbo miliari essentiali.

dam, communibus reliquis morbis subtrahit, subducitque? Nemo sanæ rationis hoc dixerit.

Sudores tam in puerperis quam in aliis communes sunt.

§. 449. Falsum porro omnino est, et experientiæ contrarium, quod *secundo loco* adducunt, in essentiali, sive primario morbo tam ante, quam post exanthematum eruptionem sudores abesse; in symptomatico vero illo puerperarum copiosos, profusos, et fere perpetuos emanare; atque adeo alterum ab altero hoc discrimine distingui. Nam supra (§. 390.) ostensum est, commune utrique esse ejusmodi phænomenon; nec negare id potuit GASTELLERIUS ipse in eo tractatu febris miliaris (*a*), quem ante aliquot annos edidit. Immo DAMILANIO (*b*) sudor iste adeo certum signum futuræ miliaris eruptionis visum est, ut palam scripserit, statueritque, si sudor deficiat, quamquam reliqua signa adessent, non exspectanda tamen exanthemata esse; et contra, si reliqua absint, hoc solo signo ea prævideri, et prædici posse. Nec puto, quemquam reperiri, cui vel ex propria observatione, vel ex auctorum fide non constiterit, magnam in sudores propensionem inter certiora, et frequentiora signa, quæ exanthematum eruptionem prænunciant, habendam esse: ita ut argumentum retorqueri jure possit, puerperarum miliaria nullo modo distare ab aliis miliariis exanthematibus, hoc ipso quod in utrisque tam ante, quam post eruptionem sudoribus ægri fere diffluant. Neganti, ut convincatur, et sententiam mutet satis erit *Picardorum miliaris sudatoria*, ideo *la suette* dicta, quod eam perpetui sudoris comitentur (*c*).

Sudores signum certius futuræ miliaris eruptionis.

(*a*) *Essai sur la fievr. miliair. à Paris* 1773. *p.* 86. *p.* 265. *& passim in historiis sub finem additis*.
(*b*) *L. c. p.* 56. *in not. c.*
(*c*) *Vid. Mém. de la societ. Royal. de Méd. T.*2. *p.*46.

§. 450. *Tertio* frustra caussam materialem in utrisque diversam sibi confingunt. Quod de lacte, lochiis aliisque inquinamentis dicunt, aut mere hypotheticum est, aut complicationis quoddam potius genus, quam unica, et vera caussa miliaris exanthematis in puerperis. Potest siquidem in his lympha, succusque nerveus peculiari, noxioque principio, sive, ut vocant, venenato miasmate infici, ut in aliis hominibus essentiali morbo correptis, et præterea vitium istud cum lacte, aut lochiis, aut aliis pravis humoribus retentis, corruptisque complicari, quin ab his proxime malum pendeat. Potest etiam in puerperis ita depravari serum, vel alius quicunque humor, ut veneni, sive miasmatis naturam induat, miliaremque morbum efficiat. Non ergo ita plana est, ut suadere sibi volunt, caussæ materialis differentia. Sed ut ut res se habeat, illud certum, ratumque videtur, febrem miliarem in puerperis sæpe observari, quin lac, aut lochia aliquid vitii ceperint, aut subierint, aut aliæ impuritates manifestæ sint: et contra pluries lac, et lochia retineri, atque aberrare, aut alia inquinamenta occurrere, quin miliaria exanthemata erumpant, ut clinicorum frequens in morbis puerperarum observatio testatur. Neque denique, ubi exanthemata ad cutem efflorescunt, et colorem lacteum acquirunt, albedine hæ illico indicium præbent certum, ex lacteo humore aberrante ipsa nasci; cum lacteus, albidusque color non raro in pustulis miliariis maturitatem adeptis etiam extra partum, immo in masculis, adolescentibusque cernatur. Adde demum, quæcunque sit miliaris morbi caussa, nervosum systema non minus in puerperis, quam in quibuscunque aliis affici, convellique, si malignus, et febrilis ille fuerit, quemadmodum quotidiana experientia commonstrat. Ex qui-

Cur caussa non sit diversa.

Lac, & lochia sæpe retinentur, quin miliaria gignantur.

Neque color albus a lacte originem ducit.

Nervi in utroque morbo maxime afficiuntur.

bus sane colligitur, frustra, et sine caussa miliaria puerperarum ab aliis sive sporadicis, sive epidemicis segregari, nec satis caussæ diversitatem in utrisque liquere.

Eruptio minuit morbum tam in puerperis, quam in aliis, si benignus est, & contra.

§. 451. Falsum quoque est generatim quod *quarto* asseverant, videlicet eruptione exanthematum essentialem morbum minui, et mitiorem reddi, non item illum, quo puerperæ laborant, quia symptomaticus perhibetur. Nam non omnis essentialis morbus minuitur eruptione exanthematum; sed ille tantummodo, qui benignus est; non autem malignus, qui contra eruptione in ipsa, et post eam excandescit, et ferocit; quod jam alibi non semel a nobis, aliisque animadversum est.

In puerperis frequentius malignus est.

Neque aliter evenit in miliari morbo puerperarum, prout benignus, aut malignus est; quamquam fateri oportet, sæpius in his malignum esse, et pro complicatione periculosiorem. Tantaque est vis veritatis, ut vel ipsi inficiari nequeant, interdum miliaria etiam in puerperis, cum febre careant, aut exigua dumtaxat stipentur, ad repurgandum ab excrementitiis humoribus corpus non parum conferre, id est, morbum, ut ego interpretor, minuere. Quæ cum paria in utroque

Non differt ergo puerperalis ab alio.

morbo spectentur, et modo eruptio levet febrim, ejusque symptomata, modo intendat, atque exasperet pro benignitatis, aut malignitatis ratione, non est, cur alter ab altero natura, et essentia discrepare dicatur. Itaque si in puerperis non minus essentialia, sive primaria exanthemata sunt quam in aliis, ut revera experientia multorum constat, profecto consequens est, ut in illis æque lethifera, aut saltem discriminis plena pustularum repulsio habenda sit, neque earum in curatione ratio negligenda; contra quam *quinto* loco perperam tradiderunt. Testes appello post HAMIL-

TONUM in primis HOFFMANNUM, JUNCKERUM ALLIONIUM, aliosque quam plurimos clinicos, qui puerperas a retropulsis miliaris in summum vitæ periculum conjectas non raro viderunt, nisi bono fato uberior urina, aut lochiorum, aut alvi fluxus, aut sudor, aut pluries ejusmodi evacuationes simul junctæ exitium averterint, miliaremque humorem per hasce vias provide derivarint.

Repulsio pustularum æque periculosa in puerperis: non ergo earum cura negligenda.

§. 452. Quod vero de sanguinis missione, et catharsi *sexto*, et *septimo* magna confidentia prædicant, et credi volunt, ut discrimen prædictum confirment, nullam fidem meretur. Nocet enim in utroque casu sanguinem mittere, aut alvum ducere, nisi indicantia alterutrum necessarium ostendant, quod pluribus in locis, et speciatim (§§. 432. 433. 434.) etiam atque etiam declaravimus. Immo in epidemico miliari morbo sæpe inveniuntur indicantia tam sanguinis mittendi, quam alvi ducendæ, ut ALLIONIUS, AUGUSTINIUS, et BARALDIUS præ ceteris observarunt. Contra in puerperis raro HAMILTONO occurrebant, et tum solum, cum pleuritis, suffocatio, aut aliud symptoma gravius se se exserebat. Pro varia igitur circumstantiarum ratione tam in miliari morbo vulgari, quam in puerperali modo sanguinis missio, modo purgatio, modo neutra instituenda est. Si quando autem in puerperarum morbo miliari sanguinem, etiam iterato, immo præsentibus exanthematibus, mittere, aut alvum quovis tempore solvere expedit, id non ipsius tantummodo caussa fieri necesse est, sed eo potissimum quod cum lochiis retentis, lacte aberrante, plethora, inflammatione uteri, intestinorum, pulmonum, cerebri, aliorumque viscerum, aut cum saburra gastrica, aut biliosa colluvie plerumque complicatus sit. Cumque sæpe mala, quibuscum miliaris morbus in puerperis consociatur, ita urgeant, ut

Sanguinis missio vel nocet, vel prodest, prout indicatur, vel non.

Exempla.

In puerperis non a morbo, sed a complicatione sanguinis missio, & catharsis postulantur.

Quo sensu miliaria negligi possint.

iis speciatim succurri cito, et valide debeat; hoc solum sensu intelligendum est, miliaria interim negligi posse, videlicet eorum caussa non omittenda esse auxilia; uti sanguinis missionem, aut catharsim, quæ symptomati urgentiori opportuniora, immo necessaria videantur. Neque id peculiare, et proprium est miliaris morbi puerperarum. Hoc ipsum in quovis alio miliari morbo complicato fieri debet, quemadmodum supra (§. 432.) ostensum est.

Differentia ex sectionibus cadaverum aut nulla est, aut aliud significat, quam volunt.

§. 453. Quæ *postremo* differentia adducitur ex cadaverum sectionibus, effecta potius demonstrat morborum, cum quibus in puerperis complicata miliaria fuerunt, quam horum a communibus, atque essentialibus dissentientem naturam. Nam similia etiam extra puerperium in essentiali morbo complicato pro complicationis ratione, ac varietate inveniuntur. Ut aliorum observata prætermittam, duas tantum cadaverum sectiones, quas apud GASTELLERIUM ipsum reperio, in rei confirmationem proferam. Obiit ex miliari morbo essentiali LAURENTIUS DUCHENE anno ætatis quinto et quinquagesimo. In ejus cadavere lobus sinister pulmonum apparuit sanguine nigro, et denso infarctus, qui etiam totam cellulosam substantiam oppleverat (*a*). Eodem anno, nempe 1771. intra quatuor, aut quinque dies ex miliari morbo malignissimo periit D. TAS DE GRAIN, *Vicarius Parœciæ d' Amilly* octo supra viginti annos natus. Cadaveris sectio detexit intra calvariam *leves* quasdam sanguineas *stases*, et in intestinis hic illic *nonnullas phlogoses*; pulmones vero gravius affectos. In primis lobus sinister sanguine nigro, polypode, et in cellulosum textum ubique effuso replebatur. Auriculam et sinum cordis sinistrum occupabat polyposa concretio, quæ fortasse a morte demum gigni potuit (*b*). Nec tanta est diversitas effectuum in cadaveribus puerpe-

Gastellerius ipse fatetur reperisse inflammata viscera in vulgari miliarium morbo.

rarum repertorum, quantam adversarii ostentant. Nam HAMILTONUS secuit cadaver cujusdam puerperæ ex hoc morbo defunctæ, et nihil in eo morbosi deprehendit præter polypodem in cordis caveis concretionem (c). Cl. quoque Jo: BAPTISTA BLANCHIUS anatomes professor Taurinensis significavit Cl. ALLIONIO, se aliquando quidem uterum alicubi inflammatum in puerperarum cadaveribus offendisse, veram vero mortis caussam plerumque oculorum sibi aciem effugisse (d). Ceterum ut ad modo memoratam ejusmodi complicationem revertar, hanc ipsam admittere etiam cogitur PLANCHONUS (e), alioquin miliaria puerperarum a vulgari morbo miliari discernens, ubi ait: *verum tamen esto, complicationem caussarum utriusque morbi efficere posse, ut admodum similes morbi fiant, imo ipsissimi; quod speciatim scire magni interest, ut necessariæ cautiones ad rectam, prudentemque curandi rationem adhibeatur*. Et rursum paullo post confitetur, hinc inductos fuisse scriptores ad credendum, *utrumque* morbum unum, eumdemque esse (*f*); conceditque demum, *revera, quæcumque sint caussæ generales morbi miliaris, signa tamen, et symptomata fere semper in puerperis esse cum aliis eadem*. Hoc unum PLANCHONO (g) dubium remanet, quod miliaria sæpe in puerperis observentur, quin interea epidemice ea vagari videantur. Hinc colligit, in puerperis ex peculiari, et proprio humore eadem nasci. At, si vir eximius advertisset animum ad communissimam divisionem, qua miliaris morbus dispescitur in sporadicum, et epidemicum, ut alii fere morbi, etiam exanthematici, omnem profecto hac super re scrupulum a se amovisset.

Hamiltonus in puerperæ cadavere non invenit ea vitia, quæ adversarii jactant. Observatio Hamiltoni confirmatur a J. B. Bianchio. Planchoni ingenua confessio.

(a) *Ess. sur la fievr. miliair. Observat. troisiem. p.* 232.
(b) *L. c. obs. quatriem. p.* 239. (c) *De febr. mil. cap. VI. p.* 67. (d) ALLION. *l. c. cap. VIII.* §. 138.
(e) *L. c.* §. 7. (*f*) *Id. ib.* §. 8. (g) *Ibid.*

Miliaris morbus idem est in puerperis, ac in aliis. Curatio eadem.

§. 454. Itaque cum miliaris morbus puerperarum nullo modo ab eo, qui in alios cadit, diversus sit, atque uterque eamdem naturam, originemque agnoscat, reliquum est, ut eadem utrique curandi ratio conveniat. Jure igitur, cum curationem hujusce exanthematis exsequeremur, sic eam complexi sumus, ut quæ etiam puerperis communis, atque opportuna esset, non desideraretur. Supervacaneum idcirco existimo, peculiarem hic curationem proponere, et quasi actum, ut ajunt, agere. Si quid tamen discriminis in ea interdum statuendum sit, id omne a complicatione puerperii, et a præcedente graviditate profluet. Consulo igitur, ut ad lochiorum præsertim fluxum respiciatur; nam si is subsistat, aut minuatur, sanguinis missione, interdum etiam iterata opus est, et fomentis emollientibus uteri regio laxari debet, et lenibus aperientibus viæ reserandæ, ut lochia revocentur, aut pro re nata promoveantur. Fereque eadem locum habent, quæ in febri lactea puerperarum, aut in febri puerperali recentiorum alibi a nobis præcepta sunt. Item si primæ viæ putrida colluvie turgeant, hæc blande enematibus, aut eccoproticis excutienda est. Ad lochia vero tam sustinenda, quam restituenda, si deficiant, alvumque leniendam, quæ duo maximi momenti capita sunt, medici germani pilulas balsamicas, BECHERI, aut STAHALII, aut HOFFMANNI quam accommodatissimas reputant, et earum grana duodecim, aut quindecim quovis vespere ad aliquot dies dari præcipiunt (*a*). His enim vel lochia promoveri, vel diarrhœam excitari existimant, quæ non modo sordes intestinorum egerat, verum illorum etiam vicem quodammodo suppleat. At ubi febris paullo acutior, aut inflammatoria diathesis, aut uteri, aliorumque viscerum inflammatio præsens, aut imminens hujusmodi pilularum usum vetent, enemata certe

Complicatio discrimen facit.

Quid igitur in primis curandum.

Becheri pilula.

Ubi pilulæ non conveniunt, quæ substituenda.

repetita, oleum amygdalarum dulcium, sales neutri mitissimi, et flores cassiæ refracta dosi utramque paginam adimplent. Victus ratio tenuis esse debet, qualem alibi puerperis præscripsimus; in progressu tamen paullulum liberalior concedi poterit: evacuationes enim, quas perpessæ sunt, aliquid plus alimenti efflagitant. Victus ratio.

(*a*) VOGEL. *l. c.* §. 141.

ADMONITIO DE PESTE.

§. 455. Nemo non perspicit, ad exanthematicos morbos febriles pertinere sævissimum illum urbium, et provinciarum vastatorem, et humani generis destructorem, quem vulgo *Pestem* nominant. Nam in hac et bubones, et carbunculi, et alia exanthematum genera ad corporis peripheriam prodeunt, nunc cum febre, nunc sine ea, et peculiarem prope ejus essentiam constituunt. Contages vero tanta in ea est, ut pernicissime in quosque alios malum propagetur, se diffundat, universimque proserpat, ac pene omnes internecione deleat. Debuissem igitur hoc quasi agmen morborum claudere singulari de Peste commentatione. Verum cum summo Dei O. M. beneficio factum sit, ut horrido ejusmodi spectaculo nunquam interessem, nec proinde Luem unquam viderim, nec curaverim, non potuissem de ea referens, nisi Auctores, qui me antecesserunt, serviliter exscribere, quin aliquid de meo adjicerem. Ne igitur actum, quod ajunt, agatur, satius duco tirones omnino remittere ad scriptores ipsos, qui de hujusmodi pernicie ex professo pertractarunt. Cumque horum aliqui ea, quæ ipsi viderunt, scripto tradiderint; aliqui ex aliorum scriptis opus undique absolutissimum compilarint, superest, ut utrorumque lectionem etiam atque etiam comm ndem. Inter priores, quorum non exiguus est numerus, præ ceteris memorandi sunt

HIERON. MERCURIALIS (a), HIERON. CAPIVACCIUS (b) TH. SYDENHAMIUS (c), LUDWIG. SEPTALIU (d), ISBRAND. DIEMERBROECKIUS (e), HODGESIUS (f), CHICHOINEOUS (g), et e recentissimis MERTENSIUS (h). Inter posteriores vero pro multis aliis erunt LUD. ANT. MURATORIUS (i), et ANT. HAENIUS (k), qui non modo quæcunque de Peste aut observata, aut scripta sunt, accuratissime collegit, verum propriis etiam animadversionibus, et consiliis doctissime illustrarunt. Hos itaque legant, et perlegant Tirones, velim, et alienis tum periculis, tum laboribus sic in publicam utilitatem proficiant, ut, si quando in Pestilentiæ calamitatem incidant, quod avertant superi, opera, et consilio paratissimos, et instructissimos ad omnia se monstrent (*).

(a) *De peste ann.* 1577. *Venet.*
(b) *Med. Pract. lib. VI.* (c) *Oper. sect.* 2.
(d) *De Pest. & pestifer. affect. lib. V. Mediol.* 1622.
(e) *De Peste Neomagi Oper. T.* 2.
(f) *De Pest. Lond. ann.* 1665.
(g) *Relation de la Peste de Marseille. Paris* 1720.
(h) *Observ. Medic. de Febr. putrid. de Peste, nonnullisque aliis morb. P.* 2. *Cap.* 1. *Histor. pestis Moscuens. anni* 1771.
(i) *Del Govern. della Peste e delle maniere di guardarsene, Trattato diviso in politico, medic. ed ecclesiast. Moden.* 1714. *Itemque; Relazione della Peste di Marsiglia pubblicata dai Medici che hanno operato in essa con alcune osserv. di Lodov. Ant. Muratori ed altre giunte ec. Moden.* 1721.
(k) *Rat. medend. P. XIV. sect. alter. de Peste.*
(*) Fortasse ad hanc morborum classem referendi fuissent tumores parotidum, & maxillarium glandularum, vulgo *Orecchioni* dicti, quod multa habent cum exanthematicis morbis communia. Verum, quia nondum observationibus id satis comprobatum est, satius duximus de iis in cap. XV. Voluminis seq. verba facere.

Finis Tomi Quarti.

